RF 204
BD
125
.044
1693

RF
204

IDHM-NP
OBU

SUMMA TRIPARTITA SCHOLASTICÆ PHILOSOPHIÆ; SIVE CVRSVS PHILOSOPHICVS TRIENNALIS,

IN LOGICAM, PHYSICAM, ET METAPHYsicam Aristotelis;

IVXTA HODIERNVM SCHOLARVM Soc. IESV morem, breviter, & exactè comprehensus.

AVCTORE R. P. NICOLAO DE OLEA, Peruano Limensi, ex eadem Societate IESV; Olim in Cuzcano, & Limano, Collegijs Theologiæ Primario Professore.

PARS PRIMA.

IN LOGICAM.

Desunt nobis reliqua. Hz. brevit.

IHS.

Sumptibus Iosephi de Contreras Regio-Lim[illegible] Typographi. Anno 1693.

SUMMA TRI
PARTITA
SCHOLASTICÆ PHILOSOPHI
SIVE
CVRSVS PHILOSOPHIC
TRIENNALIS,
N LOGICAM, PHYSICAM, ET META
ficam Aristotelis;

ATA HODIERNVM SCHOLA
Soc. IESV morem, breviter, & exacte
comprehensas.

VCTORE R. P. NICOLAO DE C
Pernano Limensi, ex eadem Societate IH
Olim in Cuzcano, & Limano, Colleg
Theologiæ Primario Professore.

PARS PRIM
IN LOGICAM.

Dejunt nobis reliquæ.

IHS

Sumptibus Iosephi de Contr
Typographi. Anno

ILL.MO. DOMINO D. DOCTORI D. EMMANVELI DE MOLLINEDO, ET ANGVLO, Episcopo Cuzquensi, Regiæ Majestatis Consiliario, &c.

TANDEM VOTA SOLVO, NON DEBITUM; CUM solvendo non sim, neque vnquam par esse possim, ILLVSTRISSIME PRINCEPS. Reus siquidē voti, ac perendinator mutui, postulabar jam repetundarum, dilato hactenus hoc percxi quo munusculo, mille titulis tuo, & ante viginti annos Tibi identidem consecrato. Ex quo enim præclaram tuam Ecclesiam, Urbē que Cuzquensem, clariorem quidem Te Præsule, ac feliciorem, adijsti; tum ibi tunc temporis Academiæ Præfectus, Theologiæ magisterio defungerer, eodemque perfuncturus Limam euocarer; per annum tamem detentus tui fauoris ac benignitatis illicio, nactus interim sum fortunatissimè Te meum, vt totius Orbis litterarij, Magistrum scientissimum; per quem, & pro Opellà hac, quam tunc parabam ampliorem, & pro Scholasticá qualimea cumque eruditione, multum ipse, *si mens non læva*, proficerem. Et sanè fateor, ne fur videar alicui, profecisse, doctus assiduis, quotidianisque Tuis disputationibus[melius dicam) colluctationibus, quibus & benignitatis amplexus, & Syllogisticas complexiones strictius in dies perurgebas (quæ tua erat, vt esse solet, *tota conversatio in cælis*, digna & Episcopo, & Apostolo) vt si quid in opere concinnum, aut elegantiori sit doctrinæ luce respersum, è penu sapientiæ tuæ mutuatum, Tibique jure reddendum agnoscam, perquē factus sum ditior. Tibi ergo tuum refero munus, dum offero meum; quod jure cum Jurisconsultis mutuum dixero, quasi *meum Tuum*: & imitatus sacratiorem Scholarem Dialecticum Iacobum, supplantatorem non Sophisticum sed Analyticum, qui *habitabat in tabernaculis*, siuè ex Hebræo fonte, in *Scholis*, & *domo doctrinæ*; (scholasticè luctatus cum Angelo[ex Uate Apocalyptico nomen est & Episcopi) ab ipso doctior factus, & ditior, votum voveo colluctatori Magistro, Angelo, ac Numini, erecto in aram lapide, cui multam noctem caput incubuit, dicto scilicet non *à lædendo pede*, sed capite(Quem veluti Sisipheum saxum tot sæculis Philosophi versant, ac volvunt, multiplici mentis reflexionum, quasi retrogradà revolutione, in culmen Scientiæ satis, vt liquet, arduum euecturi.) Hoc, inquam, super lapide, impolito licet, ac duro, multis tamen oculis pleno, reddendo que felicitet auspicijs Tuis *Lapide adjutorij*, effundens oleum desuper, Oleam vè & operam, nullibi melius collocandam, & vota reddo, & Sacrificio laudis protectionis Tuæ adjutricem Umbram exposco.

Voto tamen licet, ac muruo reverens oblatio satis hæc faciat: at debito nunquam satis; iterum aio, Præsul amplissime. Tantis enim pro me, ac meis, pro nostris, ac nostrâ Societate, tuis obæratum me sentio beneficijs, vt veluti de Augusto suo olim Furnius grauiter querebatur, eandem de Te tecum ipso Socij omnes, benignissimam expostulare debeamus injuriam, quod ingratos Tibi Nos perpetuò fore coegeris, qui parem benignitati tuæ gratitudinem, tametsi animo concipere, referre tamen factis, aut verbis nunquam erimus valituri. Ita nanque Societatem nostram, verè Tuã, & corde getis ad amorem, & ad dulcedinem ore: vt ferè nescias, aut certè minimè obrecteris, nisi de nostris, aut cum nostris familiaria miscere colloquia: nullus Tibi sapiat sermo, qui non Societatis, aut Sociorum laude condiatur: nullus vbi nõ magna illa personæ Nomina, verè Complutensia, Tibique charissima, Alphõsos, Oviedos, Ribadeneyras, Moyas, ejusdem que famæ Magistros, ac Comagistros tuos, ipsorum gesta, scripta, vel dicta, quo soles, ac vales judicij pondere, ac dicendi lepore concelebrans. Vt nullus Tibi festus, aut feriatus satis sit dies, nisi nostrorum aliquem tua mensa digneris, & honestæ, dissertæ q̃ recreationis comitem é Socijs adjunxeris: imò neque pro annuâ visitatione, quâ Diœcesis partem diligenter obambulas, vt decet, Tibi associatus videaris, sine Societate nostrorũ: illis perpetuó Socijs, Cõsiliarijs, Examinatoribus, Coadjutoribus (verbo dicã, & verbo Tuo) amicis, vbilibet vsus, ac per omnia confisus. Vt nullius item Scholæ doctrinam (cum sis in omnibus àpprimè versatus) nisi Iesuiticam, vt Tibi propriam, ac juratam sectaris, deprædices, extollas, publicè, constanter que tuearis: vbique laudans, ac spirans Vazquium Tuum, Tuum quoque Ripaldam; vbique Positiones nostras, ac Dignitates, & præcipuè inter eas Principem illam, & triumphis insignem, nostræ Scholæ tesseram, verè Diuinam, SCIENTIAM MEDIAM, qua si Regium vexillum, sub quo Sapientia tua militet, àc triumphet, efferens, eleuans, ac demonstrans: eam, dicere solitus, non tam studio, & diligentiâ, quam tamen summam vestigandæ, ac firmandæ veritati applicueris) quam primo ipso rationis vsu, aut lumine, Tibi inditam, aut innatam, multis id pulcherrimis pariter, ac validissimis rationibus, palam vbilibet contestatus. Vt tandem nostros omnes, àc singulos, paternà benignitate foveas, excipias, complectaris, quin alia apud Te commendatione egeant, nisi communi nomine, ac veste Societatis: Ita Cuzcum vndecumque advenientes, Cuzco vè transeuntes, vel inde recedentes, honoribus, subsidijs, muneribus cumulans; neque absentium oblitus, adquos largitatis, beneficentiæ, ac benevolentiæ Tuæ perpetuò fluenta deriuas. Vbi quantis ad me, & ad meos redundet alluvionibns gratiarum benignitas Tua, in penetralia cordis intimiora abdere compellit modestia, & humilitas sortis meæ, ne meã potius adornare videar commendationem, quam debitam Tibi gratiarum actionem; cum satis sint ad præconium Tuum, & ad ruborem meum, experimenta toti Provinciæ notissima, & mihi honorificentissima.

Duo

Duo Tamen singularia tuæ benevolentiæ signa, ut innumera taceam, nō indicare, oblivionis esset ingratæ: alterum pro Collegio nostro Cuzquensi, pro Complutensi alterum. Illud est, quod nescio quis in Te obtrectator objecit, cum videret, non solum Scholæ nostræ litterarios omnes Congressus, quos vocant Actus, Tuá præsentiá, Tuà que disputatione, seú Replicá, vt ajunt, illustrari; benignè adeò, ut inter Magistrorum de jure, aut more disputantium Replicas, etiam Episcopi, & tanti Episcopi, prima numeraretur, item, & timeretur: sed vlterius Templi quoque nostri solemniora festa quā plura Pontificalibus Sacris Officijs Tuis, Cathedralium more, honorarentur, solito, & cogitato frequentius; inde, inquam, insimulandi ansa, cum aliunde non posset, arrepta, dixisse fertur, *Tibi duas esse Cathedrales Ecclesias, aliam muneris, aliam amoris, hanc Iesuitarum, illam Canonicorum*, Quo licet per hyperbolē dicto non nihil exceserit, satis tamen luculenter expressit, & vere, amorem in Societatem nostram tuum, non nisi hyperbolicis posse amplificationibus explicari. Alterum, quod Complutense nostrum Collegium attinere dixi, eò respicit, quod paulò post memorabor; de peramplo, ac pro censu á Te Compluti nuper instituto, eximia in Scholares pauperes, nobiles que largitate; inter quos præfati Collegij nostri Religiosis Scholaribus primum locum designasti, consignatis in ipsorum alimenta, duum millium aureorum annuis, perpetuis q́ redditibus, in hæc ferè verba addito Tuæ erga nos voluntatis publico testimonio, ut fieret, Scholarum phrasi, honoris, & Lucri: *Te ita irrevocabili perpetuò que valitura voluntate sancire, insignum, ac monimentum immortalis Tuæ gratitudinis erga Societatem IESV, illius que eximij Collegij præclaros Magistros Tuos, quorum benevolentiæ, institutionis, ac doctrinæ debitorem, eo Te publico testimonio profitebaris.* Quo tamen ipso debitricem se, suum que Te creditorem præclarissimum, Societas nostra, quantis poterit voris, àc vocibus, quāta valebit gratitudine, per omnes filios suos, dilectos Tuos, vbique gentium profitebitur, suum que hoc debitum insculpet cordibus singulorum, nec non voluminum, scriptorum que suorum frontibus inscribet, vncialibus quidem adamantinis, imò adamantibus caracteribus, in ævum perennaturis.

Hæc cum ita sint, vt nostræ gratitudinis vota, quantum deest facultatis ingenti debito adæquando, suppleant (ut erga Numina solent) aliquo laudis sacrificio, veluti incensi cordis vaporibus exhalato: patere, ILLVSTRISSIME Domine, sin minus omnes (esset enim immensum) vnam saltem, vel alteram tuarum laudum attingere; id est, opera ipsa Tua, quæ Te *laudant in portis*, in compitis, in vrbibus, in Regionibus orbis vtriusque. Et enim primum, quod inter Pontificis Ornamenta, Rationali Sacro gemmeis inscriptum litteris, Deus Opt. Max, Leuiticá lege voluit esse præcipuum, *Doctrina* fuit. Quam item Apostolus inter primarias Episcopi dotes enumerat, Timotheo suo inprimis præscribens, *Oportere* illum fore *Doctorem*. Et talem Te quidē Infulæ Episcopales inuenere, non vtcumque Doctorem, sed doctissimis e-

tiam Doctiorem; Complutensem nimirum, Complutensis que Cathedræ dignissimum Professorem, & acutissimum, & eximium; vt in Te vno Uazquium Tuum, & Suarczium etiam nostrum, redivivos simul haberemus. Quo doctrinæ merito, & nomine, tota Hispania celeberrimo, Toletanis, & Matritensibus Ecclesijs Parochialibus, Impetij Hispani præcipuis, inter Candidatos summà sapientiâ, virtute, ac nobilitate præclaros, perpetuò præcellentiæ jure præoptatus; eisdem gradibus, juribus que in Synodalem Examinatorem, Visitatorem que Diœcesanũ ab Antistite Purpurato, & in Theologum Consiliarium á Magnatibus Regię Curiæ Præsidibus, certatim electus; Ideò, & á nostris Regiarum Matritì Scholarum Professoribus, pro Gordianis qua Scholasticæ, qua Ethicæ, qua Expositiuę Theologiæ nodis extricandis, indesinenti, tum publicâ, tum privatá disputatione consultus, & pro Delphico oraculo semper es habitus. Hoc ipsum ad nos, cum Tuæ assumptionis ad Cuzquensem Præsulatum nuntio præmisso, omnium litteris, & plausibus decantato, cũ celeberrimá fama apud omnes ubique vulgaret; mirum fuit, Quantis in Americá nostrâ tuo felicissimo adventu Scholasticæ omnes Academiæ cæperunt inusitatis scientiæ fervoribus inardescere: vt quasi nouo sole Hemisphærium Peruvij Theologicum se illuminari sẽsisset, lucidioribus lõgè, ac frequẽtioribus, tũ Philosophiæ, tũ Theologiæ vniversæ cõgressibus, ac disputationibus revirescceret, ac reviviscceret: ambiẽtibus, qua Sacrorũ Ordinũ, qua Regalium Uniuersitatum Magistris, Tua pulcherrima Syllogistica formâ informari, Tua velut animari vividissimę argumentationis energiâ, Tua eruditissimâ disputatione etudiri, Tuo demum suffragio, ac patrocinio ad supremam nominis gloriam extolli; Te in Mæcenatem identidem invocato, in litterarium Numen Concertationum Scholasticarum ab omnibus avide pluries expetito.

At vbi cælestis hæc lux splendidius affulsit, & Sapientiæ fervor se se pectoribus altius infudit, felicissima fuit, Te Præsule, ac Sapientũ Coryphæo, Cuzquensis Civitas, & Academia. Deus immortalis! Qualis, quantaque exarsit, sapiens illa alluvio flammarũ, quá se vidit extemplo totum litterarium Cuzcum accẽdi! Ut cum semper lucidissimum Scientiarum Emporium extiterit; tunc tamen quasi ex Auroræ ante lucanis splendoribus, in medium diem solemnius septuplò lucidiorem, emersisse nobis nos ipsi mirabiliter videremur. Vbi enim vidimus, audivimus, & manibus ipsis nostris contrectavimus de Verbo vitę perpetuò differentem Antistitem; non nisi de Theologicis, de Philosophicis, de Moralibus, de Methaphysicis, de vniuersa eruditione, atque Encyclopædia, colloquia miscentem: vbi non nisi in sua pulchrá, divite, ac plena Bibliotheca, vere Vaticana, ac Pontificia, velut in suo Pomario, aũt Paradyso, inter arbores Scientiæ, diú, noctúque versati; Ubi nõ nisi productis Testibus, allegatisque accuratissimé Doctoribus, lites quasque decidere (& inter eos pro Scholasticis Uazquium, & Ripaldam, quasi Duces, præmittere, illosque propria ipsius Episcopi manu, per totos margi-

nes

nes foliorum, acutissimis appendicibus auctos, ac ditatos) stupere cœpti, refugere plures, & perrimescere, cum Sapientissimo Doctore, & Magistro eruditissimo manus conferere; plerique vero ad studia scientiarum mentē convertere, libris impallescere, nec audere ad bellipotentem adeò Herculē accedere inermes, aút imparati. Interim Religionum Præsules ingenti cura solliciti Magistros celebriores, ingeniosiores Scholasticos Cuzcum submittere; velut in Arcem aliquam Validissimo hostium exercitu sepram, aut à Cæsare aliquo, vel Annibale, obsidione pressam strictissima, subsidiarias copias ex Triarijs, probatioribus que militibus mitterent Belli Duces. Testis sum oculatus ingentis illius Scholasticarum rerum mutationis. Et vt extera fileam, in Academiâ nostrâ, cui præeram, duplo plures eo anno, quam reliquis retro septem, generales Actus (quos vocant magnos) Scientię vniuscujusque vniuersæ; nec non Doctorales, ac Magistrales Laurus numeravi, & eos tua disputatione operosos, tanquā aurū sublimatorio probatos: & has tua ipsius censura, atque inauguratione percelebres: cum tamen non adeo tepide elapsis curriculis annuis laboratum fuerat, vt Græcorum plurale, iuxta Academiæ leges, vniuscujusque facultatis actus, & laureæ non excesserint. Sed vbi excessus mirabilius exercevit, duplex ille fuit concursus Candidatorum ex Clero Cuzquensi, & vtroque ipsius præclaro Collegio, pro Parochialibus Ecclesijs, oppositionis jure obtinendis, celeberrimus: quorum prior Oppositores vidit quatuor & octogiata, posterior septem & sexaginta, adeò litteraria laude præstantes, vt nulli nigrum Theta præfixerint Examinatores, cum enim vero illi severioris censuræ, & inter ipsos duo nostræ Societatis, adfuerimus. Sed quæ major eorum extitit laus, tua fuit, & extollentis, & demirantis, & asserentis demum, illa vox: *Neque in ipsis Toletanæ Archimetropolis concursibus, quid Te majus, aut vidisse, aut visum audivisse; Tanta* scilicet in tanto Candidatorum numero tam probatæ litteraturæ, haud vulgarem confluxum. Quam tamen laudem, & gloriam Cuzcum *Tibi* prorsus refert acceptam; cum videlicet eò tecum videaris, & Toletanam, & Complutensem Sapientiam convexisse, vt sin minus majestate, ac felicitate loci, æmulatione tamē sciendi, ac per Te proficiendi, Cuzcum quodammodo in *Toletum* migraverit, aút Complutum.

Et hæc ea doctrina est, quam Apostolus *oportere*, ac decere dixit Episcopum; qua scilicet illum non modo doctum, sed &, *Doctorem*, doctos scilicet facientem peroptabat; nimirum ita Rationali, seu pectorali Pontificis digne inscribendam, vt tuo pectori videmus inscriptam. Vbi angustia paginæ perstringere cogit præcordialem illum tui pectoris Zelum, omnibus singulis tuis Ovibus pabulum sanum doctrinæ ministrandi. Non enim solum in Scholis inter Doctores disputātem, *audientem illos, & interrogantem eos*; sed etiā *Pauperibus evangelizantem* (vt plenius imitareris Episcopum animarum nostrarum, Principemque Pastorum) *Te* vidimus, nec præ gaudio à lachrymis aliquando temperavimus, dùm in Platea, seu foro Ciuitatis, pueros

ac rudes rudimenta Christianæ doctrinæ doceres, eorum que agmina, quæ per publicos calles circumducere solet nostra Societas, non minori triumpho ductares, quá cum Doctoribus doctioribus præesses pariter, ac præemineres. Hic idem doctrinæ zelus Te per totam amplissimá tuam Diæcesim continẽter circumtulit, per invias vias, per aspera, & prærupta præcipitia, potius quam itinera, millenas leucas, millenaque incommoda, ac vitæ pericula superantem; quin vel minimum Indorum oppidulum, aut Opilionum, Bubulcorum vè tugurium, tua cura contempserit; ex Sapientis consilio, *diligenter agnoscens vultum pecoris tui, tuosque greges consiaerans*; & in salutis pascua singulos ducens, ac inducens, solicitudine prorsus pastorali. Hic ipse zelus in ipso tui regiminis aditu, omnes pariter, ac singulos tuæ Diæcesis Præsbyteros convocavit, non ab alio, quam á Te, rigido probandos examine, de mensura doctrinæ, cui posses fiducialiter credere, ac committere pascendas oves, vnicè a Domino Tibi commissas. O quantis hic abstinere laudibus cogit angustia pageliæ! Certe enim immensa solicitudo, àc instantia tua quotidiana, omnium Ecclesiarum Diæcesis tuæ, quę Te die, àc nocte non sinit quiescere, inexhaustum argumentum offeret exquisitè dicenti, quam perpetuò insonet auribus tuæ vigilantiæ Apostolicũ illud: *Attende tibi, & doctrinæ*; vt est præsentibus in orbe nostro admirationi, fiet vero Tibi in posteros toto orbe præconio sempiterno.

Sed post Doctrinę zelum, Rationalis Levitici primum ornamentum, illud tacere non queo, quod omnia ornamenta Pontificis comprehendit. Ea enim omnia (*vt ad Levitici octavum, versu septimo* noster Cornelius adnotavit) omnes, ac singulos Templi ornatus referebant; quod enucleatè persequens, ipse concludit: *Aaron Pontifex vestibus Pontificalibus indutus, repræsentabat tabernaculum, id est Ecclesiam.* Quasi totale Pontificis ornamentum, quo solemnius injunctum sibi munus, & onus signabatur, omninò in ornatum Ecclesiæ & Templi, divina lege referretur. Totum enim studium Pontificis in Ecclesiarum, & Templorum cultum intendi debet, & incumbere; neque ullo alio cultu magis ornatus, & de Pontifice armatus apparet, quam si in eum religiosum Dei, & Ecclesiæ cultum omnia, quibus splendet Episcopus Ornamenta virtutum, omniaque ipsius studia dirigantur: ut dicere possit cum Domino, Episcoporum Episcopo, & Archetypo, nunquam alias flagellum, & iterato, dextra benignissima apprehendente, nisi vt divini Templi cultum tueretur: *zelus domus tuæ comedit me: Domine dilexi decorem Domus tuæ.* Qua quidem in laude adeò emines; vt cum singula ornamenta magni Pontificis in Te singulariter resplendant; hoc tamen obnubilare quodammodo, & ad se trahere videatur reliquorum decorum splendorem. Vix enim credibile, aut plene narrabile est, Quæ, quanta, qualiaque in struendis, renovandis, ornandis que Ecclesijs Diæcesis tuæ mirabilia (siue verius) miracula perfeceris, infatigabili, & irrequieto conatu zeli tui, quà blanditijs, quà precibus, quà hortatibus, quá consilijs, quà laudibus, quà subsidijs, túm Parochos,

túm

túm Gubernatores, túm Paræcianos alliciens, multiplici auxilio gratiæ, & efficaciæ (et Scholasticè loquar) providentia tuæ, instar divinæ, excitante præueniente, adjuuante, cooperante, & subsequente: Ut viginti annis regiminis tui plura feceris, aút perfeceris, quam repereris facta, aút perfecta ab istius Ecclesiæ sesquisæculari primordio. Quare melius reverenti, aût demirãti prætermissione, quam prolixà oratione, de immenso hoc argumento dicendum reor, vti disertissimus Sidonius lib. 6. Epist. 12. sic est de Lugdunensi Antistite pereleganter fatus: *Omitto te tanto cultu Ecclesiam tibi creditam convenustare, vt dubitet inspector, meliusne nova opera consurgant, an vetusta reparentur. Omitto per te plurimis locis Basilicarum fundamenta consurgere, ornamenta duplicari.*

Sed ne Omnia cum Sidonio omittam, brevem, syncerum que indicem ex parte subtexam, adme elapso proximè anno à fidelissimo oculari teste transmissum, omni amplificatione seposita. *His viginti annis* (inquit) *Domini Antistitis factæ sunt à fundamentis quatuordecim Basilicæ ex calce, & laterculo cocto, quarum minor plusquam viginti millibus constitit; majores, vt Vilquensis sexaginta millibus; Urubambensis centum millibus; maxima vero Lampensis* TRECENTIS MILLIBVS, *vt ferè adæquetur majestate, & pretio Cathedrali Cuzquẽsi.* Et hæc, est illa, quã Illustris Archidiaconus tuus, tunc ibi Parochus probatissimus, proprijs sumptibus, tuisque auxilijs, consilijs, & plausibus erexit; propterea à Te apud Regẽ nostrum dignissimè laudatus, & ad primarias Dignitates propositus, imo & ad infulas expetitus. *Præterea Basilicæ ex laterculo crudo sex & triginta erectæ sunt, quarũ minimæ ad decem millia ducatorum proximè accedunt, maiores etiam duplũ excedunt. Tabernacula cedrina apprime elaborata & deaurata, sexaginta quinque; ex quibus aliqua quatuor millibus, non pauca duplo sumptu stant, & ulterius.* Hic non memoro renovatas, perfectas, aut absolutas hoc tempore, neque minoris momenti fabricas; & inter eas *organa, Thronos, & Pulpita cedrina deaurata quatuordecim; quorum minima millenis; duo verò majora Octonis millenis singula facta, etiam Cathedralibus coæquanda, memoratu digniora sunt, Bethlemicum scilicet, & Sanct. Blasianum. De argẽteis ornatibus notabiliora solum dicam. Pixides Eucharisticæ (quas Sacras Custodias vocant) puri argenti deaurati, factæ numerantur Octoginta duæ, quarum infimæ supra millenos aureos, seu philippicos; non paucę duplo, & amplius aliquæ constarunt. Viginti item argentea Altarium frontalia eiusdem ferè sumptus. Cãdelabra ducentis plura, quorum singula pleraque centum circiter philippicis. Lampades vna & viginti, minores æstimatæ millenis; duplo & quadruplo majores.*

Hæc ad Indorum Paræcias spectant, omissis minoribus Calicum, vasorum, ampullarum, paropsidum Thuribulorũ &c. quæ præ multitudine numerari non possunt. Inquibus omnibus Nepotes, domestici, & familiares tui præ magnificentiæ exemplo reliquis præiverunt; vt Tu omnibus mirabiliter præivisti. Ubi certè mirandum, aút præ gaudio spiritali lachrymandum, quod in Pauperum Indorum Oppidulis hæc visantur sacri cultus magnalia, quæ in multis Europæ

Ur-

Vrbibus haberi in pretio possent: fatagente videlicet rerum divinarum Tuo ferventissimo zelo Domus Dei. Quæ verò ad Urbem, & Cathedralem tuam Cuzquensem spectant, ea per Te Res sacræ ornatus, & cultus incrementa susceperè, vt pro solo operum indice opus esset volumine. Satis sit indicare celebre Tabernaculum argento solido, fusili que conflatum, basibus, columnis, intercolumnijs, fornicibus, arcubusque distinctum, quibus justæ magnitudinis statuæ capi possunt, pro Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento publicè in Cathedrali aræ maximæ exponendo. Cui ingentis pretij moli piorum largitionibus erectæ, in appendicē addidisti, proprijs sumptibus, tria pulcherrima paris operæ & magnitudinis candelabra, humanam staturam æquantia, quingentis ferè libris argenti singula, id est, omnia tria, triginta circiter millium vnciarum pondo, ad Olei lampadem, & grandiora duo cerea, tuo Nomine coram Sacratiori Arca Domini sustentanda. Post Filium item Matri Virgini, Illibatæ Deiparæ, Regium etiam donarium obtulisti, Imperiale aureum Diadema, pretiosissimis gemmis, vnionibus que refertum, ac tessellatum; cui Sponsalitios pretiosissimos annulos, & pectoralia ditissima tua inseruisti; vt vel sic dilectam Sponsam Ecclesiam tuam, tuum que pectus, & cor, Cælorum Imperatrici strictius mancipares; pretiosius inde munus, quā a sedecim millibus aureis, quibus appretiatum dicitur, pluris æstimandum Mnemosynon Sacrum. Omitto tandem cum Sidonio, duplicata, seu potius multiplicata passim Basilicarum tuis sumptibus ornamenta, ne minutijs impendar, cum ingentiores tuarum laudum cumulos silentio prætermittam. Vnum tantùm summatim dixerim, aureos omnes Templorum fabricis, & ornatibus, tuâ solicitudine, atque etiam persæpè tuis sumptibus, expensos sesqui millionem excedere. Quid elegantius, ac pretiosius pro tuo ornatu Pontificio?

Jam hic plura dicenda essent (nisi silentium indiceret ipsa immensitas argumenti) de curâ, ac solicitudine tuâ pro Templis vivis Dei viventis, scilicet pauperibus tuis reficiendis, sustentandis que. Verum cum hæc laus sit de *communi* (vt ajunt) *Pontificis*, præsertim in hoc Peruvio nostro vbi, Episcopi omnes ex iniuncto Apostoli *Eleospitales*, quasi Hospitales Dij, seu Joves, Patres Orphanorum, & Pauperum, eorum que Curatores, ac Tutores, esse pro sirentur: digni quì Tecum Eleemosynarij antonomasticè vbique deprædicentur: illud vnum tuum singulare præconium non omittam, quod laudatus Apollinaris, totus discretionis Apollineus, in Antistite tuo Lugdunensi, licet cætera constituisset omittere, omittendū minimè duxit: *Transit* (inquiens) *in alienas Provincias vigilantia tua, et in hoc curæ tuæ latitudo diffunditur, vt longè positorum consoletur angustias. Et hinc fuit, vt quia te non minus absentium verecundia, quam præsentium querimonia movet, terseris eorum lachrymas quorum oculos non vidisti.* Ita sanè largitas beneficenti æ tuæ nobiles pauperes Scholares Complutenses, longè positos, & rei familiaris angustias, quæ studijs valedicere cogunt, sæpè passos, juvandos, alendos, & vsque ad Lau

reas

tes Doctorales plenè dotandos, non minori in Hispanas illas Athenas gratitudine, quam in præclaros ingenio juvenes, invidiosa paupertate pressos, charitate providit instituto divite perpetuo censu triginta & amplius aliquot millium eutecrum, quorũ redditu lachrymas tergeres oculis, Tibi non visis, nec posteritate videndis. O charitatem eximiam, Apostolicam, Episcopo dignam! Quæ modum adinvenit, non solum toti Hispaniæ, sed vniversæ Ecclesiæ subveniendi; Egregio illo Seminario Magnarũ Mentium, quæ non modo totam Hispaniæ Monarchiam, sed vniversam etiam Ecclesiam illustrant, alimenta ministrando. Vbi etiam ingeniosa tua benefaciendi ars, sic aliena beneficia cõdivit, ut in Cuzcum ipsũ, ac Peruvium nostrũ, largitas eadẽ abundantius redundaret. Ea enim per illustris Academia peculiare videtur Seminarium Episcoporum, ipsi Cuzco, ac Peruvio toto divinitus destinatum. Ex quinque enim Illustrissimis D. D. Episcopis, quos hodie superstites numerat Peruana felicitas (ut De cessorem tuum Illustriss. D. D. D. Joannem Alphonsum Ocon, & alios felicissimæ recordationis omittam) quatuor omnino Complutenses Doctores, & eximios; nimirum prænobili adeo Matre, & Academia dignissimos filios, suspicit, celebrat, ac venetatur. Unde ingenti, perenniq; Tui Nominis commendatione fiet, vt cum hactenus præclaris istis Hispaniarum Athenis insignes undequaque Antistites debuerimus, assimiles ipsis superventuros in posterum, Tibi, tuq; que pijssimæ largitati etiam acceptos Peruvij Incolæ referamus.

Vbi jam imitatus Sidonij omissionẽ, præ argumenti immẽsitate opportunam satis, & elegantem, abrumpere cogor orationis filũ, relinquens dexterioribus *Pierij Curribus*, tantarum laudum pondere *lassandis*, per amplum, atque immensum hoc *æquor arandũ*, tametsi veritus, ne silentio subiratscantur meo, cum plures aliæ, tum singulariter dilecta tua Parochialis Matritensis Ecclesia Dominæ *de la Almudena*; quod Rhetorico velo Sidoniæ prætermissionis obnuverim, debitam in Te gratitudinem tuam, ob Donaria, Principe Sponso digna, arrhasve à Te fideliter, & amanter transmissas, & argenteæ Lãpadis magni ponderis, & aliorum argenti munerũ, aut ornatũ, & dotis, aut Sortis quatuor millium in annuos perpetuos redditus locatorum; quos soli pompæ Dignitatis subiraxisti laneis vestibus, etiam extimis persæpius usus, & supellectili, ad exemplar Prælatorũ, modicissimæ, ac modestissimæ assuetus. Silco tandẽ, contentus hoc levi indice tuarũ virtutum, nostram, Societatis que nostræ gratam animi memoriã indicasse, & publico quali quali testimonio obærati pectoris, testatam, recolendã q; posteris reliquisse; vt vbicumque opus, ac nomen meum, exiguum licet, ac tenue insonet, aut legatur; veluti præcordialis gratitudinis signũ, flagrantiorisque flammæ fumus, tametsi ignobilis, & obscurus, haberi sit dignum, & saltem sub inscriptione magni Nominis tui, minime contemnẽdum. Vale Nestoreos in annos, Illustrissime D. ad Peruvij felicitatem, Societatis Jesu patrocinium, & Ecclesiæ totius Ornamentum. Limæ 10. Augusti Anno 1694.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS.

Post sacratum manuum osculum Illustrissimæ Dominationis Vestræ,

Minimus, & addictissimus Servus

† Nicolaus de Olea.

CENSVRA D.D. D. FRANCISCI ALPHONSI GARCES IN ARCHIEPISCOPATU TOLETANO CURIONIS VILLÆ VMBROSSÆ, & SANCTÆ MARIÆ DE PEGLNES: ATQUE IN ARCHIEPISCOPATU LIMANO VISITATORIS GENERALIS, IN ALMA QUE METROPOLITANA ECCLESIA CIVITATIS REGUM CANONICI.

CVM EX RESCRIPTO EXCELLENTISSIMI PRINCIPIS, ET Pro Regis, de Opere philosophico in quatuor libros diviso à Reverendissimo P. M. Nicolao de Olea Maximi Divi Pauli Collegij Societatis JESU Rectore, olim in Cuzcopolitano, & Limano Collegio Primario Ptimicerio que Theologiæ Antesignano, emeritoq; Primipilo elaborato, judicium ferre, sit mihi præscriptum: statim hæsitabundus mecum ipse perpendi, num encomiastem, an censorem agere deberem! Fidissimi namque discipuli erga meum Magistrum multis nominibus obærati amor, & gratitudo, animum jure optimo impellunt, vt diffusam panegyrim arrexam; obsequium erga Principem me obstringit, vt Catonianam censuram ad trutinã, & bilancem appendam: verum vtrumque peragam, vt ab vtroque vinculo me expediam.

Oleam Minervæ sacram ab Athenien sibus fuisse, Mithologorum sententia fuit. Quis ergo Oleaginum hoc Opus Sapientiæ structuram esse ambigat, ni splendenti luce cæcutiat: fœcundissima enim baccharum vbertate lucem alere, ingenijs que prælucere, viridanti quoque foliorum venustate, atque aureo amenissimæ eruditionis stylo oblectare, operæ pretium illius est: periticulitatem cum novitate, brevitate que amico fœdere copulare, solius micantis istius Oleæ splendoris proprietatem esse dignoscimus.

Lampas illa Phœbea, seu Hyerosolimitani templi Candelabrum, instar Oleæ mirum in modum ex auro obrizo à Salomone fabrefactum, expansis ramis hinc inde ex tranco pullulãtibus intertextis huiusce operis archetypũ fuisse videtur. Quid eo splendidius! Quid pretiosius reperiam!

Nec in memoriam revoco Oleam ingentis ponderis auream, ad amussim perpolitam ab Hercule Thebano in Gaditano Templo Minervæ dicatam, smaragdinis baccis pendentibus, gemmisque variegatam; nam in hoc aureo philosophico Opere disputationibus distecto, sectionibus distincto, tot gemmæ coruscant, quot elucubratæ sententiæ fulgent, tot nitent vniones, quot argumenta radiant, & fulgurant.

Imo maioris pretij æstimatur *OLEA*, quam aurum: duo enim Cherubici Sapientiæ simulachra ex *OLEA*, non ex auro ad supportandam arcam affabrè sculpti fuerunt. Cherubicã tanè mentem in meo Magistro adhuc Ephœbo omnes demirati sunt: Siquidem omnigenam sapientiam cum virtutibus maritare, senilem prudentiam, morum gravitatem cum florentissima juvẽta confibulare, præclara Majorum stemmata cum terrenarum rerum despectu nectere, nil aliud est, me hercle, quam ex *OLEA* Cherubicam imaginem

erã

effigiare, quæ immensam religionis, & sapientiæ machinam protegat, & sustineat: adeò que Rectoris munere in præsentiarum fungitur, ceu alter Ignatius, & ad totius Provinciæ clavum moderandum expetitus, vt in dies provehatur, commune votum, & expectatio est.

Haud omittam, etsi renuente tanti viri modestia, ex Gentilitio stemmate, conspicuum illud facinus strenuissimi Ducis *OLEA*, qui dum conseresct manus cum hoste, & eas obtruncatas amitteret, truncis lacertis regia signa premens, atq; per auras trahens, terque, quaterque clamabat *VICTOR OLEA*. Siccine victrices Palmæ victricibus Palmis copulatæ, coronas texant, quibus illustris proles ornatur rubei Divi Jacobi ensis ostro muricato pectore. Veteres illæ palmæ tecentibus insitæ resti rescunt in meo sapientissimo Magistro; nam ex libris propria manu concinnatis victorias, Palmas que reportat, vniverso Sapientũ concrepante senatu *VICTOR OLEA*. Ex hoc Opere insigni tot pullulant Palmæ, quot litteræ exarantur, tot triumphi, quot quæstiones exagitantur. In hac ferraria officina, Cantabricé *OLEA*, ad incudem eleborantur arma Victoriæ, tum belligero Marti, tum doctissimo Apollini; illic ejaculatur tela, quibus debellatur hostes, hic sagittas emittit, quibus ignorantiæ tenebras repellit; ille fulmina vibrat, iste radios, vterque victor evadit, & repetito murmure pæana canit, *VICTOR OLEA*. Adeo insitum est huic Nomini auspicatissimum omen victoriæ, vt in mei sapientissimi Magistri gratiã, ex eius dẽ Nomine, immutatis litteris, anagramma in hunc modum efformaverim: *PATER NICOLAVS DE OLEA. SOL PLANÈ VICTOR ADEST*. Epigrammate explanatum.

Belliger Hispanus Mavors invictus Olea,
Qui manibus Palmas, dat quoque serta comis.
Dum manibus truncis, hostes, acciesque, manusque,
Truncat pro Palmis, Victor Olea *canit.*
Ast excelsa, Viri proles nova Gloria Limæ,
Victoris Solis Nomen, & Omen habet.
Hic superat mentis tenebras, Dux ille cohortes:
Ergo Sol planè, *lumine* Victor *adest.*

De laudibus mei dilectissimi Magistri pro libito numquam satis; sed jam jam obtemperans, calamum retraho; censeo que, nihil non gratum Divinæ, vel Regiæ Majestati in hoc Opere philosophico contineri, atque adeo maximè dignum esse, vt typis mandetur. Salvo, &c. Limæ 16. Januarij 1694.

Doct. Don Franciscus Alphonsus Farçes.

LICENCIA DEL GOBIERNO

Lima 20 de Enero de 1694. Imprimasse.

EL CONDE.

Ayala.

CENSVRA D. D. IOSEPHI CARRILLO DE CARDENAS METROPOLITANÆ Ecclesiæ Regum Civitatis Magistralis Canonici &c.

CVM AVREVS PHILOSOPHIÆ CVRSVS A R. P. NICOLAO DE OLEA Soc. IESV in Cuzcano, & Limano Collegio, Primario Theologię Professore perpolitè ante triginta annos elaboratus, quę & Discipulus avidissimè transcripsi, vt eius Thesauris ditescerem, & Magister, vt alios sine invidia locupletarem, in Regio Martiniano Collegio discipulis communicavi; ex mandato D. Lic. D. Lucę de Segura Metropolitanæ Ecclesiæ, totiusque Archiepiscopatus Vicarij Generalis, mihi evolvendus esset, vt meum de illius præstantiâ, solidâ, & sanâ doctrinâ, revocato ad trutinam examine; judicium dicerem, mecum ipse reputavi, nil novi, nisi actum agere, agendum supereſſe. Cum & toties illum legerim, & accuratissimè perlegerim. Sed adeo singulari ingenio, doctrinâ que semper extitit prælaudatus Magister, & Scriptor, vt quæ iam dudum videram eius scripta, nunc non modo itetàm, atque iterum videnda, sed potius admiranda perpetuò videantur. Quippe Doctrinæ huę mare magnum, & spacioſum, miro compendio ita redactum in unum ad tres fontes, seù rivulos suæ Tripartitæ Summæ, summâ profunditate, summa subtilitate, & summa claritate, conspicuę. Ut quam summum, & arduum nec minus vtile opus summi Vir ingenii peregerit, nullus futurus sit, qui inficias eat. Præsertim in Logicâ, quæ (vt acutissimè observavit Subtilissimus, & Illustritsimus Caramuel) ipso ſuo nomine profundissimum tenebrarũ chaos, præseferat: exacto enim, & rigoroſo Anagrammate *Logica* nil aliud est, nisi *Caligo*. Sed nec sine Numine Divum huic profundissimę Caligini dispiciendæ, puri simo etiã Anagrammate proludit Authoris Nomen. *NICOLAVS OLEA*. Inter eviculã enim litterarũ locationẽ elucet: *SOL; VNICA OLEA*. Sed non levi laudum pondere gravida, vt hæc ex luce, & tenebris intertexto Distico elucidatur.

Caligo est *Logicæ*: Ast Olea, vt Sol, vnica, prælo,
Sol erit in Logica; Lux erit in tenebris.

Sed nedum calamo ludimus, Lucem, quam avidissimè expectant scholæ, inter tenebras remoremur, omissis tanti Authoris, & meritis, & encomijs, quę Panegyrim non operis censuram contexerent, vt morem mãdato geram, censeo hoc lucidissimum Opus non solum minimè adversari, sacræ, mysterijs quę plenę nostrę fidei obscuritati: Quin potius, vt Catholica Ecclesia à Sacratissimæ Societatis logica, & institutione Dialectica miros est profectus inter Hæreticos, & Catholicos consecuta; non parum laudis immensi huius Magni, & Apostolici Ordinis laudibus accesurum spero. *Hæc enim disputandi ratio* (vt ait Imago eruditissima primi sęculi Societ. IESV p. 340.) *quæ Dialecticis præceptionibus continetur, celeberrimis passim scholis familiarior facta est, ex quo docere nostri Iesuitæ cæperunt. Veritati cum quærendæ, tum inveniendæ aptissimum instrumentum: eoque tantopere, vt mox dicam, ab hæreticis formidatum. Fuit quę ex his, qui formam eam Iesuiticam diceret. Imperitè quidem; nobis verò, si verè dictum id fuisset admodum gloriosè. Ea impulit Anglos Hæreticos in eam mentem, vt existimarent eum Iesuitis in posterum tormentis potius certandum, quam argumentis. Hæc à me dicta sunt* (concludit post multa Sapiens Secularis Imago) *vt qua sit Vis syllogisticæ formæ ostenderem, & aliquid hinc debere Societati Theologiam. Quid armorum genere tam necessario diligentius instruat eius scientiæ studiosos.* Quę etiam huc prolixè transcripsi, vt patefacerem, quo maiori conatu inter armamentaria Societatis hęc Dialecticę Tripartita Summa ab ipsâ Fide, & Theologia sit expetenda, cum omnis armatura fortium ita sit in eâ ad manum coadunata, vt nil locupletius, nil subtilius, nil clarius, nil efficacius ad arguendum, & concludendum, fidei que hostes ab ipsis etiam Theologiæ Tyronibus profligandos, excogitari valeat. Sic censeo; &c. Limę Februarij 20. Anno 1693. *Doct. D. Iosephus Carrillo de Cardenas.*

LICENCIA DEL ORDINARIO.

Concedese licencia, para que se imprima el Curso de Filosofia, que escrivio, y enseñó, siendo Maestro de Artes en la Sagrada Compañia de IESVS, el Reverendo P. Nicolas de Olea. Lima, 7 Febrero 20. de 1693. años.

Lic. D. Lucas de Segura.

Por mandado del Señor Provisor,
D. Iuan Maximo de Molina.

RATIO OPERIS.

Vnmam aggredior, cum expolire prælixiori opere meditabar Commentarios vniuersæ Scholasticæ Philosophiæ, quos ante triginta annos dictaueram Limæ, in hac D. Pauli Collegio, Prouinciæ nostræ Peruanæ Primario & Maximo. Reuocato enim consilio, vtilitati potius Tyronum, quàm doctiorum lectorum ingenio, atq; exercitationi seruire constituo; post plures annos *sacratioris studij,* eleemosynas facturus in gentem meam. *Nam Peruani juvenes, & Limenses maximè Scholares, copia carent exemplarium Philosophici Cursus ab vno aliquo Magistro, accomodata ipsorum captui, potius quàm plausui publico, methodo, elaborati; quo veluti communi Auctore vti, & collatis invicem vniformis doctrinæ sententijs, facile, mutuoque iuvari possint. Vnde deficiente commoda hac institutione vnius Cursus Philosophici præ varietate scriptorum, & Codicum, quos singuli nancisci poterant, Philosophiæ studium inter sæculares scholasticos Limæ sensim elanguit, & floridiora ingenia etiam è Regio nostro D. Martini Collegio ad Iustiniani castra convolarunt; vbi vna Institutionum Imperialium pagina, & vniformi interpretum explicatione vsi, quasi eadem incedentes via, singuli sibi mutuo sunt alacritatis incitamento: interim Philosophicis nostris, atque etiam Theologicis studijs in ruinam inclinantibus (hæc enim oportet minui, vbi altera crescere) magno nostro doloris sensu, qui breuia Limensibus Ecclesijs Theologicam Doctrinam exulaturam timebamus, imo iam diu exulantem ferè vidimus, nisi Apostolico suo zelo ornatu & Societas nostra duo-*

decim

cim Collegas Theologos in D. Martini Collegio, perpetuo cursu succedētes, proprijs expensis, quasi proprijs humeris sustentaret.

Rogatus propterea instantissime & sæpissime sum à viris gravibus, Magistris & Maioribus meis (qui mihi loco Numinis esse debuerunt) vt in casum inclinanti Theologicæ Sapientiæ Domui, quam tot annis Societas nostra septennis, imo innumeris erectis celebrium integro sæculo Doctorum columnis, in prælaudato Collegio edificauit, & præclara laude substituit, opem aliquam ferrem opportunã, edito breui & accurato Philosophico cursu; curis alijs abire iussis, huic me Spartæ devouens, maioris quidē pretij quã operæ, fructus quam laudis, & ideo pro meo munere, & voto auidius suscipiendæ. Quibus Pro-numinum assiduis hortatibus, jussibus que (cum non sine ipsorum injuria me posse negarem, quod illi posse putauerunt) parum aberat vt acquiescerem: cum opportunæ importunæ preces accessere, quà amicorum, quà Professorum superioris doctrinæ, ac ipsorum etiam Scholarium vitem suam, præ Iuristarum feliciori sorte dolentium; quà demum ipsius Limani Typographi, & Bibliopolæ, grati ac beneueli viri, qui per se, per nostros, per exteros, & quot quot valuit viribus, vrgere non destitit, vt me accingerem operi, totum illud prælo dare promittens proprijs sumptibus, quadruplo, & amplius, quam Hispali, aut Lugduni carioribus. Atque ita tandem adactus sum ab incepto, vel præconcepto opere manus amolire, reseruatisque in Selectarum Tomos fusioribus Disputationibus, mea Philosophica scripta, atque etiam transcripta prolixiora, in Summam hanc, Deo fauente, redigere. Et hæc est ratio, cur nomine Summæ, Cursum hunc philosophicũ inscriptum velim.

Tripartitã etiam inscribo, ita exigente partitione & Cursu ipso Triennali Scholarum, nec non communi apud Philosophos diuisione scien-

scientiæ, aut Philosophiæ in Rationalē, Naturalem, & Transnaturalem; *quas notioribus vocibus* Logicam, Physicam, & Metaphysicam, *appellamus. Ac præterea ipsa trina dimensio corporum, Summæque Trinitatis participatio, & imitatio rebus omnibus insita persuadet; vt Angelici Præceptoris præclarissimā Summam, hac saltem in parte seu trina partitione, Summæ nostræ imitari ambiat; cum in reliquis supra humanam sit imitationem. Et primam quidem Partem Logica; totam vero Tertiam Metaphysica cum sibi vendicent jure suo: vt ab ipso S. Doctore Secundæ suæ Angelicæ Summæ pars in duas,* Primam secundæ, & Secundā secundæ, *compellatas, subdiuisa fuit: ita etiā Summæ nostræ Secunda scindetur in duplicē, quarum Prior secundæ libros octo Physicorum, posterior vero reliquos Physicæ libros, de* Cælo, Elementis, Metheoris, de Generatione, de Anima, *& si qui sunt alij minoris nominis, complectetur.*

Scholasticæ Philosophiæ *Summam præterea inscripsi, quia non Peripateticam antiquam, vel potius antiquatam, cum Sophistis, & delirantibus quibusdā Philosophis digladiantem, quasi ab inferis reuocare, est aut vsus, aut animus (licet Aristotelem præsertim illis insudantem Ducem sequamur;) sed Philosophiam ipsam, vt in Scholis jam post longa illa prælia triumphantem, & quasi festiuis se velitationibus inter veritatis cultores exercentem: postquam a sacris scholis in Theologiæ præludium est recepta; & a tribus scholarum Ducibus, Angelo Aquinate, subtili Scoto, ingeniosisque Nominalibus, tandemque à nostræ Societatis Doctoribus, triplicem eam Scholam, pro arbitrio veritatis sectantibus, mirum in modum est illustrata. Quā in re Societati nostræ Philosophia Scholastica multum debet splendoris: cum post Eximium Suarez, eminentissimum Toletum,*

pro-

profundissimum Fonsecam, vno sæculo, plusquam centum triginta Philosophicos Cursus ediderit, apud Soticellum, non facile in hoc scriptionis genere ab alijs Scholis superanda.

Nec propterea, recedant vt vetera, & noua sint omnia, studij propositive erit nostri: immo hic, & perpetuo, probandum reputauit cum Seruatore nostro, illud scribæ docti, aut docti Scriptoris officiũ, qui de Thesauro suo proferat nova, & vetera. Geminos enim Scopulos, quasi doctrinæ Scylam & Carybdim, sedulo vitandos, SS. Patres, præsertim Augustinus, Hilarius, & Hieronimus, nec non Theologi, Philosophi, imo & Poetæ monuerunt, vtramque aut veteris, aut nouæ doctrinæ philautiam: vbi pagina nostra nimiũ, quantum posset de alieno ditescere, ex P. Raynaudo, P. Mendoza & P. Henao. Sed ante omnes improbandi veniunt Recentiores non nulli, qui suis in Præfationibus scriptores Scholasticos plagiarijs annumerare non dubitant, quasi nihil agant aliud, nisi aliorum alij scripta transcribere: & ideo se ab otioso hoc scribendi genere abstinuisse, aut abhorruisse gloriantur. Ausi videlicet temerario hoc præjudicio vel ipsa magna Scholarum Luminaria plagij nebulis obscurare; qui prima etiam scientiarum principia vel fundamenta ab antiquioribus, quasi veritatum semina mutuarunt, cum aliarum conclusionum fœnore reddenda: id quod reliqui nitimur imitari, dum ex transcriptis, non alias scripta deducimus, sic enim scientia augetur, non paritur; educitur, non creatur. Cum neque ipsi Aristarchi Præfatores aliter, quam ficubus historiarum, vel sententiarum, decerptis ex antiquiorum areolis, politicas, aut ethicas suas declamationes concinnant; non propterea de plagio insimulandi: optimè enim de re sunt pulcra ac litteraria promeriti, studio illo suo componendi floridos fasciculos orationis, pro oblectandis, & alliciendis animis ad he-

P. Rayn. de cõf. lib. prot. 20. p. 1 P. Mẽd. in virid. Prob. P. Hen. præloq 15. Empyreo.

ad honestum, licet præter Rhetoricam amœnarum dictionum collocationem, vix quidpiam nouitatis rebus attulerint. Quis autem ex Scholasticis scriptoribus (vt fert ingeniorum discolor vsus) Dialecticam saltem in antiquioribus argumentis methodum non variet? vt vel ex nouo hoc stylo, & charactere dicendi (dum alius sic, & alius sic loquitur, vt ajebat S. Augustinus) valde sint eorum scripta laudanda. Si enim Typographi laudem merentur, quod antiqua monumenta sapientum nouis, siue clarioribus, siue breuioribus characteribus transcribi curent, & prælo dari: cur nobis non vertatur & laudi, si, cum aliud tenuitas nostra non valeat, saltem nouo dictionis charactere claritatem addamus, aut commodiorem (si forte addere sit) doctrinæ breuitatem? Vtrum autem nullum aliquod fulcrũ ex meis scriptis antiquæ Philosophiæ proueniat, & assymbolus venerim in hoc sapientum conuiuium, lectorum esto judicium.

Tandem hodiernos nostræ societatis mores, quibus morem gerere debeam, Inscriptio Summæ nostræ præsefert; & merito: cum ad Scholasticos juvenes, qui nobis curæ sunt, præcipua operis intentio dirigatur. Vnde non aliam ordinem, seriem & ritum Tractationum quam scholis nostris assuetum obseruari sciat, qui quæstiones alibi vel aliter quam apud suos discussas inveniet. Et quidem potior in his, ratio consuetudinis Provinciæ nostræ fuit habenda, quæ licet tanquàm Magistras & Parentes veneretur Europæas, in eam tamen sapientiæ, vt & totius pietatis, gloriam adsciuit; vt nullibi, nulla quæ in laude degenerem se filiam exhibeat; digna proinde quæ sua consuetudine Nobis, velut suæcuique scholæ, leges ferat. Quam in rem laudare possem viros gloriosos, & Parentes nostros in doctrinâ sua, quà cœlites (vt pie credimus) quà superstites (per quos adhuc proficimus) nisi percurrere singulos esset immensum, præterire ve-

ro

ro aliquès, omnibus injuriosum. Ad mores etiam spectat ipsa operis partitio: fiet autē per consuetas voces vnius cujusque Partis in Tractatus, *horum vero in* Disputationes; *quæ cum longiores sint Sectionibus diuidentur: cum vero dubia parum fuerint disputabilia, plura nomine* Quæstionum, *vel* Quæstiuncularum, *sub vnà disputatione cohibeantur; addito marginali numero ad faciliores citationes. Quæ ne in cumulum intolerabilem excrescant (vt contra peritum alias Bonacinam Ioann. Sanch.* In select. d. 1. n. 24. *dissertissimè impatiens admotauit) alias subdiuisiones, & subsectiones prætermittam (cum etiam nimia diuisio ex Aristotele* lib. 2. post. cap. 5. & 14. *modum sciendi non juvet, sed confundat) contentus ordinis, & methodi rectæ monitione, vbi alij multiplicant diuisiones. Et hæc præmenuisse sufficiat. Faxit Deus, suam vt in gloriam cuncta concedant.*

FACVLTAS R. P. IOANNIS YAÑEZ PRÆPOSITI V. PROVINCIALIS SOCIETATIS Iesu in Provincia Peruana.

IOANNES Yañez Præpositus V. Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Peruana potestate ad id mihi concessa a R. A. P. Thyrso Gonzales Præposito Generali eiusdem Societatis facultatem concedo vt liber inscriptus *Summa tripartita Scholastica Philosophia, sive Cursus Philosophicus Triennalis*, a P. Nicolao de Olea Societatis nostræ compositus, eiusdem Societatis gravium, Doctorumque virorum iudicio examinatus, & approbatus typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo officij nostri munitas, ac testimonio Secretarij nostri firmatas dedimus in hoc nostro Limano maximo D. Pauli Collegio Societatis Iesu die 1. Martij anno 1693.

Loco ✠ Sigilli.

Ioannes Yañez.

Ferdinandus Tardio Secius, & Secret.

SVMMA SCHOLASTICÆ PHILOSOPHIÆ

PARS PRIMA IN LOGICAM.

LOGICA, A NOMINE GRÆCO *LOGOS*, ID EST, sermo, sermocinalis dicta; a nomine vero *Dialogos*, id est, sermo inter plures, seu disputatio, *Dialectica*, disputatrix, & Ars differendi compellata; ab Aristotele traditur sex Tractatibus. Primo *de Categorijs* seu Prædicamẽtis: Secũdo. *Perihermenias*, id est de interpretatione, per duos libros: Tertio de priori *Analysi*, seu resolutione, per alios duos; Quarto de posteriori *Analysi*, libris totidẽ, vnde pars *Analytica* Logicæ nominatur: Quinto de *Topicis*, siue locis probabilibus per octo libros, vnde Pars *Topica*; Sexto de *Elencho*, aut sophismate duplici libro; & hinc Pars *Sophistica* sumitur. Quibus sex Tractatibus Dialectic quatuor alios præmiserunt, *Isagogicos*, siue Introductorios, & Proæmiales; imitati Porphyrium, qui sub eo nomine vnum præmiserat. Primus est Tractatus Summularum, seu Summulæ præceptorum Dialecticæ; Secundus dicitur Proæmialis, quia Proæmij, & Præfationis loco naturam Dialecticæ inuestigat: Tertius de Ente rationis, ad prænoscendos modos nostros cognoscendi, de quibus Logica agit, deserviens; Quartus inuentus a Porphyrio, & *Isagoge*, siue Introductio ab ipso appellatus, Vniuersalium, siue Prædicabilium notitiam, Prædicamẽtis necessariam, præmittit. Decem ergo his Tractatibus Logica tota à nobis cõprehendetur; quorum quatuor Isagogici, doctrinæ ordine cæteros antecedent. Sit ergo.

TRACTATVS PRIMVS ISAGOGICVS IN SVMMVLAS.

QVamquam Adagium fuerit ab Erasmo recensum in suis, ineptienti cuidam obiectum: Ne de re parva magna proæmia: *nihilominus Summulis, quas* Logicam parvam *appellant, Proæmium non valde parvum erit præmittendum, quia de illis nonnulla sunt scita, quàm contemptu digniora Pro quosit*

DISPVTATIO PRIMA.

Proœmialis.

Quid sint Summulæ? Quis Author, Vtilitas, & Obiectum?

1 QVæstio 1. *Quid Summulę sint?* Respõdeo. Sũt paruæ sũmæ, seu Summellæ præceptorũ, Regularũ ve Dialecticæ practicæ, & doctrinalis, circa *Terminos, Propositionem, & Modum sciendi*; de quibus agit Aristoteles in libris *Perihermenias, & de Analysi.* Cum autem ea præcepta ad sciendum scientificè ipsam met Logicam, eiusque primos trãctatus, sint necessaria; ne tandiu expectarentur vsque in posteriores illos Dialecticæ libros, opus fuit ipsos summatim seu per Epithomen brevem præmittere, quibus Tyrones ad Logicam discendam pararentur: & hæc epithomes, quia plurium librorum, dicta est pluraliter *Summulę.*

2 Quæstio 2. *Quis Author earum?* Resp. Fuit Petrus nomine, & natione Hispanus anno 1276 iuxta Baronium, è cœnobio in Pontificem Max. assumptus, Joannes XXIIJ nuncupatus: hac in re iuxta P Hurtadum ipsi Stagiritæ præferendus. Opus digessit in tres libros, triplici tam operationi intellectus, quam Modo sciendi, respondentes.

3 Quæst. 3. Utr. *Summulæ sint vtiles?* Negant P. Arr. *init Summ.* quoad præcepta de *Reductione*, de *arte inueniendi medium* &c. Quæ vocat inutilia & laboriosa, quorum vsum, nec semel per viginti annos in scholis expertus fuerit (addo meos supra quadraginta eiusdem experimenti annos.) *Et dis.* 2. *n.* 82. regulas *Modalium* vocat nugas summulisticas per otium confictas. Consentit Lemandet part. 7. n. 21. ex Nypho & alij, qui summulas ideo prætermittunt, cum P. Suar. Lusit.

Affirmat vniuersaliter Caramuel *initio Logicæ vocalis, post num.* 394. ignaviam & paupertatẽ eruditionis exprobans Dialecticis seuerioribus, ab hoc ludo abstinentibus; ipse vero totam suam vocalem Logicam, & Mentalem obliquam, millenis regulis per carmina, & barbaras dictiones expositis, vsq; ad capitis vertiginem, impendit. Fauet P. Izquierd. *disp.* 20. *Phari. q.* 8. Modos 512. syllogismorum adinveniens, postquam *d.* 19. *s.* 4. supra milliones millionũ, combinationes propositionum Modalium excogitabiles demonstrauit.

4 Medium teneo; certe enim si in aliqua Republica tot regulis seu legibus Ciues implicarentur, etiam captu facilioribus, non difficulter in omnibus dispensaret Caramuel, in quiens *Tom.* 1. *Theolog. fundam.* n. 229. *leges si nimis multæ sint, contemnantur, & contemptæ non regunt, sed perturbant.* Delibanda ergo erũt, quæ magis vtilia, aut minus inutilia sunt ex præceptis Summulisticis; quæ vero ingenio potius, quam vsui deseruiunt, relinquenda Scriptoribus, qui cum sophistis, vt olim Aristoteles, disputabunt.

5 Quæst 4. *Quodnam sit summularum obiectum?* Resp. idẽ ipsum quod Logicæ magnæ, scilicet tres mentis operationes, & triplex Modus sciẽdi adip-

ad ipsas spectans. Prima operatio est Apprehensio simplex, quæ est actus, quo intellectus incipit obiectum percipere, simplici modo, id est, nec affirmando, nec negando; siue incomplexe: v.g. *homo*; siue complexe v. g. *animal rationale*; quibus respondent nostræ voces simplices, siue nomina vocalia substantiva, & adiectiua; quæ etiam dicuntur termini, quia ex illis terminatur & cõponitur propositio, v. g. hæc, *homo est animal rationale*, tanquam ex partibus vel extremis.

Ad hanc primam operationem spectat primus sciendi modus, scilicet Definitio, quæ fit per terminũ complexũ ex genere, & differentia: v. g. *animal rationale*, quod est definitio hominis.

6 Secunda operatio est Iudicium, siue Propositio; & est actus non simplici, sed compositiuo modo tangens obiectum, ideſt, enuntiando vnum de alio, scilicet prædicatum de subiecto: v. g. *homo est animal*. Et per secundam hanc operationem fit secundus modus sciendi, scilicet *Diuisio*, v.g. hæc, *animal, aliud est homo, aliud est Brutum*: quo diuiditur genus *animal* in suas species, *hominem*, & *Brutum*.

7 Tertia operatio est discursus, quo vnum infertur ex alio; & huc pertinet Argumentatio, tertius sciẽdi modus, per quem ex eo, v.g. *quod omnis homo sit animal, & Petrus sit homo*, infertur *Ergo Petrus est animal*. Et hoc duplici ternatio comprehenditur totum vtriusque Logicæ magnæ, & parvæ argumentum.

8 Quæst. 5. *Vtrum à terminis, vel à modo sciendi sit incipiendũ?* Negant, quòd á terminis, antiqui sũmulistæ. Quia ad terminos ipsos sciendos præ requiritur Modus sciendi, ergo præmittendus.

Affirmo cum Modernis D D. Primo quia modus ipse sciendi constituitur terminis; constitutum autem nõ recte dignoscitur, nec regulatur, nisi constitutiua prænoscantur; nisi enim noueris ligna, & lapides, quo modo Domum construes? Secundo quia quando datur mutua connexio inter obiecta, veluti inter constitutiva & constitutum, debet incipere notitia á partibus ad totum, á facilioribus & magis notis, ad difficilia, minusque nota; vt præstitit Aristoteles in Physica, prius agens de materia & forma, quam de composito; & docuit *lib. 5. Meta. c. 1. & lib. 1. de Post.* Sed termini sunt partes Modi sciendi, ipso notiores, & faciliores; ab illis ergo incipiendum. Deinde vero ad Propositionem gradũ faciã: Postremo ad Modum sciendi. Et hic erit ordo Tractatus, quin egeat alia subdiuisione.

DISPVTAT. II.

De Terminis, subiecto, Prædicato, & vnione Propositionis.

1 QVæst. prima. *An & quid sint Termini?* Resp. Interminare est Termini significatio. Vel pro Deo viarum seu Lapide Mercurij fast. 3. *Termine siue Lapis*. Pro-

verb. 26. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij.* Vel pro initio & fine rei, Virgil, Georg. 4. *Angustus terminus æui.* Vel pro extremis aliquid extrinsece claudentibus: sic pro littoribus Maris Prov. 8. *Quãdo circũdabat mari terminũ suum.* Et Psal. 103. *Terminum posuisti, quem non transgrediuntur.* Vel etiam pro extremis rem componentibus & Terminantibus: & sic puncta lineæ postrema, dicuntur terminativa: imo etiam quævis partes rem componentes iuxta Aristotelem 3. Meth. cap. 17. extrema & termini illius apellantur. Et hac ratione Aristoteles subiectum, & prædicatum propositionis Terminos appellauit, dupliciter:

2 Primo Tamquã Terminos intrinsecos. Tum, quia subiectũ & prædicatũ intrinsecè cõponunt propositionem, sicut materia & forma compositum; subiectũ enim dicitur pars illius materialis, prædicatum vero formalis. Tum, quia se habent, vt extrema & puncta terminativa, & vt principium & finis rei; vnde in vocibus connaturali prolatione a subiecto incipit, & in prædicatum desinit propositio; quod licet in propositione mentali, quia instantanea, nõ contingat, denotat tamen modum tendendi suo modo terminativum.

3 Secundo. Tamquam Terminos extrinsecos, scilicet secundum voces simplices, respondentes simplicibus apprehensionibus, v. g, *Homo: animal* &c. Tum, quia licet hæ non componant propositionem mentalem, cum hæc per nos sit indiuisibilis simplex qualitas (de quo dicam *Tract. 6.*) illam tamen præuiè determinant, tanquam littora mare, vel ripæ flumen; quia nihil potest esse iudicatũ nisi fuerit apprehensũ; vnde illæ apprehensiones *Homo, animal*, præcedunt determinando, & quasi terminando iudicium; *Homo est animal.* Tum quia quodam modo se habent vt Lapis viarum, intellectui indicantes viam, qua pergat, & discurrat, per iudicium; & discursum. Et hinc est, quod dictiones, vocabula, vel nomina quævis, soleant appellari Termini, v. g. *Termini curiales, vel facultatis*; & sic passim, *vsõ de malos, ò buenos terminos, cortezanos, grosseros, proprios, improprios &c.*

4 Quæst. Secunda. *Quid sint subiectum, prædicatum, & vnio, vel copula Propositionis?* Resp. subiectum est, *de quo aliquid enuntiatur*: Prædicatum, *quod enuntiatur*; copula vel vnio, *qua vtrumque connectitur* vel *qua enunciatur.* V. g. in Propositione *Homo est animal*, subiectum est Ly *Homo*, de quo dicitur; Ly vero *animal*, quod dicitur, est prædicatum; copula vero seu vnio Ly *est*, quo subiectum & prædicatum coniunguntur, & in vnam Propositionem adunantur. Quæ tria in omni Propositione reperiuntur necessario, ex Arist.

5 Obijcitur. In Propositione *Petrus currit*, & similibus non datur verbum *est*; ergo neque vnio.

Resp. in his verbis adiectiuis subintelligi verbum *est* substantivum, cui adiacet, quasi prædicatum, specialis significatio verbi adiectivi, quasi dicas

dicas, *Petrus est currens.*

6 Replicas. Participiũ cum verbo *est* plus aliquid actualitatis importat, quã verbũ ãdjectivum, vt norant Interpretes in illud Lucæ 11. *Erat Iesus eijciens.* Ergo Iy *currit*, non bene vertitur *est currens.*

Resp, Propter hanc penuriam vocis, seu verbi pure substãtivi, quod significet puram connexionem identitatis inter subjectum, & prædicatum, excogitat Caramuel *à n.* 90. & 420. *Log.* Speciale verbum *Sam* pro *Sum*: satis autem nobis est, quod sciamus, quemcumque modum significationis superadditum præscisæ connexioni identitatis inter subjectam & prædicatum, non pertinere ad substantiam seu vim substantivam verbi *est*, vt est vnio vel copula, seu verbum pure substantivum; sed spectare ad significationes alias adjectivas, per modum participij, vel prædicati adjacentis. Quod multis confirmant PP. Conimbricenses lib. 1 Periherm. cap. 4 ex Aristotele & S. Thoma, alijs quo ibi distinguentibus; *Ens* & *est* in substantivum præscisum ab omni tempore & existentia, & *adjectivum* non præscisum: legantur *quæst* 2 *art.* 4 *sect* 2 *§ vnde*; de quo rursus nos *disp.* 4 *n.* 6.

7 Quæst. 3. *Vtrum Subjectum & Prædicatum formale sint propriè talia?* Supponenda est distinctio seu divisio *Prædicati & Subjecti, in formale & objectivum.* Objectivum est, quod attingitur ex parte objecti, vg. cum dico, *Petrus non est lapis*, Petrus ipse & ipse lapis, qui á parte rei sunt, se habent vt objectivum subjectum, & prædicatum: voces vero *Petrus, Lapis*, tam verbales, quam mentales, quibus vtrumque significatur, sunt subjectum, & prædicatum formale. Quo supposito: Affirmare videntur Conimb. *eo cap. 4. art. 3. & P. Hurt. Disp.* 1 § 3. Quia subjectum, & prædicatum formale sunt propriè termini logici: sed termini logici nihil aliud sunt, quam subjectum & prædicatum; ergo propriè sunt subjectũ & prædicatum.

8 Nego tamen cum P. Oviedo Cõtrov. 1. punct. 2. n. 2. P. Suar. Lusitan. tract. 7 disp. 1. n. 16. Tum, quia id est propriè prædicatum, quod propriè & simpliciter prædicatur; sed prædicatum formale propriè & simpliciter non prædicatur de subjecto formali; aliàs in propositione, *Petrus est homo* & similibus, diceretur quod vox *Petrus* est vox *homo*; & consequenter essent falsæ omnes propositiones similiter directæ. Ergo. Tum quia subjectum & prædicatum formale solum sunt repræsentativè, & *vt quo* subjectum & prædicatum; sicut statua Cæsaris dicitur esse Cæsar; ergo erit impropriè prædicatum & subjectum, sicut statua impropriè est Cæsar. Tum denique, quia licet sint propriè *Termini logici*, non ideo debent esse propriè prædicatum, & subjectum; sicut canis cælestis, vel pictus est propriè æquivocatus in ratione canis, & convenit cum alijs æquivocatis in ratione æquivocati, non tamen est propriè canis, licet sit æquivocatus propriè in esse canis; sic etiam ratio objecti propriè conve-

nit

nit enti proprio & enti improprio, scilicet reali & rationis. Similiter ergo ratio proprij Termini logici propriè conuenit subiecto & prædicato, tam improprio, quam proprio; sicut illis propriè conueniunt aliæ rationes cognoscibilis, & significabilis propriè in ipsis rationibus improprijs: de quo *disp. 9. n. 12.*

9 Quæst. 4. *Vtr. aduerbia & casus obliqui sint termini propositionis?* Negant P. Hurt. *d. 1. §. 15. P. Arr. d. 1 n. 3.* & alij. Primo quia solum est terminus illud, quod se habet vt subiectum vel prædicatum, interquæ affirmatur identitas per propositionem: at inter casus obliquos, & aduerbia non affirmatur identitas: cum dico, *Carolus est Rex Hispaniæ, vel gubernat prudenter*, non affirmo identitatem cum Hispania, vel prudentia; ergo. Secundo quia modi, & obliqua sunt connotata quædam terminorũ; sed connotata sunt extra rem connotantem, vt creator extra creaturam &c; ergo & modi vel obliqua sunt extra terminum.

10 Affirmo cum P. Ovied. punc. 1. n. 7. P. Linceo lib. 3. tract. 1. n. 10. & alijs. Primo quia diuersum est prædicatum, quod affirmo dicens; *Carolus est Rex Hispaniæ, vel regit prudenter*; ac si solum dicerem, *Carolus est Rex, vel regit*; sed diuersitas hæc solum prouenit ex obliquo, & aduerbio; ergo ex illis prouenit prædicato diuersitas seu differentia, quæ consequenter pertinet ad essentiam prædicati seu termini per illam constituti. Secundo quia nomina adjectiua sunt proprie termini, scilicet syncathegorematici, de quo infra; vnde diuersa est propositio: *Petrus est homo doctus*, ab hac: *Petrus est homo.* Atqui omnes casus obliqui & aduerbia faciũt sensum termini adiectivi; nam idem est *Rex Hispaniæ*, ac si dicas *Rex Hispanus*, item *regit sapienter* ac *regit sapiens*, siue *exercens sapientiam in regendo*, ergo.

11 Vbi aduerte, expositiones prædicati aduerbialis vel obliqui non recte fieri per adiectiua, quæ faciũt sensum diuersum ob penuriam vocũ: v. g. *Petrus currit velociter*, non vertitur, *est currens velox*; quia facit sensum appellationis materialis, & potest esse currens velox sed actu lentè currere: vnde vertenda est, *est currens velox actu*: similiter; *Homo est cõtingenter Deus*, non vertitur, *est Deus contingens*, quia falsò contingentia vnionis transit in Deitatem; sed hoc modo, *hominem esse Deum est contingens*, & sic de alijs.

12 Ad 1. argumentum n. 9. dico, quod sicut in prædicatis adiectiuis seu concretiuis v. g. *albus, diues* datur rectum, seu connotans v. g, *habens*, & obliquum, seu connotatum, v. g. *albedo, diuitiæ*; vnde cum prædicatur de Petro quod sit albus, non prædicatur identitas cum albedine obliqua, sed cum recto, scilicet quod sit *habens albedinem*. Ita etiam in prædicato aduerbiali, & obliquo, quod similiter adjectivum est, non prædicatur identitas cum connotato obliquo, sed cum recto illud connotãte; *Caroli* v. g. non cum Hispania, vel pru-

prudentia, sed cum *habente regimen Hispaniæ prudens.*

Ad Secundũ argument. similiter prædicata adjectiua important connotatum obliquum, quod est extra subiectum; sed quia important in recto habitudinem quamdam connotatiuã identificatã cum subiecto in ratione *habẽtis*, vere de illo prædicãtur: quod eodem modo euenit in prædicatis aduerbialibus, & obliquis; quia Ly *Hispaniæ, prudenter*, &c. sonat; *habens, vel exercens regimen in Hispania, prudens &c.*

13 Quæst. 5. Vtr. *Sit aliqua propositio, quæ careat Terminis, subiecto, & prædicato?* Affirmant P. Comptonus *disp.* 1. *s.* 3. *à n.* 1. P. Sanctacruz *n.* 218. & alij RR. de propositione complexa siue hypothetica, composita ex duabus disparatis propositionibus, v. g. *Petrus currit, & Paulus sedet.* Ratio videtur esse. Quia si Petrus & Paulus essent vnum subiectũ illius propositionis, de vtroque affirmaretur Cursus & sessio simul, quod esset prædicatum; & consequenter falsò.

Nego excõmuni & certo consensu DD. Primo: quia repugnat propositio, quæ non sit enuntiatio vnius de alio, vt ipse P. Còptonus fatetur ibi n. 2. sed eo ipso implicat quod non sit aliud quod, & aliud de quo enuntietur, & cõsequenter prædicatũ & subiectũ, seu termini, ergo repugnat propositio in qua nõ sint termini.

Secundo: quia illa propositio ex duabus complexa, vel importat duplicem afirmationem (siue realiter siue tantum formaliter; cum propositio multiplicetur eo modo quo affirmatio, vel enuntiatio constituiua illius;) & sic erunt duo subiecta, & duo prædicata distincta, quin debeant promiscue prædicata, scilicet *Cursus & sessio*, de vtroque subiecto affirmari, sed singula de singulis; sicut Deus per indiuisibilem actum infinita prædicata de infinitis subiectis affirmat. Vel propositio illa complexa importat vnam tantum affirmationem duplicis prædicati de duplici subiecto, & ita faciet sensum termini copulatiui in hunc modum: *Petri cursus, & sessio Pauli sunt simul*, vbi sola simultas siue existentiæ, siue veritatis obiectiuæ enuntietur vere tanquam prædicatum copulativum de copulativo subiecto. Ergo datur ibi prædicatũ & subiectum. Sed iam pro alijs quæstionibus fusiori opus est disputatione.

DISPVT. III.

Vtrum integra propositio possit esse Terminus?

1 PRima sententia negat, Ita Ortiz *lib.* 1. *Summ. cap.* 2. & fauere videtur P. Quiros d. 4. *s.* 2. *n.* 8, negans in propositione: *Petrus est homo, est propositio*: subiectum esse propositionem formalem enuntiatiuam per verbum.

2 Secunda sententia nostra affirmat cum P. Arr. n. 8 P. Cõptono *s.* 3. n. 1. & fauere debent omnes concedentes reflexionem propositionis supra se ipsam.

Pro-

Probat P. Arr. Quia in hac propositione: *Petrum currere est possibile*, se habet vt subiectum propositio, *Petrum currere*.

Contra. Certe enim non capio, quomodo ly *Petrum currere*, sit propositio, nec amplius, quam terminus simplex *cursus Petri*; cum per illum terminum tam non affirmetur cursus Petri, quam per hunc *Petrum currere nego*, alias affirmaretur, & negaretur. Fortasse dicere voluit P. Arr. *Petrus currit*; sed tunc non congruit cum prædicato, *est possibile*, sed cum hoc, *est vera propositio*.

3 Probatur ergo. Et in primis quod integra propositio, vt materialiter, & pure obiective talis, terminus esse possit, à nemine dubitatur; quia de illa vt de termino obiectiuo possunt affirmari prædicata conuenientia, nõ minus quã de Lapide &c.

Quod autem posset esse terminus formalis, & obiectivus ita vt ipsa propositio reflectẽdo supra se ipsã dicat, *Petrus currit & non mẽtior*; vel, *& est vera* hæc *mea enuntiatio*, ostenditur, supponendo ex libris *de anima* contra P. Hurt. quod cognitio potest reflectere supra se ipsam, sicut hic terminus, *omnis cognitio*, repræsentat se ipsam inter omnes. Tum sic: Similiter integra propositio poterit supra se ipsam reflectere, & de se ipsa vt propositione formaliter aliquid affirmare: v. g. *quòd sit propositio vera* &c. Sed tunc inquã tum propositio formalis erit terminus obiectivus, simul & formalis; ergo integra propositio vt talis, formalis erit terminus

4 Objicitur primo: si tota propositio, vt talis, est subiectum formale; ergo non restat formalitas, quæ sit prædicatum formale; & consequenter nec erit propositio, cum careat formali prædicato.

Resp. ipsam propositionem, vt est reflectens per eam formalitatem, siue expressionem, *Hæc mea enuntiatio*, esse subiectum formale; vt reflectentem vero per eam, *est propositio vera*, esse prædicatum formale.

5 Obij. Secundo: quod procedet reflexio in infinitum, cum de se ipsa etiam vt reflectente affirmet esse propositionem, & rursum de hac ipsa affirmatione, et sic sine fine; ergo.

Resp. sine incommodo concedi a DD. processum in infinitum in reflexionibus, saltem possibilem, implicitum, & confusum, quasi syncathegorematicum.

6 Obij. 3. Propositio reflectens est distincta affirmatio, & propositio, saltem formaliter, à propositione reflectibili supra quam reflectit; sed distinctum constitutum petit distincta constitutiva; ergo propositio reflectens habebit terminos constitutiuos distinctos á reflectibili propositione: ergo hæc ipsa reflectibilis nõ erit terminus, vt est propositio formaliter.

Resp. concedendo, quod in ipsa met propositione formali datur duplex formalitas, siue expressio; alia directa in ratione affirmationis sui prædicati de suo subiecto; & alia reflexa in ratione reflectibilis, seu attin-

tingibilis per se ipsam vt reflectentem; & secundum hanc posteriorem reflectibilem formalitatem erit terminus posterioris affirmationis reflectentis: atque in hoc sensu concedo distingui terminos cõstitutiuos vtriusque propositionis directæ, & reflexæ formaliter: atque adeo propositionem formaliter vt talem non esse Terminum.

7 Obij 4. Si tota propositio est subiectum, seu terminus, ergo etiam vnio cõstitutiva illius erit terminus; quia quod dicitur de constituto dicitur de constitutivis; maxime cum in ipsa vnione consistat enuntiatio, & propositio formaliter.

Resp vnionem futuram terminũ, non vt vnionem formaliter, quia vt talis, solum gerit munus vniendi, sive enuntiandi respectu subiecti, & prædicati directi, quæ cõnectit: v. g. *Cursus* cum *Petro*; sed solum vt vnio materialiter erit terminus, siue subjectum propositionis reflectentis, eiusque reflexæ vnionis; ad modum quo vnio inter animam, & Corpus Christi D. vnitur per aliam vnionẽ hypostaticam cum Verbo in quantũ vnio materialis, seu vt non gerens munus vniendi respectu Verbi. Sed circa hoc dubium sit,

DISPVT. IV.

Vtrum vnio in Propositione sit terminus?

PRima sententia affirmat, cũ P. Comp. *d.* 1. *s.* 3. *n.* 5. P. Lync *l.* 3. *tr.* 1. *c.* 1. Ponc. *c.* 1. *n.* 3. &c.

CONCLVSSIO.

Secunda nostra sent. negat cum P. Hurt. *d.* 1. *§.* 6. P. Ov. *p.* 1. *n.* 3. P. Arr. *n.* 5. P. Tellez *l.* 6. *s.* 1. *n.* 6. P. Quiros *d.* 1. *a num.* 368, Suarez Lusit. *tract.* 7. *d.* 1. *n.* 2. PP. Conimb. P. Fonseca, Merinero, Complutens. & alijs apud ipsos.

2 Probatur primo ex Aristotele 1. Prior. c. 1. aiente: *terminum appello, in quem resoluitur propositio, vt prædicatum, & subiectum*, sed in vnionem, seu copulam *est* non resoluitur propositio, neque tanquam in subjectũ, neque tanquam prædicatum; ergo non est terminus. Quia in re de nomine, cum Principe impositore nominum est loquendum.

3 Prob. 2 iuxta ipsum Aristotelem: syllogismus perfectus constare debet solis tribus terminis; v. g. *homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*; vbi termini sunt *homo, Petrus, animal*; ergo verbum *est*, sive vnio non est terminus, alias omnis syllogismus perfectus esset irrationalis quadrupes, cum præter tres terminos, includat vnionem, seu Verbum, vt quartum.

4 Prob. 3. Vnio qua talis distinguitur Physice ab extremis, quæ vnit, tanquam medium, seu nexus modalis interjacens inter illa; vt patet inductione vnionũ inter materiã & formam, inter substantiam, & accidens, inter Verbum Diuinum, & humanitatem, quæ, & ab extremis vnitis sunt distinctæ, & á ratione extremi vt quod prorsus perse formaliter alienæ: ergo pariter vnio Lo-

gica à conceptu extremi, seu Termini aliena erit; non solum in sensu strictissimo (vt tandem num. 11. permittit P. Lynceus) sed in quovis proprio sensu, vt prædicta suadent.

OBIECTIONES.

5 Obij. Primo. Vnioni conuenit proprietas Termini, scilicet suppositio; ergo, & conuenit natura Termini, á quá inseparabilis est proprietas, vt risibilitas ab homine.

Resp. nego suppositum, quod suppositio sit proprietas solius Termini; conuenit enim orationi imperfectæ carenti terminis, v. g. sede, &c. & cuivis voci significativæ; de quo infra.

6 Obij Secundo. Vnio per Ly, *est* se habet vt forma enuntiativa, imo vt formalis enuntiatio; sed forma compositi est Terminus; ergo.

Resp. In composito quovis considerato secundum aliquam reduplicationem potest se habere vt forma sid quod forma non est: v. g. materia, & vnio componunt humanitatem vt formam metaphysicam hominis, cum tamen physicæ formæ non sint: sic etiam corporis, & animi vt vniti forma est vnio, licet absolutè corporis forma non sit. Pariter propositionis vt enuntiativæ, & vnitiuæ, forma quasi metaphysica, vel physica dici potest vnio siue enuntiatio; non tamen dici potest forma Logica, quia hoc sensu solum est vnio, pars vero formalis prædicatum, materialis, & subiectiua subjectum, & proinde, & hæc erunt Logici Termini.

7 Obij. Tertio. Medium syllogismi est Terminus, quasi Tertium cum quo vniuntur extrema; ergo & medium propositionis, siue vnio terminus erit.

Resp. Nego conseq. quia medium syllogismi est in illo prædicatum, & subjectū *vt quod*, præmissarū; nō ita tamē vnio; quæ tantū vnit, *vt quo*.

8 Obij quarto. In propositione per ly *est* prædicatur etiam vnio; ergo erit prædicatum, & consequenter Terminus. Antecedens probatur primo, quia de subiecto non solum affirmatur prædicatū, sed etiam identitas siue vnio cum illo. Secundo, quia cum dico de homine esse animal, dico de illo etiam esse. Tertio quia non potest verificari propositio de secundo adjacente, *Petrus est albus*, nisi verificetur propositio de primo adjacente, *Petrus est*: ergo Ly *est* prædicatur.

9 Resp. Advertendo pro hac, & seq. obiect. quod sicut in adjectivis verbis, *currit, legit*, præter significationem copulativā, & vnitivam verbi substantivi impliciti, *est*, datur alia adjacens quasi nominalis & participialis; vnde Logicè prædicata verbi adjectivi, sonāt est *currens, Legens*, vt ex Aristot. *l. 1. Perih.* & S. Thom. ibi, observavi *dis. 2. num. 5.* cum omnibus Summulistis. Ita etiam in verbo *est*, sive *sum, est, fui*, debet distingui significatio purè substantiva, & copulativa subiecti cum prædicato, (in qua cōsistit ratio vnionis seu copulæ formalis Logicæ, præscindens ab om-

ni

si alia adjacente consignificatione;)nec non alia significatio adjectiva, quæ materialiter potest aduenire vnioni substantiuæ ab adjacentibus consignificationibus, siue modalibus, siue participialibus, connotatiuis temporis, & existentiæ actualis, & similibus; & secundum hanc significationē adjectiuam,potest vnio materialiter & quasi concomitanter se habere, vt prædicatum, vel Terminus,& *vt quod*.Et ita obseruant PP.Connimbr.laudati supra *disp.* 1.*num* 6. ex S. Thom. Albert.M. & alijs. Et sumitur exemplum ex physicis, vbi sæpe vnio identificatur materialiter cum Termino, v. g. cum substistentia, vel vbicatione, si sit modus; & tunc vnio est materialiter Terminus.

10 Hinc, dilling. anteced. Vnio prædicatur,*vt quo*,concedo;*vt quod* siue vt prædicatum, nego. Ad primā prob. similiter, identitas prædicatur, *vt quo*. Ad secundam,in prædicatione necessaria, v. g. *Homo est animal, Alius mundus est possibilis* solum prædicatur *esse substantivum*, non vero adjectivum, vnde non valet, *ergo alius mundus est* , quia hic ly, *est* adjectiuè sumitur connotando actualitatem; Ly vero,*est possibilis*, sumitur substantiuè, per identitatem purè vnitivam, *vt quo*. Ad 3. de prædicato contingenti obseruant omnes Dialectici cum Porphyrio ad c.6.de *Accidenti*,quod enunciatio accidentalis fit per verbum *est* adiectivum, siue existentiale, & connotativū temporis, atque existentiæ; ita vt idem sit *Petrus est albus*,ac *Petrus existit albus*, inquo prædicationes accidentales , differunt á necessarijs, & essentialibus v. g. *Homo est animal* &c.quæ fiunt per verbum purè substantivum, & vnitivum præscisum á tempore; Et hinc est quod in prædicationibus accidētalibus *Petrus est albus* &c. verbū *est* se habeat etiā vt prædicatum, quia non se habet præscisè vt vnio, sed vt verbum adiectivum significans esse actuale, & existentiale,vt iam monui.

11 Obij Quinto. Ideo Modi , & adverbia pertinent ad rationē Termini ex *disp.*2.*n.*9. quia immutant terminos,seu prædicata; sed etiam verbum est,siue vnio prædicata immutat ; ergo ad rationem Termini pertinebit.Minor probatur.Quia per variationem verbi *est* manifestè variantur prædicata , diuersum enim est, *Iudas fuit justus*, ab hoc *Iudas est justus*;hoc enim est falsum, primū verum;& sic de alijs. Ergo.

Resp. Dist.min. Sed verbum *est* prædicata immutat, secundū quod est verbum substantivum , sive vnio, nego; secundum quod est verbum adjectivum cōnotativum temporis per varias conjugationes,cōcedo; quia hoc modo non se habet vt vnio præscisè,sed vt adjacēs prædicato, sicut modi, adverbia, casus obliqui, nomina,& verba adjectiua, vt satis explicatum est num. 9, & 10.

12 Obij.Sexto Vnio animi,& corporis non solum vnit extrema , sed

etiam extremis vnitur; ergo pariter vnio propositionis non solum vniet prædicatum subjecto, sed etiã vnietur, ac proinde prædicabitur.

Resp. Vnio animi & corporis solum vnitur illis *vt quo*, siue vt medium, & nexus, quo vniuntur; non vero vt extremum componens *vt quod*; & ita etiam se habebit vnio propositionis, quæ *vt quo*, non *vt quod*, neque vt extremum, aut Terminus vnietur.

13 Obij. Septimo ex S. Damasc. *cap. 33. Logicæ: puncta continuativa* siue vnitiva lineæ sunt termini. Ergo & vnio qua velut continuatur propositio, terminus erit.

Resp. Nego paritatem, quia puncta continuativa etiam continuantur interse, quia vnum punctum lineæ non est discontinuum ab alio, & ideo inter se, se habent vt termini, quiá medijs alijs continui partibus vniuntur, vt *quod*, & non sunt puri nexus, vt *quo*; sicut vnio propositionis.

14 Obij. Octauo. In hac Propositione, *Vnio per Ly est non est terminus*, Vnio ipsa per ly est, se habet vt subiectum: ergo erit Terminus.

Resp. Ibi vnionẽ se habere materialiter vt vnionẽ, siue se habere vt non exercentem munus vnionis, sed vt exercentem munus objecti, seu subiecti obiectiui; & hoc sensu non est dubium quod possit se habere vt terminus, vt dixi *disp. præcid. n. 7.*

15 Obij. Nono. Copulativum, &, atque etiam disjunctivum, *vel*, sunt Termini; ergo etiam vnio conjunctiua per affirmationem *est*, & disjunctiua per negationem. *Non est*, erit Terminus.

Resp. Nego paritatem: quia cõjũctio, &, nec nõ disjũctio *vel*, adeo diversificant prædicata, vt ratione illarũ verificentur, vel falsificentur prædicationes; vnde hæc est vera, *vel Christus, vel Pilatus innocens est*: falsa vero, *Christus, & Pilatus est innocens*. At vero affirmatio vel negatio non diuersificant Terminos, sed potius è conuerso per illos falsificantur. Sit hinc

DISPVT. V.

Vtrum in Propositione negatiua detur vera vnio formalis Logica.

1 PRima sent. negat cũ P. Hurt. *disp. 1. §. 2.* & RR. nostris, præsertim doctissimo P. Mça, qui solum per antiphrasim docet eam dicendam vnionem, sicut à lucendo Lucus, & à parcendo, vel miserendo Parcæ dicuntur, & Eumenides, quia nemini parcunt.

Sectio 1. Conclusio affirmans.

Secunda nostri sent. affirmat cum P. Comp. d. 1, s. 1 n. 4. P. Alfol. l. 1 cap. 3. n. 8. & doctis RR. mihi fauentibus.

2 Prob. Primo. Ideo enuntiatio affirmativa, *est*, se habet vt vnio, quia adunat suos Terminos, vt cõponãt vnam propositionem affirmatiuam: sed nõ minus enuntiatio negativa,

gativa, *Non est*, adunat suos Terminos, vt componant vnam propositionem negatiuam; ergo sicut affirmatiua, *est*, est vnio; ita & negatiua, *Non est*, vnio erit.

3 Vrgetur. 1. Nonminus propositio negatiua est vna Logicè, quam propositio affirmatiua; sed quidquid vnum est, tale est per vnionem suorum constitutivorum: Ergo propositio negatiua vna erit Logicè per vnionem Logicam suorum Terminorum; quæ alia esse non potest, quam enunciatio negatiua, *Non est*, vt patet. Major liquet, quia non minus propositio negatiua non est in se multiplex, & est distincta ab omni alia propositione (in quo cõsistit vnitas) quàm affirmatiua. Minor est manifesta: quia omne vnum tale est ab vnitate; siue identitatis, quando est vnum per simplicitatẽ, vt Deus; siue compositionis, quando est vnum per cõpositionem partiũ, sicut homo; & ita est propositio vna Logicè per vnionem, & compositionem Logicam Terminorũ. Jam consequentia legitima est.

4 Vrgetur Secundo. Quia negatiua enuntiatio præstat ne Termini disparatè, aut inconnexè se habeãt, sed potius connectantur aliquo modo ad vnam propositionem congruè faciendam, non minus quam enuntiatio affirmatiua: Sed hæc est vnio Logica Terminorum Logicè vera & propria, ratione illius connexionis; ergo pariter.

5 Prob. Secundò. Ad hominem. Quia Aduersarij fatentur in propositione negatiua dari veros Terminos Logicos, aliàs non haberet priè prædicatum & subiectum, nec propria propositio esset. Deinde definiunt Terminos esse partes, siue extrema componentia Propositionem. Sed vbi dantur veræ partes, vel extrema componentia, debet dari vera cõpositio, siue vnio; propterea enim materia, & forma sunt partes vere hominem cõponentes, quia media vera vnione illum componunt. Ergo inter terminos propositionis negativæ vera Logica compositio, siue vnio debet intercedere.

6 Confirmatur paritate Terminorum continui, siue lineæ. v. g. qui ideo proprij Termini sunt, quia propria, & vera vnione continuativa copulantur. Ergo si prædicatum, & subjectum Propositionis negatiuæ proprij sunt Termini Logici, propria vnione Logica debent copulari.

7 Prob. Tertio Paritate Termini complexi, v. g. *Homo doctus* qui est vnus Terminus Logicus, nõminus quam incomplexus, ab vnione Logicæ complexionis terminorum simplicium, qua vnus fit, siue in vnum Terminũ Logicè adunatur; quæ vnio etiam extenditur ad terminos negatiuos, vt *Homo indoctus, aer tenebrosus*, propter eandẽ adunationem. Atqui non minus adunantur per enuntiationem negatiuam Termini propositionis, quam ad vnum terminum complexum, Termini simplices; ergo sicut hi habent

vnio-

vnionem Logicæ cõplexionis, habebunt Termini Propositionis negativæ vnionem Logicæ compositionis, sive enunciationis.

8 Prob. quarto. Licet *Prædicatũ* pro famosiori, & expressiori significatione, sive signatè, sit idẽ, quod *affirmatum*; vnde Vniversale definitur, *Quod est prædicabile de pluribus* id est *affirmabile*, juxta omnes DD: nihilominus exercitè & simpliciter etiam prædicatum negatum, sive quod negatur in propositione negativa, est prædicatum, non minus quam quod in alijs affirmatur; alias propositio negativa careret proprio prædicato, & proprijs terminis, ac proinde non esset propria propositio. Ergo pariter licet *vnio* sive *compositio* Logica propositionis, pro famosiori, & secundum expressionem signatam, sumatur pro affirmatione (quæ sola dicitur componere, & vnire juxta Aristot. & S. Thom.) nihilominus simpliciter, & exercitè etiam negatio, sive enunciatio negativa, erit Logica compositio, & vnio: alias similiter neque esset prædicatio, neq; propositio simpliciter.

Sect. 2. objectiones.

9 Obij. primo. Enunciatio negativa est divisio, & separatio Logica prædicati á subjecto, cum illud ab hoc remoueat; ergo non potest esse vnio, & conjunctio vtriusque.

Resp Distinguo antecedens: est divisio & separatio signata, concedo; exercita, nego: licet enim explicitè sonet divisionem, implicitè exercet vnitionem, seu conjunctionem Terminorum. Sic Terminus cõplexus negativus, *homo indoctus*, sonat, & significat etiam divisionẽ & separationem doctrinæ ab homine, exercitè tamen Logicè componit vnum Terminum. Sic ratio *Æquiuoci*, est exercitè vniuoca ad omnia nomina æquivoca, & tamen signatè est æquivoca, seu significat, & sonat rationem æquivoci. Sic ratio *differentiæ*, in qua omnes differentiæ conueniunt, est exercitè ratio conveniendi pro omnibus illis, & tamen signatè est ratio differendi. Pariter ergo.

10 Obij, Secundo. Divisio vt talis formaliter non potest formaliter vnire, & adunare; sed negatio est divisio prædicati á subiecto formaliter; ergo non potest vtrũque formaliter adunare.

Resp. neg. mai. in denominationibus heterogeneis; qualis est præsens; sic enim á prohibitione bona redditur *actio mala*; á latere sinistro denominatur *dextrum*; à termino posteriori denominatur *prior*; & sic millia: maximè cum vnio negativa, licet prædicatum diuidat in ordine ad *esse*, sive quoad identitatem realẽ cum subiecto; connectit tamen, quoad *dici*, sive quoad compositionem Logicam in esse vnius propositionis: vndè est divisio signatè, & vnio exercitè.

11 Obij. Tertio, Negatio physica, v.g. lucis in aere, vel destructio formæ in subiecto, nõ vnit subiectũ cũ forma negata, vel destructa, licet referat vnũ ad aliud; ergo pariter &c.

Resp.

Resp. Nego paritatem, quia negatio physica nullam physicam cõpositionem facit termini negati, vel destructi cum subiecto; ècontra vero, negatio Logica. Et permitto nunc, dari eas negationes physicas.

12 Obij. Quarto. Ens negativum non est simpliciter ens, v. g. impossibile, tenebræ &c. Ergo vnio negativa non est simpliciter vnio.

Resp. Dist. antec. Ens negativũ oppositũ positiuo, cõcedo: oppositum affirmatiuo, cui soli opponitur vnio negativa; nego: sicut prædicatum negativum est etiam propriè prædicatum.

13 Obij. Quinto. Propositio negativa mentalis habet sufficientem vnionem suæ simplicitatis, & identitatis indiuisibilis, sicut Deus per illam est vnus; ergo non indiget vnione Logica.

Resp. Neg conseq. *Tum* quia per illam vnionem metaphysicam identitatis solum est vna in esse metaphysico entis, sicut Deus, & sicut simplex etiam apprehensio incomplexa mentalis, non vero in esse Logico enunciationis. *Tum* quia etiam propositio affirmatiua habet eam vnionem identitatis, quasi materialem, & tamen indiget alia formali Logica. *Tum* demum quia saltem in vocibus, quibus deest vnio physica, & metaphysica, opus est ea formali Logica enuntiatiua negatiua, qua adunentur in vnam propositionem.

14 Obij. Sexto. Negatio est malignantis naturæ, quidquid post se inuenit destruens; sed negatio Logica *non est* inuenit post se Ly *est*, siue vnionem Logicam; ergo illam destruit.

Resp. Verbum *est* significare vnionem affirmatiuam, vnde negatio cadens supra Ly *est*, destruet affirmatiuam vnionem, sed inferet, & constituet negativam.

15 Obij. Septimo. Ideo subiectum & prædicatum formalia propositionis talia sunt, quia repræsentant subiectum, & prædicatum obiectivum; ergo pariter ideo verbum propositionis erit vnio formalis, quia repræsentat vnionem obiectivam: sed in propositione negatiua, vnionem obiectiuam non repræsentat, sed potius diuisionem prædicati à subiecto: ergo non erit vnio formalis.

Resp. Hoc argumento nimis probari, probatur enim omnẽ propositionem veram negativam esse falsam; quia omnis illa attingeret diuisionem, siue distinctionem. v. g. *Equi* ab *homine*; ergo cum illam attingat negando, quia non habet alium modum attingendi, negabit verum; ac proinde erit falsa. Tripliciter ergo respondeo.

16 Primo concesso enthymemate, nego minorẽ subsumptam, quia etiam per propositionem negativã attingitur identitas objectiua prædicati, & subiecti, quæ per affirmatiuam; cum idem ipsum quod per affirmativam affirmatur, per negativam contradictoriam negetur; alioqui non essent contradictoriæ,

si non essent ejusdem de eodem. Qualiter autem hæc identitas sit formalissimè eadem entitas subiecti, & prædicati, dicam *disp. seq.* Ergo optimè stat, quod propositio negativa etiam ab vnione, seu identitate objectiua vnio sit; licet illam attingat negatiuè, siue refugiendo, & illi dissentiendo.

17 Secundo. Nego antecedens. Quod scil. subiectum, & prædicatum formália talia sint ab obiectivis, sed potius vtraque ab ipsa met prædicatione formali, siue enuntiatione talia sunt: nam ideo ipsum prædicatum objectivum tale est, quia per propositionem prædicatur de subjecto. Ergo si omne subjectum, prædicatumque sunt talia ab ipsa enuntiatione, siue vnione; hæc a se ipsa vnio esse debebit, ne abeamus in infinitum. Vnde sicut a se ipsa, & a suo modo tendendi enuntiatiuo, dicitur propositio, minimè vero ab objecto; ita à suo modo tendendi compositiuo Logicè, siue adunativo Terminorum in vnã Propositionẽ, dicetur vnio, siue copula; siue sit negatiua, siue affirmatiua, cum semper sit adunatiua, & copulatiua.

18 Tertio. Nego consequentiam. Quia nõ provenit, neque convenit affirmationi ratio, & munus vnionis ab eo quod repræsentet vnionem, siue identitatem objectiuam: nam hæc etiam repræsentatur ab apprehensione complexa, v. g. *Homo doctus*, immo ab incomplexa. v. g. *identitas*; non tamen ideo hæ apprehensiones gaudebunt vnione Logica siue affirmatione. Ergo ratio Logicæ enuntiatiuæ vnionis non sumitur ab vnione objectiua, quidquid sit de alia vnione simplici complexionis.

19 Ex dictis inferes contra aliquos nobis fauentes. Quod vnio negatiua vnio sit non solum respectu terminorum formalium sed etiam objectiuorum. *Tum* quia hos etiam adunat vt Terminos ad vnam objectiuam propositionem. *Tum* quia hos præcipuè enũtiat, & connectit, facit que ne disparatè se habeant. *Tum* quia circa hos repræsentat idẽtitatem, licet refugiendo ab illa. Sed superest examinandum, an hæc identitas sit specialis aliqua objectiua vnio Terminis ipsi, objectiuè superaddita: quam propositioni affirmatiuæ aliqui adscribũt. Sit ergo

DISPVT. VI.

Vtrum propositioni affirmatiuæ correspondeat specialis vnio objectiua?

1 AFfirmatiua sententia placuit nonnullis RR. solum vt adversarentur nostræ vnioni negatiuæ, ex P. Lynceo lib. 3. tr. 1. n. 7 asserente, per Ly *est*, repræsentari specialem quandam identitatẽ, objectiuè vnitiuam prædicati, & subjecti; & ex DD. adstruentibus identitates intrinsecè fictitias, distinctas á Terminis realibus, pro constitutione entis rationis.

CONCLVSSIO.

2 Negatiua sententia altè insedit animo nostro, & DD. omnium negantium ens rationis intrin-

trinsecè fictitium, & à Terminis rea libus distinctum: quibus præluceat R. adm. P. N. Thyrsus, Societatis, & Hispaniæ nostræ decus, & ornamentum *Tom.* 1. *d.* 9 *an.* 36. ex quibus, & ex dicendis Tract: 3. de ente rationis.

Conclusio nostra est, Nullã identitatem objectivè superadditam aut distinctam á Terminis objectivis, correspondere propositioni affirmativæ, quæ se habeat vt vnio Terminorum objectivorum.

3 Probatur 1 ad hominem. Quia juxta ipsos Adversarios per propositionem negativã v. g. *Petrus non est Equus*, non attingitur illa specialis objectiva identitas, siue vnio superaddita, alias propositio negativa gauderet vnione formali Logica correspondente tali vnioni objectivæ. Ergo neque per Propositionem affirmativam contradictoriã, *Petrus est Equus*, talis vnio attingetur. Quia propositiones cõtradictoriæ debent esse ejusdem de odem, & habere idẽ objectum omnino indistinctum.

4 Prob. Secundo. Quia (vt sapienter probat P. Yzq. d. 2. Phar. n. 204 & d. 9. n. 6. affirmatio, & negatio minimè differunt ex objecto, cum contradictoriæ sint circa *Idem*: vnde vtraque respicit eundem actum essendi, qui est identitas; siue entitas ipsa subiecti, & prædicati, affirmans per accessum, & negans per recessum. Identitas autem, vt demostrabo in *Metaphys. est ipsissima entitas eorum quorum est identitas*; quia est vnitas essentialis entis. Patetque ex ethymologia; quia *identitas* est *eadem entitas*. Ergo dum propositio representat identitatem subiecti, & prædicati, non potest repræsentare aliquem modum vnionis, siue aliquid aliud ab ipsa entitate subiecti, & prædicati distinctum; sed ipsam met entitatem per modum vnius expressam.

5 Prob. Tertiò. Ex doctrina optimè obseruata a P. Arriag. d. 3. *de pœnitent.* a n. 21. quod non omnis modus cognoscendi noster *coniunctivus*, aut *disiunctivus* debeat semper respicere specialem aliquem modum obiectivũ similiter coniunctivũ, disjunctivum ve, hic enim Terminus: *Petrus & Paulus*: nullam aliquam coniunctionẽ inter Petrum, & Paulũ respicit; & similiter neq; hic Terminus disjunctivus: *Petrus vel Paulus*: respicit aliquam obiectiuam disjunctionem, quod patet ex contradictorijs, *Petrus & Paulus currunt*; *vel Petrus, vel Paulus non currit*, vbi ex parte subiecti, nihil speciale ab vna propositione attingi potest, quod ab alia non attingatur, alias contradictoriæ non essent, cum de eodẽ omnino subjecto nõ essent: signum ergo est, quod illa coniunctio, & disjunctio se habens ex parte subiecti per voces, *&*, *vel*, minime se tenent ex parte subjecti obiectiui, sed solum ex parte subiecti formalis, seu modi tendendi & repræsentandi terminum copulative, & disjunctive. Ergo pariter modus ille coniunctivus propositionis affirmativæ, non se tenet exparte obiecti, sive obiectivæ specialis coniunctionis, sed solum ex parte modi

tendendi specialiter coniunctivi per affirmationem est, sicut etiam modus disjunctivus per negationem ex modo tendendi negativo, non vero ex parte obiecti se tenet. Et hinc,

6 Prob. Quarto. Quia per propositionem negativam v. g. *Petrus non est Lapis*, non attingitur specialis objectiva divisio seu disjunctio Lapidis á Petro; ergo neque per affirmativam specialis conjunctio. Consequentia liquet a paritate. Antecedens probatur, Quia si per propositionē negativá talis diuisio seu distinctio Lapidis á Petro attingeretur illa negaretur cū illā attingeret negādo, non enim aliter attingit illa propositio objectū suum; vnde falsa evaderet, cū falso negaret eam Petri a lapide distinctionem; ergo illam non attingit ex parte obiecti.

7 Prob Quinto. A priori, quia, vt demostrabo in Metaphisica, *entitas*, siue ratio entis nihil est aliud, quám non repugnantia prædicatorū obietiī nterse; hæc autem non repugnantia formalissime est *identificabilitas* ipsorum prædicatorum; identificabilitas vero est ipsa identitas significata vt possibilis; quæ solum differt in vocibus ab existenti. Quæ omnia principia in Metaphysica demonstrantur. Ergo de primo ad vltimum identitas nihil, est aliud, quam ipsa entitas rei siue objecti: & consequenter mihi nè potest esse obiectiuè superrddita entitati prædicati, & subjecti, quorū est identitas; neque correspondere affirmationi *est*, tanquam specialis objectiva vnio, præter prædicatum, & subiectum.

8 Obij. Primo, Identitas est ratio communis in qua omnia idētificata conueniunt. cui superaddunt differentias suas, in quibus differunt; sed quoties datur ratio comunis conueniendi, est distincta formalitas á differētijs; sicut *animal* distincta formalitas est á *rationali*; ergo distincta formalitas erit identitas á reliquis prædicati formalitatibus.

Resp. Quod sicut ratio ipsa *entitatis*, siue, *entis*, est distincta; & specialis formalitas, transcendentaliter non mutuò distincta ab ipsis prædicatis, & subiectis, ita, & ipsa identitas; solum ergo asserimus, quod ab ipsa entitate, seu ratione entitatis Terminorum non distinguitur formalitas identitatis. Vnde eadem entitas eorum, quæ repræsentatur vt multiplex per expressiones *prædicati* & *subiecti* [licet sæpe nec per rationem obiectivè distinguatur; vt patet, quando prædicatur definitio de definito); ea dē ipsa repræsentata vt vna, siue vt vnum quid per vnionem enuntiatiuam *est*, atque etiam per, *Non est*, est formalissimè identitas obiectiua.

9 Obij. Secundo. Et replic, Ergo etiam propositioni negatiuæ respondebit Identitas, siue vnio obiectiua repræsentata ex parte obiecti, non minus quam affirmatiuæ.

Resp. Conced. consequent. Immo ita debet esse, vt negatiua, & affirmatiua sint contradictioriæ, affirmando, & negando idem de eodem, siue circa idem met obiectum; vnde so-

luta

lum negamus correspondentiam obiectivæ vnionis specialis, sive specialiter obiectivè superadditæ,& intercedentis inter prædicatum,& subjectivum: non vero imbibitam in ipsis terminis eorumque vnitate,& idẽtitate essentiali. Aliæ obiectiones de identitate fictitia intrinsecè,fictitiæ demonstrantur Tract. 3.de ente rationis:quæ vero spectant ad conceptum identitatis *in Meth.* & ex dictis facile solventur.

DISPVTAT. VII.

Vtrum aliquando Terminus, quà subjectum sit prædicatum, & quà prędicatum sit subiectum?

1 AFfirmatiua sent. est Caramuelis, vniuersaliter id affirmãtis de omni propositione mentali cõvertibili *Num.* 1013 *log.ment:* sed quia viderat omnem propositionem siue perse, siue per accidens (vt infra videbimus) esse convertibiles, vniuersalius de omnibus idẽ affirmauerat, *Num.* 413. *Log.voc.* Quod scilicet in omni propositione Mentis subiectum sit prædicatũ, & è conuerso;& ita placuit perdoctoR. in propositione de subiecto, & prædicato singulari, v. g. *Petrus est hic homo*(Quod ipse Caramuel sæpius repetit.

Sect. 1. *Conclusio negans.*

2 Negativa nostra sent. de mente omnium DD. statuitur á *P. Quiros disp.* 10. Log. *a num.* 35. Procujus evidentia.

Suppono ex consensu DD. quod non est idem cognoscere implicite aliquã veritatem,ac illam exprimere, sive per actum explicite declarare, quia in definito, v. g.*homo* cognocitur implicite definitio v. g. *animal rational* vt potè essentia hominis *e*,nõ tamẽ per ly *homo* exprimitur;alias,vt quid necessaria esset definitioDialectica,& tãtus labor regularũ logicaliũ ad illã explicandã:si per vocem ipsam *homo* explicite declararetur?Vnde ab omnibus consequenter supponitur, quod in mente distincta est definitio formalis á definito formali, & non solum in vocibus. Ratio. Quia licet idem sit obiectum, est tamen diversus modus illud attingendi, quia per Ly *homo* non adeo clare attingitur,ac per Ly *animal rationale*,quia definitio est clarior definitio; implicat autem quod eadem tendentia sive expresio actus sit indivisibiliter clarior, & minus clara respectu eiusdem obiecti. Addit P. Quiros exemplum vocis actiuæ,& passivæ v. g: *Video Ioannem*; *Ioannes videtur à me*: vbi est idem obiectum,& tamen sunt diversi actus ob diversum modum explicitum. Bene;sed negabit Caramuel diversitatem nisi in vocibus,quia est pura cõversio prædicati in subjectum. Quæ est Conclusio probanda; &.

3 Prob. primo. Quia licet in omni propositione convertibili. v. g. quando prædicatur definitio de definito, v.g. *Homo est animal rationale*; vel singulare de singulari, v.g. *Hic Rex est Carolus*, absque dubio idem ipsum obiectivè attingatur ex parte subiecti, quod ex parte prædicati;diverso tamen modo etiam mentali

significatur, sive exprimitur ex vtraque parte: sed quando est diversa significatio, & expressio, est diversa tendentia, & representatio ex parte actus mentalis; ergo diuersa erit tendentia, & repræsentatio ex parte subiecti abea, quæ est ex parte prædicati mentalis in propositione convertibili. Minor, & consequentia constant.

4 Maior probatur. Primo, quia ex parte subiecti repræsentatur semper obiectum subiective, quasi subijciendo, & quasi materia substans, & recipiens prædicatum; e contra vero, prædicatum tanquam forma adiacens, sive adhærens subiecto. Qui modus cognoscendi cum experientia sit notus, non potest aliter probari, quam cum ab aliquo negatur existentia lucis; scilicet adductis testibus ocularibus, & consensu sapientum, & sapientissimi inter illos Sancti Thomæ *in lib. 1. Perihermenias lect. 5.* ex Aristotele, ajentis: *Quod subiectum per se, prædicatum vt adiacens apprehenditur.* Quis autem ausit negare, quod experitur, & videt; quod tales testes videri confirmant, nisi se cæcum probare velit? Ergo.

5 Secundo: quia nisi sit propositio expresse identica: v. g. *Petrus est Petrus*, (quæ nō est in intellectu fortasse, nisi ita, *Petrus est id quod est*:) in omni alia propositione expressio subiecti est in ordine ad connotata aliquo modo distincta ab illis, quæ connotantur in prædicato; vt in eá, *Petrus est id quod ipse est*, vbi Ly *Petrus* exprimitur per ordinem ad externa individualia connotata; per Ly vero, *id quod ipse est*, in ordine ad esse intrinsecum individuale, magis vel minus explicitum; vt vnus quisque concipere volet. Sed quoties exprimitur obiectum secundum habitudinē magis, vel minus expressam ad distincta, vel diversa connotata, resultat distinctus, vel diversus modus cognoscendi ex parte actus intellectus; ergo distinctus, diversus que modus cognoscendi erit ex parte subiecti mentalis, ac ex parte prædicati; atque adeo vtrumque mutuo non confundetur.

6 Prob. Secundo. Conclus. per dilemma. Ea mutua mentalis conversio prædicati in subiectum, vel fit tantum implicite, vel explicite? Si tantum implicite habemus intentū; quia vt explicite fiat, requiretur nova expressio, seu propositio, & cō sequenter non erit prædicatum ex vi eiusdem actus, ex quo est subiectum, neque è converso: sicut contingit in voce activa, & passiva, *Petrus videt Ioannem; Ioannes videtur à Petro.*

Si vero fiat explicite? præterquā quod est contra experientiam; quia diverso modo concipimus aliquid explicite, ac implicite. Contra est primo quia ita omne definitum formale erit formaliter explicita definitio: vnde explicitè sciet vnusquisque definitiones omnium terminorum, quos primo concepit, cum tamen adeo laboremus in indagandis rerum definitionibus, vt nullibi ma-

gis

gis. Secundo, quia ita in mente quoties aliqua propositio exprimeretur, duplex, & triplex actus clare, & explicite anobis conciperetur, cum omnis propositio sit cōvertibilis de prædicato in subiectum; & aliquando dupliciter (vt infra patebit.) Immo qui eliceret syllogismum, simul tres syllogismos, & aliquando plures clare, & expressè per conversiones propositionum, & conclusionum tum Dialecticas, tum grammaticas de voce activa in passivam, eliceret; quod quis credat? cum tāto labore regularum, indirectas, seu convertibiles consequentias, Logica dignoscat, & Logicus vix capiat. Si tamen eam facilitatem aliquis cū Caramuele experiatur, subtilioris mentis erit Aristotele; & S. Thoma; quod si credat, tunc suæ sententiæ subscribat.

Sectio 2. Obiectiones.

7 Obij. Prim.. In prædicatione, *Petrus est hic homo*, nihil aliud prædicatur quā identitas mutua vtriusque; sed quando mutuo prædicatur identitas terminorum, mutuo sunt prædicatum, ergo.

Confirmatur primo. Si prædicetur hoc modo *Carolus est mutuo, & convertibiliter hic Rex*: Non solum affirmatur de *Carolo*, quod sit *hic Rex*, sed etiam de *hoc Rege*, quod *sit Carolus*; cum in eo consistat, quod mutuo, & convertibiliter sint idem. Ergo saltem tunc confundetur formalissimè subjectū cum prædicato.

Confirm. Secundo. Per vnam propositionem complexam potest prædicari; quod per duas categoricas, & incomplexas, v. g. *Petrus est hic homo, & hic homo est Petrus*: Ergo sicut in duabus esset idem terminus subjectum in vna, & prædicatum in alia; ita in ea complexa ex duabus esset simul subjectū, & prædicatum.

Confirm. Tertio. Quia in hac propositione *Carolus, & Rex est idē*: ex parte prædicati habetur idem subjectum, cum idem inquantum *idem* sit indistinctum, vt disputatione præced. ostensum est.

8 Resp. ad arg. Concessa maj. dist. min. sed quando mutuo prædicatur identitas mutuo sunt prædicatum, si Ly mutuo se habeat tantum ex parte idētitatis objectivæ, *nego*; si se habeat ex parte modi prædicandi, *concedo*: & nego suppositum, quod possibilis sit modus mutuo prædicandi ex vi vnius propositionis; quia ex vi ejusdem tendentiæ non potest simul subijci, & adjacere terminus secundum eamdem expressionem, vt manet probatum.

9 Ad Primam Conf. ea ratio convertibilitatis se habet ex parte objecti, non ex modo prædicādi, subijciendo, & prædicando mutuò secundū eamdem expressionē, quod requiritur vt subjectum, & prædicatum in esse talis reciprocentur.

10 Ad Secundā nego, quod per vnam propositionem, sive per eandem tendentiam, & expressionem, qua terminus subjicitur, per eandē formaliter prædicetur; quia sunt oppositi modi tendendi, qui licet [illegible]

[illegible]

venire possint eidem actui physicè entitativè complexo, non verò secundum vnã eãdem formaliter enuntiationem; quia tunc esset duplex enuntiatio in eodem actu complexo; juxta probabilem *sent*: imo juxta alios essent realiter distinctæ prædicationes copulatæ nescio quà conjunctione; vtrovis autem modo fiat, nunquam erit subiectum qua tale prædicatum, sive ex vi ejusdem prædicationis.

11 Ad Tertiam Conf. Non dubitamus quod ex parte obiecti sint idem prædicatum, & subiectum in illa propositione, sicut in quavis alia sed solum negamus quod secundum eamdem expressionem secundum quam te habet vt subiectum, sit explicite prædicatum; quia ly *idem* distincta expressio est abilla *Carolus & hic Rex*.

12 Obij. Secundo. In propositione vocali; *Petrus est hic homo*: ly *Petrus* est subiectum, quia primo profertur sed in propositione mentali non datur hæc prioritas prolationis, quia vel est simplex, & indivisibilis qualitas, vel saltem instantanea, ergo nec ratio subiecti &c.

Conf. hic terminus, *Carolus Rex* non distinguitur in mente ab alio, *Rex Carolus*; quia ibi non datur postpositio vlla terminorum: ergo pariter &c.

13 Resp. ad arg. neg. Majorem, quia ly *Petrus* non est subjectum ratione prioritatis in prolatione, sed ratione specialis modi significandi, quẽ ipsa prioritate regulariter designamus; licet aliquando etiã subjectum postponi possit, dum modo aliter exprimatur modus illud subiciendi, vel ipsi attribuendi prædicatum: v. g. si dicas: *Currit Petrus*: *Sacerdos factus est Dioconus*; & similia.

14 Ad Confirm. Aliquando etiã in Termino postpositio vocalis immutat sensum, & tunc in mente terminum immutabit; sic distincta sunt prædicata, *Petrus est magnus philosophus*, ac *est philosophus magnus* si postpositione fiat appellatio materialis. Pariter ergo: cum postpositio Termini immuret significationem prædicati; vt regulariter contingit.

15 Obij. Tertio. Qui dicit: *Materia est vnita corpori*, eo ipso dicit, *Corpus est vnitum materiæ*; cum implicet vnum sine alio esse, vel concipi; ergo reciprocat prædicatũ, & subiectũ.

Confirm: Implicat vnio physica, quæ non sit æquè vnio duorum extremorum: ergo, & vnio intentionalis enuntiativa, quæ æque mutuõ non vniat suos terminos.

16 Resp. ad arg. *dist. anteced.* Implicat vnũ sine alio concipi, &c. *implicite*, cõcedo; *explicitè* nego; quia licet illæ propositiones sint idem implicitè, & objectivè; diversæ tamen sunt explicitè, & in modo cognoscendi, & prædicandi: eo modo quo etiã de voce activa, & passiva diximus.

Ad Conf. nego consequentiam, quia vnio physica non habet diversum modum vniendi formam ac materiam, *in esse vniti*, vnde in

ea ratione est mutua æqualiter ad vtramque: At vnio Logica habet diversum modum vniendi siue enuntiandi. Dixi *in esse viti*, quia si consideretur vnio physica, vt vniens vnam partem per modum *subiecti*, & aliam per modum *formæ*; sic non vnit vtramque eodem modo mutuo, alias mutuò essent subiectum, & forma: & ita potius à paritate confirmatur nostra *sent.*

17 *Hactenus* disputavimus, qui sint, & an sint Termini, sequitur disputare, quid sint propiè, & essentialiter; quare sit.

DISPVT. VIII.

Vtrum Termini Logici, sint propriè, & simpliciter Terminus.

1 PRIMA sent. communis negat esse propriè Terminos in propositione mentali, si illa sit simplex qualitas. Ita P. Hur. *d. 7. de anima §. 15.* P. Arr. *hic disp. 1. n. 10.* P. Peñafiel *d. 9 q. 1. n. 4.* P. Tellez, P. Suar Lusit. P. Compton. P. Lync &c.

Secunda sent. Specialiter affirmat, quod si propositio sit composita, gaudebit proprijs Terminis. Ita P. Ovicdus exemplum ponens in Terminis objectivis. *d. 1. p. 2. n. 2.* Sap. P. Maça, qui de terminis vocalibus, & mentalibus, si distinguantur, expressius ita tuetur.

Tertia sent. per docti. Commagistri, in propositione simplici qualitate proprios terminos admittit, licet per rationē tantum distinctos.

Sectio 1. Conclusio negans omnino.

2 Quarta nostra sentent. duo statuit: Primum, quod si propositio sit composita, siue in mente, siue objective, siue in vocibus, adhuc proprijs terminis caret. Secundū, quod si qualitas simplex sit, multo minus illius termini proprij esse poterunt Pro quo.

Præmitto definitionem termini ex Aristotele 5. Met. c. 17. est *cuiusque vltimum, extra quod nihil est accipere primi, & intra quod omnia primi* v. g. duo vltima puncta lineæ inter quæ est tota linea, & extra quæ nihil est lineæ. Similiter extra materiam & formam nihil est hominis, & intra illas tota hominis essentia continetur; & hoc modo subjectum, & prædicatum dicuntur suo modo termini propositionis, quia intra illa, scilicet vt vnita, (sicut homo intra materiam, & formam vt vnitas.) tota propositionis essentia claudi ur quin extra illa propositio detur. Ex quo fit, quod ad rationem terminj proprij duo requiruntur: Primū distinctio à con-termino, vt possit *accipere primum*, sive totum, quasi cōtinens intra se, & conterminum suū vt cernitur in linea contenta suis punctis terminativis. Secundo requiritur vnio proprietatis, quia non aliter fit totum, propriè compositum ex terminis, nisi per propria compositionem illorum vt compartium, & per propriam intraneitatē vnionis intra Terminos. *Hinc.*

3 Prob. prima pars conclusionis. Quia etiam si termini propositionis

An-

sive mentalis, sive vocalis, sive objectivæ, sint realiter distincti, non sunt tamen propria vnione compositi: Quia licet mentalis resultaret extriplici conceptu, nulla tamen physica vnione copularentur; cum neque per modum subiecti, & formæ, vel partium extensionis aut intensionis (vt fatentur ipsi P. Vazquez 1. p. d. 223. n. 12. & Ortiz Tr. 6. n. 211. & alij componentes propositionē mentalem:), sed solum per aggregationē ad modū præmissarum, & conclusionis syllogismum cōponentium; ita Termini, vt intentionaliter connexi in vnā propositionē adunarentur. Itē termini vocales, & scripti similiter nulla alia vnione, nisi cōtinuata in ordine ad sē inuicem adunantur. Ac demum obiecti vi termini non nisi pure extrinseca Logica vnione enuntiationis per modū prædicati, & subiecti connectuntur. Quæ omnes impropriæ, & secundum quid vniones sunt.

4 Tunc sic: sed quando vnio terminorum est impropria, & ipsi termini improprij debent evadere, vt est præmissum, & constat ex terminis, siue partibus cōponentibus ens per accidens, v. g. exercitum, aut numerum ternarium; quorum partes impropriæ sunt, & improprij termini; quia nulla vnione propria, sed solum impropria, & extrinseca ordinationis vel subordinationis conjunguntur, ergo pariter termini Logici sive mentales, sive vocales, & obiectivi ob impropriam, & solum extrinsecā logicalem vnionē enuntiationis, erunt improprij termini; cum intra illos propriè intranea nō sit propositio.

5 Secunda pars Conclus. est manifestior. Quia vbi non datur partium propria distinctio, nec potest dari propria vnio vel compositio, & consequenter neque propria terminatio; propterea enim inter prædicata, siue formalitates Diuinas propriæ partes, vel proprij Termini Deum simpliciter componentes admitti nequeunt. Ergo si propositio sit simplex qualitas, & eius Termini consequenter sint indistincti; proprie, & simpliter termini esse nequeunt.

6 Vrgetur contra Oviedum, qui in terminis obiectiuis propriam rationem termini tuetur: quod nequit consistere in Terminis propositionis veræ affirmativæ; qui necessario debent esse identificati; sed vbi datur identitas, nō datur distinctio & compositio propria, ad proprium terminum requisita. Ergo. In negatiua vero Termini obiectivi vnione propria carent. Ergo.

Sectio 2. objectiones.

7 Obij. primo. Propositio mentalis est propriè propositio, sed propositio constat terminis Ergo constabit proprijs terminis.

Reid. dist. conseq. Constabit proprijs terminis, Logicis, *concedo*. proprijs terminis absolute talibus, *nego*: id est cōstabit proprijs prædicato, & subiecto, nō vero proprijs partibus componentibus.

8 Obij. Secundo. Aprehensiones sim-

simplices præcedentes iudiciũ, sunt propriè Termini propositionis; illã enim determinant, cum non possit extra terminos earũ iudicium evagari. Vnde se habent sicut ripæ fluminis & littora maris, quibus vtrumque coercetur, quasi proprijs Terminis suis; cum nihil possit esse iudicatum nisi fuerit apprehensum & quasi apprehensionibus vallatũ veluti litteribus, & ripis extrinsecis propositionis. Atqui sunt Termini sine vnione vlla intermedia. Ergo salva est ratio Termini simpliciter absque vnione intrinseca, siue simpliciter intranea.

9 Resp. permissa proprietate Termini extrinseci, quã aliqui negant ne discursui, seu consequentiæ dicant præmissas esse proprios Terminos, quia determinant illius objectum, extra quod evagari non possit, & similiter cognitio esset extrinsecus Terminus volitionis, quia *nihil volitum quin præcognitum*, fortasse magis quam *nihil judicatum quin apprehensum*. Dico tamen in præsenti nõ inquiri nisi de proprijs Terminis intrinsecis; quos scilicet Aristoteles vult esse subjectum, & prædicatum Propositionis; an sint propriè Termini intrinseci, juxta definitionem ex Aristotele præmissam *num. 2. Quod intra se continet terminatum*. Quod enim intrinsecè non continet, siue per vnionem intrinsecã propriè *intra se* non continet, sed potius *extra se*, & extrinsecè in rigore philosophico, sicut vas aquam, &c, & de hoc terminandi modo minus rigoroso nõ est sermo, nec mentio apud DD.

10 Obij. Tertio. Termini *verales* possint successiua vnione prolationis continuari, nec non *scripti* permanenter per caracteres connecti; atque etiam *objectivi* physicè vniri, vt cum negamus de materia vnita quod sit forma. Ergo saltẽ tunc erunt Termini simpliciter.

Resp. per accidens eas vniones interuenire, cũ propositio, siue enunciatio per se talem vnionem non requirat; sed contenta sit suis terminis licet *voces* cum paula, *caracteres* disjunctim, & *objecta* separatim se habeant.

11 Obij. quarto. pro 3 *sent.* posse dari Terminos, & partes simpliciter metaphysicè, licet tantum formaliter per rationem distinguantur: ergo pariter in propositione simplici qualitate. Antecedens prob. primo. Quia subsistentia Personalis est propriè Terminus divinæ naturæ, cum subsistentia definiatur *naturæ Terminus*; & tamen est indistincta á natura divina. Secundo quia quæ sunt propriè constitutiva, sunt propriè partes seu Termini; sed constitutiva metaphysica interse indistincta, v. g. Dei, sunt propriè constitutiua, ergo. 3. Quia in Deo datur tanè distinctione reali proprius actus primus, & secundus vitalis, v. g. intellectus, & intellectio; sed non minorem distinctionem petunt Actus primus & secundus, quam Termini; ergo.

12 Resp. neg. *anteced.* Ad 1. vel

 negã

nega definiendã subsistentiam per rationem *Termini*, sed per, *Complementi naturæ*: vel si ea possit diuinæ subsistentiæ conuenire, fiet vi distinctionis virtualis, perquam conueniunt contradictoria Naturæ, & subsistentiæ, v.g. *communicari, & non communicari*. Ad 2. nego maj, aliás in Deo erunt propriæ partes, & propria compositio: constitutiua enim solum sunt, sine quibus res concipi nequit. Ad 3. vel nega maj. cum P. Suarez. Vel minor. cum P. Arr. & alijs.

DISPVT. IX.

Quæ sit definitio essentialis Termini Logici

Sect. 1. Aliorum definitiones.

1 PRima definitio Mag. Soti c. 5. Summ. *Est signũ constituti vum Cathegoricæ Propositionis*. Et c. 1. definierat: *Vox significatiua ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio.*

Contra 1. Quia conuenit vnioni (quæ terminus non est ex *disp. 4.*) vtraque difinitio. 2. Excluditur Terminus mentalis, qui neque vox est, neque ad placitum significat: itẽ vox non significatiua, & tanden terminus propositionis hypotheticæ nullo iure, excluduntur: *Vt infra.*

2 Secunda definitio P. Lynceî *Tract. 1. cit. n. 21. Terminus est simplex conceptus.* Et explicat num. 24. *qui obiectiue exprimat simplicem formalitatem. Et num. 25.* explicat simplicitatem, exclusiuam cõpositionis iudicij.

Contra 1 Quia hæ similtudæ essent adijciendæ primum Definitioni, vt esset clara. Secundo vix est vlla obiectiua formalitas præter *ens*, vel quid simile, quæ non possit diuidi in alias; ergo vix vlla erit Terminus. 3. Aprehensio complexa v. g. *animal rationale* est terminus, & tamẽ diuisibilis in duas, & plures formalitates, 4 Prædicatum, & subiectũ formale sunt realiter idem cum judicio iuxta ipsum Linzeum: ergo nõ habent simplicitatem exclusiuam judicij, quia quod identificatur, positiue non excluditur; & tamen sunt Termini sine hac exclusione. 5. Actus diuini & Angelici sunt simplices conceptus, non tamen Termini.

3 Tertia definitio eiusdem P. Linzei *n. 26.* est *dictio simplex*. Pro qua allegat Damascenum, & Boetium.

Contra 1. Etiam vnio, imo tota propositio cum sit simplex qualitas est simplex *Dictio*. Si autem recurrat ad simplicitatem exclusiuam judicij; excludet etiam á definitione prædicatum, & subiectum propositionis mentalis, quæ nõ possunt excludere iudicium secum identificatum. Secundo Terminus obiectivus non est Dictio, cum potius sit dictum, & de quo dicitur; sed tamen est Terminus, cum sit propriè subjectum, & prædicatum; ergo.

4 Quarta definitio communissima, quæ dia nobis placuit est P. Fonsecæ. Toleti, P. Hurt. Xauelli, Complutensium, Merineri &c. apud P. Quiros. *Est extremum propositionis.*

Con-

Contrà 1. explicat idem per idē *Terminum* per *extremum*; vnde non est clarior definito, contra leges definitionis. 2. Tam impropriè convenit termino logico esse extremū quam Terminum, ex *disp. præced.* Sed definitio debet explicare quid: ditatem propriam rei. Ergo. Confirmo. Male definiretur homo pictus, per *animal rationale coloratum*; quia æquè improprium ac homo; sed per *Simulachrum hominis, vt oculis apparentis, coloribus expressum*, quia hoc propriè, & quidditativè convenit. Ergo pariter.

Sectio 2. Nostra definitio.

5 Quinta definitio nostra, ex Aristot. 1. *Prior. c.* 1. Albert. Mag. *ibi S. Thomas tract. de syllog. c.* 1. PP. Connimb. *eo c. q.* 1 *a* 3. P. Font. P. Hurt. P. Arr. P. Ovied. P. Tellez. P. Suar Lusit. *tr.* 7 *n.* 2. P. Mauro c 4 P Quiros *disp.* 1. *s.* 2. P. Comp. &c. traditur his Philosophi verbis: Terminus est id *in quod resolvitur Propositio* Et addit in explicationem, divisionem: *Vt in subiectum, & prædicatum; ipso esse addito vel diviso.* Sic enim cognoscitur, subjectum & prædicatum Propositionis, esse ipsius Terminos; ea autem talia fieri, *addito esse*, per affirmationem, *est*, quâ subjectum dicitur *esse*, prædicatum; vel *diviso* per negationem, qua dicitur ipsum *non esse*. Vtrumque autē convenit in esse *id in quod resolvitur Propositio*; sive *Quod sit Resolutivum; vt quod Propositionis*: vbi per Ly, *in quod* vel, *vt quod* excluditur vnio seu copula, quia nō se habet *vt quod, sed vt quo*; non vt *resolutivum*, sed ut *resolutio* ipsa quâ judicium resolvitur.

6 Vbi nota, á summulistis communiter, hic, resolutionem accipi pro destructione, seu dissolutione propositionis; ita vt ex partes illius dicantur Termini, quæ, resoluta & destructa propositione manent cū significatu suo, vt manent prædicatum, & subjectum v. g. *Homo animal*, ablato, *est*; hoc autem *est*, ita non manet, cum separatum non significet vnionem. Contra tamen 1. Quia durè explicatur esse rei, per non esse ipsius. 2. Quia modi vel adverbia etiam amittunt suam significationem modificativam Terminorum, licet conferuent absolutam, sicut Ly est; & tamen *disp.* 2. *n.* 3. Termini sunt. 3, Materia, & forma Bruti sunt eius Termini constitutivi licet destructo Bruto, forma nō maneat. 4. In propositione mentali, quæ simplex qualitas est, destructa propositione nihil illius manet.

7 Melius ergo explico cū P. Mauro, & doctiss. P. Maça resolutionē sumi pro determinatione iudiciali, sive vt ita dicā, sententiali, qua propositio fert iudicium, & sententiam statuendo prædicatum de subjecto. Quo sensu passim dicimus: *no me resuelvo, yo me resolvere*, idest, decernendo, & indicando: & ita Diana inscripsit nomine *Resolutionum* suas sententias, & propositiones Morales. Vnde PP. Conimbris. *in proœmio lib.* 1 *de Priori Resol.* explicando

quid voce resolutionis Aristoteles intelligat, inquiunt: *Unde intelliges Dialectici unum idemque resolvere, vt de tota re iudicet.* Ita ergo intelligenda est resolutio propositionis, prodeterminatione judicij in suos terminos, sive obiectiuos, sive formales.

8 Probatur bonitas definitionis ex legibus illius 1. Quia ita explicata est clarior definito. 2. Quia explicat essentiam seu *quidditatem*, vel *quid* essentiale Termini, *per genus, seu quasi genus proximum*; quia cum ratio Termini sit de supremis generibus sicut, *ens*, (comprehendit enim omnem terminum; etiam obiectivum seu conceptibilem) non debet dari per genus strictum, sed per Terminum communem aliquomodo, quale est *id quod*, idest, *conceptibile* sicut *ens* definitur, *Id quod non repugnat*; quo aliud proximius genus non est. 3. Quia per *differentiam* vltimã Resolutivi propositionis traditur; per quam ab omni non termino Logico differt; scilicet à partibus orationi, quæ non est *resolutiva*, v.g. *imperativa*; item ab vnione, *est*, quia nõ est *resolutiua vt quod*; sed *vt quo* vel resolutio 4. conuenit omni definito scilicet, tam *Terminis obiectiuis* (qui proprie sunt prædicatũ, & subjectum, & consequenter Termini v. *disp.* 2. *n.* 6.) quia in illos vt in rem judicatam præcipuè resolvitur propositio; sicut *resolutio* fidei dicitur à Theologis fieri in motivum divinæ veritatis: quam *Terminis formalibus*, quia in illos tanquam in conceptus sive mentales, sive voca-

les prorumpere, & resolui judicium vere dicitur. 5. denique *nulli à definito* convenit ratione differẽtiæ, vt manet explicatum.

Sect. 3. obiectiones solutæ.

9 Obij. 1. Termini formales sunt subjectum, & prædicatum, *vt quo*, ex dictis ea *disp.* 2. *n.* 6. Ergo non sunt resolutivum *vt quod*.

Resp. Terminos formales respectivè ad objectum siue ad prædicatũ & subjectum objectivum in ratione repræsentatiui se habere *vt quo*; at vero relativè ad vnionem, sive resolutionem judicij, & in ratione *resolutiui* se habere *vt quod*, quia sola vnio hac ratione se habet, *vt quo*: sicut imago Cæsaris, est Cesar, *vt quo*, sed est, imago vt quod.

10 Obij. 2. Obiectum potius est resolutum, & resolubile quam resolutivum, ergo terminis obiectivis non convenit propriè definitio.

Resp. propterea ab Aristotele non poni in definitione rationem *resolutiui*, quia strictissime sumpta ad actum potius pertinet, quam ad obiectum; sed tantum Ly *in quod resolvitur*, quod commune est ad resolutivum per modum actus, & resolubile per modum obiecti: sed ob penuriam vocis ad explicandũ id, in quo vtrumque conuenit, assumi potest ratio *resolutiui*, in minus stricta significatione communi ad vtrumque; nisi malis dicere *resolatorii* &c

11 Obij. 3. Non posse vnivoce definiri terminum, vt communem terminis formalibus, & obiectivis

quia

quia non potest explicari aliqua ratione vtrisque propriè conuenienti, quid sit illud esse *resolutivum vt quod* siue esse id, *in quod resoluitur*; prout commune est mentali, & obiectiuo; sed vbi non datur vniuocatio, neque vna difinitio datur, ideo enim equus Terrestris, & Marinus vniuoce non conueniunt, neque in esse equi definiuntur vnâ definitione, quia non est explicabilis vna ratio equi pro vtrisque. Ergo pariter &c.

Conf. Quia ratio termini obiectiui est communis terminis chimericis, siue entibus *Rationis*; sed entia realia, qualia sunt conceptus seu termini formales, cum entibus *Rationis* in nullo prædicato possunt cõuenire, neque in illo definiri. Ergo neque in ratione Termini &c.

12 Resp. ad arg. In his conceptibus seu rationibus vniuersalissimis, qualis est ratio *entis, obiecti, termini* &c. difficillime assignari terminum communem, per quem definiatur, nisi ad summum æqualem, cũ supra no superior tale nõ possit: Illud vero frequentius concipimus per Ly, *id quod, siue conceptibile* &c: quin vlterius obiectum valeat explicari, quia deuenimus ad primum principium, siue primum conceptibile. Et ita contingit in nostra definitione, per Ly *id in quod resoluitur* &c. Quod si velimus amplius explicare, per aliquid commune, *resolutivo* obiectiuo, & formali, vix alijs vocibus poterimus rem exprimere, nisi dicendo, esse *quid conceptibile se habens, vt quod in ordine ad resolutionem propositionis terminandam*. Si autem vlterius inquiras; quid sit? Non supereset alius modus sciendi, vel declarandi rem, nisi per diuisionem; scilicet, quod sit subiectum, vel prædicatum; obiectivum, vel formale. Hoc tamen non tollit vniuocationem primi conceptus, sicut illã *in ente* non tollit; quod non ita contingit *in equo*, qui non est terminus adeo supremus, qui debeat per illos primos conceptus non amplius explicabiles definiri; scilicet per Ly *id quod* &c. Sed per specificos inferiores: de quo infra *disp. de Definitione*.

13 Ad Conf. tangitur gratis difficultas de conceptu vniuoco supra transcendenti v. g. *obiecti, cognoscibilis*, &c. communi terminis realibus, & chimericis; si enim hic non admittatur, nec ratio ac definitio Termini vniuoca erit, admittenda; de quo in Metaphisica.

14 Obij. 4. Definitionem Aristotilis tradi per *Diuisionẽ*, scilicet per Ly *vt subiectum vel prædicatum*: Ergo peccat.

Resp. hanc diuisionem non admisceri Definitioni; quia hæc solis illis vocibus constat, *in quod resoluitur propositio*; vt ibi notauimus.

15 Obij. 5. Definitio nostra sonat actum resolutionis, ergo extra illam seu extra propositionem non erunt Termini. Pro antecedenti examinando sit

DISPVT. X.

Vtrum de essentia Logici Termini sit actualis Terminatio Propositionis.

1 PRIMA sententia negat cum PP. Hurt. Arriag. Compt. Alphonso, Spinula p. 1. c. 2. n. 9. Poncio c. 1. n. 5. &c. Qui dicunt extra Propositionem esse Terminos Logicos ob artificiosã aptitudinẽ.

Sect. 1. Conclusio affirmans.

Secunda nostra sententia affirmat cum Cardinal. Toleto. PP. Conimbric. Rubio, Oviedo, Complutens. l. 2. c. 2. & alijs Thomistis communiter, asserẽtibus propterea, Terminos extra Propositionem, propriè & simpliciter tales dici non posse.

2 Imprimis hæc sententia est manifesta in propositione mentali; si qualitas simplex sit; quia cum termini qui extra illam sunt, ipsam minimè componere possint; consequenter apti non erunt, vt ipsam componãt: ergo non erunt aptitudinaliter eius Termini, seu partes ac proinde nulla ratione tales erũt. Supposita ergo compositione propositionis mentalis, instar vocalis; de vtraque dicimus, Terminos aptitudinales earum, extra actualem compositionem, non esse Terminos Logicos simpliciter, seu partes Propositionis.

3 Prob. 1. Ex definitione Arist. *sup.* Terminus est in *quem resoluitur Propositio, vt in subjectum, & prædicatum*: Sed Terminus, extra propositionem non est subjectum neque prædicatum, sed solum subijcibilis, & prædicabilis; neque in illum resolvitur, sed solũ resolubilis est Propositio. Ergo neque erit Terminus, sed solum potens terminare;

4 Prob. 2. Ens determinatum cui determinate non conuenit ratio specifica, nullo modo conuenit ratio generica; v. g. qui determinare nõ fuerit *homo*, vel *brutum*, minimè potest esse *animal*. Sed Termino, determinato v. g. *Homo*, extra propositionem, non conuenit determinate vlla ratio specifica Termini Logici; quia neque determinate, est subjectum, neque prædicatum, sed indifferens ad vtrumque; quia indifferens est, vt sit subjectum, dicendo, *Homo est animal*; vel prædicatum, dicendo, *Petrus est homo*. Ergo Termino extra propositionẽ minimè cõuenit ratio generica Termini Logici.

5 Prob. 3. Nulla denominatio accidentaliter aut contingenter conueniens cuivis Termino, potest de illo absolute affirmari solum propter aptitudinẽ ad formam, nisi actu ipsam formam denominativam subeat. Sed denominatio subjecti, vel prædicati, siue Termini Logici, accidentaliter, & contingenter Termino cui vis conuenit, & aduenit, ã prædicatione vt formã denominãte. Ergo denominatio ipsa Termino nõ conueniet, nec de illo poterit affirmari solum propter aptitudinẽ quam habet extra propositionem, nisi actu formam ipsam prædicationis subeat. *Conseq.* liquet. Minor constat; quia denominatio subjecti, & prædicati cõtingenter advenit Termino à modo prædicationis ipsum subijcientis vel prædicantis, ad quẽ Terminus est indifferens.

Ma-

6 Major est principium Dialecticum ex *cap. 5. Isagog. Porphyr.* & *ibi* S. Th. Alber. M. PP. Conimb. *q. 1. à 2. & 3.* propterea enim ablata albedine non posset paries, imo neque nix dici *alba*, propter aptitudinem ad illam. Et confirmatur exemplis denominationis extrinsecæ cuiusqumque; v. g. obiectum non potest dici, *visum*, aut *cognitum*, neque bonum *amatum* vel *electum*; neque propositiones dicuntur *præmissæ* syllogismi; propter aptitudinem ad illas denominationes; vsque dum conjungantur cum formis extrinsecè denominantibus, scilicet cum visione, cognitione, amore, electione, conclusione. Ergo.

7 Vrgetur. Sicut se habet Terminus Logicus ad terminandam propositionem, vt subiectum vel prædicatum, se habet bonum respectu voluntatis ad terminandam eius intentionem vt finis, vel ipsius electionem vt medium; sed propter hanc indifferentiam dici non potest, quod bonum ante determinationem voluntatis ad suum actum, terminet voluntatem, quia neque vt finis neque vt medium se habet antè illam. Ergo pariter neque Terminus ante propositionem erit Terminus Logicus illius quia neque vt subjectum neque vt prædicatum segerit.

8 Prob. 4. Concl. Voces, vel nomina non solum sunt indifferentias vt componant vt prædicatum, vel subiectum; sed etiam vt neutro modo componant, in oratione imperfecta, v. g. *imperativa, optativa*, aut *subjunctiva*, quæ caret terminis, quia caret affirmatione vel negatione. Ergo si extra compositionem ita indifferens est, vt sit vel non sit Terminus Logicus; extra illam determinate talis esse non poterit. Consequentia probatur á paritate lapidis impoliti, qui non potest dici pars domus, potius quam muri, vel acerui; item materiæ primæ quæ nō potest dici pars hominis, vel bruti, quando non est disposita determinatè ad vnum; ergo pariter Terminus, dum extra propositionem indifferens est, vt sit Terminus Logicus, vel non sit, simpliciter talis dici non poterit.

Sect. 2. objectiones.

9 Obij. 1. Definitio Aristotelis nō sonat actum sed aptitudinem Termini, ad resolutionem, seu enuntiationem terminandam; sicut quævis alia definitio, v. g. *homo est animal rationale*; non sonat actualitatem sentiendi nec ratiotinandi. Ergo.

Confirm. Ex ipsa definitione, Termini sunt qui manent cum proprio significatu, quando *resolvitur* ti ve destruitur propositio: ergo quia destructa illa, siue extra propositionem manent in esse Termini Logici.

10 Resp. ad arg. Illud principium, *Definitio non sonat actum sed aptitudinem*, dupliciter esse verum. 1. quia licet actu non sit definitum, verificatur de illo definitio; v. g. de homine possibili quod sit animal rationale; & de prædicato vel subiecto intra propositionem possibili, quod

sit Terminus Logicus, seu *resolutivum vt quod* ipsius. 2. Quando definitur aliquod principium vel actus primus in ordine ad actum secundũ (dummodo non sit modaliter vel essentialiter affixum, vt Pater ad filium) & sic animal rationale non petit actum secundum sensationis, & ratiocinationis. Falsum tamen si intelligatur, quod ad tribuendam definito actualem denominationem, nõ petat actualitatem formæ denominantis, quam importat definitio: sic homo definitur physicè. *Constans animo rationali, & corpore vniis*: nec sufficiet, quod aptitudinaliter vniri possint (vt in homine mortuo) vt sit homo. Pariter ergo ad denominationem prædicati, & subjecti, & termini Logici, ficut ad denominationes, *visi, cogniti* &c.

11 Ad confirm. Ex *d. sp. præced. n.* 6. non intelligitur definitio de resolutione per destructionem. Sed esto sic, Sensus erit: Terminos esse in propositione, qui, illa destructa, manent cũ significatu suo, licet non maneant tanquam Termini. Sicut de verbo, *est*, dicitur esse vnionem, licet soluta propositione maneat, nõ tamen vt vnio,

12 Obij. 2. Brachium ab homine avulsum est pars hominis, & Lapis in basim expolitus pars domus; ergo pariter nomen erit terminus, & pars, etiam extra propositionem.

Resp. Neg. Paritatem: quia brachium habet suam determinatam organizationem, & lapis suam artificiolam figuram extra compositionem domus. Voces vero non habent artificiosam formam, qua fiunt termini siue prædicatum aut subiectũ, nisi per ipsam prædicationem, quia extra illam non sunt nisi prædicabile aut subijcibile, vnde se habent sicut Lapis non politus, qui nec domus, nec muri, nec acervi, pars est extra compositionem, quia est indifferens ad omnia. Sicut etiam verbum *est* extra propositionem non est vnio, quia indifferens est vt vniatur his, vel illis extremis; vel materialiter subijciatur dicẽdo: *Est est vnio*: nomina autem non minus indifferentia sunt; vt sint prædicatum vel subjectum &c, necminus denominantur, & determinantur per actualem prædicationem.

13 Obij. 3. & replic. Licet nomina indifferentia sint, vt sint prædicatum vel subiectum; sunt tamen determinata ad vnum de duobus; sicut lapis politus indifferenter ad basim vel, fornicem, est tamen determinatus ad alterutram partẽ Templi; & ita pars templi absolute dicitur; ergo pariter.

Resp. 1. neg. quod alterutrum necessario conueniat nomini, quia potest componere orationẽ imperfectam optativam, vel interrogativam: v. g. *Vtrum nomen sit Terminus?* Vbi cum nihil prædicetur, siue affirmetur, nullum est prædicatum nec subiectum. 2. Licet alterutrum necessario conuenire debeat, cum tamen extra propositionem neutrum conueniat, consequenter nec denominatio *Termini*; quia totum artificium

ficiũ in esse termini est prædicatio, quæ extra propositionem non convenit. At artificium, quo lapis fit pars est expolitio, quam habet ante compositionem templi; & ea determinate competit, licet ad collocationem indeterminatam.

14 Obij. 4. Nihil tam vulgare, quam appellare Terminos, nomina extra propositionem: vnde infra fiet diuisio Termini in *vniuersalem*, & huius in quinque *prędicabilia, genus, speciem* &c. Quin intra propositionem tunc hæ voces existant; solum quia ratione artificij præscisiui, pleno ore *Terminì communes* apellantur. Ergo.

Resp. Similiter Ly *est* pleno ore vocari vnionem, & tamen certum est, quod non sit vnio extra propositionem. Vnde in his fit dictractio significationis; sicut quando dicitur *homo mortuus*; sensus est: *Mortuus, qui fuit homo.* Similiter vniversale, genus &c. dicuntur *Termini*; id est, *qui erunt Termini in prædicatione.* Sicut etiam dicuntur, *prædicatum animal, homo* &c. cum certum sit, nõ esse prædicatum, nisi quando prædicantur; extra prædicationem enim solum sunt *prædicabilia*; & hoc est artificium præscisionis, quod extra prædicationem habent scilicet *Prædicabilis*; non *Prædicti*; Vnde solũ quinque prædicabilia appellantur á Dialecticis ex Aristotele, & Porphyrio. Addo etiam dici posse terminos extrinsecos extra propositionẽ, in sensu explicato *disp.* 2. *q.* 1. & *disput. præcedenti n.* 8. ratione præuiæ apprehensionis; quia licet hæc stricte terminus non sit propositionis, in aliquo tamen sensu proprio terminus esse potest. Sicut P. Vazquez negans strictam justitiam in Deo, propriam tamen concedit, ne proprium sensum neget S. Scripturæ.

15 Obij. 5. ex RR. Terminus secundum se præscindit, vt ab speciebus á prædicato, & subjecto, sicut animal ab homine, & bruto. Ergo extra propositionem poterit pariter esse terminus præscindens á prædicato, & subjecto, siue ad vtrumque indifferens.

Resp. nego conseq. Quia Terminus vt sic, sicut animal vt sic, est ratio generica, & indeterminata, & ideo potest ab speciebus præscindere: non tamen ita vox vel Terminus determinate existens extra propositionem; sicut neque animal determinatum, v. g. Petrus, potest ab speciebus animalis præscindere.

16 Obij. 6. ex doctis. P. Maca. Forma consecrationis, & materia v. g. panis, etiam extra compositionem Sacramenti, sunt, & dicuntur partes illius; cum dicantur ipsius materia, & forma. Ergo pariter.

Resp. 1. mihi esse difficile, quod forma vulgariter prolata, & materia remota Sacramenti, extra illud propriè ipsius partes dici possint; cum ita omnino indifferentes sint ad fines valde alienos á Christi D. institutione; solum enim sunt partes, vt á Christo D. institutæ, siue vt conjunctæ cum omnibus requisi-

tis institutionis, & consequenter vt componentes Sacramentum. Quis enim dicat quod tota aqua fluminis vel Maris sit pars Baptismi? nisi in sensu distracto, pars, quæ erit Baptismi, sicut dixi *num.* 14. de homine mortuo. Quando autem dicimus, verba v. g. *Te absolvo*, esse formam Sacramenti, &c. non intelligimus ea verba hic & nunc prolata, sed ea quæ applicabuntur, & per nunc prolata significantur, partem esse aut fore; & similiter de materia.

17 Resp. 2. ne fiat quæstio de nomine, quod si partes Sacramenti extra illud tales dicantur, ideo erit, quia ante, & extra illud habent moralem institutionē, & elevationem Xpti. D. quasi artificiū sacrum, quo fiunt partes fabricæ Sacrosanctæ: maxime si aliqua cōsecratione sanctificentur, vt *Chrisma* &c. quod sufficit ad rationem partis moralis: sicut expolitio lapidis, & organizatio manus ad rationem partis physicæ. Termini autem extra propositionē carent artificio antecedenti in esse subjecti, & prædicati.

18 Obij. 7. ex doct. R. Cum profero vocaliter, *Petrus est animal*, prius tempore sonat Ly *Petrus*, quā tota propositio successiua existat, & pro inde ante & extra propositionē; sed tunc Ly *Petrus* est subjectum formale vocale, cum substituatur tunc pro subjecto formali mentali. Ergo erit subjectum, & Terminus ante, & extra propositionem.

Resp. hoc arg. nimium probari; 1. quod numquam detur Terminus vocalis intra propositionem; quia cum hæc successiva sit, numquam simul existit cum Terminis. 2. neque etiam extra propositionem erit Terminus, si sit polisyllabus; quia, cum prior syllaba existit, non dum est posterior; cum vero hæc profertur, prior evanuit: constet ergo propositionem vocalem esse totum morale & humanum, in esse signi arbitrarij hominum, quod tunc existit moraliter, sive existere reputatur ad vsum loquutionis, quando eius sensus, & significatio perficitur, licet physicè transierit: ac proinde tunc incipient esse termini intra propositionem, licet physicè non existant. Vnde nega *min. argum.*, quia Ly *Petrus* non est subjectū, quando profertur physicè, sed quando sensus perficitur, & tunc moraliter perseuerat, seusum, & propositionem componendo. Sed circa hanc vocum significationem sequitur.

DISPVTAT. XI.

Vtrum sit essentialis Termino vocali significatio arbitraria? siue,

An repugnet Terminus formalis nō significativus, v. g. *Blictiri?*

1 PRIMA sententia affirmativa vtrumque asserit, cum Thomistis, M. Ioan. de S. Th. *q.* 1. *art.* 2. Complutens. *l.* 1. *c.* 4. P. Fonseca *l.* 1. *c.* 16. P. Quiros d. sect. 3. P. Maça d. 1. s. 7. &c.

Sect. 1. *Conclusio negans.*

2 Secunda nostra sententia negat vtrumque, asserens *Blictiri*, & *Syn-*

dapsus

dapsur, aut alias excogitabiles voces non significativas, esse formales terminos. Quod ideo notanter addo, quia Blictirin, & syndapsum significatione ditant P. Delrio in Senecæ Agamen. v. 328. & Bilius in Naziãz orat. 23. de laudibus Hyeronis, & Pereira in suo Vocabul. V. Tilica; vt primus sua solita eruditione ad notauit, perquẽ omnes vbique proficimus; meus in Philosophia, imo a Grãmatica, & Rhetorica ad Theologiã vsq; Magister Sapiẽtiss. dignissimus ex Provincialis noster P. Martinus de Xauregui. Idem tenent P. Hurt. P. Arriag. P. Peñasiel; P. Cõpt. P. Alf. P. Ovied. P. Suares Lusit. P. Maurus. P. Isquierd. d. 18. n. 13. & 23. P. Lincei eo tra. 3. n. 5. P. Staeruz n. 276. Poncius n. 3. Caramuel n. 993. &c.

3 Præmitto ex dicendis de signo *Tract. 6.* in *Peribierm.* voces esse in tra genus signi; quod definitur ex S Agust. 2. de doctr. Christiana c. 1. *Illud quod præter speciem sui, quam ingerit sensibus, facit nos in alterius cognitionem venire.* Quæ definitio solum comprehendit Signum sensibile, cuius est sensibus speciem sui mittere; nec non & *instrumentale*, quod cognitum ducit ad alterius cognitionem (Nam *formale* etiam incognitum ducit, v. g. cognitio obiecti;) ex vtroque autẽ capite vocibus definitio cõvenit, quæ signũ sensibile, & instrumẽtale sunt, cũ sensibus prius notæ, signent sua obiecta

4 Dividitur autem signum in *naturale*, & *arbitrarium*. Illud, quod á natura significat, vt fumus ignem: hoc, quod ex placito hominum, vt Ramus tabernam. Voces autem vtraque significatione gaudent, cum significativæ sunt: nam ex placito hominum significant obiecta, ad quorum significationem sunt impositæ: naturaliter vero significant se ipsas vt obiectum (imo & loquentem, eiusque mentalem prolationem, vt principium:) vnde vox, *homo*, aliquando venit sub significatione arbitraria, cum dicitur v. g. *homo est animal*; aliquando sub naturali, cum dicitur, *homo est vox dissyllaba*. Et quod hæc reflexa sui significatio sit naturalis, patet: quia convenit omnibus vocibus, vt de ipsis reflexe loqui possimus, quin arbitrio hominum sit imposita, licet aliqui cũ PP. Conn. 1. de interpret. q. 1. art. eam dicant appellandam repræsentationem, nõ vero significationem; quæstio est denomine & à S. August lib. de Mag. cap. 5. decisa, dum asserit, Nomen, significare omnia nomina, inter quæ se ipsum: ergo sui ipsius significatio esse potest.

5 Ex quo fit vocem omnem, tam significativam, quam non significativam habere hanc sui ipsius reflexam significationem individuale m; quia cum á natura conveniat, ea exui non possunt, licet etiam ad placitum possunt adquirere aliam communem, qua se possunt cum alijs ub nomine communi significare, vt *vox*, *Nomen*, &c. Vnde quando vox vi illius reflexæ significationis assumitur in terminum, simul erit Termi-

nus formalis, & obiectivus, vt patet in terminis, *vox, Nomen, conceptus*, &c. qui vtrumque munus agunt cum dicitur *vox est nomen* &c. Quia assumuntur vt termini, secundum reflexam significationẽ sui. Difficultas ergo est, an vox *Blictiri*, vel alia, etiam aliunde significativa, ex vi solius huius naturalis significationis reflexæ sui met, possit esse terminus formalis? Et hoc anobis asseritur;&

6 Probatur 1. Quia, ideo per Adversarios, in hac propositione *Blictiri, est vox*, vel, *Blictiri non est sindapsus*: eæ voces non significativæ, Termini formales non sunt, sed tantum obiectivi; quia sub intelligitur dictio reflectens supra illas; *Hæc vox Blictiri*, &c. quæ terminus formalis sit. Atqui ea reflexa dictio nõ sub intelligitur; ergo ipsæ voces nõ significativæ erunt formales termini.

Minor prob. 1, Quia ea dictio reflexa, *Hæc vox*, non potest se sola esse terminus formalis, cum se sola non manifestet obiectivum, scilicet Blictiri, potius, quam aliam, quamcumque vocem singularẽ; ergo per Ly, *Hæc*, ipsa individuatio vocis Blictiri importatur ex parte termini formalis. 2. Si exparte termini formalis in ea propositione, *Blictiri non est sindapsus*, solum importatur Ly, *Hæc vox*; *Hæc dictio*, solum diceret *Hæc vox, non est hæc vox*; quod est falsum, aut saltem æquivocum. Ergo vt verum sit, per Ly *Hæc*, aliquid sonat ex parte subiecti, quod non sonat ex parte prædicati; & hoc est ipsum Blictiri. 3. In mente datur terminus formalis specialis notificans Blictiri obiectivum individualiter incomplexe. Ergo cum hoc ipsum optime præstet Blictiri vocale, se ipsum incomplexe individualiter notificans per speciem sui, melius, & clarius, quam vox complexa *Hæc dictio*, erit Terminus formalis vocalis. 4. Ideo adverbia, & casus obliqui sunt Termini non solum objectivi, sed etiam formales, quia illis adiunctis variatur significatio terminorum; diversa enim est dicendo, currit velociter, quam currit lente: *Rex Hispaniæ* quam, *Rex Daniæ*. Sed similiter diversa significatio, & enuntiatio est, si dicas. *Blictiri non est syndapsus*, quam si dicas: *non est Tilica* &c. Ergo quia diversi sunt termini formales non significativi.

7 Resp. plerique Adversarij, his solum probari, quod *Blictiri* sit partialiter, & syncategorematice terminus formalis, conjunctim cum voce sub intellecta, *Hæc dictio* &c, non tamen, quod perse, & categorematice se solo terminus formalis sit.

Contra 1. quia si iam sit Terminus formalis conjunctim, talis erit per significationem naturalem sui ipsius; cum alia significatione sui non gaudeat: sed hæc significatio sui est adæquata, cum consistat in eo quod se ipsam notificet, seu percipi faciat; quod quidem adæquatissimè præstat, sicut quod vis obiectũ, per *speciem sui quam ingerit sensibus* [vt loquitur S. Aug. sup. n. 3.] Ergo poterit

rit adæquatè perse,& sine consortio alterius vocis, Blictiri vt terminus formalis se ipsum representare; maxime si inadæquatè posit. 2. Quia aliæ voces significantes se ipsas ad placitum v.g *Nomen* &c. per vos sine adjuctione vocis subintellectæ sunt Termini formales respectu sui cum dicimus, v. g. *Nomen est declinabile*: *Terminus est dictio*,& similia: quia habent significationem sui arbitrariam, ut etiam pro se supponant:sed non minus potens est significatio naturalis,quá omnes voces etiam *non significativæ*,se ipsas significant:ergo pariter,&c. 3. Quia hæc reflexio adæquata vocis minime repugnat, vt patebit num. 9. & 10. aliunde autem nullo modo est necessaria sub intellectio alterius vocis; sine necesitate autem illa(sicut neque vlla entitas) est multiplicanda;alias pro libito quis sub intelligeret cum omnibus alijs vocibus,ad significanda directè obiecta realia vocem, *hæc entitas*, dicendo v. g. *Hæc entitas homo est animal*: sicut, vt ipsa vox *homo* se ipsam reflexè significet,sub intelligis, *Hæc dictio homo est nomen*. Ergo.

8 Prob. 2. a priori. Juxta Aristotelem 1. *Elench. c.* 1. vocibus (vt terminis formalibus) vtimur loco rerum, quia has adducere non possumus in scholam, sive in collocutionem,tanquam signa pro cõceptibus formatis de rebus. Sed voces omnes etiã *non significativas*, adducere possumus, & debemus, quando de ipsis met vocibus loquimur;immo aliter quam ipsas adducendo, & proferendo,de illis loqui, aut intelligi non possumus. Ergo ipsis met vocibus, de quibus loquimur,vti debebimus tanquam terminis formalibus,vt de ipsis loquamur,siue significatiuæ,siue non significativæ ad placitum sint. Alias si pro vnis vocibus aliæ essent adhibendæ, pro his aliæ, & sic in infinitum, essent addendæ, & subintelligendæ; cum tamen ad vnam rationem formalem superfluat alia.

Sect. 2. obiectiones.

9 Obij. 1. Si vox Blictiri esset terminus formalis se solo, esset adæquate representativus sui, siue adæquate reflexus supra se: sed implicat etiam in cognitione intellectuali magis reflexiua, & penetratiua obiecti, adæquata reflexio supra se ipsam;ergo multo magis in vocibus atque adeo quod per eam, *Blictiri* sit formalis terminus.

Resp. 1. a P. Arr. *disp. 6. de Anim. n.* 76. & alijs DD. admitti cognitionem adæquate reflexiuam,quæ dicat: *Ergo sum hæc cognitio.*

Resp. 2. Esto repugnet in cognitione ea reflexio, non tamen in vocibus, vt bene Caramuel *num.* 993. *Log. ment.* Tum quia ideo repugnaret in cognitione,quia objectum in fluxũ aliquem exercet in illam; sed in vocem nullum exercet influxum; quì enim Leo in voeẽ, *Leo*, influat? Ergo in voce adæquata reflexio nõ repugnat. Tum a priori: quia quod vox se ipsam significet non fit

per

per aliquem actum reflexè tendentem in se ipsum (vt in cognitione contingit) sed potius per speciem directam sui ipsius, quam mittit in audientem, siue sensui ingerit, juxta S. August. & quà se ipsam notificat; & hic modus reflexionis adæquatissimè convenit omnibus obiectis se notificantibus, & mittentibus speciem sui, absque vlla propria reflexione: ergo non repugnat quod hæc sit adæquata.

10 Obij. 2. Termini formales ad placitum reflexiui, v.g. *Nomen vox, Terminus*, & alij, solum inadæquatè reflexiui sunt, qua tenus repræsentant terminos communes obiectiuos sub quibus ipsi formales particulares cum alijs obiectiuis particularibus continentur, vt conuenientes in ratione *vocis*, *nominis*, &c. Ergo pariter Blictiri inadæquate reflecteret, simul cum voce subintellecta, *Hæc vox*, &c.

Resp. Nego consequent. & paritat. quia illi Termini reflexi sunt explacito, & arbitrio hominum, qui solum solent tribuere vocibus significationem, quam ex se naturaliter non habent, scilicet per modum Termini communis, ac proinde solum inadæquatam reflexiuam supra se, vt in communi contentam. At significatio adæquata sui quasi reflexiua, cum sit omnino naturalis; habetur à vocibus independenter á placito hominum, & ideo ab hoc prouenire non potest. Nec desunt qui dicant *Blictiri* esse etiam terminum connotantem significatem *omne Blictiri* taliter pronuntiatum, atque ita fore etiam inadæquatam reflexionem illius. Non tamen probo, quia naturalis significatio solum est pro se ipso, sicut speciei impressæ immissio, qua obiectum sensu notificat. Vnde solum per additum Ly *omne* supra Blictiri, fiet extensio significationis illius ad alias voces consimiles, beneficio præscisionis, & vniuersalitatis, vt dicam n. 22.

11 Obij. 3. Omnis significatio vocum est adlibitum, & arbitraria: Blictiri enim ideo se significat, quia illi non est adiuncta alia significatio pro libito omissiuo hominum. Item vox *homo* se significat, ex placito pronuntiantis, seu enuntiantis aliquid, quod ipsi vt voci conueniat: si enim enuntiet; *est animal rationale*, tunc se vt vocem non significabit. Ergo tota significatio vocum non erit naturalis, cum a libito dependeat.

Resp. aliud esse significationem, aliud exercitium significationis; significatio naturalis non pendet ab arbitrio, quia eam semper retinet vox respectu sui; exercitiũ econtra, quia si assumatur vox ad aliud obiectum significandum, tunc naturalem sui significationẽ non exercebit. Et hoc in ipsis arbitrarijs significationibus contingit, quarum exercitium, si plures sint in vocibus [vt contingit in æquivocis: v.g. *Scipio*, quo vel baculus, vel Dux Carthaginensis designatur] ab arbitrio loquentis dependet.

12 Replic. ex P. Maça. Significatio naturalis numquã potest quoad exer-

exercitium suspendi pro libito: v. g. licet fumus assumatur in significationem adventus hostium, non desinet significare ignem etiam quoad exercitium. Ergo vox si naturaliter se ipsam significat, numquam posset abstrahi ab exercitio significationis de se ipsa: atque ita omnes fere praedicationes directæ essent falsæ.

Resp. Quod numquam tollitur naturalis significatio vocum, etiam quoad exercitium specificatiue, non minus quam significatio fumi, quia semper vox exercet notificationem sui, per speciẽ quam de se ipsa mittit, non minus quam fumus. Reduplicatiue vero, prout exercet vnam significationem, v. g. arbitrariam, non conciptitur vt exercens aliam, scilicet naturalem; quia ex pacto, & consensu hominum, conventum est, vt vox prout vnam significationem exercens, non exerceat aliam, siue ab alia praescindat; sicut voces ipsæ æquivocæ, quæ duplicem arbitrariam habent significationem, prout vnam exercent ab alia praescindunt, non tamen illam amittunt; vt vox *Scipio* &c. Et ita etiam de fumo dico, quod prout reduplicatiue vsurpatur ab hominibus ad significandum adventum hostium, nõ exercet significationẽ naturalem ignis: inepte enim diceret quis videns fumum excitatũ in signum adeuntantis hostis, quod per illum, vt excitatũ tunc, significaretur ignis.

13 Obij. 4. Quod eo pacto multæ res obiectiuæ, quæ signa non sunt formaliter, possent se habere, vt Termini formales: v. g. si pingatur equus, vel leo, & adiungatur picturæ, *est equus*, vel *est leo*; pictura se habebit vt subiectum formale, non minus quam *Blictiri*, per significationem sui.

Vrgetur, quia eodem modo res ipsæ, siue obiecta quævis possent esse Termini formales; quia potest quis, v. g. ostendendo rem, dicere: *est ponum*, vel, *ecce homo*! vbi res ipsa se habebit, vt subiectum formale repræsentativum sui, non minus quã Blictiri; si non sit necessarium sub intelligi Ly *hoc*, vel, *hic*, ex parte termini formalis; sicut per nos non sub intelligitur Ly *hæc vox* in Blictiri: Imo hoc pacto loquuntur Muti signis, & nutibus ostendentes obiecta; atque ita res ipsæ erunt tunc Termini formales, sicut Blictiri. Ergo.

14 Resp. ad argum. & vrgent. neg. antec. Quia nec picturæ nec res ipsæ possunt esse signa formalia per se. Et in primis licet pictura sit quædam loquutio per signa, procedit tamen modo quodam simplici, qua si apprehensiuo, quia eodem modo repræsentat pictor per illam obiecta vera, ac chymærica, vel fabulas, quas minime enuntiat, neque affirmat; vnde non significat res vt sunt in conceptu mentis, non solum Logico affirmatiuo vel negativo, sed neque grammaticali vocis activæ vel passivæ, quia indifferens est ad vtrumq́, ac proinde nec potest per se gerere munus subiecti, & prædicati formalis; multó autem minus quando coniungitur cum vocibus,

vel

vel scriptura; quia tunc se habet sicut signa muta, seu res ipsæ obiecti væ, quæ non possunt facere sensum, & concordantiam cum adiunctis vocibus, vel scriptura; neque dialecticam per modũ subiecti, & prædicati, neque grammaticalem (in qua fundatur dialectica) per modũ partis orationis; cum non possint declinari per casus, vt sensum orationis, componant. Licet enim pictutæ adiungatur, Ly *est leo* v.g. indifferens tamen est pictura, vt sub inteligatur ingenitiuo, vel datiuo vel ablatiuo, & sic omnino mutetur sensus propositionis: vt singula consideranti patebit. Et eadem indifferentia gaudent res per se, etiã coniunctæ vocalibus prædicatis, nisi exparte subiecti voces aliquæ sub intelligãtur, vel suppleãtur per signa, [vt contingit in Mutis;] quibus determinetur casus, & sensus; & tunc ipsis nutibus, & signis subiectum formale propositionis componatur. E contra tamen voces etiam non significatiuæ, cum natæ sint, siue datæ á natura ad res obiectiuas, nõ vt cumq ie significandas, sed prout cõceptas in mente, ex se, & per se habent, & valent varios illos sensus, & modos concipiendi designare. Vnde licet indeclinabiles sint [vt etiam *genu verum* &c.] se accommodant significationibus casuum iuxta verbum adiectum, & iuxta illud formalem significationẽ variant, illaq; proinde vt Termini formales induunt: vg. *Blictiri syllabæ sunt tres: Blictiri continet ratio signi.* &c.

15 Replic. iuxta Aristotelem supra n. 8. vocibus vtimur; quia res in medium afferre non possumus ad loquendum de illis: ergo quando illas afferre possumus in medium, vt contingit in Muto, & in pictura &c ipsæ se habebunt, vt voces, & Termini formales.

Resp. dist. ant. & conseq. Quando res adduci possunt in mediũ, vt se ipsas repræsentent, vt in mente conceptas, seu modo quo conceptæ sunt, vt contingit in Blictiri, & in Mutorum signis, & nutibus, quæ æquivalenter voces sunt, nec non in picturis vel in symbolis, quæ se habent vt characteres (sicut inter Sinas) & concordantiam grammaticalem ac logicalem servant; *concedo*. Quando tantum se habent vt res, se ipsas nude sumptas significantes, *nego*.

16 Obij. 5. iuxta Arist. 1. de Interpert. c. 4: *Oratio* (sub qua continetur propositio) *est vox cuius partes separatæ significant*. Vnde, & dicitur composito modo significativa, quia ea, ex quibus componitur consignificant. Ergo Termini, & partes ex quibus componitur consignificatiuæ esse debent.

Resp. hæc omnia saluari solá significatione naturali vocis, non significatiuæ ad placitum. Vel dic, non omnem propositionem esse orationem, sicut etiam è converso.

17 Obij. 6. Suppositio seu significatio vocis pro se ipsa dicitur materialis, ergo quia tunc se habet vt Terminus materialis, non formalis.

Resp.

Resp. neg. conseq: sed ideo materialis suppositio dicitur, quia per eãm significationem reflexam sui, idem terminus est materialis, & formalis.

Sect. 3. Obiectiones ex P. Quiros.

18 Obij. 7. Vox non significat naturaliter seipsam: ergo ex ea naturali significatione terminus formalis nunquam esse potest. Antecedens multis sparsim probat P. Quiros:

10. Quia sic redderetur æquivoca omnis prædicatio prædicati, conuenientis tam voci quam obiecto significato per ipsam: v.g. *Homo est ens cognoscibile &c.*

2. Quia cur nõ posset prolator dicens: *homo est animal*: affirmare de ipsa voce, licet falso, illud prædicatum, si semel se ipsam significet?

3. Quia vox *Prolator*, seu *loquens*, licet ex natura sua significet loquentem, nihilominus indiguit placito hominum, vt ipsum loquentem tanquam Terminus formalis significaret; ergo pariter quævis vox, licet se ipsam naturaliter significaret.

4. Si Blictiri solum seipsum naturaliter significaret, non esset capax vt, addito Ly *omne Blictiri*, suam significationem extenderet ad omnes voces similes.

5. Non minus significat vox quævis, etiam *Blictiri*, proferentem ipsum, quam se ipsam naturaliter: sed proferentem non significat vt Terminus formalis: alias dum de Blictiri affirmaretur esse vocem, affirmaretur de proferente: Ergo.

6. Quia singulæ litteræ, & syllabæ vocis *Blictiri* se ipsas naturaliter significarent. Ergo cum dicitur, *Blictiri est sonus*, non est cur potius de tota voce, quam de aliqua parte verificaretur, nisi subintelligatur *Hæc dictio &c.*

7. Quia vnio, *est*, vt vnio non potest supponere naturaliter pro se, vel voce: ergo nec subiectum, & prædicatum formale, vt tale.

8. Quia alias possent esse simul subiectum, & prædicatum voces non significativæ: Quomodo autem tunc propositio aliquid significaret?

9 Quia Similiter caracteres scripti, & motus v. g. digitorũ, & risus, gemitus, vel suspiria, &c. naturaliter se significarent, & se haberent vt termini formales, dicendo v.g. post emissum suspirium: *est exhalatio mœroris*; item post scriptum *A*, vel, ✠ *est littera*, vel, *est adoranda*; & ita etiam consequenter picturæ, contra dicta *à num.* 14.

19 Resp neg. antec. Ad 1. probat sicut in vocibus innumeris æquivocis tollitur æquivocatio per adiuncta prædicata, vel per circunstantias, ex quibus dignoscitur intẽtio loquentis; v.g. dum dico, *Scipio est ens corruptibile* &c. ita in præsenti: ex Regula *dis.* 13. *n.* 12.

20 Ad 2. Similiter posset quis affirmare de *Scipione duce*, quod esset *baculus*, nec ideo tollenda est duplex significatio arbitraria vocis *Scipio*, quia potest proferens falso alterutra abuti: pariter ergo.

21 Ad 3. nulla vox significat loquen-

tem, vt obiectum naturaliter, sed vt causam suam; vnde vox *prolator*, ad significandum prolatorem vt obiectum eget arbitrio hominis; at se ipsam significat vt obiectum singulare naturaliter, & ideo ad se ipsam significandam, non eget arbitrio; sicut, & quævis alia vox, nisi tantum ad se ipsam, sub nomine alijs ad placitum communi (v.g. *vox.*) designandam.

22 Ad 4. Sicut *cognitio vt sic* sive *omnis cognitio*, ratione vniversalitatis extenditur ad omne obiectum cognoscendum signate, licet exercite singulæ cognitiones non extendantur ad omne obiectum; ita *Blictici vt sic*, siue *omne Blictiri*, virtute præscisionis, siue vniuersalitatis potest extendi ad omne Blictiri signate reflexe significandum, licet singula non nisi se ipsa exercite, & naturaliter significent, secundum singulares rationes huius, & huius *Blictiri*.

23 Ad 5. constat ex n. 21. & ex n. 4. quod vox diverso modo significat proferentem, quem vt causam; ac res ipsas, quas vt obiecta, sive doctrinaliter significat; & ideo has tanquã terminus formalis obiectivũ & ita se ipsam etiam, repræsentat; proferentem vero non ita, & ideo de illo prædicata doctrinaliter non verificat.

24 Ad 6. Sicut quando dicitur, *vox est sonus*, secundum ipsum P. Quiros, non limitatur prædicatum ad vnam syllabam, licet singulæ sint soni, quia ex modo assumendi terminum *vox*, per modum vnius, denotatur absque alia voce subintellecta, quod de tota illa prædicetur sonus; ita quia similiter per modũ vnius subijcitur Ly *Blictiri*, de toto verificatur prædicatum.

25 Ad 7. neg. Paritatem, quia significatio vnionis Logicæ consistit in esse enuntiationis; quod voci, *est*, aut vlli alij convenire naturaliter non potest; è contra significatio sui in esse vocis, soni, &c. naturaliter conuenit cuiuis voci, quia quævis est anatura sua sonus, vox &c. Vnde secundum eam significationẽ, naturaliter subijcitur, & prædicatur, quia secundũ illam quævis vox se ipsam notificare potest, ac proinde vt subiectum, & prædicatum tam formale quam obiectivũ se habere.

26 Ad 8. concedo voces *non significatiuas* simul posse assumi, & se habere in propositione, tã vt formale, quam vt obiectivum prædicatum, & subiectum; v.g. *Blictiri non est sindapsus*: quæ propositio sufficienter à significatione vnionis diceretur tota significatiua, sicut homo a sola vnione genita totus dicitur genitus: maximè cum etiam significativi, saltem naturaliter, esse etiam Termini.

27 Ad 9. Licet totum concedant RR. plaudente P. Quiros n. 24. nego tamen in primis quod motus (nisi quando se habent vt signa facientia concordantiam orationis, & locutionis, v.g. micantibus digitis, vt vocant) & consequenter nec risus, gemitus, suspirium, & similes motus facientes sonum non locutivum, qui

(qui logicè voces non sunt cum etiã sint muta, & mutis animantibus naturaliter conveniant) se habere possint vt termini formales, cũ seruare non possint concordantiam propositionis, neque orationis, vt de pictura, & rebus obiectiuis dixi *à num.* 14. Et hac ratione suspirium solum erit subiectum formale, sub intellecto Ly *Hæc* v.g. *Hæc est exhalatio angoris:* sicut subauditur in pictura, & alijs signis mutis.

28 Circa caracteres, nota singulare discrimen eorũ a vocibus, quod hæ sunt á natura sua signa conceptuum rationis, vnde possunt perse facere concordantiam rationalem cũ sensu orationis, & propositionis; at caracteres seu scriptura [vt ostendam *Tract.* 6.] solum sunt signa conceptuum mediate quatenus sunt immediata signa vocum; cumque harum signa sint arbitrariè, consequenter sensum, & concordantiam orationis scriptæ seruare non possunt, nisi in quantũ arbitraria signa sunt. Vnde in propositione, *Aest littera.* se habet A, vt signum arbitrarium pro se, vt repræsentante talem syllabam vocalem, & media illa se ipsam: solum que esset signum purè naturale sui si nudaretur significatione arbitraria, & se haberet, sicut triangulus, vel Crux delineata, quibus tanquam signis mutis adderetur inscriptio, *est trilinealis*, vel, *bilinealis*: vbi sub intelligeretur ex parte subjecti, *Hæc figura*, siue, *hæc pictura*, vt faceret sensum, juxta dicta n. 14.

DISPVT. XI.

Vtrum Terminus vocalis sit proprie Terminus Logicus?

1 PRIMA sententia affirmat, quia putat, Propositionem vocalem tam esse propriam quam ipsam mentalem. Ita RR. cum P. Maça *disp.* 2 *sect.* 1. Bonesp. *tr.* 7 *log. disp.* 1. *du.* 2. quibus fauet antecessor P. Quiros hic *disp.* 2. *s.* 2. & *d.* 9. *n.* 33. Citant pro se Cardin. Tolet, hic, & Caramuel. *in Log. vocali*, quia recipiunt diuisionem Termini in *mentalem, vocalem, & scriptum*; & ita possent omnes Summulistas, qui solum generaliter loquuntur, de proprietate non soliciti. Citant etiam eos, qui propriam veritatem vocibus concedunt cum P. Suarez, & propriam adorationem cum Card. Lugo; de quo *num.* 11 & 14. Citant denique P. Lyncæum statim laudandum, quia *num.* 25. concedit probabilitatem.

Sect. 1. conclusio negans.

2 Secunda nostra sententia negat voces esse propriè Terminos logicos, cum P. Hurt. *d.* 1. *sum. s.* 3. & *d.* 1. *Log. n.* 39. P. Arr. *s.* 2. *n.* 10. P. Peñaf. *d.* 9. *q.* 3. *n.* 13. P. Ovied. *p.* 2. *n.* 1. P. Lync. *lib.* 6. *tr.* 3. *n.* 21 P. Compt. *d.* 3. *log. s.* 1. *n.* 7. &c.

Supponendum, proprium Terminum logicum esse non posse, nisi respectu propriæ propositionis; quia impropria propositio est impropria prædicatio, vnde denominare nequit proprium prædicatum, & sub-

ectum, sicut improprius color nequit denominare proprium colorantum, v. g. in Iride. Terminus autem logicus cum nihil aliud sit, quã subiectum, & prædicatum, consequenter vt vocalis propositio proprios terminos logicos non habeat, probandum erit, quod non sit propria prædicatio, & propositio: Et

3 Probatur Primo. Quod est denominativè tale ab aliquo extrinseco, sive extraneo denominante, propriè, & simpliciter tali, denominatur impropriè tale. V.g. quia statua & Pictura solum est Rex denominative á Rege, quẽ repræsentat, improprie Rex est. Item vrina dicitur improprie sana, quia denominatur á sanitate propria hominis. Ita etiam actus externus, v g. saltatilis, impropriè liber est; quia solum est liber denominativè á voluntate interna, proprie libera. Ratio: quia quod alterius extranei proprium est alienum alteri est; quod autem est, alienum non potest alteri esse proprium, Sed propositio externa, sive vocalis, & scripta, propositio est tantum denominativè extrinsecè, á propositione interna intellectuali denominante, sibi extranea, quæ propriè, & simpliciter est propositio, id est, enuntiatio, siue affirmativa, sive negativa. Ergo externa propositio solũ improprie talis erit. Major & conseq. constant.

4 Minor ostenditur. Quia voces solum sunt propositio, ex arbitrio extrinseco hominum, illas instituentiũ ut ad humana commercia, & colloquia, manifestent seu supponant, & substituantur, pro interna propositione mentis; eo modo quo similiter institutæ sunt vt manifestent, supponant, sive substituantur pro obiectis; si enim has voces, *Petrus est homo*, ad alios actus v. g. apprehensionem, sicut, & ad alia obiecta manifestanda, vel etiam ad nullos, & nulla, instituisset Respublica; nec propositio, nec repræsentatio talis obiecti essent. Ergo sicut vi illius institutionis, eæ voces solum denominativè extrinsecè sunt *Petrus*, & *homo* ab obiecto suo; ita erunt denominativè extrinsecè propositio ab interna propositione; & consequenter impropriè, sive representativè.

5 Prob. 2. Licet quis pronuntiet propositionem affirmativam externam, illa tamen verè, & propriè affirmativa non est, nisi simul affirmationem internam habeat, vt contingit in mentiente, qui voce tenus affirmat. Ergo propria formalis affirmatio sive propositio externa, tam vocalis quam scripta, per ipsam internam intellectualem essentialiter constituitur; ac proinde se sola propriè propositio non est. Conseq. liquet, quia id, quo tantum ablato, nõ manet constitutum, est essentiale constitutivum; inde enim cognoscimus animam esse essentiale constitutivum hominis, quia illa sola ablata per mortem a corpore, homo non manet. Antecedens ostenditur.

Primò: Quia quando quis ignarus linguæ latinæ pronuntiat propositiones latinas, v. g. si legat librum

hæc

hæreticum, à nemine dicitur, quod lector ille per vocales propositiones propriè, & simpliciter affirmat; aliàs propriè; & simpliciter hæreticus esset. Sed non alia ratione, nisi quia caret interná affirmatione, quá exterior redditur simpliciter affirmativa. Ergo.

6 Secundo, paritate consensus externi, qui verus, & proprius non est, ablato interno voluntatis, vnde non sufficit ad constituendum verum matrimonium: ergo paritet assensus externus, sive affirmatio, sine interno intellectus, non erit verus, & proprius.

Tertio. Negatio externa fidei per voces, sine interna intellectus, licet peccaminosa sit contra præceptum fidei, non tamen est propria, & vera negatio; vnde per illam fides non amittitur, nec fit quis simpliciter infidelis, vt contigit in S. Marcellino. Ergo

Quarto. Votum, & juramentum assertivum, pure externum, non est propriè & simpliciter tale, vnde neque obligat perse apud Deum, licet sit contra præceptum Religionis, aut veracitatis: ergo pariter enuntiatio, & assertio pure externa. Vt autem reijciantur effugia de voce, de quibus in *obiectionibus*;

7 Prob. 3. a priori. Quia sumus in quæstione de Nomine, in qua juxta Arist. 2. *Topi. loquendum est cum pluribus*: sed hactenus omnes DD. præter dati, præter Bonaspem, ita sunt loquti, vt propium nomen Propositionis solis actibus mentis ac comm odent. Ergo

Confirm. Quia omnibus absonaret, si quis diceret in libris scriptis, v. g; S. Thomæ, tam propriam existere scientiam Theologicam, & Philosophicam, quam in ipsius mente; imo perfectius, quia in scriptis esset in actu, in mente vero solum in habitu: cum semel admissa propositione æquè propriá, consequens sit, & scientiam, quæ propositionibus cóstat aut fit, non minus propriam asserere. Ergo

Sect. 2. obiectiones.

8 Obij. Primo Multa quæ sunt extrinsecè talia conueniunt propriè, & simpliciter, in ratione talis, cum talibus intrinsecè. V. g. Pater, & generans in creatis extrinsecè talis, cú Patre æterno intrinsecè Patre, & generante: Signum ad placitum, extrinsecè signum, cum signo naturali intrinsecè significante. Ergo licet voces extrinsecè sint propositio, possunt propriè conuenire cum mentali, in esse propositionis.

Resp. 1. diffing. anteced. Extrinsece talia conueniunt propriè cum intrinsecè talibus, si ab his non denominentur in esse talis, vt contingit in Patre creato respectu Patris æterni. *concedo*; si denominentur ab intrinsecè tali, vt contingit in propositione vocali, respectu mentalis; *nego*.

9 Resp. 2. non dubitari, quod quando ad propriam rationem denominationis se habet materialiter, quod ab extrinseco, vel ab ab in-

trin-

trinseco illa proueniat, poterunt simpliciter conuenire, quæ illam siue extrinsece, siue intrinsecè participant: sic enim æque propriè cognitum est obiectum, quod extrinsecè cognoscitur, ac cognitio reflexa quæ a se ipsa intrinsecè cognita est: & ita cõtingit in principio operãte, quod cũ sua actione identificatur (vt etiam Pater æternus idem est cum sua activa productione, & relatione ad filium) quo cum alia principia extrinsecè operativa conuenient; quia ad veritatem infinxus, sive dependentiæ termini producti a producente, materialiter se habet, quod sit, vel non sit producenti intrinseca; nõ minus quam ad rationem cogniti. Fortasse Id ipsum euenit in ratione signi, quod æque ducit in cognitionem significati, siue intrinsicè, sive extrinsecè connexionem cum illo induat: quod tamen sublite est. At ratio enuntiationis per se formaliter petit modum intrinsecum tendendi per intentionalẽ resolutionẽ, & sententiam judicialem, vnum de alio statuentem, quod non potest actvi ab extrinseco conuenire, quia est prædicatum tendentiæ vitalis, imo intellectualis; non minus quam ratio volitionis, seu consensu, quæ ideo non potest propriè participari a vocibus.

10 Obij. 2. Propositio vocalis cõuenit cum mentali, *in ratione signi assertivi identitatis prædicati cum subjecto*: ergo in hac ratione potest salvari ratio propriæ affirmationis, & propositionis, vtrique communis.

Resp. nego antecedens, quia in ratione *assertivi*, conuenire non possunt; quia vocalis solum est assertio impropriè, & denominatiue extrinsecè a mentali. Solum ergo in ratione *signi identitatis*, cõuenire ad summum poterunt; sed vocalis erit signum simplex per modum apprehensionis, non vero per modum compositionis enuntiativæ, quia hoc proprium est prædicationis mentalis.

11 Obij. 3. Propositioni vocali conueniunt proprietates propositionis propriæ, scilicet veritas, & falsitas, atque oppositio; ergo est propositio propria.

Resp. nego anteced. quia veritas, & falsitas propria propositionis, est illa, qua simpliciter verum scimus, aut fallimur, in quibus vera oppositio, & repugnantia versatur; eæ autem qualitates solum in mente reperiuntur. Vnde vocibus solum conuenit quædam simplex veritas, & falsitas, per quandam similitudinem simplicem obiecti, per quam *vera effigies*, dicitur imago bene picta: & hæc non est propria propositionis, nec affert propriam oppositionem: neque amplius vocibus creditur a P. Suarez *disp. 8. Metb. s. 6, n. 2.* P. Lyncæo *l. 10. log. tr. 2, n. 39.*

12 Obij. 4. Obiectum proprie denominatur cognitum, & amatum ab extrinseco actu; ergo voces propriè denominari possunt affirmativæ ab affirmatione mentis.

Resp. nego conseq. quia bene potest vnum denominari extrinsecè

ab

ab alio propriè; non potest tamen propriè denominari ꝑ extrinsecè aliud, quia nihil potest propriè esse aliud: si autem voces essent propriè affirmativæ, essent proprie affirmatio; quod cum sit proprium, & essentiale prædicatum propositionis mentalis, longe aliud est a vocibus: non secus ac esse proprie Cæsarem longe aliud est ab imagine Cæsaris.

13 Obij. 5. Quando quis mentitur per propositionem vocalem, hæc habet suam veritatem, vel falsitatẽ enuntiativam; sed non a propositione mentali, quia it contra mentem, ac proinde non habet in mente propositionem, quam habet in voce: ergo perse, & a se habet veritatem vel falsitatem enuntiativam, atque adeo esse enuntiationem.

Resp. enuntiationem, v. g. affirmationem vocalem mentientis, habere tantum vim affirmativam apparentem vt actualem, & suppositivè posibilem; quatenus supponit, vel supponitur actu a loquente, pro propositione posibili mentis, quasi actuali; & in hoc est falsitas suppositionis, sive inordinatio mendacij, quia designat in mente affirmationem, quæ non est: sufficit autẽ quod sit posibilis, vt ab ea veritatem vel falsitatem enuntiativam accipiat, cum pro illa supponat, vel supponatur, vi suæ significationis: quia ea est natura veritatis, & falsitatis, vt actualitatem actus non requirat; nunc enim actu falsa est omnis propositio posibilis affirmans, *quod nunc existit Antixtus*, propter vim intellectus faciendi sibi præsentes omnes veritates. De quo *dis.* 14 *s.* 1.

14 Obij. 6. adoratio propriè reperitur in solis vocibus, vel signis externis, vnde qui simulatè Idolum adorat, propriè adorat: ergo pariter affirmatio &c.

Resp. Primo: anteced. negatur á Sapientiss. & pijssimo quondam nostro Provinciali P. Leonardo Peñaf. *disp.* 25. *de Incarn. sect.* 1. *n.* 26. cũ P. Suarez, P. Vazq. P. Arr. &c. Quia actio interna est velut anima cuiuscumque virtutis, vt pote rationalis. *Secundo*: concesso anteced. cũ Card. Lugo *d.* 33. *de Incarn. num.* 14. Nego paritat, quia adoratio ex S. Damasc. definitur, *nota internæ summissionis*; vnde cuiuis signo sive externo siue interno submissionis internæ, per se soli conuenit, quod sit adoratio: at propositio non consistit in sola nota, seu signo enuntiationis internæ, quod purè conuenit vocibus. Addit Card. externa, & bene; quod licet adoratio sine interna sit falsa, ex defectu conformitatis cum interna; non est tamen falsa, ideest impropria, quia in hoc sensu est propria, & vera; sicut propositio vocalis falsa, est propria, & vera propositio (intellige, *vocalis*:) neque amplius fauet Cardinalis primæ sententiæ.

15 Obij. 7. Imago Christi D. vg. propriè est adorabilis per denominationem extrinsecam, ab adorabilitate propria obiecti. Ergo ita propositio vocalis erit propria propositio, licet per denominationem extrinsecam a mentali.

Resp.

Resp. distinguendo duplicem adorabilitatem, sicut, & adorationẽ, cum laudato P. Leonardo, ex consensu DD. aliam *absolutam*, qua perse, & ab intrinseco persona sancta est adorabilis; aliam *respectivam*, qua adoratur respectiue imago, propter obiecti sanctitatem. Hæc adoratio, & adorabilitas respectiva solum conuenit propriè imagini, nõ vero illa absoluta aqua denominationem distinctam accipit; sicut propositio vocalis accipit esse propriè propositionem externam, & quasi respectivam, sive representatiuam ab interna; quia est diversa denominatio ab ea quæ internæ conuenit, scilicet esse propositionem simpliciter. Quod autem in esse propositionis simpliciter respectiua cum interna, siue absoluta (vt ita dicam) nõ conueniat; econtra tamen adoratio, & adorabilitas respectiva cũ absoluta; prouenit ex eo quod adoratio, & adorabilitas cõtenta sit prædicato signi, & signabilis, vt nuper dixi, quæ proprie communis est vtrique; econtra vero propositio requirit essentialiter predicationem, quæ solum in mẽtali propie reperitur; quia contenta sit ratione signi.

16 Obij 8. Significatio vocis cõsistit formaliter in voluntate instituentis signa; ergo ab hac institutione habet propositio vocalis significationem enuntiativam, non vero extrinsece ab enuntiatione mentali.

Resp. Ex dicendis *tract. 6.* significationem vocum esse duplicem; aliam *in actu primo*, quæ prouenit formaliter ab institutione; aliam *in actu secundo*, quæ prouenit ab exercitio suppositionis; scilicet quod hæc vox *leo* supponatur, & substituatur a nobis obedientibus legi, & institutioni, tanquam imago leonis, media qua loquamur", ac si vox illa esset leo; & hæc denominatio significationis in actu secundo sumitur extrinsece ab ipso obiecto significato, sicut quod statua sit Rex sumitur à Rege repræsentato. Cum ergo vi huius significationis propositio externa sit propositio in quantum est imago interna, ratione institutionis, erit denominatiue extrince talis à propositione interna, sicut vox *leo* est vt quo denominatiue leo ab obiecto suo.

17 Obij. 9. Verbum oris tale dicitur a verbo mentis; vel econversu hoc ab illo, vt varie tenent DD. sed, nihilominus conueniunt in esse proprij verbi; ergo pariter licet propositio vocalis dicatur a mentali &c.

Resp. si concedatur maior, nego minorem cum S. Thoma 1 *p. q.* 34 *art.* 1. P. Suarez *lib.* 9. *de Trinit. c.* 2. *n.* 10 P. Uazq *disp.* 141. *n.* 27. &c. Si vero concedatur minor cum P. Amico *disp.* 26. *de Trinit. n.* 13. & alijs, nego maiorem; Quia perse vtrumque verbum conuenit in esse signi expressiui obiectorum, a dicente prolati.

18 Obij. 10. Hæc vox *signum ad placitum* est proprie signum adplacitum; sed tale est quia repræsentat signa ad placitum, nimirum quia aliquid ad placitũ repræsentat; ergo pariter

pariter propositio vocalis, quia repræsentat mentalẽ poterit esse proprie propositio.

Resp. Conc. mai. neg. min. quæ plena est æquivoco: nihil enim est propriè tale, quia repræsentet quod proprie tale est, imo ideo impropriè tale esset; vt de prædicato formali dixi d. 2. q. 3. Vnde Ly *signum ad placitum*, proprie tale est, præcise quia significat ad placitum, non vero quia signum ad placitum significat; licet enim quidluis aliud significaret arbitrarie, proprie signum ad placitum esset.

19 Obij. *Vndecimo* sacrificium, & juramentum Dei veri conuenit cum sacrificio, & juramento idoli siue dei improprij, in esse proprij sacrificij, & juramenti; vnde suo juramento obligantur Idolatræ, & eodem ritu vtuntur in sacrificijs. Ergo pariter poterunt conuenire in esse proprij termini, mentalis, & vocalis, licet ille sit propriæ, hic impropriæ propositionis.

Resp. Si tantum velint voces eo sensu esse terminos proprios propositionis impropriæ, litem fore de voce. De antecedenti variant DD: quia putant, non repugnare proprias denominationes respectiuas, licet connotata extrinseca aliquarum sint impria: v.g. cognitio chimeræ conuenit cum cognitione entis, in esse representativo obiecti, licet vnum obiectum sit proprium, & aliud improprium. Negant tamen consequẽtiam, & paritatem ad connotata intrinseca: quia caput hominis veri, & caput hominis picti nõ conveniunt in esse capitis humani. Evidentius nego, quando forma denominans vnius est propria, & alterius impropria; v.g. color apparens cum colore reali; & talis est prædicatio vocalis apparens, quæ cum mentali propria conuenire non potest; ac proinde nec termini, quos denominant, simpliciter conveniunt.

DISPVT. XIIJ.

De multiplici Diuisione Terminorum.

1 HAC tenus disputaui quid sit Terminus, sive de quidditate per definitionem prædicatorũ essentialium illius: nunc quotuplex sit per Diuisionẽ in suas species, sive per secundum modum sciendi, erit disputandum.

Sect. 1. *Vbi de Termino* Communi.

Dividitur primo Terminus in prædicatum & subiectum: quæ definita manent *disp.* 2. *n.* 4. & est adæquata diuisio, quia nullus terminus propositionis est possibilis, qui vel prædicatum, vel subiectum non sit.

2 Diuiditur secundo Terminus, in *formalem*, & *obiectivũ*, qui ea *disp.* 2. *n.* 7 explicati sunt. *Formalis* subdiuiditur in *Mentalem*, *vocalem*, & *scriptum*, juxta triplicem propositionem, quam componunt; quæ propria diuisio Termini nõ est, ex *disp. præced.* Subdiuiditur rursum formalis in *directum*, qui rem *distinctam a* termino formali repræsentat, v.g. *Lapis*, *homo*; & in *reflexum*, qui [illegible]

se, vel saltem supra cognitionẽ, aut formalem terminum sua repræsentatione reflectit; v. g. *cognitio, Terminus, conceptus*, &c. Mentalis etiam subdiuiditur in *vltimatum*, & *non vltimatum*; hic dicitur, qui notitiam obiecti non vltimam sed, quasi superficialem; & quoad nomen, tantũ exhibet; ille vero qui penetrat notionem entitatis, vel quidditatis rei.

3 Diuiditur Tertio, & principaliter Terminus in *communem*, & *singularem*. Communis est, qui *est communicabilis pluribus*; v. g. animal quod cõmune est homini, & bruto. *Singularis*, qui *est incommunicabilis pluribus*, vt hic numero *Petrus*. Vbi notant DD. terminum logice communem, media vnitate communitatis, debere multiplicari in pluribus, quibus conuenit. Vnde *Ciuitas, exercitus*, non est Terminus communis respectu ciuium, vel militum, quos continet, quia in singulis non multiplicatur: econtra respectu ciuitatum, vel exercituum, in quibus multiplicatur ea ratio. Idem euenit in Termino copulativo, *Petrus, & Paulus, & Ioannes* &c. qui non est communis, licet conueniat pluribus, quia tota ea collectio non multiplicatur in singulis, sicut multiplicatur *anima, homo* &c.

4 Quæstio 1. *Vtrũ Terminus, Omnis homo, sit cõmunis? Affirmat* Hurt. n. 49. quia nõ est singularis, nec particularis, cum faciat propositionẽ vniuersalem, si te habeat vt subiectum; ergo est communis.

Nego cum reliquis DD. *Tum* quia ideo *Ciuitas* terminus communis non est, licet plures ciues contineat, quia singulis non conuenit; sed non conuenit singulis quod sit *omnis homo*; ergo pariter. *Tum* quia juxta omnes DD. terminus particularis *aliquis homo*, est communis, licet non faciat propositionem vniuersalem, sed particularem, quando se habet vt subiectum; & idem est de termino disiunctivo, *Petrus vel Paulus*, &c. Econtra vero licet terminus copulativus distributivus, *Petrus, & Paulus, & reliqui*, faciat propositionem vniuersalem, non est terminus communis, quia non conuenit singulis: vniuersalitas enim subiectiva, ex qua sumitur quantitas propositionis est quasi materialis; formalis enim (in qua consistit communitas termini) sumitur a conuenientia pluribus per modum prædicati communis.

5 Vbi nota 1. contra Hurt. terminum *hic homo*, similiter communem esse, quia omnibus, & singulis conuenit; maximè cum nihil aliud sit quam ratio *Individuati humani*, quæ juxta ipsum Hurt. *d. 5. log. n. 59.* potest ab individuis omnibus præscindi. 2. Quod ad rationem termini cõmunis nõ requiritur existentia plurium, sed sufficit possibilitas; & ita *Sol* est terminus communis ad possibiles, & existentem.

6 Quæst. 2. Vtrum terminus *Deus* sit communis? Negant, cum *Mag. Sent.* in 1. dist 19. plerique DD. cũ & apud P. Vazq. 1. p. d. 123. & P. Ruiz d. 79. de Trin. sect. 2. Quia licet Deus sit communis pluribus

Per-

Personis, non tamen vt pluribus in esse Dei, quia *Deus* non multiplicatur in illis, sicut *homo* in individuis.

Affirmant Thomistæ communiter cum Joann. de S. Thom. q. 8. Logicæ art. 3. Quia putant logicè communem Deo vero, & fictitio, sive impossibili.

7 Medius incedo cum P. Ruiz *sup* & P. Zuniga q. 28. de Trinit. d. 3. dub. 11. Affirmans esse Terminum communem Theologice, & quasi physice. *Tum* quia Deitas, & Deus est physice communis per identitatem cũ pluribus Personis. *Tum* quia non est terminus omnino singularis; alias ex identitate Personarum cum illo inferretur identitas Personarũ inter se. *Negans* tamen esse Terminum communem logice. *Tum* quia non multiplicatur in esse Dei. *Tum* quia si communitas respectu impossibilis sufficeret, nullus erit terminus singularis, quia Petrus v. g & quivis alius communis fingi potest respectu Petri possibilis, & impossibilis, de quo *Tract. 5.* dum de specie immultiplicabili.

8 Terminus communis subdiuiditur 1. *in transcendentem*, qui suis in inferioribus vsque ad differentias imbibitur; & vulgo notantur dictione, *Reabau*, & illo dystichico *ens, vnũ verum, res, aliquid que, bonum.* In *non transcendentem*, qui differentias inferiorum non penetrat: v. g. *animal*: & in *supertranscendentẽ*, qui omni enti, & non enti cõmunis est, vt ratio *termini, obiecti*, &c.

9 Subdiuiditur 2. in *vniuocum, æquivocum, & analogum*: ex Arist. *cap. 1. de Prædicam.* Ex quo Vniuocus est *cuius nomen est commune, & ratio significata per nomen omnino eadẽ*, id est, similis seu conueniens pluribus secũdum eamdem definitionem: v. g. *animal*, quod secundum eamdem definitionem *viuenti sensibilis*, Bruto & Homini conuenit.

10 Æquivoca sunt, *quorum nomen est commune; ratio vero significata per nomen, est omnino diversa*; id est, diversæ rationis, & definitionis: v. g. *canis* terrestri, æquoreo, & cælesti, secundũ diversas definitiones sub eodem nomine conueniens. Æquivoca, alia sunt *a casu*, quando casu idẽ nomen diversis imponitur, vt *Gallus* incolis Galliæ, & Gallinaceis: & ita nomen *Petrus* pluribus Petris conueniens, æquivocum esse potest; licet vlurpetur communiter pro *hoc numero Petro*, vt terminus singularis. Alia sunt æquivoca a consilio, ratione alicuius proportionis, aut similitudinis, vt *risus* prati, & hominis; quæ confundi solent cum Analogis.

11 Analoga itaque sunt, *quorum nomen est commune, ratio vero significata per nomen partim eadem, & partim diversa.* Vnde sunt quasi media, & mixta ex vniuocis, & æquivocis; de quo *Tract 5.* important enim rationem obiectivam, in qua analogata simpliciter conueniant, & aliam in quá simpliciter differant. v. g. *risus*, vt communis prato, & homini, importat vim exhilarativam, in qua analogantur prati, & risus noster conueniunt,

ueniunt; nec non & speciales differentias vnius cuiusque exhibaratiui. Dicuntur autem analogata, sicut etiam æquivocata, ea quæ in nomine analogo, sicut quæ in æquivoco, conueniunt: ipsum vero nomen analogans, & æquivocans solent appellari.

12 Duplex regula circa vtrumque a Summulistis traditur. Prima pro æquivocis, *Talia esse prædicata, qualia exiguntur a subiectis, & è cõuerso.* Si enim dicas, *canis sciatillat*, intelligitur de cælesti; si dicas *latrat*, intelligitur de terrestri; & sic de alijs; sumitur que ex *S. Th. q. 7. de verit, art. 5. ad 3.* Secunda, pro analogis, vt absolute sumpta, pro famosiori, siue principaliori analogato intelligantur, v.g. *risus*, pro humano: & traditur a S. D. in *1. dist. 9. q. 1. a 1. ad 2.* Omnes autem obseruant, quoà diuisio hæc ad Terminum cõmunem secundum voces præsertim spectat, quia æquivoca, & analoga non sunt vnus terminus communis, nisi voce tenus, quia obiectivè plures conceptus, seu rationes, & definitiones important.

13 Subdiuiditur 3. Terminus cõmunis, in superiorem, & inferiorẽ *Superior* est, qui latius patet, qui plures species, vel genera subsè continet; *inferior*, qui minus late patet seu pauciores continet species: v.g. *viuens* superius est *animali*; item *substantia* superior, quia latior *viuenti*, cum non viuentia contineat. Ex quibus generis infimum, dicitur proximum speciebus, supremum vero remotissimum.

14 Subdiuiditur 4. in excedens & excessum: quando duo termini communes, ex vna parte latius, ex alia minus late patent ad invicẽ: quæ etiam dici solent genera sub alternatim posita; vt *viuens* & *corpus*; nam dantur etiam viuentia non corporea, & corpora non viuentia. Et hic absoluitur diuisio *Termini communis* quæ præcipua est negotij dialectici, vt pote necessaria ad definitionem, diuisionem, & argumentationem scientificam, quæ tota de vniversalibus, & prædicamentalibus est, & in ijs omnino versatur.

Sect. 2. de Term. Categorematico, finito, &c.

15 Quarta celebris Diuisio Termini est in Categorematicum, & Syncategorematicum. *Categorematicus* est, qui perfectè significat perse sive se soto, vel quando subjicitur, vel quando prædicatur: v.g. *homo, animal*, & quod vis nomen substantiuũ imo etiam adjectivum specialis significationis, quia licet hoc non perfectè significet ex parte subiecti, v.g. *albus est homo*, contra tamen vt prædicatum, v.g. *Homo est albus*. *Syncategorematicus*, latinè *consignificativus*, est, qui se soto perfectè non significat, neque vt subjectum, neque vt prædicatum, sed semper eget altero consignificante, vt perfectum sensum faciat; & talia sunt adjectiva significationis communis modificativæ, vt numeralia, & relativa, quæ solum ampliant aut contrahunt significationem termini adjuncti v.g.

omnis

omnis, nullus, aliquis, quivis, qui, alter &c. quibus si non adatur alius terminus, hæret significatio, v. g. si dicas *omnis currit* vel *currens est omnis*. Huc etiã pertinent adverbia, & casus obliqui, v.g. *valde, Petri, Petrum*, &c. quibus nihil perfecte exprimitur. Vnde ineptè aliqui eos vocant *Terminos Mistos*; cum nihil habeant mistum de *Categoremate*; perpetuò enim consignificative, sive imperfectè significativi sunt. Licet enim adverbia temporis, & loci videantur per se prædicari, v.g. *Deus est nunc, semper, vbique* &c. ideo est, quia subintelligitur prædicatum *existens*, cui adjacent.

16 Quæst. 3. *Vtrum adjectiua omnia Syncategorematica sint?* Affirmant P. Hurt. *Sect.* 10, *n.* 38. & P. Arr. d. 1. n. 24. limirans, *partim.* Quia significant adjectiuè, & consequenter consignificatiue cum eo, cui adjacent; nec minus hæremus, cum dicitur, *albus*, quàm cũ dicitur, *omnis*.

17 Nego cum reliquis DD. Quia loquendũ est cum pluribus: qui solum appellant *Syncathegoremata*, quæ numquam perfectè significant; sed specialia adjectiua aliquando perfectè significant, scilicet, vt prædicata ex *n.* 15. ergo. Vnde etiam, Ly *Syncathegorematicus*, exercite Categorematicus erit, licet non signate iuxta *disp.* 5. *num.* 9.

18 Obij. Etiam, *Syncategoremata* communia, aliquando vt prædicata perfecte significant: v.g. *Petrus est aliquis: Deus, & creatura sunt, omnia omnis homo pictus est nullus*: Ergo pariter &c.

Resp. nego antec. Subintelligenda enim sunt ibi; *aliquis homo, omnia entia; nullus homo*: quando verò dicimus, *Homo est albus*; a nemine repetitur *homo albus* ex parte prædicati; quidquid dicat P. Oviedus.

19 Quinta divisio Termini est in infinitum, & finitum. *Infinitus* qui & *infinitans*, qui indeterminate significat omnia alia ab eo, quem determinate negat; v.g. *non homo*, omnia alia ab homine distincta in infinitũ significat. *Finitus*, sive *finitans* est, qui sine hac infinitate, & indeterminatione significat, vt *homo, lapis* &c. Ex quo fit 1. non posse infinitari terminum supertranscendentem communem enti reali, & rationis, quia præter hæc non sunt alia, quæ significari possint; vnde *non obiectũ non intelligibile* &c, nõ sunt termini infiniti, cũ nõ possint aliquid aliud a finito quod negant, significare. Fit 2. infinitari posse syncategoremata, v.g. *Non omnis, non aliquis* &c. Licet; quia facit sensum æquivocum, si præponatur verbo quævis negatio (reddit enim propositionem negativam, vt dicam *num.* 22. aut æquivalentem negativæ; quia *non omnis* & *aliquis non* sibi æquivalent; sicut etiam *non aliquis* & *nullus*;) clarior fiet infinitatio illa, si postponatur verbo, v.g. si de Petro currente dicas, *currit non omnis*, idest, *qui non est collectio omnium*: & de hircocervo, *repugnat non aliquis*, idest *qui non est aliquis*. Vt sit.

20 Quæst. 4. *Vtrum Terminus transcendens, v.g. ens, negari infinitari?* Negant

gant Alb. M. Card. Tolet. & Masſius q. 5. apud Lyncæum, quia per *non ens* nihil ſignificatur, cum nihil ſit præter *ens*.

Affirmo cum M. Soto 2. *ſum. c. 1. not. 6.* PP. Conimb. *c. 4. de orat. q. 2. art. 3 ad 3.* P. Lync. lib. 3. tr. 3. n. 18 P. Quros d. 2. n. 21. P. Hurt. P. Arr. &c. Tum quia *Non ens* ſignificat omnia entia negativa, tam chymærica, quam priuationes, & negationes, quæ licet poſitive nihil ſint, obiectiuè & in eſſe obiecti ſignificabilis ſunt aliquid Tum quia in hac propoſitione *homo non eſt non ens*, Ly *non* poſterius ſumitur infinitè, alias propoſitio eſſet formaliter affirmativa per duplicē negationem; cum tamen eius contradictoria formaliter affirmativa ſit, non minus quam affirmatio cuius vis alterius termini infiniti.

21 Quæſt. 5. *Vtrum verbum poſſit infinitari?* Affirmat P. Lynceus *lib. 6. tr. 3. n. 8.* cum PP. Conimb. P. Alphonſ. & Averſa P. Comp. *d. 5. ſect. 2* P. Quiros *d. 3. n. 4. Tum* ex preſſa auctoritate Ariſtotelis, 1. Peri her. c. 3. *Tum* quia *Petrus non currit*, idem eſt, ac *Petrus non eſt currens*, ex *d. 2. n. 5.* Sed poteſt ea negatio applicari per intellectū verbo ſecundum ſignificationem participij, affirmādo *Petrus eſt non currens*; ergo tunc in infinitatur verbum, quin fiat propoſitio negativa. *Confirmo* efficaciter. Hic ſyllogiſmus: *Homo qui modo exiſtit viuit: ſed Antichriſtus non dum exiſtit, ergo viuit*: non alia ratione fallit, niſi quia Ly *nō dormit*, infinitatur, ſcilicet de non exiſtente verificari nequit. *Vrgetur* que celebri ſyllogiſmo Ariſtotelis: *Stellæ quæ non ſcintillant prope nos ſunt, ſed Planetæ non ſcintillant, ergo ſunt prope nos*: vbi Ly *non ſcintillant*, infinitatur, alias ex præmiſſa negativa inferretur concluſio affirmativa: quod repugnat.

22 Nego tamen cum S. Thom. 2. *Perih. c. 2.* Albert. M. Boet. apud Conimb. P. Hurt. d. 3. n. 12. P. Arr. d. 2. n. 7. M. Ioan *Th. q. 3. a 2.* &c. *Tū* quia rationes adductæ ſolū probant, infinitari verbum ſecundum ſignificationem participij ſeu prædicati, *non currens*, *non dormiens*, *non ſcintillans*, hæc autem eſt infinitatio in eſſe termini, & nominis, non vero in eſſe verbi, neque amplius voluit Ariſtoteles. *Tum*, quia negatio afficiens verbum vt verbum, afficit ipſum, vt enuntiativum, ſive vt involuens enuntiationem (quod eſt eſſentiale verbo ſive perfectè, ſive imperfectè enuntiativo) ſed negatio afficiens enuntiationem facit enuntiationem negativam; ergo non purè infinitam, quæ affirmativa eſt. *Tum* demum, quia juxta omnes, verbum *eſt* non poteſt infinitari, quia præciſe per adjunctum *Non*, fit negativum; ſed in omni verbo vt tali includitur copula *eſt*, *ex diſp. 4 n. 9.* ergo verbum vt tale non infinitabitur, ſed fiet negativum per Ly *Non*.

23 Ex quo fit 1. ſolū verbū infinitari extra enuntiationem, ſed quatenus non enunciativum, vt *in* Modo qui propterea dicitur infinitivus, v. g. *non moveri eſt quieſcere*. 2. Quod licet in mente infini-

tui-

finitari posit secundum participiũ, seu prædicatum; adhuc dubitatur a P. Arr. & P. Suare Lus. *tr. 6. n. 411* an in vocibus de facto infinitetur; quia hoc pendet ex arbitrio imponentium significationem voci *Non*. Verum syllogismi adducti *num. 21.* ostendunt de facto infinitari secundũ vocẽ *Non* participio applicatã.

Sect. 3. Reliquæ Termini diuisiones.

24 Sexta diuisio, in *Complexum*, & *Incomplexum*. Complexus est qui ex Terminis simplicibus, proprias significationes ingredientibus complexione aliqua resultat. Vnde fit 1. quod Ly *Terminus* nõ sit cõplexus, quia quã eius partes *ter*, & *minus* nõ ferunt significationes proprias. 2. Requiri plures significationes, ac proinde non sufficere synonimas. 3. Quod complexio possit esse per quamlibet grammaticam concordantiam, vt inter adjectivum, & substantivũ v.g. *homo doctus*; inter rectum, & obliquum, v.g. Rex Hispaniæ; aut vi conjunctionis, & disjunctionis, v.g. *Petrus, & Paulus*; *vel Petrus vel Paulus*; atque etiam vi enuntiationis sive perfectæ, sive imperfectæ, quando integra propositio, aut oratio est terminus, vt *aiunt*. 3. diximus. *Incomplexus* est terminus simplex e rebus prædicta compositione aut complexione.

25 Obij. ex P. Ovied p. 3. n. 8. *Blictiri*, & *ipsadpsas*, est terminus complexus, & tamen nulla eius pars totum retinet significationem cum illa careant, ergo.

Resp. singulas retinere suam significationem naturalem sui. *Replicas* eo modo etiam *Blictiri* erit terminus complexus, quia singulæ syllabæ illius se ipsas significant. *Resp.* Vel concedi in *non significativis*, solas singulas syllabas fore terminos incomplexos; vel id pendere a modo concipiendi per modum vnius nominis; ita autẽ tota vox *Blictiri*. non vero singulæ illius partes concipi solent.

26 Septima diuisio in *connotativum, & absolutum*: qui dupliciter explicantur; vel ex obiecto, vel ex modo tendendi. Ex obiecto explicat Poncius *n. 17. connotativum*, qui relativa significat, vt *Pater, filius, Dominus, servus, similе, æquale* &c. è contra *absolutum* qui absolura, vt *homo, ens*. Ex modo tendendi frequentius explicantur; *connotativus*, qui ita significat, vt semper adjacea alteri, ipsum que connotet, vti se habent nomina adjectiua, *albus, justus*, &c: *absolutus*, qui ita non connotat, neque adjacet, vt nomina substantiva, *homo, albedo*, qui etiam accidens significant per modum substantiæ per se stantis.

27 Octava divisio in *Concretum, & abstractum, & substractum*. Concretum, quod se habet per modũ compositi, vt *album, homo*. Abstractum quod per modum formæ, a qua sumitur nomen, sive denominatio, vt *albedo, humanitas*. Substractũ, quod nomen seu denominationem accipit vt *paries* fit albus; *persona* est homo. Multiplex autẽ est concretum, vel *extrinsecum*, i.e. per denominationem

nem

nem formæ extrinsecæ, vt *visum, cognitum*, à visione, & cognitione obiecto extrinseca. Vel *intrinsecum* a forma intrinseca: & hoc tripliciter. 1. A forma physicè vnita, *vt album* ab *albedine*, & est *concretum physicum*. 2. A forma metaphysicè obiectiuè distincta, vt *Deus a Deitate*, & dicitur *concretū metaphysicū*. 3. A forma solum penes expressionem, seu vocem indistincta, vt *ens* ab *entitate*, & dicitur *concretum logicum, siue secundum dici*.

28 Nona diuisio, in *denominātiuū*, & *denominantem*, quæ cum præcedenti coincidit; concretum enim *iustus, albus*, dicitur denominativū, siue denominatio; quia participat nomen a forma abstractum vero *iustitia, albedo*, dicitur forma denominans; subiectum autem dicitur denominatum.

29 Decima diuisio in *Rectum*, qui est casus Nominativus, rectè seu directe componens sensum propositionis; & *obliquum*, qui est alius quivis casus nominis, indirectè sensum faciens.

30 Vndecima, in *Reduplicatiuum* cui adjungitur aliqua huiusmodi reduplicatio, *inquantum, prout, quatenus*, &c. & constituit reduplicatū in recto; v.g. *homo vt spiritualis est aeternus*, idest *spiritus hominis est æternus*: & in *specificatiuum*, qui ea reduplicatione caret.

31 Duodecima in *Primo intentionalem*, quo significatur res secundū esse reale, quod primo obijcitur intentioni, v.g. *Homo, animal*: & in *Secundo intentionalem*, quo significatur secundum aliquam denominationem a modo concipiendi mutuatā, v.g. *speciei, generis*, &c.

32 Decima tertia, in *Collectiuum* qui plura in recto in vnum per accidens aggregata significat, vt *Ciuitas, exercitus*: & *non collectiuum*, qui non significat collectionem, vt *Rex, Ciuis*.

33 Decima quarta, in *Determinatum*, qui determinatè significat, vt *Petrus, Paulus*; & in *Indeterminatum* qui significat indeterminate, vt *Petrus, vel Paulus; aliquis homo*, dicitur *indiuiduū vagū*. Vbi notant P. Hurt. & P. Arr. totam indeterminationē te habere ex parte modi significandi, non ex parte rei significatæ, quia res se nper determinatè existunt. Bene quidem, quoad determinationem in *actu secundo*, siue in actu existendi quia quicquid existit, determinatè existit, nō ita tamen quoad *actum primum*, quia potest dari realis indeterminatio causæ in actu primo, v. g. in voluntate, vel potentia libera ad actū; & ita indeterminatio illa; *Aliquis equus requiritur ad equitandum; aliquis oculus ad videndum*; realis est & non in solo modo concipiendi, quia prouenit a potentia indifferenti in actu primo, ad equitandum, vel videndum, hoc, vel illo equo, & oculo.

34 Decima quinta, in *Positiuum*, qui significat entia realia vt *Deus, homo*; & *Negatiuum* qui carentias in subiecto incapaci, v.g. visus in lapide; & *priuatiuū* qui ipsas in subiecto

iecto capaci v.g. cæcitatẽ hominis, *tenebras* aeris, significat. Posset etiã ab obiecto in omnia prædicamẽta, & entiũ genera denominatiue diuidi Terminus: atquetiam in *realem*, & *modalẽ*; quia multiplex est modus varius, & æquivocus significandi modum, quo prædicata conueniunt subiectis, vt *formaliter*, *materialiter*, *perse*, *per accidens*; &c. quorum diversos sensus alphabetico ordine P. Peñafiel, & alij tradiderunt; sed vsus plura docebit.

35 Postremo Termini pluraliter dividuntur, in *Pertinentes*, & *Impertinentes*. Hi sunt, qui neque se inferunt, neque se excludunt, sed concomitanter se habent, vt *Musicus ædificans*. Pertinentes sunt; vel *se quelà*, quia se inferunt, tum mutuò, vt *homo*, *risibilis*, tum non mutuo, vt *homo*, *ergo animal*, non ècõuerso: vel *repugnantia*, quia se excludunt; & hi quadrupliciter: relativi, vt *Pater*, *Filius*: privativi; vt *visus*, *cæcitas*: negativi sev contradictorij, vt *possibile*, *impossibile*; contrarij, vt *album*, *nigrum*. Satis vero, ne impertinentibus Terminis simus impertinentiores.

DISPVT. XIV.

De Propietatibus Termini.

1 POST Quæstiones an sit, quid sit, & quotuplex sit, sequitur *Qualis sit* Terminus, a suis qualitatibus, & proprietatibus, quæ decem solent numerari: *Suppositio*, *ascensus*, *descensus*, *ampliatio*, *restrictio*, *status*, *alienatio*, *remotio*, *diminutio*, & *appellatio*, eæ vero omnes sunt aut species, aut affectiones suppositionis; vt patebit.

Sect. 1. de suppositione.

2 Quæst. 1. *quid sit suppositio?* Resp. vix inter DD. vnum cum alio in ea definienda conuenire. Quinque definitiones P. Lynceus *lib. 3. tr. 4. c. 1*; no nẽ vero P. Olcina num. 2484 rejiciunt; ipsi ante omnes rejiciendi: quod in Lynceum præstat P. Arr. *auct sect. 6.* Olcinas vero sic definiens: *est acceptio termini pro executione alicuius muneris*; refutãdus est 1. Quia obscurus: quid enim illa executio, qua facit Terminum fidelem executorem? 2. Quodnam munus illud, adeo confusum per Ly *alicuius*; cum definitio clara esse debeat? 3. Ita sufficeret munus significandi (si quodvis, vel aliquod sufficiat;) cum tamẽ diversum sit a munere supponẽdi; vt statim dico.

3 Definitio ergo sumenda est ex Aristotele, cũ Caiet. Toleto *l. 2. sum. c. 1.* sic ajente: *Suppositio est vsus vel acceptio Termini pro se vel significato suo: quia vt ait* Aristot. 1. Elench. *cum res in medium adducere non possimus, voces pro illis substituimus.* Unde sic definio: *est substitutio Termini pro significato suo.* Nec addo, *vel pro se*, cum Toleto; tum quia disjunctio propria non est definitionis, sed divisionis: tum quia Terminus, vel vox pro se supponit, vt se ipsam significat, reflectens per formalitatem signi supra se, vt significatum Dicitur *substitutio*, vt distinguatur a pura *significatione*, cum S. Th. 1. *p. q. 39. art. 4. ad 1.* ajente: *Non oportet, quod nomen Deus se-*

per supponat pro essentia, quam significat: vbi aperte vtramque separat ac distinguit: & ita tradunt Thomistæ cum Ioan. Th. l. 2. c. 10. nostrisque antiquoribus, & ex RR. P. Oviedo, & Lyncee, *infra*.

Probatur quæ contra Caramuel in *Gram. aud. n.* 21 P. Arr. P. Quiros, &c. ex differentia signi *purè significativi*. v.g. *Rami ante tabernam*, quiest signum vini vendibilis; non tamen pro illo substituitur, aut supponitur, & ideo dici non potest, quod *ramus sit vinum*. Econtra vero signum *attributivum*, per modum imaginis, v.g. statua, vel pictura Regis, non solum significat Regem, sed etiam pro illo supponitur, vel substituitur, ad attributionem eorum, quæ tribuuntur Regi; vnde de illa dicimus esse Regem, cū illa quasi cum Rege loquimur, veneramur &c. Ita ergo se habent voces, velut politicæ imagines, pro significato suo substitutæ; vnde de voce *Rex*, *vt quò*, repræsentativè enuntiamus, quod de Rege ipso dicere volumus; imo vocem *Rex* derecto capite veneramur; multò magis nomen *Iesu*, per latriam respectiuam, vt ex Apostolo *Philip.* 2. tradunt DD. & hæc *substitutio* jure dicitur *suppositio*, a pura significatione differens, licet ipsam includens. Hinc

4 Fit 1. voces supponere, seu supponi, tam pro conceptibus, quam pro rebus (quidquid de rebus contradicant P. Hurt. & P. Arr.) quia substituuntur vt imagines pro vtrisque; nec minus verificatur de voce *Rex*, quod sit repræsentativè *Carolus*, &c. quam quod sit *apprehensio* vel *conceptus* simplex; sicut etiā de propositione vocali, *Carolus est Rex*, quod sit *judicium affirmativum*. Ergo attributivè supponitur pro vtrisque. Licet fatear cum P. Arr. præcipue supponere pro conceptibus, quia pro rebus non supponit, nisi vt conceptis; licet præcipuè significent res, quia non verificat prædicata, nisi de rebus: de quo *tract. 6.*

5 Fit 2. inutiliter defatigari RR. nostros, quærendo aliud munus præter dictum *imaginis*, ad quod substituantur voces, scilicet munus cauſandi ſpeciem ſeu notificandi alijs conceptus, & res conceptas. Contra enim 1. Quia hoc munus non est proprium conceptuum, qui natura sua occulti sunt alijs, & vix in statu separationis, aut in Angelis, possunt notificari per speciem sui: sicut etiā occultæ sunt res vt conceptæ, pro vt ita substant vocibus. Ergo non supplent voces in ea notificatione munus proprium conceptuum, aut rerum vt conceptarum. 2. Hoc munus est pure physicum, & materialiter se habens ad suppositionem vocum; vnde licet res, & conceptus essent incapaces producendi speciē sui, sicut chymæra, tam bene voces significarent, & supponerent pro illis, quam hodie pro ipsis, & pro Chymæra; quia Respub. non curat ea munera physica, pro vocū significatione, & suppositione.

6 Obij 1. Qui mentitur per propositionem vocalem, caret mentali

quia

quia fit contra mentem: ergo tunc vocalis non supponit pro mentali; & tamen gaudet sua eadem suppositione, ac si vera esset.

Resp. ex dictis *d.* 12 *s.* 2. *n.* 13. supponere pro mentali propositione possibili, quæ saltem apprehenditur a mentiente, & ideo est falsa suppositio, quia illam designat vt existentem in mente, cum sit purè possibilis; sicut etiam propositio, *Petrus currit*, quando est falsa, supponit pro cursu possibili, sed quia nõ exist tenti, vt etiam supponit, est falsa.

7 Obij. 2. Cum per voces exprimuntur affectus; v.g. *Amo te Deus meus*: nõ supponunt neque pro conceptibus, neque pro obiectis; ergo.

Resp. juxta *varias sent. DD.* vel substitui pro affectibus, sicut pro conceptibus, vnde eæ voces dicuntur *actus amoris*, tanquam huius imago; eo modo quo dũ reflexe alios actus mentales exprimimus, v.g. *Credo, assentior* &c. vel significari immediate conceptum mentis, reflexum supra affectum illum voluntatis, vt supra obiectum; vnde & pro hoc vt obiecto, & pro reflexione vt cõceptu, supponent voces

8 Quæst. 2. *Vtrum Termini mentales supponant pro obiectivis?* Affirmant P. Peñafiel d. 1 q. 2. a n. 31. P. Lyuc. c. tr. 4. 16. &c. *Tum* quia sunt imagines obiectorũ. *Tum* quia causant speciem pro obiecto.

9 Nego cum P. Hurt. d. 2, s. 1. n. 8. P. Oviedo p. 4. P. Arr. n. 52. &c. *Tum* quia non quæcumque imago naturalis supponitur loco signati, vt signum attributivũ, substitutum à loquentibus; alias filius ita supponeret pro Patre, & diceretur *Pater*, sicut imago Regis dicitur Rex; quia hoc dependet ab humana institutione: alias etiã Termino mentali deberetur adoratio sicut vocali nomini *Iesu*, &c. Tum quia munus causandi speciem impertinens est, ex num. 5. & hinc patet ad *fundamenta contraria*.

10 Obij. Suppositio est proprietas Termini; sed mentalis proprius est Terminus logicus, ergo gaudet ea proprietate. Idem *argum.* fit pro obiectivo.

Resp. Terminis mentali, & obiectiuo conuenire *suppositionem* correlatiuam respectu vocũ. Pro quo distinguenda est duplex correlativa suppositio, *actiua*, & *passiua*, vel *quasi*: & vocibus data jam *passiua*; restat pro mentalibus, & obiectiuis *actiua*. Probatur: Primo. Quia eo ipso quod vicarius Episcopi v.g. supponatur pro Episcopo, necessario Episcopus *quasi actiue* supponit Vicarium pro se seu loco sui, & ita ẽ per terminus pro quo aliquid supponitur, *quasi actiue*, vel *terminatiue*, necessitate correlationis supponit pro se tale suppósitum, vel substitutum; & ipsi termino conuenit *actiua* vel *terminatiua* suppositio. Ergo dũ voces passivè supponuntur pro conceptibus, & obiectis significatis ipsa significata quasi activè vel terminative supponunt pro se, siuè ponunt loco sui, ipsas voces, vel signa. Quod multis exemplis imaginum,

& Commissariorum posset declarari; etiam cum a supponente non designantur, sed á Papa, vel Rege, vg.

11 Secundo. Quia ita saluatur receptissima locutio omnium Doctorum, qui passim dicunt quæstiones esse *de subjecto non supponente*, quando per voces existens supponitur obiectum, quod eo modo obiective non est; v g. *Chymæra distat, vel non distat ame*: vbi supponitur existens Chymæra, & ideo vtraque pars contradictionis est falsa, quia est de subjecto non supponente. Ergo juxta omnes DD. obiectum, sive subiectum obiectivũ, aliquo sensu *actiuo* supponit, seu gaudet Termini suppositione; non est autem alius, nisi explicatus.

12 Tertio ex communi loquendi modo, quo dicimus, esse Personas magnæ, vel nullius suppositionis, hitpanè, *supone mucho, no supone, no tiene suposition esse sujeto* &c quia sub propriis suis nominibus magnam, vel nullam auctoritatem supponunt, *& quasi actiuè* incitudunt.

13 Dixi toties, *quasi actiue vel passiue*, quia non omnino approbo secundum nostrorum RR. cum P. Hurt P. Arr. P. Alph. ex P. Fons. improbantium, communem antiquorum loquendi modum, tribuentem vocibus suppositionem actiuam; dum passim dicunt, *voces supponere pro rebus vel conceptibus*; & enuntiationes falsæ suppositionis vocant, *de subiecto non supponente*. Licet enim in strictiori sensu voces *passiuè supponantur*, non potest negari in alio sensu proprio *actiuè supponere*; tum quia *se ponunt* pro obiectis, & conceptibus significatis; tum quia illa etiam *sub se ponunt*, vt de significatis ipsis loqui possimus: & huic sensui actiuo ex parte vocis, seu signi, correspondebit passivus ex parte significati, vt hoc *ponatur* sub vocibus, sive supponatur in illis. Quæ antiquæ locutiones probandæ maxime sunt, quia ita loquitur Princeps Scholarum S. Th. 1 p. q. 39. a 4. & 5. vbi inquirit, an *nomina essentialia abstracta, & concreta supponant pro diuinis Personis*? Et vtitur pro Nominibus ea voce actiua *supponere*, tertio quoque verbo.

14 Quæst 3 *Vtrum suppositio conueniat Termino extra propositionem*? Negant Thomistæ cum M. Ioan. Th. *hic l. 2. c.* 10. P. Lynceus cap. 2. &c. *Tum* quia est propria Termini; terminus autem juxta *disp.* 10. extra propositionem non datur *Tum* quia est substitutio, ad enuntiandum de imagine; ergo intra enuntiationẽ. *Tum* quia omnis significatio vocum est æquivoca, vel prose, vel pro obiecto, aut etiam pro diversis obiectis, vt *Canis*; & in propositione determinatur, vt pro hoc potius, quã pro alio supponat.

15 Nego cum P. Hurt. P. Arr. P. Oviedo P. Quiros & nostris communiter, *Tum* quia suppositio non est propria Termini logici vt talis; alias propriior esset mentalis, sed vt locutini, & ad locutionem externã ordinati, vt constat ex dictis. *Tum* quia licet substitutio illa sit in ordine ad enuntiãdũ, potest conuenire

alic

ante exercitium ipsum enuntiationis; sicut significatio vocis ad ipsũ ordinatur, & tamen antecedit; & sicut suppositio imaginis, quæ ordinatur ad cultum, antecedit illum. *Tum* denique; quia non minus æqui voca est significatio vocum, quam suppositio, nec minus vna quam altera determinatur in propositione; & tamen significatio extra illam præcedit, solum que determinatio significationis fit per prædicationẽ; ergo pariter per eandem fiet solum determinatio suppositionis.

16 Quæst. 4. *Quotuplex sit suppositio?* Resp. omissa suppositione impropria, vt cum de crudeli homine dicitur, quod *sit Nero*: propriam tripliciter diuidi:

Primo in *materialem*, seu reflexam, cum vox se ipsam significat, v. g. *Homo est vox, est nomen. Blictiri est terminus* &c; & in *formalem*, seu directam, cum pro re distincta supponit, aut supponitur, v.g. *Homo est animal*

17 Secundo: alia est *personalis*, significans rem secundum ea, quæ realiter physicè ipsi conueniunt, siue essentialiter, vt *homo est animal*; siue accidentaliter, vt *Petrus currit*. Alia *simplex*, quæ significat rem prout subest denominationibus secundo intentionalibus. v.g. *Homo est species, animal est genus*, &c. Vbi P. Hurt. P. Arr. P. Alph. obseruant simplicem suppositionẽ non haberi in denominatione *cognitì*, quia realiter *Petrus cognoscitur*, sicut *currit* &c. Quod difficultate non vacat, quia ratio *generis, speciei*, &c nihil aliud sunt, quam ratio *cognitì præcisivè*; ergo æque vtraque personalis erit, aut simplex.

18 Tertio, vel est *singularis*, pro termino singulari. Vel *communis*, pro communi; & hæc est quadruplex. *Distributiua*, quando sumitur pro singulis contentis sub termino communi, v.g. *Homo est animal*; id est, *& hic & ille homo, &c, est animal. Copulata* quado non pro singulis; sed pro tota collectione accipitur, vg. *Apostoli sunt duodecim*; nõ tamẽ singuli duodecim sunt. *Determinata* est cõmunis, quãdo terminus indeterminatè, siue disjũctiuè sumitur pro prædicato determinato, v. g. *aliquis homo currit*; vnde in aliquo determinate debet verificari. *Confusa*, quando æque indeterminatè ex parte subiecti ac prædicati supponit, v.g. *aliquis equus requiritur ad equitandum*; atque adeo *neque hic, neque ille* determinatè, sed *quivis* indeterminate; quia solum significatur indeterminata connexio inter causam, & effectum, vt dixi *d. præced.* 33.

19 Suppositio *distributiua*, alia est *pro singulis generum*, quando terminus communis pro omnibus suis singularibus sumitur, v.g. *omne animal viuit*: alia *pro generibus singulorum*, quando pro vno singulari ex quolibet genere, v.g. *omne animal fuit in Arca Noe*; idest, aliquod ex singulis speciebus animalium. Alia etiã dicitur *absoluta*, quæ nullam patitur exceptionem. v.g. *omnis homo est*

mer-

mortalis: alia *cum exceptione*: quæ illam patitur, v. g. *omnes in Adam peccaverunt*: exceptis Xto D. & Beata Virgine D. N.

Sect. 2. de reliquis Termini proprietatibus.

20 Secunda proprietas est *Ascensus*, qui est *Progressio ad universale à singularibus sufficienter enumeratis*. Cuius defectu non valet: *S. Petrus, S. Ioannes, &c sunt justi, ergo omnis Apostolus est justus*; quia in antecedenti non enumeratur Iudas: imo hinc valet, *ergo non omnis &c.*

21 Tertia est *Descensus*, seu, *Progressio a Termino communi ad singularia sub illo contenta*. Vbi servanda semper erit suppositio eadem, ex n. 18. v. g. *Homo est animal, ergo, & hic, & hic, &c.* si enim varietur, descensus non valebit. Vnde a copulativa: *omnes Apostoli sunt duodecim*, non valet distributiva, *ergo S. Petrus est duodecim*, &c. Sed solum quod sit *unus de duodecim*. Ex determinata communi *aliquis* curritur, similiter nõ valet determinata particularis, sed solum, *ergo vel hic, vel ille*, &c. Ex confusa item; *aliquis oculus requiritur ad videndum*, propterea nõ valet, *ergo hic* &c. sed solum, *ergo vel hic, vel ille indeterminate*: at *determinatè neque hic, neque ille*.

22 Hinc est quod a suppositione simplici *e num.* 17. descensus non valeat, v. g. *Homo est species, ergo Petrus est species*, &c. quia suppositio termini antecedentis est præcisiua intentionalis, secundum formalitatem seu rationem communem convenienti specificam præscisè; vnde ex illa, vt ita *simplici*, non valet ad singularia, non ita præscisivè cognita, sed potius secundum *suppositionem personalem*, etiam differentialem, quam habent a parte rei.

28 Idẽ censeo ex ibi dictis, de denominatione *cogniti*; similiter enim nõ valet, *animal est cognitũ, ergo Petrus est cognitus*, quia, vt dicam *Tract. 4.* contra Nominales, cognita ratione communi, non cognoscuntur differentiales identificatæ, vi distinctionis virtualis formalitatum, faciendis distinctam suppositionem, quo adcognosci; id est simplicem. Vnde, & propterea nec valebit ascensus: *Hic homo, & hic, & singuli sunt individua subiicibilia: ergo homo vt sic est individuum subiicibile*: quia variatur suppositio simplex formalitatum. Econtra tamen valebit mutuus ascensus, & descensus distributivus, in prædicatis *personalis*, seu realis, *suppositionis*.

29 Quarta propietas; *status*, est *acceptio termini pro tempore significato per verbum præcipuum orationis*: v. g. *Petrus, qui dormivit, vigila*: status supponitur de præsenti, per Ly *vigilat*.

30 Quinta, *Ampliatio*, est extensio Termini vltra tempus verbo significatum, v. g. in propositionibus de prædicato essentiali, quas vocãt æternæ veritatis, *Homo est animal*, &c vbi per Ly *est* significatur omne tempus possibile. Huc spectat *distractio*, cum Terminus trahitur ad aliud

aliud tempus, quam verbi; v.g. *justus peccat*, ideſt, qui fuit juſtus: *Mortuus reſurgit*, id eſt, qui fuit mortuus.

31 Sexta, *Reſtrictio*, eſt contractio Termini ad minorem ſignificationem; quæ fit additione, vel adjectivi, vel obliqui, vel relativi, vel modi: v.g. *homo juſtus valde doctus filius Petri*: vbi quinque reſtrictiones accipit Ly *homo*. A reſtricto ad amplum valet conſequentia, *eſt homo doctus, ergo homo*; non econverſo, *eſt homo, ergo homo doctus*: bene tamen negativè, *non eſt homo, ergo neque homo doctus*.

32 Septima, *Alienatio*, quãdo Terminus a propria ad impropriã ſuppoſitionẽ, ſeu ſignificationẽ trãsfertur; v.g. *homo pictus*, vel *homo mortuus*.

33 Octava, *Diminutio*, quæ eſt detractio ſignificationis, ab abſoluta ad ſecundum quid, per aliquod additum diminuens; vt cũ Aethiops dicitur *Albus ſecundum dentes*. Vbi notant, neque ab *alienato*, neque a *diminuto*, valere conſequentiam ad terminum abſolutum; v.g. *eſt Leo marmoreus, ergo leo*: *eſt albus ſecundum dentes, ergo albus*; ſed potius oppoſitam: *ergo nec leo, nec albus* ſimpliciter. Quare autem homo á naſo naſutus, ab vnione genitus, & corruptibilis dicatur abſolutè, tandem modo loquendi vertendum eſt; de quo alibi.

34 Nona *Remotio*, eſt, implicatio Termini, contra ſuam ipſius ſuppoſitionem, quæ ſolet appellari *implicatio in terminis*, v. g. ſi dicas, *equus rationalis ſaluabitur*. Equus enim ſupponitur *irrationalis* per ſuam eſſentiam, quam removes ſupponendo eſſe *rationalem*. Et ex hac ſuppoſitione dici ſolet, quod ſequitur *quodlibet contradictorium*.

35 Decima, & vlti. propr. eſt *Appellatio*: quaſi vltimus gradus appellationis ſophiſtarum, quæ eſt *applicatio vnius termini ad alium*: cũque duplex ſit propoſitionis terminus, conſequenter eſt duplex, & æquivoca ſæpe appellatio: alia *formalis*, quãdo applicatur terminus prædicato, v.g. *Plato eſt magnus Philoſophus*. Alia materialis, quando applicatur ſubiecto: v.g. cum de Philoſophaſtro precèri corporis dicitur, *eſt Philoſophus magnus*. Hæc vero diſtinguenda eſt ex circunſtantijs magis, quam ex regulis, quas hic (vt & circa omnes prædictas proprietates) Summuliſtæ multiplicant, vſu potius, quam inutili ſtudio addiſcendas.

DISPVTAT. XV.

De Nomine, Verbo, & Oratione.

1 AB Equis ad Aſinos, a Dialecticis ad Grammaticos [quos puros Aſinos vocant] regrederemur, de orationis partibus diſputaturi; niſi Dialecticè, non purè grammaticè, eſſet agendum cum Philoſopho 1. *Periherm. c.* 2. 3. & 4.

Sect. 1. de Nomine.

Quæſt. 1. *Quid ſit Nomen?* Reſp. dupliciter definiri. Primo ſtricte, &

Dico

Dialecticè ab Aristot. *est vox ex instituto significativa sine tẽpore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta, quæ adiuncto est, vel, non est, efficit orationem veram vel falsã.* Quæ definitio, vt obseruant cum S. Thoma PP. Conimbric. P. Fonseca, P. Alphonsus hic, conuenit solũ Nomini substantivo, secundum rectum seu nominativum: excludit enim sex genera dictionum.

2 Primo, per Ly *ex instituto* excluditur *vox non significativa*; quia Nomen debet esse *impositum*, ait Aristot. secus illa.

3 Secundo, per Ly *sine tempore* excludit *Verbum*, quia hoc significat *cum tempore*. Vbi cum Aristot. & S. Thom. notant PP. Cõimb. q. 2. *art.* 4. aliud esse *significare tempus*; aliud *cum* vel *sine tempore*. Nomina enim etiam significant tempus, vt *Annus, Dies, Tempus, Prandium, Cœna* &c. Et similiter, verbũ pure substantivum, *est*, non significat tempus, maxime in propositione æternæ veritatis. Significare vero *cum tempore* non pertinet ad obiectum, sed ad modum significandi, quasi tẽporalẽ imbibitũ in ipsa significatione flexibili, & cõiugabili Verbi per tẽpora de *præsenti, præterito, & futuro*. Vnde potest esse diversũ tẽpus in significato, ac in significatione Verbi; v.g. *dies hesterna est præterita: Antichristus est futurus*; vbi per verbũ de præsenti significãtur ex parte obiecti, tempus præteritum, & futurum. Et hic modus significandi *cum tempore* excluditur a Nomine, per Ly *sine tempore*.

4 Tertio Excludit vox *infinita* vgl *non homo*, per Ly *finita*; quia non explicat quid res sit, sed quid non sit; Nomen vero debet esse quasi *Notamen*, quo res nota fiat, ait S. Thomas.

5 Quarto excludit Terminus *obliquus* per Ly *recta*; quia *non sunt* (ait Aristotel.) *nomina, sed casus nominis*; Item, si *addideris est, vel erat veluti*, Philonis est, *nondum verum est, aut falsum*. Vbi notant PP. Conimbr. cum S. Thom. solum dixisse Philosophum, *addito verbo, est*, non vero *verbo*; quia cum alijs verbis *obliqua* vocalia possunt esse recta in mente: v.g. *Petrũ pœnitet peccati*, idem est ac *Petrus agit pœnitentiam*. &c. Et sic cessat scrupulus P. Quiros *disp.* 2. *n.* 29.

6 Quinto per Ly *cuius partes* &c. excluditur non solum Oratio, sed etiã terminus cõplexus: vg. *homo doctus*; Tũ quia hic non est nomen, sed Nomina. Tũ quia singulæ vtriusque partes separatæ significãt, extra complexionem, idem, quod intra; econtra nomen *Armiger, Proconsul* &c cuius partes, licet separatæ significent, non tamen idem quod coniunctæ.

7 Sexto per ly *quæ adiuncto est &c* excludit nomina adiectiva, sicut & adverbia, quæ addito solo *est*, sensũ perfectum, verum, vel falsum non faciunt, sicut obliqua; v g. *albus est*. Vnde ea iuxta Aristotel. solum sunt *cognomina*, vel *agnomina*.

Ex quibus inferes, *Nomẽ* Dialecticè

ce sumptum, esse valde strictum, cum excludat terminos *adiectivos, complexos, infinitos, obliquos, non significativos.* Proprerea

8 Secunda Definitio latior, facilior, & iam vsu receptior, *est* grammaticalis, cui plaudunt Pater Hurt, P. Arriaga. P. Oleina, P, Suar. Lusitan. &c. Ex Nebricēsi; *Est vox declinabilis per casus*: quæ comprehendit etiam *non significativas*, imo & ipsa verba. secundum reflexam naturalem sui significationem, quia ita sunt declinabilia, nonminus, quã *Frit, Gelu* &c. vt, *Amo differt a Diligo*: *Amo convenit coniugatio* &c, sicut de *Blictiri* diximus *disp*, 11. n 14. & ita tradit ex Aristotele hic c. 3. S Thom. lect. 5. inquiens: *Omnes partes orationis materialiter acceptæ sunt Nomina.* Quod autem hæc acceptio lata sit propria, & Aristoteli probata patet ex c. 4 vbi vocem *infinitam* pleno ore vocat, *infinitum nomen*; vt etiam dicam de Verbo num. 11.

Sectio 2. de Verbo.

9 Quæstio 2. *Quid sit Verbum?* Resp. Dupliciter etiam definiri. Primo ab Aristot. eo c. 3: *Vox significativa ex instituto cum tempore, cuius nulla pars separata significat finita, & recta, & eorum quæ de alio dicuntur semper est nota.* Vbi constat, quod licet essent nomina non significativa vg. *Blictiri*, non tamen verbum, cuius significatio naturalis esse nõ potest. Itẽ quod ipsi sit essentiale significare *cum tempore*, ex modo tendendi, iuxta num. 3. Deinde quod non sit infinitum formaliter ex disp. 13 num. 21, Per ly *eorum, quæ dicuntur est nota*, intelligitur quod semper sit *nota prædicati*, seu *prædicatio*, non vero prædicatum, quando fuerit purè *substantiuum*, licet in *adiectivo* verbo etiã importetur prædicatum, vt dixi *d. 4 a* num. 9 & observant PP. Cõmmb. *eo* art 4 *§ his amissis* cum S. Thom. ex quo patet distinctio, & diuisio vtriusque verbi subitantivi, & adiectivi.

10 Denique per ly *recta* excludit Aristoteles à ratione verbi tempora indirecta *præteritum* & *futurũ* (quia *valuit, valebit, casus verbi sunt non verba* ait Philosophus) & á fortiori *optativa*, & *subiũctiva*, quę etiam non sunt nota enuntiandi vnum de alio; vnde ea ad *Rhetoricam* & *Poesim* reijcit c. 4.

Vbi rursum obseruo hanc esse strictam verbi *Dialectici* seu *prædicamentalis*, & ad prædicata scientiarum, quæ sunt de necessariis, pertinentis; sicut dixi de Nomine: quia in latiori significatione, non improprié etiam verbum de *futuro, & præterito*, pleno ore verbũ dicitur ab Arist ot. lib. 2 *Periherm*, 6. 1 vbi nullam propositionem esse, ait, sine *Nomine & Verbo*, aut *infinito nomine, & est, erat, vel fuit, vel erit, & quæcunque alia sint huius modi verba.* Non ergo excludit latiorem significationem verbi, sicut nominis. Unde

12 Secundo definitur à Grammaticis ex Nebric. & citatis DD, num. 8. *Est Vox per tempora coniugabilis*: vbi ly *per tempora*, optime consonat modo significativo *cum tempore*; & sufficienter, clarius que á reliquis partibus orationis, etiã participijs verbum distinguit.

13 Inferes contra P Fonsecam lib. 1 c. 14. Verbum substantivũ *est*, vt pure substantivum secundũ vtramque definitionem esse verbũ simpliciter: quia licet ex parte obiecti non significet tempus, nisi quatenus est verbum adiectivum, ex d. 4 à num. 9 attamen ex modo tendendi significat *cum tempore*, sive coniugatur per tempora, vt patet in propositionibus æternæ veritatis, vbi verbum *est* per tempus præsens, seu le præsenti coniugatur vg. *Homo est animal*, *Deus est æternus &c.* Aliqui addunt cum P. Ruiz d. 104 *de Trinit. s. 1 num. 2* per ly *o* in ijs propositionibus significari æteraitatem, quę importat omne tempus. Quod si ita esset (quod dubito in tanta præscisione significationis) non id haberet verbum *est* vt pure *substantivum*; sed vt *adiectivum*, vt ibi dixi.

Sectio 3 de Oratione.

14 Quæst. 3 *Quid sit Oratio?* Resp. ex Aristot. c. 4: *Est Vox significativa, cuius pars aliqua separata significat.* Vg hęc, *Adam est homo mortalis*: vel *Vinum Adam non appetens sed*, dicitur *vox*, licet in eo complexio vocum, quia fiunt vna, ratione concordantię grammaticalis, seu significationis congruæ; sicut sæpe nomen incõplexum fit vnũ, propter vnitatem significationis, licet resultet ex pluribus vocibus, vt *Respublica*: vnde si ea concordantia careant, non erit vna vox, sicut neque vna oratio, vg. *Antonius legebatis*. Per ly *cuius pars separata significat*, differt à voce incomplexa, cuius nulla pars separata retinet eãdem significationem.

Addit Philosophus, *vt dictio, non vt affirmatio, vel negatio*; quod optime explicat P. Alphonsus c. 4 n. 2. ita vt possit non esse affirmatio, vel negatio, pars quæ separata significat, vt in orationibus illis subiunctivis quæ nihil affirmant *Vtinam &c.* non tamen vt sit necessarium; quia ipse Aristoteles statim addit, quod ex duplici enunciatione potest fieri vna oratio perfecta. Tunc autem pars, quæ separata significat, posset esse affirmatio vel negatio.

15 Vbi nota 1 ex PP. Conimbric. cum S Tho. terminum quẽcumque complexum ab Aristotele sub oratione comprehendi, licet careat verbo; quia aliqua, imo quævis illius pars separata retinet suam significationem.

Nota 2 cum P Alphonso n 6. advertenter, à Philosopho dici sufficere ad orationem, quod aliqua pars separata significet; sufficit enim quod sit significativa vnio seu copula, licet aliæ partes solum

solum naturalem significationem habeant, vt voces non significativæ v.g, in hac oratione, *Blictiri non est syndapsus*: & similiter in hoc Termino complexo, *Blictiri & syndapsus*, sufficit quod Ly & significet 1. Quidquid alij contradicant apertæ menti Philosophi, de quo *disp.* 11. *num.* 16. & 26.

16 Scio doctos RR. ibi indicatos, judicare, propositionem constantem Terminis non significativis, orationem non esse; quia sicut imperfecta oratio non est propositio, vt dicam *n.* 18 ita neque omnis propositio erit oratio, maxime imperfectè significativa: cum etiam mentalis propriè oratio non sit, quia non est propriè vox. Sed quia hoc pertinet ad modum loquendi, & contrarius receptior est: hunc insinuasse sit satis.

17 Ex dictis fit, parum distare Grammaticas definitiones orationis quæ referuntur a P. Olcina *a num*, 2466. Scilicet, *Complexio dictionum sensu congruentium*: vel *congruè se habentium*; vel, *nominis, & verbi congruè concordantium*; vel, *consignificantium*: &c. Nisi; quod aliquæ verbum requirant, & Terminum complexũ excludant.

18 Quæst. 4. *Quotuplex sit oratio.* Resp. diuidi 1. ab Aristotele in *imperfectam, & perfectam.* Imperfecta quæ non enuntiat perfectè vnum de alio; vt apprehensiva, de qua *disp. seq. num.* 3. item *optativa, subiũctiva, infinitiva, interrogativa, imperativa*, & in vniversum *affectiva*; quam tamen P. Vazq. 1. 2. *d.* 49. non vult esse orationem, quare neque imperfectò modo enuntiat: *Perfecta* est, quæ perfectè enuntiat affirmando, & negando, quæ dicitur *Propositio*: & hanc tantum Dialectici esse instituti, dicit Philosophus.

19 Dividitur 2. in implicitã, quæ implicite in verbo nomen importat vt *Absoluo*; & *explicitam*, quæ nomina exprimit, vt ego te absolvo.

20 Dividitur 3. in *mentalem*, & *vocalem*: illa quæ conceptibus internis mentis, hæc quæ locutione externa perficitur. Vbi tamẽ est,

Quæst. 5. *an de vtraque hic egerit Aristot?* Affirmãt aliqui, quia Ly *vox* etiã mentali conceptui, qui locutio, & verbũ internũ est, potest aptari. *Negant* alij. *Tum* quia Aristoteles *cap.* 1. voces a conceptibus omnino distinguit; deinde vero *a cap.* 2. de Nomine, verbo, & oratione, secundum quod voces sunt disputauit. *Tã* quia in intellectu non datur declinatio *nominis*, & conjugatio verbi, sicut in vocibus.

21 Sentio quod licet Aristoteles de vocibus expressius hic egerit, finis tamen fuit ad mentalem conceptum ascendere: *Tum* quia *cap.* 4. rejecta oratione imperfecta, ad oratoriã & Poesim, se totũ convertit ad Propositionem, quæ in Mente consistit ex *disp.* 12. signum ergo est totum Scopum tractationis fuisse mentalem. *Tum* quia *cap.* 1. agens de signo, inquit: *Ea igitur quæ in voce cõsistunt, signa sunt.* Quod *Poetius, & S. Thomas* (inquiunt PP. Conimb.

in Text.) *mysterio tribuũt, quasi voluerit Philosophus indicare significationem* &c. Ergo intentio Philosophi in solam significationem vocum, atque adeo in conceptus significatos collimauit. *Tum* demũ, quia licet in mente non sit declinatio nominis, neque conjugatio verbi, secundum sonum, est tamen modus concipiendi, instar illius declinationis, & conjugationis, per ipsas scilicet expressus, quoad sensum. Vnde

2 Inferes, quod si velis definire rationem communissimam Nominis, verbi, & orationis: pro Lyvox, apponi debeat *signum*; quod *exdisp.* 11. *n.* 3. commune est mentali, & vocali: reliquæ vero particulæ modo significandi peculiari vniuscujusque signi possũt aptari, hunc in modum. Nomen *est signum simplex, expressivum sine tempore, per casus declinabile*. Similiter, verbum *est signũ simplex expressivum cum tempore conjugabili*. Denique, Oratio est signũ *compositum ex nomine, & verbo, sensu congruentibus*. Quæ definitiones magis accedunt ad grammaticas, quam ad Aristotelicas; quia Philosophus, egit expressius de vocibus, & in his potius attenditur vsui scholarum; Grammatici vero præcipue intendunt congruitatem sensu, quæ cum mentalibus magis congruit. & circa rem de puro Nomine, satis.

DISPVT. XVJ.

De Propositione: Quid sit definienda?

PRopositio (ad quam hactenus quasi præliminati sumus) multipliciter definitur. Octo definitiones rejicit P. Linceus *lib. 4. tr. 1.* plures P. Olcina a *num. 2511.* Aristoteles autem eo *cap. 4.* & S. Th. *ibi* nos deserunt, qui per divisionem explicarunt; Quod sit *enuntiatio affirmans, vel negans*; item, *in qua est verum vel falsum*. Ideo que P. Arr. P. Alph. & alij vnivocam definitionem tradi posse desperant. Sed

2 Prima communis Definitio est: Quod sit *oratio enuntians vnũ de alio*, sive, *dicens vnum de alio*. Quam melius explicant P. Yzquierd. d. 19, q. 1. P. Comp. d. 5. s. 3. per vocem, *aliquid de aliquo*: Quia propriè non est *aliud*, & *aliud* in Terminis Propositionis affirmativæ, quæ sæpe nec formaliter distinguntur, vt definitum, & definitio.

3 Contra tamen adhuc, quia datur *enuntiatio purè apprehensiva*, sive quæ sine affirmatione, & negatione, simplici quodam modo dicat vnum de alio; vt cum apprehendo, vel audio ab hæretico hanc propositionẽ *Deus est causa peccati*; vel quando illam nunc pronuntio, aut scribo: & similis etiam est in omni mentiente apprehensio propositionis, quã contra mentem pronuntiat. Ut cum S. Th. distinguente compositionem a judicio mentis, *q. 12. de verit art. 7.* docent Thomistæ communiter, & M. Ioan. Th. *q. 5. art. 1.* nec non cum Scoto *in 2. d. 1. q. 3.* Poncius *hic disp. 20. n. 31.* Card. Tolet *q. 19.* & nostri DD. communiter; de quo in *tib. de Anima*. Ergo non sufficienter distinguitur Propositio, per eam

definitionem, ab apprehensione quæ Propositio non est.

4 Secunda definitio P. Lyncei, *n.* 11. *Oratio incompossibilis cum alia, circa idem obiectum, ex diverso modo tendendi.*

Contra 1. quia definitio essentialis male traditur per ordinem ad proprietates, v.g. si homo definiretur, *quod est capax risibilitatis*: vel calor, *qui opponitur cum frigore*. Sed oppositio propositionũ est proprietas: ergo. 2. Quia etiam apprehensio evidens v.g. *visio lucis*, incompossibilis est cum judicio opposito, nec tamen est propositio.

5 Tertia Definitio P. Olcinæ n. 2520: *est intellectio prædicati, & subiecti constitutiva.*

Contra 1. Quia Propositio non est constitutiva vere, & realiter sui obiectivi subiecti, & prædicati, sed solum secundum eam extrinsecam denominationem subiecti, & prædicati; alias hæc propositio, *Deus est*. constitueret Deum. Quis autem non rideat quod essentia intrinseca rei definiatur in ordine ad denominationem extrinsecam, non solum accidentaliter; sed secundum dici constitutam. 2. Malè definiretur amor, quo *constituitur obiectum amatum*: tum quia esset idem per idem: tum quia in ordine ad resultantiam secundariam, & extrinsecam extrinsecæ denominationis definiretur. Ergo pariter.

6 Definitio ergo sumenda est ex Arist. 1. *Prior. cap.* 1. est *oratio enuntiativa, aliquid de aliquo resolvens.* In quam recidunt aliæ v. g. ex P. Hurtado *Oratio judicativa*: vel ex RR. nostris; *fixè, assertive, enuntiãs aut statuens*. Sed quia vox *Resolutionis*, est per quam Philosophus essentiam Termini, & consequenter Propositionis tendentiam declaravit ex d. 9. n. 5. nulla alia æque apta esse potest in re de Nomine. Cõuenit autem definitio omni definito, scilicet propositionibus tam affirmativis, quam negativis, quæ resolutoriè tẽdunt; minimè vero alijs; quia nulla apprehensio *resolvit*, nec Terminos determinativos habet (quod proprium est judicij) licet in esse *orationis* conueniat, tanquam in genere proximo, quando est *cõpositiva*.

7 Obij. 1. etiam hæc definitio laborat vitio divisionis; si enim explicatur, quid sit *resoluere*; dicetur esse vel affirmare, vel negare. Ergo.

Resp. neg. antec. Quia quid sit *resoluere*, per se notius est, quam vt egeat alia explicatione, & satis per vnum primum conceptum rei perte notæ declaratur. Quod si velimus amplius vrgere, quid sit; vel per synonima, *statuere, judicare* &c. explicandum est: vt de primis conceptibus dixi *disp.* 9. *n.* 11. vel ad alium modum sciendi est recurrendum, per divisionem. Quod sit vel *affirmare* vel *negare*; quod non tollit vnivocationem primi conceptus, vt ibidem tradidi.

8 Obij. 2. Aristoteles in definitione Termini, solum passivam resolutionẽ Propositioni cõcedit, per

Ly

Ly *resolvitur*; ergo male per ly resoluens activè, definitur.

Resp. vtramque resolutionem per ly *resolvitur* importari. Propositio enim non ab alio, sed à se resolvitur, seu *resolvit se*; vnde optimè resolvens dicitur: quod si magis placeat vox passiva, definies est *enunciatio resoluta, vel resolutiva, alicuius de aliquo*, ne fiat lis de voce.

9 Obij. 3. In mente non datur propriè Oratio, quia hæc propriè est oris, seu vox juxta Aristotelem. Ergo male assumitur vt genus in definitione Propositionis repertæ solum in mente.

Resp. Licet oratio strictissimè sumpta solũ sit vocalis; minus strictè, sed tamen propriè, imo ex mente Aristotelis, est communis etiam mentali, vt constat ex *disp. præced. an.* 21.

DISPVT XVII.

Quotuplex sit Propositio?

DIuiditur Primo in *affirmatiuã*, quæ affirmat prædicatũ de subiecto; & *negativam*, quæ negat illud de ipso, per præcipuam propositionis enunciationem, v.g. *Petrus, qui loquitur, non est dormiens*, est negativa; licet enunciatio relativa affirmet. Vide

2 Quæst. 1. *Vtrum detur propositio negativa?* Negat Caramuel a n. 1252. & 1288. *suæ logicæ* hic verè *audacis*. Tum quia omnis propositio quæ dicitur *negans*, salvatur per affirmationem prædicati negati vel infinitantis, v.g. *Petrus non dormit*, scilicet, est in lectulo, &c. Tum quia juxta Aristotelem non est alia prædicatio nisi affirmatio, vnde Prædicabile definitur *quod est affirmabile de pluribus*.

3 Affirmo ex Arist. & S. Th. cum DD. & nominatim P. Lync. eo lib. 4. tr. 1. n. 3. Anonymos quosdam Caramuelis Duces reijciente. *Tum* quia, si æquipollentia, Caramueli amicissima, sufficeret, ad expungendam propositionem negativam, quia affirmativæ æquipollentem; posset omnis propositio vniuersalis de medio tolli, quia æquivalet distributivæ singularium: item ipsa affirmativa, quia æquivalet negativæ prædicati contradictorij, *Homo est animal*, huic, *Homo non est non animal* &c. *Tum* quia similiter tollendũ erit odium in voluntate, quia est æquivalenter amor contradictorij: quod cum concedat Caramuel, non aliunde venit revincendus, nisi experimento, & testimonio omnium sapientum, imo & rusticorum, non minus, quam, si visionem oculorum negaret. *Tum* denique, quia vt suo loco dicam, nulla sunt prædicata objectivè negativa, sed illa omnia a negatione intellectuali talia sunt; ergo ex æquipollenti affirmatione prædicati negativi nõ tollitur, sed potius supponitur, negatio formalis. Hinc patet

4 Ad 1. *è num.* 2. per æquivalentiam vnius actus ad alium neutrum esse tollendum, cur enim vnus potius tollatur quam alius? Ad 2. licet prædicatio quasi pro famosiori de affirma-

affirmatione dicatur, non ideo excludit negationem enuntiativam; vt etiam oratio dicitur, ab ore, nec excluditur a mente, de quo *disp. præced. n. 9. & disp. 5. n. 8.*

5 Quæst. 2. *Vtrum hæc diuisio sit adæquata, vt nulla enuntiatio mixta ex negatione, & affirmatione, respectu diuersorum esse possit?* Affirmatiua *sententia* videtur supponi. *Negatiua* tamen probabitur, cum suo loco ostendam, posse vnum actum esse mistum *scientiæ, fidei, & opinionis*; sicut licet species viuentis sint *nutritiuum, sensitiuum & rationale*, potest dari species mista ex illis in *homine* v. g. & talis est propositio cōplexa *Petrus currit, & Ioannes non currit simul*; de quo d. seq. n. 12.

6 Dividitur 2. Propositio; in *infinitam*, quæ est de termino infinito: & *finitam*, quæ de finito. Vbi ex Aristotel. 2. *Periherm. c.* 1. notant interpretes, & P. Lynceus c. 4. ex infinita affirmativa, v. g. *Homo est non lapis*, inferri negativam finitam *ergo homo non est lapis*: & multas alias regulas eruuent, quæ facilius sine regula dignoscuntur.

7 Diuid. 3. in *Identicam*, & *formalem*, illa est, quando idem est prædicatum cum subiecto, etiam quoad expressionem, per vocem siue synonimam, siue identicam: v. g. *gladius est ensis. Homo est homo. Formalis est*, quando saltem quoad expressionem distinguitur, vt definitio, & definitum; & a fortiori Terminus communis superior respectu inferioris, qui non solum quoad expressionem, sed etiam obiectiuè virtualiter distinguitur, v. g. *homo est animal*. Vbi occurrit.

8 Quæst. 3. *Vtrum in intellectu detur Propositio identica, sicut in vocibus?* Affirmat P. Lynceus l. 4. tr. 2 n. 9. Quia omnis propositio affirmativa re ipsa est identica, cum affirmet identitatem prædicati cum subiecto.

9 Negant Anonymi PP. apud ipsum; quia subiectū, & prædicatū aliqua ratione distingui debēt, vt in illis exerceat intellectus cōpositionē. Cōpositio enim sine aliqua pluralitate Terminorū, siue obiectiua, siue expressionū cōcipi nequit. Vnde cum dicitur, *Homo est homo*; in mente, nō identicè concipietur, sed secundum conceptibilitates ratione distinctas; v. g. *Homo est, quod explicatur hac voce homo*; vel, *homo est ipsum esse hominis*. Ratio, quia aliter, nihil diceret propositio, quod per ipsius enuntiationem, menti innotesceret saltem speciali modo, ac apprehenditur; repugnat autem propositio adeo otiosa, & nihil intellectui specialiter dicens, saltem quoad modum; cum adhuc eæ propositiones vocales, quam stultæ, & minus rationales excipiantur. Quæ probabiliter satis excogitata sunt, vt d. 7. n. 5. notavimus.

10 Diuid. 4. Propositio, in eam quæ est *de primo adjacente*, de solo scilicet verbo *est*, quæ primo adjacet in omni prædicatione; v. g. *Deus est*: & eam, quæ dicitur *de secundo adjacente*, quæ adijcit vlterius aliud

prædicatum, v.g. *Deus est æternus.* Ita loquuntur docti RR. licet alij minus propriè priorem *de secundo*, posteriorem *de tertio adjacente*, appellent.

11 Divid. 5. in *Modalem, & de in esse.* Modalis est quæ afficitur *modo* aliquo, sive adverbio. *De in esse*, quæ tali affectione caret. Sed advertendum, quod *modus*, sive adverbium, potest afficere, vel subjectum. v.g. *Currens velociter fatigatur*: vel prædicatum, v. g. *Petrus currit velociter*: vel copulam, v.g. *Homo essentialiter est animal.* Et hæc posteriter est formalissima ratio modi, & reddit propositionem strictè, & proprijssime modalem; quia significat modũ formalissimum, quo convenit prædicatum subjecto afficiendo verbum, *est*, per quod talis convenientia designatur. Vnde, & proptrea tales modi, *adverbia* a Grammaticis appellantur, quia propriè semper adjacent verbo; imo etia, quãdo ex parte subjecti, vel prædicati adjiciuntur, alicui verbo subintellecto, saltem materiali, & non enuntiativo adjacẽt, vt in exemplis adductis, Ly *velociter*, adjacet verbo *currit*, saltem participialiter, vel relativè per *qui, quæ, quod*, accepto.

12 *Modalis formalis*, propositio, a quadruplici modo, quo convenire potest prædicatum subjecto (scilicet *necessario, contingenter, possibiliter, impossibiliter.*) subdividitur, in celebres illas Modales; in quibus *Modus* ipse convertitur in prædicatum, & dictum propositionis convertitur in terminum complexum sub modo verbi infinitivi, qui fit subiectum propositionis; atque ita evadit propositio ex vtroque termino Modalis. Vg. ex his propositionibus, *Homo necessario est animal, Homo contingenter currit*; &c. fit cõversio in has, *Hominem esse animal est necesse*: *Hominem currere est contingens*; & pariter fit conversio in *dictũ* infinitivũ. & Modũ *possibile, impossibile.* Vbi licet *Modi* ipsi se habeat vt prædicatũ, & cõsequẽter nõ vt modi formaliter; quia tamen æquivalent quatuor prædictis modis, quibus prædicatum *Dicti* infinitiui convenit subjecto ipsius, absolutè Modi appellãtur; & ex illis, necnõ ex modo infinitivo subiecti, Propositiones solemniter Modales, quæ non parum negotij facessunt infra Summulistis, celebre nomen accipiunt.

13 Diuiditur 6. Propositio; ratione Materiæ, in *essentialem, & accidentalem* &c; ratione Quantitatis in *vniversalem, particularem, &c*; ratione Qualitatis in *Veram*, & *falsam*: de quibus disp. 19: & sic aliæ innumeræ ab alijs proprietatibus, & diversis tendendi modis.

14 Diuiditur 7 & principaliter in *Incomplexam*, seu *Categoricam*: & *Complexam*; sive *Hypotheticam*, ita dictam à præcipua & notiori specie sua: quod tamen improprietatis dãnant PP. Hurt. & Lync. *Incomplexa* est quævis propositio simplex, sive quæ vnico verbo constat, vg. *Homo est animal.* Complexa est, quæ duplici

plici verbo, ſive duplici cathegorica propoſitione conſtat: & hæc eſt.

15 Quincuplex. 1. *Copulativa*, quæ per particulas *&, atque, &c. Nec, Neque, &c.* ſimultaneè enunciat dicta duplicis cathegoricæ, vg *Mathias eligitur, & Ioſephus excluditur.* 2 *Diſiunctiva*: quæ particulis *vel, aut &c.* vagè & indeterminate ſtatuit dicta alterutrius cathegoricæ: v.g. *vel Carolus regnat, vel omnes falluntur.* 3 *Cauſalis*, vocibus *quia, quod, igitur, &c.* ſignificat dependentiam cauſalitatis vnius dicti ab alio; v.g. *Homo ſalvatur, quia Chriſtus nos redemit.* 4. *Relativa*, per relativum, *Qui, quę, quod*, &c. dictum vnius cathegoricæ per aliud modificat; v.g. *Apoſtolus, qui tradidit Dominum, crepuit medius.* Quã tamen P Arr. vocat de termino expoſitorio, P Comptonus de termino complexo, quaſi participiali, cui æquivalet relativum *qui*. Verum æquivalentiæ non tollunt ſpeciales modos diverſos expreſſionum, vt num. 3 & ſæpius dixi. 5 *Hypothetica*, ſive *Conditionalis*, quæ per particulas *ſi, dummodo* &c. ſub conditione vnius dicti, aliud ſtatuit, quaſi cum conditione aliquo modo connexum. Et eſt

16 Triplex, pro triplici connexione *Conditionis* cum *conditionato*; ſive hypotheſis cum theſi. 1 De hypotheſi neceſſaria, quando hæc neceſſario connectitur; v.g. *Si ſol oritur, dies eſt.* 2 De contingenti, quando contingenter connectitur; v.g. *Si pauper petat, conſequetur eleemoſynam*; quæ poteſt fieri infallibilis ab eventu futuro, per ſcientiam Dei cognito: vt, *Si Petrus vocetur hoc auxilio convertetur; ſi Iudas illo, non convertetur.* Et hinc iam illucescere incipit ſcientia illa divina *Conditionata*. 3. De hypotheſi impoſsibili; & hæc vel *neceſſario* connexa, vt illa, *Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab illo*: vel *contingenter*, vt iſta Martialis: *Dic mihi, ſiſias tu leo, qualis eris?* Addi ſolet 4 De hypotheſi diſparata, v.g. *ſi Turca dormit, Indus cantabit.* Sed hæc, cum nullam connexionem afferat, vera conditionalis non eſt, imo in eo ſenſu ſemper falſa eſt.

17 Tandem duæ aliæ ſub complexa poſſunt ſubdividi. Alia *exponibilis*, quæ eſt virtualiter complexa, ratione alicuius particulæ, quæ requirit *exponentem* cõplexã. Et eſt quadruplex 1. *Excluſiva* per particulam *Tantum*. &c. v.g. *Tantum Innocentius eſt Papa.* Cuius exponens eſt: *Innocentius eſt Papa, & nullus alius Papa eſt.* 2. *Exceptiua*, quæ per particulas; *præter* &c. ab aliquo Termino ſuperiori excipit inferiorem, v. g. *Omnis Mater, præter Deiparam, corrupta eſt.* Cuius exponens: *Deipara corrupta non eſt, & omnis alia mater eſt corrupta.* 3. *Reduplicativa*, per voces *in quantum, vt* &c. deſignat rationẽ, cur conveniat prædicatum, eſſe reduplicatam, ſive vt cauſam, ſive vt conditionem &c. Vg. *Ignis vt calefactivus, & vt applicatus calefacit*; exponitur: *Ignis calefacit; & cauſa calefaciendi eſt virtus calefactiva, conditio*

ditio ad calefaciendum est applicatio, &c. 4. demum est *se falsificans*, v.g. *ego semper falsum dico, seu mētior*; id est: *Ego semper, & nunc etiam dicendo verum, dico falsum.* De quibus postea lis erit.

Alia, quæ inter complexas à multis numeratur, est *Inconnexa, seu disparata*, quæ absque connexione vnius dicti cum alio, concomitanter vtrumque vno actu conjungat: v.g. *Petrus currit, Paulus loquitur.* Sed quia dubium est an intellectus possit plura, vt plura, sive vt disparata vno actu cognoscere (de quo in *lib. de Anima*) prætermitenda est; & nunc semel sciendum, an prædictæ complexæ habeant vnitatem in esse propositionis. Pro quo fit.

DISPVT. XVIIJ.

Vtrum Propositio Complexa sit vna simpliciter.

1 PRima Sententia negat, judicans esse aggregatum duarū Propositionum, eo modo quo Syllogismus est trium. Ita PP. Conimb. *l.1. Periherm. c.4. a.5.* P. Cōp *d.1 s.3 n.1. & d.5 s.3. & 5.* P. Santa cruz. *n.218.* P. Suar. Lusit. *Tr.7. d 2 s.2.* P. Maur. *tr.2. c.37.* P. Olcina *n.25 31.* Complut. *lib.2. c.3. & 4.* & fauere videntur P. Arr. d.1 n. 8, & d 2. n. 22. P. Ovied. P. Peñaf. explicandi n 8.

CONCLVSIO.

2 Secunda nostra sententia affirmat, complexam esse simpliciter vnam Propositionem, ab incomplexis formalibus omnino distinctam. Ita Sapientiss. meus in Theologia Magister P Ignatius de las Roelas, Primarijs perpetuo Magisterijs, & Magistratibus nostris eximiè perfunctus; postquem RR. nostri cum Serna *d.3 s.8. q.2. a 2.* Ioan. Thom. *q.5, a 2.* P. Lync. *l.4. tr.2. n.4.* & *l.10. t. 2 c.6.* P. Quiros *d.86. s.3 n.13.* P. Alph. *l.4. c.1. à n.32.* &c.

3 Probatur 1. Ubi datur distincta, diversa que enuntiatio, sive affirmatio, & negatio, datur vna, sive ab alijs distincta simpliciter Propositio: sed in Propositione complexa, sive hypothetica, datur distincta diversaque affirmatio, & negatio, ab ea quæ datur in Incomplexis, seu Categoricis: ergo datur vna Propositio simpliciter a categoricis distincta. Maior liquet, quia enuntiatio est tota Propositionis essentia, vnde ea variata necessario variatur Propositio. Minor ostenditur: Quia Propositio complexa non enuntiat prædicatum Categoricum simpliciter, & vt cumque, sed modo aliquo speciali complexivo, quincuplici ex *num. 15 præced. d.* Vnde copulativa significat suum vtrumque prædicatum, cum simultate quadam per Ly *&*; disjunctiua cum disjunctione aliqua, per Ly *vel*: causalis, cum dependentia causalitatis per Ly *quia*; Hypothetica cum non nulla connexione per Ly *Si*. Sed quoties enuntiatio tendit, sive repræsentat, & prædicat modo diverso suum prædicatum, ipsa est omnino diversa, sicut quævis cognitio à modo tendendi suo diverso diversificatur. Ergo. Declaratur, &

4 Prob.

4 Prob. 2. Propositio complexa distinctam, diuersamque veritatem enuntiat, ac Categoricæ; vnde possunt Categoricæ esse veræ, & complexa falsa: vel è conuerso: sed propositiones, distinctas veritates enuntiantes, sunt distinctæ; vt patet: ergo. Major ostenditur inductione. In copulativa, *Petrus currit & Ioannes loquitur*: possunt ambæ esse veræ distinctis temporibus, & tunc falsa erit copulativa, quia non verificatur *simultas*, sive quod Ioannes loquatur, quando Petrus currit, quæ est veritas per copulativam enuntiata. Similiter in causali, *Quia homo est animal, discurrit*; vtrumque verum est, *quod homo sit animal, & discurrat*; & tamen causalis est falsa, quia non verificatur causalitas. Item Relativa, *Deus qui est creatura, est impossibilis*; est vera; & categoricæ falsæ. Disjunctiva, *Petrus est, vel non est*, necessario est vera; & tamen aliqua categorica necessario est falsa. Hypotetica, *Si Deus mentiretur, peccaret*: est vera, & Categoricæ falsæ. Ergo.

5 Prob. 3. Quia aliquando Complexa potest esse affirmativa, & de materia necessaria, & Categoricæ negativæ, & de materia contingenti. Ergo sunt propositiones diversæ, & distinctæ. Antecedēs patet, in causali *Quia Petrus nō vult, nōcurrit*: quæ est affirmativa, cum eius contradictoria sit negativa, *Non quia Petrus*, &c. & tamen Categoricæ negativæ sunt Item in Hypothetica; *si Petrus non mouetur, non currit*; quæ est in materia necessaria; & tamen categoricæ sunt in contingenti. Idemque euenit in disjunctiua, *Petrus est, vel non est*; quæ est necessaria, & singulæ Categoricæ contingentes.

6 Prob. 4. duplici paritate. 1. Propositionis Categoricæ, quæ ideo est simpliciter vna distincta prorsus ab apprehensionibus, & terminis simplicibus, quia non repræsentat Terminos earum vt cumque, sed vt modificatos, & affectos vnione enuntiatiua. Sed pariter Propositio complexa non repræsentat dicta, seu veritates Categoricarum vt cumque, sed vt affectas, & modificatas enuntiatione complexa, seu complexione quincuplici, satis explicata. Ergo. 2 paritate Termini complexi, v.g. *animal rationale*, qui in mente est simpliciter vnus, ab incomplexis distinctus, ratione complexæ significationis, qua incomplexos modificat; aliás propositio de Termino complexo non constaret solis duobus terminis, nec syllogismus de eodem, solis tribus; sed Propositio complexa non minorem complexionem veritatum incomplexarum importat. Ergo est ab incomplexis æque distincta.

7 Prob. 5. a disparitate syllogismi, qui ideo ex pluribus Propositionibus adunatur, quia Præmissæ illius eandem veritatem, & falsitatē; eundē modum affirmationis, & negationis; eandem materiam contingentem vel necessariam, seruant extra, ac intra syllogismum: Sed Categoricæ hāc identitatem non seruant

intra Propositionem complexam: ergo ex illis complexa non adunatur, sed erit omnino distincta.

OBIECTIONES

8 Obij. 1. Arist *cap. 4. lib. 1. Peri Herm.* Hypotheticam a Categorica discriminat, expresse dicens: *est vna oratio, aut ea quæ vnum significat, aut ea quæ conjunctione est vna.* vbi S. Th. *lect. 8. est vna secundum quid per conjunctionem.* Ergo nō simpliciter vna.

Resp cum ipso S.D. ibidem; *Manifestum est enuntiationem, quæ est vna conjunctione, esse etiam plures, in quātum significat plura, & non vnum.* Vnde fit solum quoad significationem obiecti, sive quoad propositiones obiectiuas, ab Aristotele & S. Th. Hypotheticam dici vnam *conjunctione pluriū*: eo modo, quo ipsam cum omnibus DD. *d. præced. n.* 14. definiuimus esse *Propositionem duabus categoricis constantem*, id est *obiectiuis*: & ita obiective compositam, & cōplexam; licet in se formaliter tam simplex, & vna sit, quam Categorica. Et hic est sensus, in quo P. Arr. P. Ovied. & alij nostri communiter loquuntur. Vel etiam loquuntur de propositione vocali; quæ categoricis vocalibus absque dubio componitur; quæstio autem procedit de mentali quæ solū est simpliciter propositio, sicut & vna.

9 Obij. 2. hoc modo eadem propositio copulativa posset esse vera; & falsa simul, v.g. *Cain est damnatus, & Iudas est salvus*: quod repugnat; ergo.

Resp sive sit vna per conjunctionem, sive per vnitatem, eodem mōdo illa Copulativa esset, vel non esset, vera & falsa simul: ideo autem vera, & falsa numquam erit, quia affirmat simultatem falsi cum vero; vt autē tota simultas falsa sit, sufficit quod ex vna parte falsificetur, quia malū ex quocumque defectu. Quod etiam patet in Categorica de Termino complexo, *Cain & Abel salui sunt*, quæ vera & falsa; ex parte non est, sed absolutè falsa, quia simultas vera esse desinit, si ex vna parte falsificetur.

10 Obij. 3: Quod propositio complexa potest esse affirmativa, & negativa. v.g. *Petrus currit, & Ioannes non currit: Ioannes currit, vel non currit.* Ergo si esset vna propositio simpliciter; vna esset sub duplici specie propositionis, scilicet affirmativæ, & negativæ; quod repugnat, non minus quam vnum animal, quod sit sub specie hominis, & Bruti.

Resp. plerique quod Copulativa affirmat tantum obiectivam simultatem, per Ly &: vnde vtraque erit affirmativa formaliter, licet materialiter impotet partialem negationem: & sic de alijs per Ly *quia, si.* &c

11 Contra 1. Quia, vt ostendi *disp. 6. n. 5.* per particulas; &, *vel*, non attingitur specialis aliqua obiectiva simultas, & disjunctio; alias contradictoriæ non essent, affirmativa copulativa, & negativa disjunctiva, si distincta obiecta respicerēt. 2. Quia sicut simultas Petri, & Pauli nihil aliud est, quam ipsi Petrus & Paulus, sic *simultas cursus vnius, & non cur-*

sus

sus alterius, erit ipse cursus, & negatio cursus; cumque hæc, per me obiectiuè non detur, sed per ipsam negationem actus formaliter constituatur; tandem illa veritas, qua negativa, est, negationem mentalem nostram connotabit essentialiter, cit *ea cursim Ioannis negatum*, ac proin de propositio citra illam negativa erit, si directa sit.

12 Respondeo facilius, concedo, illos, & alios actus simul affirmativos, & negativos esse posse, quia non sunt species putæ, sicut homo, & brutum, sed mistæ, sicut sensitivũ & rationale, ex *disp. præc. n. 5.* sic ex vi eiusdem actus; quo Angelus comprehensive affirmat se esse vnũ, negat se esse idem cum vllo alio: & Beatus vi eiusdem visionis, qua videt, & affirmat in Deo Naturam cõmunicari, videt, & negat communicari Personas; potest ergo idem actus esse mistè affirmatio, & negatio, distinctorum conceptibiliu n. Atque ita Propositio complexa, poterit esse mistè affirmativa, & negativa, copulativè respectu diversorũ; & disjunctivè respectu eiusdem, vt disjunctim affirmabilis, & negabilis de eodem.

13 Obij. 4. Et replic. Per nos *n.* 4. Propositiones complexæ distinctas veritates enuntiant, & respiciunt, ac Categoricæ, sed in copulativa, & disjunctiva non est alia specialis obiectiva veritas, nisi illa simultas, & disjunctio; ergo illæ sunt aliquid speciale obiectivum.

Resp. veritates obiectivas esse respectivas ad actus judicativos, per quos verificantur: vnde idem obiectum est verificabile per vnum modũ judicandi, non vero per alium: vg. existẽtia alterius mundi, est verificabilis per verbum substantivũ *est possibilis*, non vero per adjectivum *est existens*, licet per nos obiectivè idẽ sint. Et similiter contradictoriæ sunt verificabilia per affirmationẽ disjunctivam, non vero per copulativam. Hæ ergo verificabilitates cõstituunt distinctas veritates eiusdẽmet obiecti, in ordine ad diversas propositiones, nec alia distinctio earum requiritur. Fateor, ab alijs complexis specialem alias formalites obiectivas respici, *relationis, causalitatis, conditionis* (vnde solum eas propriè complexas aliqui DD. judicarũt) sed tamen pro omnibus non requiritur, ad distinctionem veritatum.

DISPVT. XIX.

De Materia, & forma: Quantitate, & qualitate Propositionis.

1 PRopositio, vt pote compositũ Logicum, imitatur naturam compositi physici: vnde sicut in hoc datur materia, & forma, quibus constituitur; quantitas, qua extenditur; qualitas qua simile aut dissimile redditur: & qua etiam suas oppositiones, & conversiones exercet; ita in Propositione, cæ omnes tum partes, tum propietates inueniuntur; de quibus suo ordine, & primũ de quatuor hic proponis: de-

inde

inde de Oppositione, Æquipollētia, & Conversione.

2 Quæst. 1. *Quid sit Materia & forma?* Resp. quod sicut in compositio physico est duplex: Alia physica partialis, v.g. corpus, & anima. Alia totalis, v.g. compositum, & compositio. Ita in propositione, Materia partialis est subjectum, quod recipit prædicatum, sicut corpus animam; Forma vero ipsum prædicatū, quod media unione, aut prædicatione, adjacet, & recipitur. Materia vero totalis est obiectum, quasi materiale, circa quod versatur Propositio, illius Terminos componendo per enuntiationem; ipsa vero enuntiatio est quasi totalis forma, a qua tota denominatio Terminorum, & compositi logici desumitur *exd.* 4. *n.* 17. Atque ita conciliantur P. Hurt. & Lynceus qui primam acceptionem, contra reliquos Summulistas secundam amplectentes, tuentur. Ex quo fit Materiam, circa quam Propositionis, esse connexionem obiectivā prædicati cum subjecto, ab ipsis indistinctā ex *disp.* 6.

3 Hæc materia est triplex, ex triplici connexione *disp.* 17. *num.* 12. & 16, prænotata. 1 *Necessaria*, cū prædicatum est, vel essentiale, vel naturale subjecto: v.g. *Homo est rationalis*; *est mortalis*: in qua omnis affirmativa est vera, negativa falsa 2 *Remota*, aut *impossibilis*; cum prædicatum repugnat subjecto, seu removeri petit ab illo; v.g. *Homo non est lapis*, in qua omnis affirmativa est falsa, negativa vera. 3 *Contingens*, cum prædicatum contingenter convenit subjecto; v.g. *Homo est iustus*: vbi negans, & affirmans, falsa, vel vera esse possunt.

4 Quæst. 2 *An Propositiones de subjecto per accidens complexo, sint de materia necessaria; vel contingenti*, v.g. *Homo albus est rationalis, & disgregativus visus. Homo currens movetur?* &c.

Resp. hanc quæstionem multum exagitari á P Lync. l. 4 tr. 2. cap. 3 cum Connimb. &c. Uno verbo dico cum P Arr. d. 2 nn. 25 si reduplicatio harum propositionū fiat supra partem termini, cui accidentale est prædicatum, erit in materia *contingenti*, si supra illam, cui essentiale est, erit in materia *necessaria*. Et hinc sumitur regula, ad eas propositiones, *Deus est homo*, *Homo est Deus*, de quibus, an sint in materia contingenti, vel necessaria disputant Theologi.

5 Quæst. 3 *Quæ sit Materia, & Forma Propositionis complexæ?* Resp. Materiam esse illam, circa quam versatur affirmatio, vel negatio, scilicet *simultas* veritatū in copulativa, *Alteritas* veritatum in disiunctiva; *Dependentia* in causali, habitudo *conditionis* in hypothetica, & *Relationis*, sive *suppositionis* in relativa.

6 Forma harum propositionum assignatur a Summulistis particula cōplexiva, v.g. *Et*, *vel*, *quia*, *si*, &c. á qua denominatur complexa enuntiatio. Ego vero sentio non nisi ipsam enuntiationem, vt modaliter affectā illa quincuplici complexione esse for-

formam. *Tum* paritate propositionis categoricæ, vbi cathegorica enuntiatio forma est: ergo pariter complexa enuntiatio erit forma complexæ propositionis. *Tū* quia particulæ illæ sunt modi, & affectiones ipsius enuntiationis; modi autem formarū formæ subiecti non sunt. *Tum* denique quia ex *disp. preced.* complexa propositio est vna simpliciter ab enūtiatione complexiva, vt ab vnione, & compositione, sicut cathegorica ab incomplexa; sed forma propositionis est, quæ se habet, vt vnio illius ex num. 2. Ergo.

7 Quæst. 4 *Quæ sit quantitas propositionis?* Resp. *Est extensio significationis ad plura, vel pauciora.* Vnde sicut quantitas molis sumitur à subiecto, materia, seu corpore, ita in propositione sumitur à subiecto: quia ratione subiecti extenditur etiam, vel coarctatur ipsum prædicatum. Et hinc propositio de prædicato singulari potest esse vniversalis, ratione subiecti v.g. *Omnis Persona divina est vnus Deus*; & e contra; *Deus est omnis Persona divina*, est singularis, licet prædicatum sit vniversale.

8 Quadruplex autem est quantitas 1 Vniversalis, quando subiectum cōmune afficitur signo vniversali, *Omnis, nullus &c.* v.g. *omnis homo est animal, nullus homo est lapis.* 2. Particularis, quando afficitur signo particulari, *aliquis, quidam* & c. v.g. *aliquis homo legit.* 3. Singularis, quando afficitur signo singulari, *hic, iste*; v.g. *hic homo est albus.* Et huc pertinent; *Petrus est albus* &c. 4. Indefinita, quando subiectum communne nullo signo afficitur; & tunc in materia contingenti æquivalet particulari, v. g. *homo legit*; in materia vero naturali æquivalet vniversali, vt *homo est animal.* Addi potest quantitas *mixta*, quando ex vtraque subiectum participat: v.g. *Deus, & homo generant hominem*; vbi singularis & vniversalis est quantitas. Et hæc mixtio frequētior esse potest in propositione complexa: circa cuius quātitatem nihil est speciale quod addatur.

9 Quæst. 5. *quæ sit qualitas Propositionis?* Resp. contra non nullos apud P. Lineum *lib. 4. Trac. 3. c. 2.* designantes affirmationem, vel negationem; ex communi DD. esse veritatem, vel falsitatem. Tum quia oritur ex substantia Propositionis, scilicet affirmatione, vel negatione; quæ ideo est vera formaliter, quia affirmat verum obiectivum. Tum quia per illam Propositio assimilatur obiecto, sicut subiecta per qualitatē assimilantur. Tū quia oppositio exercetur in veritate, & falsitate Propositionū; sicut oppositio physica in qualitatibus caloris, & frigoris &c.

10 Vbi notandum est, circa qualitatem, seu veritatem Propositionū, eam desumi a conformitate illius cū veritate obiecti, juxta qualitatem materiæ, ex num. 3. Quæ in Propositione complexa non vna est, ob cōplexionem obiectivam veritatum. Et imprimis *Relativa, causalis, & hypothetica* quādo solū significant connexionē vnius dicti cū alio, licet dicta

in

in se absolutã veritatẽ nõ habeãt, absolutæ veræ sunt per affirmationẽ talis connexionis, si ea cõnexio necessaria sit, seu faciat materiam necessariam. v.g. *Spiritus Sanctus, qui à Filio non procedit, ab illo non distinguẽtur*: item, *si à Filio non procedit*: itẽ, *qui ab illo non procedit*. Ratio: quia tunc faciunt sensum conditionatum, & conditio nihil ponit in esse; vnde licet vera non sit, si tamen connexionem cum dicto conditionato server, verificatur. Si tamen in vi necessariæ cõnexionis nõ sumatur, tunc

11 *Relativa* ad sui veritatem requirit vtriusque cathegoricæ verificationem; si enim dictum relativum non verificetur, fiet de subiecto non supponente, v.g. *Cain, qui innocens fuit, salvus est*.

12 *Causalis* similiter vtramque cathegoricam, & causalitatem etiam affirmat, ad sui veritatem: vnde falsa est: *Cain salvus est, quia innocẽs fuit*; licet causalitas sit vera, quia causa est falsa: & similiter falsa est, *Cain damnatus est, quia frater Abelis fuit*, quia causalitas est falsa, licet cathegoricæ veræ.

13 Ad *Hypotheticam*, requiritur veritas eventus conditionati, ex aliqua vi conditionis, quia hanc duplicem veritatem affirmat, licet conditionalis quam nunquam affirmat, non verificetur absolutè: vt illa Evangelij, *Si in Tyro fecisset Christus D. miracula, quæ fecit in Bethsaida, pœnitentiã egissent*: Vbi conditio nõ verificatur, quia in Tyro Christus D. miracula non fecit; est tamen propter eventus futuri veritatem, & moralem conducentiam conditionis ad illum, verissima propositio; e contra, si fuisset cõditio disparata, juxta *disp. 17. n. 16.*

14 Ad *Copulativam* requiritur simultatis, & consequenter vtriusque categoricæ veritas, quia tria illa enuntiat copulativa. Ad *Disiunctivam*, sufficit quod alterutra categorica verificetur, v.g. *Vel Cain, vel Abel, est damnatus*. Hinc tamen est

15 Quæst. 6; *Vtrum ad veritatẽ disiunctivæ, requiratur, quod vna cathegorica sit falsa?* Affirmant Cardi. Toletus lib. 1 cap. 19. P Quir. dis. 4 num. 10. Et Antiqui Summuliſtæ; ideo enim falsa est hæc, *Aliqua Persona Divina est Deus*; quia supponit aliquam non esse: quod confirmant ex Philosopho.

16 Nego tamen cum P Arr. disp. 2. n. 28. P. Hurt. d 4. n. 11. P. Lyn. l. 10. tr 3. c. 4. n. 41. &c. *Tum* quia si disiunctiva, *Aliqua Persona diuina est Deus*; vel hæc, *Pater vel Filius est Deus*, esset falsa, contradictoriæ, *Nulla Persona diuina est Deus*; item, *Pater, & filius non est Deus*; essent veræ: quod absonat. *Tum* quia Promissio disiunctiva, Christi D. v. g. *vbi duo, vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum*; non est exclusiva simultatis, quando duo, & tres congregati sint. Item, Præceptum disiunctivũ *qui maledixerit Patri, vel Matri morte moriatur*; non excludit à pœna maledicentem simul vtrique. Ergo pariter Propositio disiunctiva exclusiva non est simultanæ veritatis, *Tum*, quia

quia Aristoteles. (vt bene interpretatur P. Lynceus) solũ voluit, quod qui disjunctivè affirmat, soleat, retinere in mente propositionem exclusivam alterutrius, non vero quod ita ex vi disjunctivæ significet. *Tum* demum, quia disjunctiva affirmativa est in vniuersum subalterna copulativæ affirmativæ, vt *disp. 5. q.* patebit. Ergo illam non excludit.

DISPVTAT. XX.

De Oppositione: Quid, quotuplex, quanta, & qualis sit?

QVæst. 1. *Quid sit oppositio Propositionum?* Resp. ex Arist. 1. *Per. c.* 4. decernente, quod sit *Affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, non æquivoce*, varias excogitatas esse definitiones. á P. Hurt d. 4. n. 20. Quod sit *repugnantia Propositionum secundum veritatem, aut falsitatem.* á P. Arr. d. 2. n. 34. *secundum affirmationem, & negationem.* Ab alijs additur, *eisdem servatis.* Ex quibus omnibus sic

2 Definitio colligitur: *Est pugna Propositionum, secundum qualitatem, ex affirmatione, & negatione eiusdem de eodem.* Ly *Pugna* est genus ad oppositionem etiam physicam qualitatum. Ly *secundum qualitatem*, notat veritatem, aut falsitatem, secundũ quas solum pugnant Propositiones. Ly *ex affirmatione, & negatione*, requirit alteram oppositarum affirmativam, altera negativã, & quod inde pugna oriatur; aliquando enim oritur ex ipsa materia: v. g. *Deus est ens, Deus est ab alio.* Ly *eiusdem de eodem*, petit idem omnino subjectum, eisdèm omnibus servatis, quæ ad identitatem necessaria fuerint. Vnde oppositæ non sunt: *Petrus legit, Paulus non legit*, quia non est idem subjectum: *Petrus legit, Paulus non scribit*, quia nõ idẽ prædicatũ: *Petrus legit, Petrus nõ legit velociter*, quia nõ idẽ modus: *Cyclops fuit Poeta magnus, Cyclops non fuit magnus Poeta*, quia nõ eadem appellatio: *Homo est vox, Homo non est vox*, quia non eadem suppositio: *Si sol oritur, dies est, si sol occidit, dies non est*; quia non eadem conditio seruatur, & sic de alijs. Quomodo autem variatio suppositionis in signis quantitatis non officiat n. 8. explicabitur.

3 Quæst. 2. *Quotuplex sit oppositio?* Resp. est quadruplex: Contradictoria, contraria, subcontraria, & subalterna; ex Arist. 1. *Peri. c.* 5. 6. 7. S. Th. *ibi* & reliquis DD.

4 Contradictoria est *oppositio secundum vtrãque qualitatem.* Idest, secundum veritatem, & falsitatem. *Quia Petrus legit, Petrus non legit*: v. g. non possunt esse simul falsæ, ex illo Principio, *quod libet est, vel non est*, vnde debet esse *legens, vel non legens*: neque item possunt esse simul veræ, ex alio Principio æque necessario: *Impossibile est rem simul esse, & non esse*; vnde impossibile est simul esse *legentẽ, & non legentem.* Et propterea contradictoriæ dicuntur *extremæ*; quia neque datur medium, in quo falsificentur, sicut contrariæ, neque in quo verificentur, sicut sub-

contrariæ. Hæc autem oppositio versatur, vel inter Propositiones singulares, vt *Petrus legit, Petrus non legit*; vel, ratione earum, inter vniversalem, & particularem v. g. *Omnis homo legit. Aliquis homo non legit*: item *Nullus homo legit, Aliquis homo legit*. Et singulares dicuntur oppositæ *de lege*; communes vero de *modo*, quia servant *modum quantitatis*, observatum a scientia, quæ nõ agit de singularibus. Dixi, *ratione earum*, propter notanda n. 6. & 7.

5 Contraria est *oppositio secundum solam veritatem*: quia possunt esse simul falsæ, licet non simul veræ v. g. *omnis homo legit*, *Nullus homo legit*, falsæ sunt, quia non omnes legere sciunt, neque omnes nesciunt; vnde datur medium, in quo vtraqve falsificetur, scilicet, quod *aliquis legat*, & *aliquis nõ legat*. Quod si aliquãdo ambæ falsæ esse non possint, scilicet in materia necessaria, v. g. *omnis homo est animal*, *Nullus homo est animal*; id non oritur ex vi affirmationis, & negationis, sive formaliter, & a forma (vt in definitione oppositionis n. 2 aduertenter requiritur] sed materialiter, & ex necessitate materiæ. Numquam tamen possunt esse simul veræ, quia secundum hanc qualitatem essentialiter pugnant vbique. Si enim vera esset *omnis homo legit*, verum esset *Petrũ legere*, qui sub *omni homine* cõtinetur; & similiter si vera esset *Nullus homo legit*, verum etiam esset *Petrum non legere* sub negativa vniversali similiter contentum: cumque repugnet, *Petrum simul legere, & nõ legere*, repugnabit similiter vniversales cõtrarias simul verificari. Ex quo

6 Fit 1. oppositionem contrariam non solum versari inter duas vniversales affirmativam, & negativam; sed etiam inter vniversalem, & singularem (quæ dicuntur contrariæ *de lege*] quia possunt ambæ falsificari, non tamẽ verificari: v. g. *omnis Apostolus est justus*; *D. Petrus non est justus*, quæ falsificantur in medio, *solus Iudas non est justus*.

7 Fit 2. omnem oppositionem propriam fundari in oppositione singulari contradictoria. Quod notant plerique cum P. Hurt. n. 25. & P. Arr. n. 48. & 49. Patet 1. ex contraria inter vniuersales, inde probata ab omnibus DD. quia ex earum veritate deveniretur ad vnum singulare, de quo contradictoria verificarentur, vt n. 5. ostẽsum est. 2. Quia etiam contradictoriæ de Termino communi, vniversali scilicet, & particulari, *omnis, aliquis*, non alia ratione demonstrantur verè oppositæ; nisi quia in illis devenitur, ad illud ipsum *singulare*, de quo enuntiatur contradictorium per Ly *aliquis*; vnde de singulari contradictoria verificarentur vel falsificarentur, si illæ de Termino communi, simul veræ, vel falsæ essent, vt jam ostendo.

8 Fit 3. signa illa quantitatis, *omnis, Nullus, Aliquis*, licet immutẽt quantitatem, & suppositionem subjecti; quia *omnis*, & *Nullus* supponunt *distributivè copulativè*; è contra vero *Aliquis*, solum *disjunctivè* ex

disp.

disp. 14. *s.* 1. *n.* 18. Quia (vt observat cum omnibus summulistis P. Alph. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 6. 12, 13.) ea suppositionis immutatio non tollit identitatem essentialiter necessariam ad oppositionem; scilicet *vnius singularis subjecti*, ad quod descensum habeant Propositiones oppositæ, vt in illo singularem contradictionem determinatam exerceant; quæ est basis, & fundamentũ totius oppositionis. Dũ enim dico, *omnis homo legit*, etiam dico determinate *de eo aliquo*, de quo indeterminatè contradicit, hæc, *Aliquis homo non legit*: & similiter, *omnis homo legit*, *Nullus homo legit*, determinatè descendunt, ad quemlibet hominem designabilem, in quo exerceant suam oppositionem: vnde per ea quantitatis signa nullo modo alteratur identitas ad propositionem requisita. Quod diligenter est obseruandum pro dicendis *disp. seq.*

9 Subcontraria est *oppositio secundum solam veritatem*: & intercedit tantum inter duas particulares sub vniuersalibus contrarijs contentas, ideo dictas *sub-contrarias*. Quæ quia sunt etiam ex transverso contradictoriæ contrariarũ, repugnant esse simul falsæ, quia eo ipso contrariæ, quarum contradictoriæ sunt, essent simul veræ; quod implicat *ex num.* 5 V.g. si falsæ essẽt, *Aliquis homo legit*, *Aliquis homo nõ legit*; quæ sunt subcõtrariæ, essent veræ earum contradictoriæ, *Nullus homo legit*, *omnis homo legit*, quæ contrariæ inter se sunt. Et quidem cum hæc pugna in veritate oriatur ex affirmatione, & negatione ejusdem prædicati de eodem disjunctivo subjecto, speciem habet veræ oppositionis; sed an propriè oppositio sit, *disp. seq.* examinabitur.

10 Subalterna, solum secundum dici est oppositio, quia non oritur ex affirmatione, & negatione, nec importat pugnam in qualitate, sed solam imparitatem in quantitate; scilicet inter Propositionem vniuersalem, & particularem sub ipsa vniversali contentam: v.g. *Aliquis homo legit*, sub hac, *omnis homo legit*. Vnde audiendus non est P. Lynceus *n.* 46. *Tract.* 4. contrarius, paritate quantitatis molis, quæ oppositionẽ affert corporum in ordine ad locum invicem repugnantium. Aliás quævis Propositiones vniversales, & particulares, oppositionem ipsam haberent, licet de subjectis, & prædicatis disparatis essent. Constet ergo potius conjunctas, & amicas, quam oppositas esse subalternas; cum *subalternata* particularis sub vniversali *subalternante* contineatur, & eodem enuntiationis, & qualitatis genere foveatur: simul enim sunt affirmativæ, aut negativæ, veræ, vel falsæ.

11 Quæst. 3. *Quanta sit oppositio, sive quæ omnium maxima?* Resp. cum Arist. c. 6. S. Th. lect. 12. & reliquis DD. *hic* contra P. Ar. maximam esse *contradictoriam*. 1. Quia est secundum vtramque qualitatẽ, quæ major est, quã secundum vnam. 2. Quia in physicis oppositio contradictoria formæ, & carentiæ illius, major est, quam contraria frigoris, & caloris; ergo pariter. 3. Quia con-

tradictoria est fundamentum, & basis totius oppositionis, ergo fortior, & intensior in esse talis.

11 Obij. P. Arr. Magis se opponit fidei, qui dicit *Nullum hominem esse peccabilem*, quã qui diceret *vnũ aliquem*, plus enim negaret contra fidem, & magis in illa erraret; sed prior negatio est cõtraria, posterior contradictoria, ergo.

Resp. hinc solum probari contrariam oppositionem esse majorem extensive, sive ad plura se extendere; intẽsive vero plus, sive fortius negare, cõ radictoria, quæ in nulla qualitate potest conciliari cum opposita.

12 Quæst. 4. *Qualis sit convenientia oppositorum?* Resp. cum S. Thom PP. Conimbr. P. Hurt. n. 24. contra P. Lynceum, non esse vnivocam sed analogam; sicut constitutivi cum constituto, v. g. animæ rationalis cũ homine in esse intellectivi; quæ convenientia simpliciter sive vnivoce esse non potest, quia in ea ratione vnum per aliud constituitur. Atqui omnis oppositio per contradictoriã constituitur, & in illam refunditur, vt in primordialem basin, & rationem suæ pugnæ intentionalis, vt patet a n. 7. ergo in ratione talis pugnæ vnivoce convenire non possunt.

13. Quæst. 5. *Vtrum divisio facta oppositionis sit adæquata?* Negat P. Peñafiel d. 9. q. 7. n. 27. Quia datur alia species scilicet inter Vniversale n, & singulare n, *Nullus homo legit*, *Petrus legit*; quæ contraria non est, quia hæc solum est inter vniuersales juxta Aristotelem.

Nego cum PP. Conimbr. ad c. 7. q. 1. à 3. & reliquis DD. Tum quia similiter Aristoteles non meminit de contradictorijs singularibus, quia de singularibus non agit scientia: & tamen eas omnes admittunt, & vocant *de lege*; ita ergo contrariæ sunt, quæ servant legem oppositionis, quoad solam falsitatem, licet non modum quantitatis, vt n. 6. notavi. Tum quia pugna in duplici qualitate, solum est tripliciter cõbinabilis, vel in sola veritate, vel in sola falsitate vel in vtraq; Ergo solũ pro triplici oppositione

15 Quæst. 6 *Quæ sunt Regulæ oppositionũ?* Resp præter earũ definitiones, duæ ex Aristotele tradi

Prima Regula est, pro contradictorijs: *Non est melius contradicere, quam toti Propositioni negationem præmittere*: id est, *neganter, non infinitanter*. Vg. *omnis Homo legit*: *Non omnis homo legit*: vbi *Non omnis*, idem sonat, ac *aliquis non*. Item, *Nullus homo legit*: *Non nullus homo legit*; vbi *Non nullus* idem est ac *aliquis*, juxta conversionis regulas infra. Item. *Petrus & Paulus legunt*: *Non Petrus, & Paulus legunt*. & sic de alijs vbi dificilior est assignatio alterius contradictoriæ, vt d. 22. *& seq.* patebit. Solum in singularibus est periculũ æquivocæ infinitationis, v. g. *Petrus legit*, *non Petrus legit*; in quibus propterea negatio præmitenda est Verbo.

16 Secunda Regula, pro omni oppositione: *Contrariæ semper sunt copulativæ*: *illarum contradictoriæ semper disjunctivæ*; & *hæ inter se subcontrariæ*

trariæ. Intellige, servata affirmatione, & negatione eiusdem de eodem. Hinc *omnis*, & *nullus*, quæ signa copulativa sunt, contrariantur; quibus *aliquis non* & *aliquis*, quæ disjunctiva, contradicunt; & hæc inter se *subcontraria* fiunt. Hinc etiam Propositiones omnes etiam de subjecto singulari, constantes particulis copulativis, erunt cõtrariæ; quibus disjunctivæ cõtradictoriæ erunt, & ipsæ subcontrariæ inter se. Hæ autẽ particulæ ad quatuor classes simultatum, & disjunctionũ rediguntur, quæ affirmativæ, quæ negativæ.

17 Primo quoad verum; *&, atque* &c. *Nec, neque*, &c. cõtrariæ. *Vel, aut* &c. *vel non, aut non*, subcon. 2. Quoad numerũ: *Uterque*; *Neuter*: cõtrariæ. *Alteruter*; *Alteruter non*: subcon. 3. quoad Tempus: *Semper*; *Numquam*: *Aliquando*; *Aliquando non*. 4. Quoad locum: *Vbique*; *Nullibi*: *Alicubi*; *Aliculi non*. Quibus subjungi possunt suæ singulares; pro 1. *Petrus, Paulus* pro 2. *hic, ille*: pro 3. *Nunc, tunc* pro 4. *hic illic* Exempla sequens pagella ob oculos ponet, sibi invicem per initiales numeros respondentia: nec multis licentur Tabellæ.

Subalternantes.
1 Omnis homo legit.
2 Petrus & Paulus legit.
3 Vterque legit.
4 Semper Petrus legit.
5 Vbique Petrus legit.

CONTRARIÆ.

Subalternantes.
1 Nullus homo legit.
2 Nec Petrus, nec Paulus legit.
3 Neuter legit.
4 Numquam Petrus legit.
5 Nullibi Petrus legit.



Subalternata.
1 Aliquis homo legit.
2 Vel Petrus, vel Paulus legit.
3 Alteruter legit.
4 Aliquando Petrus legit.
5 Alicubi Petrus legit.

SVBCONTRARIÆ.

Subalternata.
1 Aliquis homo non legit.
2 Vel Petrus, vel Paulus non legit.
3 Alteruter non legit.
4 Aliquando Petrus non legit.
5 Alicubi Petrus non legit.

Singulares.
1. 2. Petrus legit.
3 Hic legit.
4 Nunc legit.
5 Illic legit.

CONTRADICTORIÆ DE LEGE.

Singulares.
1. 2. Petrus non legit.
3 Hic non legit.
4 Nunc non legit.
5 Illic non legit.

DISPVT. XXI.

Vtrum Subcontraria *sit Oppositio propriè simpliciter?*

1 PRIMA sententia affirmat cũ P Hurt. disp. 4. num. 23. P Alphonſ lib. 4. cap. 4. num. 25. P Lync. lib. 4. tract. 4 num. 42. & RR. noſtri, cum P. Maça *d. 6 ſ. 2.*

CONCLVSIO

Secunda noſtra ſententia negat cum Eximio Suar. *diſp. 45 Metha phiſicæ ſect. 1. num. 6.* P. Fonſ. *hic lib. 3. cap. 6* PP. Conimbr. *quæſt. 2 art. 3.* P Peñafiel *diſp. 9 quæſt 6 ſect. 2* P Arr. *num. 45 & 55* P Sanctaz *num. 356* P Yzquier. *d. 19 n. 30* & ex RR. Sapientiſ. Magiſter meus P Martinus de Xauregui *hic* &c.

2 Prob. 1 Oppoſitio eſſentialiter petit, vt ſit *de eodem ſubjecto, ex d. præc. n. 1 & 2.* Sed ſubcontraria non eſt *de eodem ſubjecto*, ergo non eſt eſſentialiter, ſive ſimpliciter Oppoſitio. Prob. min. Vt Propoſitiones Subcontrariæ, *Aliquis homo legit, Aliquis homo non legit*, eſſent de eodem ſubjecto, deberent deſcẽdere ad aliquod ſingulare, in quo ſuam oppoſitionẽ exercerent: ideo enim tam contrariæ vniverſales, quam contradictoriæ de termino communi vniverſali, & particulari ſunt de eodem ſubjecto, quin per ſigna quantitatis immutetur; quia ita ad ſingulare deſcendunt, in quo determinatam oppoſitionem, & cõtradictionem exerceant, vt *d. præc n. 6. & 7.* oſtenſum eſt cum ipſo P Hurtado. Sed ſubcontrariæ ita deſcendere nequeunt: Tum quia ambæ ſunt indeterminatæ; ad deſcenſum autem illum, ſaltem ex vna parte determinate debet deſcendere propoſitio: vt ſit per contradictoriam vniverſalem *Omnis*, quæ determinate affirmat de illo ipſo indeterminato, de quo contradictoria particularis, *Aliquis non*, negat; vnde oppoſitionem determinatam non exercent, licet particularis attingat ſubjectum indeterminate. *Tum*, quia ſi ad vnum ſingulare deſcenderent, de quo affirmarent, & nègarent, iam eſſent contradictoriæ, aut illã includerent, & conſequenter veræ eſſe non poſſent. Ergo non ſunt *de ſubjecto eodem.*

3 Prob. 2 ex pluribus Scripturæ locis, in quibus affirmatur aliquid indeterminate de aliquo: v. g. Iudic. 7. v. 13. *Aliquis narrabat ſomnium. Et Luc. 7. v. 46. Dixit Ieſus, Aliquis me tetigit.* Vbi nullus Dialecticus, imo ne Ruſticus quidẽ dicere poterit; quod me opponam ſimpliciter Scripturæ dicens, quod *Aliquis non narrabat ſomnium*; & quod *Aliquis non tetigit Ieſum*: quia ly *Aliquis*, vt pote diſjunctivum, de alio diſtincto à *narrante & tangente*, qui in Scriptura deſignantur, intelligitur vere. Sed ita ſemper intelligi poteſt, ac debet Ly *Aliquis* in ſubcontrarijs: ergo numquam opponũtur ſimpliciter.

4 Prob. 3. ex Ariſtotele, qui nominatim excludit *æquivoca* ab oppoſitione ſimpliciter, vt conſtat *ex d. præc. n. 1* Quia ſi dicam v.g. *Canis*

eſt

est animal latrabile, Canis non est animal latrabile; in vna propositione potest supponere pro vno, scilicet terrestri, & in alia pro alio, scilicet æquoreo. Sed subcontrariæ *aliquis*, & *aliquis non*, perpetuo ita supponere possunt, & debent, cum veræ sint. Ergo debent ab oppositione simpliciter excludi.

5 Prob. 4. ex PP. Conimb. Quia veritas non opponitur veritati, vt lux luci; sicut neque virtus virtuti; licet falsitas possit, & veritati, & alteri falsitati opponi; sicut vitiũ alteri vitio extremo, & etiam virtuti, quæ media est inter extrema vitiosa; v.g. prodigalitas, & avaritiæ, & largitati. ergo pariter licet contrariæ falsæ, possunt mutuæ falsitati opponi, atque etiam veritati contradictoriæ; non tamen subcontrariæ inter se; quæ simul debent esse veræ, & intellectualiter virtuosæ.

6 Confirmatur ex ẽplo mysteriorũ supernaturalium fidei, v.g. Trinitatis, & incarnationis, quæ ideo dicuntur ab omnibus Theologis minimè opponi rationi naturali, licet sint supra illam, quia vna veritas alteri opponi non potest; quod sumitur ex *S. Tho.* 1 *p. q.* 32. *a.* 1. Ergo pariter veritates subcontrariarum impliciter opponi non possunt.

OBJECTIONES.

7 Obij 1. Contrariæ simpliciter opponuntur, quia secundum vnam qualitatem, scilicet veritatem repugnant; ergo pariter subcontrariæ, quia secundum alteram scilicet falsitatem;

Resp. distinguendo antec. Contrariæ opponuntur, quia secundum qualitatem veritatis repugnant, ex affirmatione, & negatione ejusdem de eodem, concedo; ex præcisis repugnantia veritatis; Nego: aliàs quia duæ propositiones affirmativæ repugnant converificari, v.g. *Deus est creator omnium; Angelus est as*; et sent contrariæ, seu oppositæ logicæ.

8 Obij. 2. Contradictoriæ, etiam quà parte repugnant confalsificari, sunt simpliciter oppositæ, cum ex ea parte augeatur earum oppositio supra contrariam: ergo subcontrariæ etiam ex repugnantia confalsificationis simpliciter oppositæ esse possint.

Resp. distinguendo antec. Contradictoriæ, quæ repugnant confalsificari sunt oppositæ, quia repugnantia oritur ex affirmatione, & negatione eiusdem de eodem, & quia importat imbibitam repugnantiam *converificationis*; concedo; præcisè ex ea repugnantia, sine vtroque requisito, vt conuenit sub contrarijs, nego.

9 Obij 3. Licet non sit idem subjectũ distributivè in subcontrarijs, est idem disjunctivè, sufficiens ad oppositionem; cum sufficiat ea identitas, vt ipsæ met observento oppositionẽ cũ cõtradictorijs suis vniversalibus. Ergo sunt eiusdẽ de eodẽ.

Resp Terminos communes variare suppositionem per adjuncta signa Quantitatis, vt dixi *d. prec. n.* 7. Vnde observandus est, ad identitatem subjecti illis signis affecti, descensu ad idem singulare, qui si non

seruet

servetur, vt in terminus disiunctivis, *Aliquis*, & *Aliqui non*, contingit, non servabitur obiectiva identitas subjecti, necessaria ad oppositionem; licet servetur idẽtitas quoad voces, sicut dixi de Termino *Canis*; quæ solum facit oppositionem secundum voces, sive secundum dici.

10 Obij. 4. Et replic. Licet non sit idem subiectum, quoad verificationem subcontrariarum, est tamen idem quoad falsificationem; quia vt falsum sit *aliquem hominem currere*, & *aliquem non currere*, debet esse falsum de omnibus, & singulis *currere*, & *non currere*, & consequenter de quovis singulari, vtrumque falsificari. Ergo secundum falsitatem, in qua opponuntur, descendunt ad idẽ subjectum: sicut contrariæ secundum veritatem, in qua opponuntur descendunt ad idem; secundum falsitatem vero, in qua nõ opponuntur, per distincta subiecta falsificantur.

Resp. Quod etiam contrariæ licet per distincta subjecta falsificentur, ad illa tamen descendunt, & de illis affirmant, & negant, licet secundum falsitatem non opponantur: vnde similiter subcontrariæ deberent affirmare, & negare determinatè de eodem de quo verificantur, licet secundum veritatem non opponeretur. Ad oppositionem autem non attenditur a l identitatẽ subjecti per quod verificantur, vel falsificantur propositiones; quia hæc absque dubio distincta esse possunt; sed de quo affirmatur, & negatur, quod idẽ omnino esse debet, per descensum ad idem singulare, vt est demonstratũ.

11 Obij. 5. Etiam pro oppositione contradictoria inter vniuersalem & paaticularem, v. g. *omnis*; & *aliquis non*; fit descensus indeterminatus, quia fit ad illud ipsum subjectũ quod significatur per Ly *Aliquis*; & hoc indeterminatum est. Sed subcontrariæ habent hunc descensum indeterminatum, *vel hic*, *vel iste*, *vel ille*, percurrendo eadem omnia singularia pro affirmante, & pro negante. Ergo habent sufficientem descensum ad singularia pro oppositione propria.

Resp. Quod licet descensus vtriusque contradictoriæ, *omnis*, & *aliquis non*: sit ad subjectum indeterminatum *Aliquis*; illud vero attingitur de terminatè, & distributive per vniversalem *omnis*; quod sufficit ad tollendam indeterminationem, & æquivocationem illius Termini *aliquis*; quia de *illo ipso aliquo* determinate affirmatur per Ly *omnis*: indeterminatio autem absolutè tollitur, licet ex vna tantum parte tollatur. Sicut licet materia sit indeterminata ad cõponendũ *hominẽ*, vel *equum*, determinatur absolutè per formã *rationalẽ*, ad esse hominis, & sub illa nõ manet jã indeterminata ad Equũ.

12 Obij 6. Si falsificentur duæ subcontrariæ, sequitur verificatio duplicis contrariæ vniversalis, & ex hac rursum verificatio duplicis contradictoriæ singularis; contentæ sub vniversalibus; ergo de primo ad vltimum ex falsitate subcontrariarum, sequitur verificatio duplicis contra-

dictoriæ

dictoriæ singularis: sed propter hãc sequelam duplicis contradictoriæ singularis veræ simpliciter opponuntur contrariæ in veritate; ergo pariter sub contrariæ in falsitate.

Resp. etiam ex falsitate cujusque Propositionis solitariæ veræ, in Materia necessaria, sequeretur, duplex contradictorium: si enim falsa esset hæc propositio; *Hic homo est rationalis*, sequeretur quod *esset homo, & non esset homo*; nec ideo dicitur, quod habet oppositionẽ secum ipsa quoad falsitatem, quia ea sequela contradictioni, non oritur *ex affirmatione, & negatione eiusdem de eodem*, vt requiritur ad oppositionem, sed ex mera repugnantia falsificandi veritatẽ necessariam. Pariter ergo contradictoriæ, quæ sequuntur ex falsificatione subcontrariarum, quarum veritas est necessaria.

DISPVT. XXIJ.

Vtrum sit Propositio carens contradictoria.

1 PRima sententia affirmat, de hac scilicet Propositione, *Petrus est, & non est.* Ita singulariter P. Hemelman *Tom. 1. tit. 7. disp. 5. c. 6. a n. 8.* testatus plausum P. Didaci Ruiz, & RR. alij apud P. Santacruz. n. 369.

Secunda nostra sententia negat cum ipso P. Santacruz. P. Yzquierdo *d. 3. Phari q. 1. n. 70.* P. Compt. *d. 6. s. 2. n. 6.* & nostris RR.

2 Probant. 1. RR. Quia ejus modi Propositio repugnat in mente, quæ duplici contradictorio simul assentiri non potest. Verum, cum non repugnet saltem in apprehensionibus enuntiativis, & vocibus, vt dicam *d. seq. s. 3. n. 25.* in illis superest difficultas assignandi legitimam contradictoriam. Adde non defuisse Philosophos, qui negaverint principia illa; *Quodlibet est, vel non est; Impossibile est rem simul esse, & non esse:* contra quos agit Aristot. *l. 4. Metaph. à. cap. 4. ad vlt.* qui fortasse contradictorijs illis mentalem assensum præbuere.

3 Probat. 2. P. Yzquierdus, quia nulla assignabilis est Propositio, de qua non possit quis dicere, *esse falsam*, vt de ea ipsa, *Petrus existit, & non existit*, affirmat P. Hemelm, & omnes affirmare debent; & non solum de ipsa [quæ est contradictio virtualis] sed de ipso etiam eius obiecto asserere debent esse falsum; quod est, ipsi contradicere formalissimè. Ergo ipse P. Hemelm. suæ illi propositioni contradicit, & consequenter sibi ipsi.

Hæc autem omnia solum probãt æquivalentem, & virtualem oppositionem, non tamen contradictoriam formalem, quæ sit *eiusdem de eodem eisdem servatis*, juxta leges Dialecticas; quæ requirunt eosdem terminos non solum realiter, sed etiam formaliter, & secundum easdem formalitates. Unde non est formalis contradictio; *Petrus est rationalis, Petrus non est risibilis*; quia prædicatũ solum est idem realiter, non vero formaliter. Idem autem contingit,

si dicamus objectum aliquod esse, vel non esse verum, quia *veritas* est formalitas aliquando distincta ab objecto; ac proinde non eodem modo negatur, ac si objectum ipsum directè negaretur; alias per propositionẽ affirmativam falsitatis, alteri affirmativæ formaliter contradiceretur, v.g. huic, *Petrus legit*, per hanc, *Petrum legere est falsum*: quod nemo dicet. Ergo dum non assignatur formalis expressa cõtradictoria, illius *Petrus existit, & non existit*; nihil probatur. Ideo

4 Probant. 3. RR. assignando, contradictoriam disjunctivam, quæ ex Regula *d.*20.*n.*16. contradicere debet prædictæ copulativæ, scilicet hanc: *Vel Petrus existit, vel nõ existit*. Ergo.

Contra hanc autem insurgit per acutè P. Hemelm. Quia Propositio subalternata non potest esse contradictoria subalternanti, vt patet ex Tabella *disp.*20.*n.*17: Sed hæc disjunctiva, *Petrus vel existit, vel non existit*; est subalternata copulativæ, *Petrus existit, & non existit*; ergo nõ est eius cõtradictoria. Minor patet; tum quia nõ est assignabilis alia subalternata; tum quia subalternata est, quæ idem enuntiat disjunctivè, tum affirmando, tum negando, quod enuntiat eodem modo, copulative tamen, subalternans: sed ita se habet hæc disjunctiva *Petrus existit, vel nõ existit*, respectu copulativæ *Petrus existit, & non existit*: Ergo.

5 Respond. RR. subalternatam esse disjunctivam, *non exclusivam*, in sensu quo, *Petrus currit, vel nõ currit*, &c iuxta *disp.*19.*n.*16. At contradictoriam debere intelligi in sensu exclusivo; v.g. *Petrus vel existit tantum, vel non existit tantum*. Contra 1. Quia longe alia est subalternata, vt patebit n. 14. & 15. cum debeat esse suæ contrariæ contradictoria. 2 Quia cum sensus disjunctivarum sit indifferens, vt exclusivè, vel non exclusivè sumantur; imo per se *non exclusivè* intelligi debeant: addenda esset exclusio, vt contradictoria ab *illa dicta subalternata* distingueretur. Propterea

6 Probatur 1. Assignando in contradictoriam illius, *Petrus existit, & non existit*; hanc, *Petrus vel existit tantum, vel non existit tantum*. Quam formalem legitimam que esse constat; *Tum* quia necessario est vera, sicut opposita necessario falsa; vnde pugnant secundum vtramque qualitatem, in quo consistit contradictio. *Tum* quia est disjunctiva, per quam solum contradicitur copulativæ, ex Regula præcitata. Tum quia hæc *contradicens* negat per explicitam explicationem particulæ exclusivæ, *tantum*, simultatem duplicis contradictorij, quam per explicitam implicationem *contradicta* affirmat: sed ad propriam contradictionem simultatis, debet negari simultas affirmata; vt inductione patet. Ergo.

7 Prob. 2. assignando aliam contradictoriam minus explicitam, ex Regula d. 20. n. 15. scilicet præponendo Negationem toti Propositioni, v. g. *Non Petrus existit, & non existit*:

exiſtit: per quam eadem ſimultas vtriuſque contradictorij removetur. Ergo per illamoptimè contradicitur.

8 Obij. 1. Contradictoriæ debẽt ſeruare eundem modum, quia debent eſſe eiuſdem de eodem omnino; ſed contradictoria a nobis aſsignata eundem modum non ſervat, quia addit illum modum, *tantum*, qui in contradicta non datur, Etgo.

Confirmatur, quia huic copulativæ falſæ, *Nec Abel, nec Cain eſt juſtus*; contradiceretur verè per hanc diſjunctivam, *vel Abel, vel Cain eſt juſtus*: & tamen ſi adderetur, *tantum*, eſſet falſa; quia multi alij ſunt juſti præter Abel. Ergo Ly *tantum* immutat veritatem contradictoriæ; ac proinde male additur in noſtra.

9 Reſp. longe aliter ſe habere Propoſitionẽ copulativam duplicis expliciti contradictorij, ac copulativam duplicis alterius cuiuscumq; prædicati. Quia copulativa contradictoriorum importat per explicitã negationem, & affirmationẽ vtriuſque, explicitam implicationem, ſimultatis, & excluſionis, ſive *tanteitatis*, & non *tanteitatis* vtriuſque, & ſingulorũ. Quia eo ipſo, quod illa prædicata, vt contradictoria, enuntiat per Ly *Non*, enuntiat illa vt invicem excluſiva, per *tanteitates ſuas*; & ſimul per Ly, *&, affirmativum*, vt *ſimultanea*, per ſimultatem enuntiationis. Vnde contradictoria diſjunctiva optimo jure exprimit illam tanteitatem, per Ly *Tantum*, quam per ſuam explicitam implicationem copulativa *contradicta* importat; atque adeo diſjunctiva non addit *modum*, qui non ſit explicitè, licet non per eam vocem, ſed per ſynonimam ſuæ negativæ implicationis, in copulativa; & ita ſunt eiuſdẽ de eodẽ forma liſsimè. Et hinc patet has propoſitiones eſſe exponibiles, de quibꝰ infra.

10 Ad confirm. in alijs diſjunctionibus, Ly *tantum* poteſt immutare veritatem, ſed in diſjunctione de cõtradictorijs; cum hæc eſſentialiter *tanteitatem*, invicem excluſivam, importent, non immutat, ſed potius perficit, & explicat eorum veritatem.

11 Obij. 2. Contradictoria eſſentialiter ſunt tantum duo; ergo propoſitioni enuntianti duo contradictoria, aliud non ſuper eſt, quod ipſi contradicat; aliàs aliud eſſet contradictorium præter duo.

Reſp. Contradictorium implicatum ex ſimultate duplicis contradictorij, involvere novam conceptibilitatem illius ſimultatis, & complexionis; & ſecundum hanc ipſi correſpondere novam contradictionẽ: quia conceptus, & conceptibilitates poſſunt in infinitum reflectere, & cõbinare veritates, & falſitates ad contradictionem; cognitio enim cognitionis poteſt ſyncategorematicè in infinitum abire, vt dixi *diſp. 3. n. 5.*

12 Obij. 3. Qui enuntiat, ſeu dicit, exiſtere duo extrema contradictoria, non ſolum dicit exiſtere vtrũque, ſed etiam quodvis eorum cum excluſsione alterius, atque adeo diſjunctè; cum excluſio mutua ſit de eſſentia vtriuſque; ergo per ipſam diſjunctivam, quam continet, de

existentia alterius exclusiva, non potest illi contradici.

Resp. Eo ipso quod enuntiantur copulativè ea duo contradictoria, enuntiatur eorum exclusio mutua, vt exclusiva, & simultanea; vnde disjunctiva Propositio, quæ solum vt exclusivam illam enuntiat, poterit cõtradicere, quia ita non continetur in copulativa.

13 Obij. 4. Propositioni, *Petrus existit, & non existit*, non potest assignari contraria; ergo neque contradictoria; par enim est ratio vtriusque. Anteced. prob. Si quæ esset contraria, maximè alia copulativa, *Nec Petrus existit, nec non existit*, ex Regula *disp.* 20. *n.* 16. At ea minimè, quia idem negat per Ly *nec*, & idẽ affirmat per Ly *nec non*, quod prima; ergo.

Resp. 1. nego conseq. Sic enim Propositioni singulari non est alia singularis contraria, est tamen contradictoria: Regula autem illa est pro copulativis, quæ verè, non quæ implicatoriè copulativæ sunt.

14 Resp. 2. Assignari etiam posse contrariam, copulativam quidem ex Regula *d.* 20. *n.* 16. nec non exponentem per duplicem complexam, quia est exponibilis prædicta implicatoria, *Petrus existit, & non existit*, ratione simultatis & *tanteitatis* exclusivæ, quam in complexione duplicis contradictorij importat, per & simultaneum, & Ly *Non* exclusivum, vtriusque contradictorij ad invicem; ex dictis n. 9. Vnde contraria debet negare vtrumque, scilicet, & *simultatem*, & *tanteitatem exclusivam divisim*, dicendo; *Nec simul, nec divisim tantũ, Petrus existit & non existit.* Atque ita ex parte negativa simultatis [ex qua vera esse posset) continebit vt subalternatam contradictoriam disjunctivam verã suæ contrariæ; ex parte vero falsa negativa tanteitatis disjunctivæ alterutrius contradictorij, opponetur suæ contradictoriæ disjunctivæ veræ, sub alternatæ sub parte verificabili suæ contrariæ: Quod explicat sequens Tabella.

15 *Subalternans.*

Petrus existit, & non existit: *id est*, simul, & tantum.

Subalternans.

Nec simul, nec tantum, Petrus existit, & non existit.

CONTRARIÆ



Subalternata.

Vel simul, vel tantum; Petrus existit, & non existit.

SUBCONTRARIÆ.

Subalternata.

Vel tantum Petrus existit; Vel tantum non existit.

DISPVT. XXIIJ.

Sint ne duæ cõtradictoriæ ſimul veræ, vel falſę?

AFitmativa ſententia tribuitur Heraclyto, & alijs Philoſophis, contra quos agit Ariſtot. 4. *Metaph. c.* 4. *& ſeq.* a S. Thoma ibi P. Fonſeca. &c. Eam quo ad propoſitiones reflexivas, & ſe falſificãtes tenet Mag. Soto, *Opuſc de indiſſolubilibus lect.* 1. nec nõ quoad propoſitiones de ſubjecto implicatorio expreſſò P. Lynceus *hic lib.* 10. *n.* 80. *&* 4. *Phyſ. tr.* 2. *c.* 8. Eandem in divinis tuentur Nominales cum Occamo apud P. Comp. d. 24. log. ſ. 4. n. 1. & placuit Bonæ ſpei d. 2. log. du. 5. n. 250.

2 Negativa ſententia certa eſt; ex Ariſt. *hic & in Metaph.* & S. Th. ibidem, ab omnibus DD. recepta. Quia nititur duobus principijs per ſe notis; *Quod libet eſt, vel non eſt*: ex quo alterum ex contradictorijs, *eſſe, vel non eſſe*, neceſſario verificatur: item, *Impoſſibile eſt rem ſimul eſſe, & non eſſe*, ex quo repugnat vtramque falſificari. Quæ clariora ſunt, quam vt amplius probari poſsint. Nihilominus ſit,

Sect. 1. *Aliquæ obiectiones.*

3 Obij. 1. Pro Nominalibus; in Deo verificantur hæ duæ contradictoriæ, *Eadem entitas indiviſibilis illis quæ eſt in Patre communicatur filio: eadem non communicatur filio*; quia deitas quæ communicatur eſt eadem indiviſibilis entitas cum Paternitate; quæ non communicatur. Ergo.

Reſp. ratione divinæ infinitatis dari in Deo virtualem realem diſtinctionem, ob eminentiam ſummæ identitatis, potentis præſtare ſine diſtinctione, quod in creatis ſola diſtinctione reali formali præſtatur; & vi huius virtualitatis conveniunt Deitati, & Perſonæ, prædicata illa, & alia, quæ contradictoria eſſent, niſi talis diſtinctio virtualis intercederet. De quo Theologi.

4 Obij. 2. Has eſſe binas contradictorias, & tamen falſas: *Abel, & Cain ſunt ſancti; Abel & Cain non ſunt ſancti.* Item, *Iacob novit ſibi nupſiſſe Liam, Iacob novit ſibi non nupſiſſe Liam.* Ergo.

Reſp. neutras eſſe contradictorias. Non *primas*, quia copulativas, & conſequenter contrarias, & ſimul falſas, ex Regula di p. 20. n. 16. Non *ſecundas*, quia neque oppoſitas, cum negatio non cadat ſupra verbum præcipuum orationis, in quo eſt ſimpliciter affirmatio, & negatio; atque adeo, & oppoſitio; hæc ergo contradiceret, *Iacob non novit &c.*

5 Obij. 3. Hæ contradictoriæ, *Chymæra diſtat à me. Chymæra non diſtat a me*; ſunt falſæ; *prima*, quia affirmat Chymæræ vbicationẽ diſtantẽ; *ſecunda*, quia ſupponit indiſtantem. Ergo.

Reſp. Dato, quod Ly *non diſtat*, ſumatur pro poſitiva *indiſtantia* (nam ſi ſumatur negativè, verificatur quod Chymæra *non diſtat*, ſicut, quod *non exiſtit*, vt bene notat P. Ovied. c. 3. p. 6. n. 5.) eas non eſſe contradictorias, quia ſunt de ſubjecto

non

non supponente, ex d. 14. n. 11. prædicata enim contingentia, adjectivè dicta supponunt absolutè existentiâ subjecti, ex d. 4. n. 10. vnde propterea falsa sunt, & de subjecto nõ supponente, *Antichristus dormit, vel non dormit; Alius mundus est inferior, vel non est inferior* &c. Pariter ergo, *distans vel indistans*, cum sit de prædicatis contingentibus, supponit existentiam subjecti, quasi copulativè diceret; *Chymera quæ existit, distat*, &c. vnde per disjunctivam contradicetur, ex Regula *cit.*

6 Obij. 4. *Homo loquitur, Homo non loquitur*; sũt cõtradictoriæ, nõ minus quam, *Homo est rationalis, Homo non est rationalis*; sed sunt veræ, sumptæ pro distinctis hominibus, vel distinctis temporibus. Ergo.

Resp. neg. maj. Quia propositio de Termino communi indefinito, solum in materia necessaria est vniversalis; in contingenti vero est particularis, atque adeo sonat, *Aliquis homo loquitur, aliquis non loquitur*; atque etiam *aliquando, & aliquando non*; vnde tantum erunt subcontrariæ, & propterea veræ.

7 Obij. 5. *Nullus equus requiritur ad equitandum, Aliquis equus requiritur ad equitandum*, sunt veræ, quia nullus determinate, & aliquis *indeterminate* requiritur. Ergo.

Resp. cum Termini earum Propositionum supponãt confuse ex disp. 15. n. 18. vt tollatur æquivocatio confusionis, debere exprimi Ly *determinatè requiritur*, vel Ly *indeterminatè &c.* atque ita vna erit necessaria vera, & altera falsa, servato eodem sensu.

8 Obij. 6. *Omnis Deus est incarnatus, aliquis Deus non est incarnatus*; sunt contradictoriæ; & tamen falsæ; *prima*, qua dicit omnes personas incarnatas: *secunda*, quia supponit aliquem Deum disjunctivè, vel hunc, vel illum, atque ita plures Deos.

Resp. non esse contradictoriam *aliquis Deus*, &c. ratione falsæ suppositionis, pro pluribus Dijs; ex qua fit de *subjecto non supponente*; vnde cõtradictoria erit, *Non omnis Deus est incarnatus*: vbi Ly *Non omnis*, non convertitur cum Ly *Aliquis non*; quia hæc conversio solum æquivalet, quãdo nõ afficit terminum singularem, qualis est Deus.

9 Obij. 7. *Cujuslibet hominis omnis equus currit; cujuslibet hominis aliquis equus* nõ *currit*, cõtradicũt; & falso: si nullus equus Petri currat: Itẽ falsa etiam esset contradictoria, quã assignat P. Arriaga, *Alicujus hominis aliquis equus currit*: Quia omnes hæ propositiones supponunt, quod *omnis*, vel *aliquis homo* habeat equum, & posset nullus habere equũ & ita eas omnes falsificare.

Resp. propter falsam suppositionem, nullam earum esse contradictoriam, sicut dixi de alijs de subjecto non supponente, num. 5. Propositiones enim importantes suppositionem, sunt copulativæ, vnde illis disjunctivè est contradicendum, *vel aliquis homo non habet equum, vel alicujus aliquis equus non currit*: ex regula ibi citata.

10 Obij.

10 Obij. 8. Propoſitiones de ſubjecto expreſſe implicatorio contradictoriæ, ſunt veræ; v.g. *Equus rationalis diſcurrit, equus rationalis non diſcurrit*; quia, qua rationalis, eſt capax diſcurrendi; & qua equus, eſt incapax; ergo.

Reſp. in ſenſu abſoluto ſolam negativam eſſe veram, quia abſolutè non eſt talis equus rationalis, cui diſcurſus abſolute conveniat; & quia Termini complexio requirit veritatem, vt verificetur propoſitio; facit enim ſenſum Propoſitionis complexæ Relativæ, ex *diſp.* 19. *n.* 12.

11 Obij. 9. Et replic. ex P. Lynceo, ſaltem in ſenſu conditionato ſunt veræ hæ contradictoriæ, *Si equus eſſet rationalis, diſcurreret*; *ſi equus eſſet rationalis, non diſcurreret*; quia ex conditione implicatoria in adjecto, ſequitur quodlibet contradictorium, ſive vtrumque. Ergo veræ erunt contradictoriæ, quæ vtrumque contradictorium enuntiant.

Reſp. nego antec. Quia licet verum ſit, quod vtrumque contradictorium ex termino implicatorio ſequatur, ſub conditione in vi connexionis, & illationis; non tamen ita vt aliquod eorum negetur; immo eo ipſo quod vtrumque vere illative ſequatur, neutrum poteſt ſub ea hypotheſi vere negari; cum vere illativè ſive conditionaliter affirmetur. Quia in his etiam veritatibus licet non abſolutè, & ſimpliciter talibus, vim habet principium. *Quodlibet eſt vel non eſt, & impoſſibile eſt ſimul eſſe & non eſſe.* Vnde ſi verificatur affirmatio vnius contradictorij ſub conditione, non poteſt verificari negatio ipſius contradictorij ſub eadem conditione: etiam ſi ſimul ſequatur vtrumque contradictorium. Et ratio eſt, quia negatio vnius contradictorij, expreſſe excludit illud, vnde non conformatur cum veritate conditionata Termini implicatorij, ſimul importantis vtrumque; atque adeo tunc ſolum negatio erit vera, ſi ſimul ſit affirmatio alterius contradictorij, dicendo v.g. *Equus rationalis non diſcurreret, & diſcurreret*; atque ita jam non eſſet contradictoria ſed ſubalternans, reſpectu affirmantis: *Equus rationalis diſcurreret.*

12 Obij. 10. *Homo eſſentialiter eſt albus*, contradicit huic, *Homo eſſentialiter non eſt albus*; ſed *prima* falſa, quia eſſentialiter non includit albedinem; & *ſecunda* etiam, quia eſſentialiter illā no excludit homo: ergo.

Reſp. *primam* quidem eſſe falſam: *ſecunda* verò, vt cōtradictoria, & vera ſit, debet præponere negationem modo adverbiali, *Homo non eſt eſſentialiter albus.*

13 Obij. 11. *Deus eſt ens*, optimè contradicitur, præpoſita negatione Regula ex d. 20. n. 15. per hanc, *Non Deus eſt ens.* Sed hæc etiam eſt vera; quia creatura, quæ, eſt *Non Deus*, etiam eſt ens. Ergo.

Reſp. nego min. quia eo ipſo quod contradictoria ſit, eſt negativa, cū contradictio eſſentialiter petat negationem; hoc autem ſenſu non ſumitur *Non* infinitant er, pro *Non*

Deo

Deo, quo solum sensu esset vera, & non contradictoria; vt pote etiam affirmativa. Erit ergo æquivoca.

Sect. 2. objectiones, ab Exponibilibus, Exclusiva, Exceptiva, & Reduplicativa.

14 Obij. 12. Hæc exponibilis exclusiva, *Tantum Deus est blasphemus*, habet hanc contradictoriam, *Non tantum Deus est blasphemus*: sed tamen etiam falsam, quia non negat absolute Deum esse blasphemũ, sed quod sit solus; vnde potius falso supponit, talem esse cum alijs, ergo ambæ contradictoriæ sunt falsæ. Major probatur; *Tum* ex Regula, quod melior contradictio est, quando præponitur negatio toti Propositioni. *Tũ* quia præponitur Modo illi *Tantum*, quod præcipuum est in contradictorijs modalibus: vnde huic, *Paries essentialiter est albus*, contradicit optimè hæc, *Paries non essentialiter est albus*.

15 Respondent P. Santa-cruz n. 397. P. Ovied. contr. 3. p. 11. & RR. cum P. Maça. Ly *Non tantum* non facere sensum copulativum absolutum, *Quod Deus, & simul alius blasphemus sit*, sed prorsus conditionatum, *Si Deus est blasphemus, non est solus, sed alius blasphemus est*: quod alij etiam disjunctive explicant: & pro regula afferunt ex Card. Tolet. dictiones illas, *Iste, claue, proram, regit*.

16 Contra insurgunt P. Arr. n. 52. P. Hurt. n. 74. P. Lyne. l. 4. tr. 5. n. 27. demonstrantes, *Tum*, quod Dictiones illæ cæco *claue*, & cum fallaciæ naufragio *proram*, regant, *Tum*, quod ly *Non tantum*, non sonet conditionate, nisi adjunctum verbo non absoluto: alias non abhorrerent aures á propositione illa, *Non tantum Deus est blasphemus*, tamquam falsissima, hæretica, & blasphema. *Tum*, quia Ly *Tantum* in sensu copulatiuo explicat S. Thom. 1. p. q. 31. a. 3. ad 2. inquiens: *Hoc aduerbium, Tantum cum sit exclusiuum potest poni ex parte subiecti, & ex parte prædicati: possumus enim dicere, Tantum Sortes currit*, id est, *Nullus alius*: & *Sortes currit tantum* id est, *nihil aliud facit*. Imo Christus D. Joan. 8. v. 16, Sic exponit. *Solus non sum, sed ego & qui misit me Pater*. Vbi exclusivam negatiuam, *Non sum solus*, per duplicem affirmatiuam, *sed ego, & Pater*, copulatiue explicauit. Ergo ita etiam explicãda est exclusiua negatiua, quæcumque, ac proinde, & illa, *Non tantum Deus est blasphemus*; ac si copulatiuè dicat: *Deus est blasphemus*, & *etiam aliquis alius*; & consequenter alteri copulatiuæ falsæ, *Tantũ Deus est blasphemus*, contradicere non poterit, quia etiam est copulatiua: *Deus est blasphemus, & nullus alius*, &c. Cui proinde per aliam copulatiuã contradici nequit. Unde, & ambæ sunt falsæ simul, & consequenter cõtrariæ; quibus solum erit, contradicendum (ex Regula cit) per disjunctiuas, easque exponentes, siue exponentibus oppositas; vt exigit natura Exponibilium, tam ad suam oppositionem, quam ad significationẽ,

ex d, 17

d. 17. n. 17. Atque ita huic, *Tantum Deus est blasphemus*: Contradicet hæc, *Vel Deus Blasphemus nõ est, vel aliquis alius est blasphemus.*

17 Hæc sententia facilius, & melius explicat Exclusiuas, quando ponitur Ly *Tantum* ex parte subiecti (quæ limitatio declarabitur n. 22.) tunc enim facit sensum copulativũ assertivum absolutè vtrunque categoricæ: vti proinde non nisi per disjunctionem contradicitur, vt ex sequenti Paradigmate patebit.

EXCLVSIVÆ.

Contrariæ Vniversales de modo affirmato.	*Contrariæ particulares de modo negato.*
1. Tantum Petrus legit.	3. Non tantum Petrus legit.
Expon. Petrus legit, & nullus alius.	*Expan.* Petrus legit, & aliquis alius.
2. Tantum Petrus non legit.	4. Non tantum Petrus non legit.
Expon. Petrus nõ legit, sed omnis alius.	*Expon.* Petrus non legit, nec aliquis alius.

Contradictoriæ Contrariarum universalium	*Contradictoriæ Contrariarum particularium.*
1. Vel Petrus non legit, vel aliquis alius legit.	3. Vel Petrus non legit, vel nullus alius legit.
2. Vel Petrus legit, vel aliquis alius non legit.	4. Vel Petrus legit, vel omnis alius legit.

18 Resp. Jam ad object. è *num.* 14 negã. maj. quod *Tantum*, *Non tantum* sint Contradictoriæ. Ad 1. *Probatur.* Regula illa contradictionis per præpositam negationem intelligitur, quando modus, vel particula non adjungitur, quæ faciat sensum alienum á contradictione, scilicet *copulativum* respectu *copulativi*, vt fit per modum exclusivum. Ad 2. *prob.* negatio adjuncta alijs modis v. g. *essentialiter, necessario* &c, facit contradictionẽ, quia cum illis nõ facit sensum vt in præsenti destructivum contradictionis.

19 Replicas 1. ex R. ab exemplo P. Hurt. n. 69. Si quis contra Tridentin. dicat. *Tantum ego conceptus sum in peccato*, cogeretur a Iudicibus ad retractationem hanc, *Non tantum ego conceptus sum in peccato*; non tamen ad nostram, *Vel ego non sum conceptus in peccato, vel alius conceptus in peccato est.* Ergo quia non nostra, sed prior contradicit.

Resp. Similiter, siquis contra Apostolum diceret, *Nullus homo in Adam peccauit*, non cogeretur ad contradictoriam, *Aliquis homo peccavit in Adam*; sed ad contrariã non dialecticam, *Omnes in Adam peccaverũt.* Ergo pariter in nostro casu ad contrariam cogeretur. Ratio, quia Ecclesia non curat Cõtradictorias Dialecticas; sed quod profiteamur Propositiones fidei, erroribus oppositas, sive contrarias, sive contradictorias.

20 Replic. 2. Propositiones de subjecto implicatorio sunt contradictoriæ, & vna earum vera, v. g.

Alius Deus esset infinitus, alius Deus nõ esset infinitus; licet supponat aliũ Deum; ergo pariter exclusivæ, licet supponant Deum blasphemum.

Resp. nego conseq. Quia priores illæ propositiones sunt conditionatæ per verbum *esset*, & conditio nihil ponit in esse, absolutè: at illæ propositiones exclusivæ fiunt per verbũ *est*, absolutum *ab* omni hypotesi; ac proinde cum involvat copulative duas propositiones, vtriusque veritatem exigit ad sui verificationem, vt constat ex disp. 19. n. 11.

21 Repl. 3. Huic exclusivæ, *Solus omnis homo legit*, non bene contradicit disjunctiva, *Vel omnis homo nõ legit, vel aliquis alius legit*; Quia non legente solo Petro, ambæ falsæ sunt, Ergo.

Respondet P. Arr. n. 57. Quod sicut, licet aliæ contradictoriæ fiant præponendo negationem toti Propositioni, non ita tamen, quæ sunt de Termino singulari, quia infinitatur Terminus, & mutat sensum, v.g. *Non Petrus currit*. Ita ad cõtradicendũ Termino vniversali, affecto per Ly *Solus*, debet præponi negatio, v.g. *Vel non omnis homo legit, vel aliquis alius legit*.

Respondeo facilius. Cum Ly *Non omnis*, sit æquivalenter *aliquis non*; & Termino vniversali *omnis* contradici debeat, per particulare, *aliquis non*; ideò, illi vniversali copulativæ & exclusivæ, *Solus omnis homo legit* [quæ æquivalet duabus vniversalibus, *omnis homo legit, & nullus* alius *ab homine* legit] contradicetur per hanc, disjunctivam complexam ex duplici particulari: *vel aliquis homo legit, vel aliquis alius ab homine legit*. Quia copulativæ ex vniversalibus categoricis, debet cõtradici per disjunctivam ex categoricis particularibus, vnicuique vniversali singulatim contradicentibus, vt est certũ.

22 Replic. 4. pro Card. Toleto, & P. Ovied. Quod licet, particula exclusiva *Tantum*, si ponitur ex parte subjecti, faciat sensum suppositivũ subjecti, & convenientiæ absolutæ prædicati, vt hactenus probatũ est: non tamen quando ponitur ex parte prædicati; maximè in propositione negativa: quia tunc solum negatur *tanteitas* prædicati, sive exclusio aliorum prædicatorum: Ergo in hoc sensu poterit etiam verificari ea propositio, *Deus non est blasphemus tantum* negando *tanteitatem* blasphemiæ, quin blasphemia ipsa tribuatur Deo.

Resp. antecedens satis esse probabile; & confirmo a priori. Quia *tãteitas* prædicati, nihil est aliud est, quam simultas ipsius prædicati modificati, cum exclusione aliorum, faciens vnum prædicatũ complexum v.g. *blasphemus tantum*: vt autem negetur vere aliqua simultas, sive prædicatum complexum, sufficit quod vna pars illius vere negetur, præscindendo ab alia. V.g. si de animali a longe viso, quod nescio an sit homo, alteri dicenti, quod *est homo irrationalis*, contradicã dicens, quod *Non est homo irrationalis*: tunc optime stat veritas huius negationis, ratione exclusivæ partis, negatæ a me

in præ-

in prædicato complexo; licet non negem, ſed præſcindam ab altera, *Quod ſit, vel non ſit homo*, quam permitto ſub hypotheſi. Pariter ergo, dum de Magno Theologo, quem ſcio, neſciens an ſit Aſtrologus, alteri dicenti, quod *eſt Aſtrologus tantum*; contradicam dicens, *Non eſt tantum Aſtrologus*; minimè affirmo Aſtrologiam, ſed illa relicta, aut permiſſa quaſi ſub hypotheſi; nego tantum partem excluſivam, ſive *tanteitatem*, illius Termini complexi, *Aſtrologus tantum*, quin affirmem poſitiuam, Aſtrologiæ. Et hinc apparet maxima diverſitas à *tanteitate*; Tum quando ponitur ex parte ſubjecti; quia cum ſubjectum poſitivè ſupponatur per enuntiationẽ, ſi ſuppoſitio termini ex parte ſubjecti falſa ſit, facit ſenſum ſubjecti non ſupponentis, & cõſequenter falſũ; ſicut illa: *Corvus albus volat, vel non volat*. Tum quando ponitur ex parte prædicati affirmati, quia ad affirmationem termini complexi, ſeu ſimultatis non ſufficit, quod ex vna parte verificetur ſimultas, ſeu Terminus complexus; nõ enim eſt *homo doctus*; qui ſolum eſt homo: vnde non poteſt verificari, quod ſit *tantum lapis*, qui lapis non eſt.

Ex dictis patet, quod poteſt in ſẽſu dialectico hypothetico vere concedi, quod *Deus non eſt blaſphemus tantum*; quia ſolum negatur tanteitas ex parte prædicati, ſeu quod careat alijs prædicatis, manente blaſphemia ſub hypotheſi. Sed neque hæc propoſitio eſt contradictoria alterius, de qua in *obiect. n.* 14. in illa enim ponetur Ly *Tantum* ex parte ſubjecti, *tantum Deus* &c. in hac vero ex parte prædicati; vnde mutatur appellatio: quæ cum valde æquivoca ſit, & vix dignoſcibilis ex ſolis vocibus, vt dixi diſp. 14. n. 35. ideo non ſolum illa falſa, ſed neque hæc vera, facile proferenda eſt; vt monent Cardin. Toletus, & P. Ovied.

23 Obij 13. Ex Reduplicativis contradictorijs. V.g. *Petrus inquantum albus eſſentialiter eſt viſibilis*; *Petrus inquantũ albus eſſẽtialiter nõ eſt viſibilis*: quæ ſimul veræ ſunt: *prima* quia Petrus vt albus involvit albedinem, quæ eſſentialiter eſt viſibilis oculo corporeo; vt pote diſgregativa viſus: *ſecunda* quia Petrus vt albus, eſt ſubjectum albedinis; vt ſubjectum autem accidentaliter recipit albedinem, & conſequenter, omnia prædicata quæ ab albedine participat, vt eſſe *viſibilem*, &c. Ergo ſunt contradictoriæ ſimul veræ. Et ita poſſunt è contrario multæ aliæ reduplicationes ſimul falſæ excogitari.

Reſp. reduplicationem eſſe valde æquivocam, quia denotat terminum reduplicatum eſſe cauſam, vel conditionem, formaliter ſe habentem ad convenientiam, prædicati vt dixi d. 17. n. 17. Cum autem tot ſint cauſarum, & conditionum genera; poteſt juxta illa multipliciter variari reduplicatio, & ſecundum, vnam rationem convenire prædicatũ ſubjecto, ſecundum aliam vero non convenire. Vnde ſemper reduplica

tiva, distinguenda, & exponenda est, per duplicem propositionem copulativam; alteram qua prædicatū affirmetur de subjecto, alteram, qua exponatur, ratió reduplicata secundum quam prædicatum convenit. V: g; in adductis propositionibus *Primæ* fiet expositio: *Petrus ratione albedinis est visibilis, & albedo importat essentialiter visibilitatem.* Secundæ vero, *Petrus ratione albedinis est visibilis, & est subjectum non essentialiter recipiens albedinem.* Vnde patet non esse contradictorias; tum quia sunt copulativæ; tum quia distinctas omnino veritates enuntiant. Vnde singulis per disjunctivas erit contradicendum.

24 Obij. 14. ab exceptivis, quæ simul sunt falsæ, v.g. *Omnis homo, præter Bucephalum, est risibilis: aliquis homo, præter Bucephalum, non est risibilis.* Ergo.

Resp. esse falsas, quia copulativè important falsam suppositionem, *quod Bucephalus sit homo*; omnis enim exceptiva significat terminum exceptum contineri sub communi, de quo enuntiat: ex d. 17. n. 17. vnde si falsa sit hæc significatio, reddet propositionem falsæ suppositionis; quare etiam per disjunctivam exceptioni, suppositæ, vel prædicari enuntiati, erit ei copulativæ contradicendum.

Sect. 3. Obiectis Se-falsificantibus, &c.

25 Obij 15. Implicatissimè a Proportionibus se ipsas reflexe falsas redentibus, v. g. *Iuro me non jurare; Ego semper mentior: Omnis propositio mea est falsa*: quæ se ipsas falsificant vt patet. Pone ergo, Propositionem *A*, v.g. quæ dicat, *se esse falsam.* Hæc propositio necessario est falsa; quia etiam, in quantum vera, falsa, est. Si enim est vera, ergo est falsa; cum de se affirmet se esse falsam, ac proinde verificari falsitas debeat. Contradicat ergo illi alia propositio dicens, *Propositio A. non est falsa.* Hæc etiam falsa erit; cum de propositione vere falsa dicat, falsam non esse. Ergo ambæ contradictoriæ falsæ existent. Quod argumentum Crux, & Torment ū ingeniorum; Serpens, & Cocodrillus; nec non Mirabilis argumentatio, contradictorium ex cō tradictorio inferens; multis q̄ alijs nominibus, solet appellari.

Respondent RR. nostri communiter cum P. Arr. n. 63. eam propositionem *se falsificantem*; in intellectu nostro esse impossibilem; quia intellectus assentiri non potest nisi vero, vt vero; si autem asserit se esse falsam, cognoscit obiectum, cui assentitur, non esse verum, vnde assentiretur objecto cognito vt non vero; quod implicat.

26 Contra. Quia adhuc animus non quiescit; saltem enim potsibilis est ea propositio in vocibus, & in apprehensionibus enuntiativis, vocali propositioni correspondentibus, ex disp. 16. n. 3. in quibus licet non sit veritas, & falsitas perfecta, & propria judicij, est tamen alia simplex per modum conformitatis cum suo

obiecto, ex d. 12. n. 11. & 13. Vnde restat inquirere, an eæ imperfectæ enuntiationes habere possint simul suam simplicem veritatem, & falsitatem? si enim eam habeant refunditur simultanea veritas, & falsitas, in contradictoria obiectiva; in quibus præcipua repugnantia est simultanea verificabilitatis. Quia principium illud impossibile est, *rem simul esse, & non esse*, præcipue, & primario pro contradictorijs obiectivis inter se repugnantibus, quoad simultaneam verificabilitatem, a Philosophis, & Dialecticis omnibus intelligitur. Ergo licet repugnet tale judicium in mente, si tamen non repugnet ea contradictio in vocibus, & conceptibus simplicibus, pro vt ad objectivos terminos relatis, manet integra difficultas.

27 Respondeo itaque hoc argumento solum probari propositionẽ, quæ simul sit vera, vel falsa; seu, quod magis, & mirabilius est quod sit vera in quantum falsa, & falsa in quantum vera; quæ est mirabilis vis reflexionis intellectualis, quæ in ipsa falsitate veritatem reperit quia falsitas ipsa vere est falsitas. Vt autem probabo Tract. 6. cum P. Ripalda, & alijs, minimè repugnant propositiones simul veræ, & falsæ respectu diversorum: sive in quantum sunt diversæ propositiones, & enuntiationes in eadem propositione realiter identificatæ, seu virtualiter distinctæ; quæ de vno verũ, de alio falsum, non copulatiue, enuntient. Et talis est enuntiatio ſs falsificans, tam in mente, quam in vocibus; quia voces a nostris conceptibus, pro quibus supponunt, induunt significationem reflexivam. Vnde distinguenda est duplex, imo multiplex propositio, in ijs reflexionibus se falsificantibus: & prima quidem erit vera, scilicet reflectibilis supra quã fit reflectio; secunda vero propositio reflectens (loquor de propositione imperfecta, sive apprehensiva, & lata) qua dicat esse falsam, secundũ hanc suam reflexivam distinctam enuntiationem falsa erit; vnde solum secunda ea propositio erit vera reflexe, in ordine ad aliam tertiã reflexionem, qua cognoscatur vere esse falsam. Et inde patet secundum distinctas enuntiationes habere eã propositionem esse veram, & esse falsam.

28 Vnde fit quod Propositio contradicens, & negans, *esse falsam*, sicut etiam quæ negaret *esse veram*, semper erit falsa, cũ neget aliquod è duobus prædicatis, quæ vere, & realiter propositioni illi conueniunt secundum distinctas formalitates: vnde vtrumque poterit affirmari, neutrum vero vere negari. Sicut de homine vere affirmatur, quod conveniat, & disconveniat, cum bruto; non potest tamen negari quod convenit, vel quod disconvenit: quia non est idem affirmare duo prædicata opposita, secundum diversas formalitates in eodẽ subjecto vnibilia; ac affirmare vnum, & negare alterũ vt contra Scotistas dicam Tract. 4. Atque adeo propositio illa contradicens

dicens erit falsa, negando illius reflexionis falsitatem, in quantum reflexioni ipsi vt veræ contradicit: & ita vna necessario vera, & altera falsa erit, secundum quod sibi cõtradicunt; licet secundum aliam partem secundum quam non contradicitur, & est quasi distincta propositio, realiter simul veræ sint materialiter, & concomitanter.

29 Replicas, posse secundum eandem met formalitatem propositionem reddi veram, & falsam. Ergo tunc contradictoria negans veritatem, erit simul vera, secundum quod contradicit. *Antec. prob.* quia si Deus paciscatur cum Petro, *Dabo tibi gratiam, tantum si dicas verum.* Et Petrus dicat statim: *Non dabis mihi gratiã.* Uel Deus tunc daret gratiam, vel non daret? Si det: ergo Propositio Petri est vera, quia Deus, per Ly *tantum*, asseruerat gratiam non daturum, nisi diceret verum. Sed hoc ipso esset falsa, quia negaret verum, scilicet donationem gratiæ, quam Deus re ipsa dederat. Ergo esset falsa, qua vera.

Resp. hac replica, non tam probari veritatem, & falsitatem propositionis, quam repugnantiam, & implicationem ex parte Dei, implendi suam promissionem, sub illa negatione reflexa, negante ipsius promissi impletionem, & cõnexa cum ipsa non impletione. Vnde cõmuniter negant, cum P. Arr. posibilitatem talis pacti, quia involvit mutuam dependentiam, & prioritatem. Ueritas enim prolata est quasi pro priori motivum divinæ donationis; & ipsa veritas simul dependet quasi a priori ab ipsa donatione ad suam verificationem; quæ mutua dependentia, & implicatio multa involvit, Theologis examinanda.

30 Obij. 16. & vltimo. Propositiones contradictoriæ de numero plurali sunt simul falsæ; v.g. *Omnes Apostoli sunt iusti. Aliqui Apostoli non sunt justi.* Prima enim falsificatur á Iuda: Secunda vero, quia non est alius iniustus præter Iudam. Ergo. Obiectio hæc separatam postulat disputationem, quare sit.

DISPVTAT. XXIV.

Vtrum inter propositiones de numero plurali sit contradictio.

1 PPrima sententia negat, quia illas confalsificari putat. Ita PP. Connimb. cap. 7. quæst. 1. art. 2. ad tertium P. Art. á n. 44. P. Peñañel disp. 9. quæst 7. P. Compt. disp. 6. sect. 1. P. Linc. lib. 4. Tract. 4. n. 3. Ioanniz disp. 4. cap. 2. n. 2. Caramuel n. 1147. &c.

CONCLVSSIO.

2 Secunda Nostra Sententria affirmat cum P. Alphonso lib. 4. cap. 4. a n. 61. P. Oviedo controv. 3. pũct. 6. num. 4. P. Sanctãcruz n. 362. Doctiss. P. Maça Tract. 2. disp. 6. sect. 7. & Nostris RR. communiter.

3 Præmittendum 1. quod sicut tota oppositio propositionum de numero singulari fundatur in descensu termini communis, ad aliquod singulare

gulare subjectum, in quo tota affirmatio, & negatio, atque oppositio determinate exerceatur ex disp. 20 n. 7. & d. 21. n. 3. ita oppositio propositionum de plurali debet fundari in descensu ad aliquod subjectum singulare collectivum plurium, v.g. ad aliquem binarium numerũ, dequo fiat affirmatio, & negatio. Quia cum ex communi hominum sensu, tam apud Dialecticos, quam apud Grammaticos, orationes de plurali habeant plura subjecta, seu personas agentes collectiue sumptas; sicut ècontra orationes de singulari vnum singulare subjectum, sive personam habent: consequenter descensus distributivus, propositionis vniversalis, *Omnes homines legunt*, erit, *& hi, & isti, & illi legũt*: sive *& hæc, & illa collectio*; *& hic ille binarius*, qui est minima collectionum. Et similiter descensus disjunctivus particularis contradictoriæ, *Aliqui homines nõ legunt*, erit, *vel hi, vel illi*; *vel hic vel ille binarius non legunt*. Quia sicut se habet vnumquodque singulare sub Termino de singulari communi *omnis*, & *aliquis*; se habet vnaquæque collectio sub termino de plurali communi, sive collectivo *omnes*, *aliqui*; vt est notum.

4 Præmittendum 2. Vt vere prædicatum aliquod collectioni conveniat, requiri, quod de singulis componentibus collectionẽ verificetur; nec sufficere, quod alicui, vel aliquibus componentibus collectionem conveniat. V.g. si in schola sint vnus homo, & vnus canis, dici nequit, quod in schola sint, *duo homines*, vel *binarius hominum*; imo potius negari debet, quod sit binarius hominum, & consequenter *quod sint aliqui homines in schola*. Ratio Quia à Termino collectivo per affirmationem, fit descensus distributivus mediatus ad singularia; v.g. si affirmatur, quod *in Schola est omnis Ternarius hominum*, infertur immediate *ergo hic ternarius, & ille hominum est*; & rursum; *ergo & hic, & ille, qui componunt ternarium, homo est*. Per negationem vero fit descensus disjunctivus similiter; v.g. *Aliqui Ternarij Scholæ non sunt hominum*; infert; *ergo vel hic, vel ille Ternarius*: & deinde, *ergo vel hic vel ille, componens ternarium homo non est*. Ex quibus præmissis,

5 Fit 1. Propositiones de plurali affirmantes prædicatum, quod convenit vni soli individuo; non solum vniversales (de quo non est dubiũ) sed etiam particulares, omnino esse falsas: v.g. Aliquæ Matres *sunt Virgines*; *Aliqui homines sunt impeccabiles*: *Aliqui Cæli sunt immobiles*. (supposita communiori sententia, quod solũ Empyreũ sit immobile.) Et ècontra negantes etiam vniversaliter tunc esse veras: v.g. *Nullæ Matres sunt Virgines*: *Nulli homines sunt impeccabiles*: *Nulli cæli sunt immobiles*; quia non faciunt vllam collectionem, seu binarium; Virginum Matrum, hominum impeccabilium, cœlorũ immobiliũ, Deipara, Christus D. & Empyreum, quæ singularia subjecta sunt.

6 Fit

¿ Fit 2. Inter affirmationem, & negationem prædicati de aliquo binario seu collectione singulari; non dari medium, non minus quam inter affirmationem, & negationem de quolibet singulari indivisibili: quia vel convenit prædicatum omnibus componentibus collectionẽ? Et sic erit vera affirmatio prædicati. Vel non convenit? Et sic erit vera negatio; quin possit medium excogitari. Iam hinc,

7 Prob. 1. Conclus. Propositiones vniversales, & particulares, de subjecto seu Termino communi de numero plurali, quarum vna sit affirmativa, & altera negativa ejusdem prædicati, habent descensum ad affirmandum, & negandum determinatè de eadem, singulari collectione: eodem modo quo vniversales, & Particulares de numero singulari, ad affirmandum, & negandum de eodẽ individuo singulari subjecto: pugnando sine medio in falsitate, & veritate; vt patet ex præmissis. Sed quæ ita pugnant immediatè, sunt formalissime contradictoriæ, vt constat ex definitione contradictionis. Ergo ejusmodi Propositiones de numero plurali sunt formalissimè contradictoriæ. Conseq. liquet. Maj. quamvis probata jam sit;

8 Confirmatur 1. Et declaratur in propositionibus, quæ pro ratione dubitandi ad calcem *disput. præced.* sunt propositæ: *Omnes Apostoli sunt justi, Aliqui Apostoli non sunt justi.* Quarum negativa est vera, & affirmativa falsa; sine medio, descendendo ad collectiones binarias Apostolorum; quia aliqua collectio binaria Apostolorum est de qua verificari nequit quod sit collectio binaria justorum, in qua numeratur Iudas cum alio Apostolo quovis; illa enim verificari nequit, quod sit duorum justorum, seu quod sint duo justi, vt demonstratum est n. 4. Ergo cũ ad illam collectionem descendat vtraque propositio, scilicet vniversalis, *omnes* determinatè distributivè, & particularis *aliquis non* indeterminatè disjunctivè, affirmando, & negando de illa, sine medio; non minus quam, si de *aliquo Apostolo in singulari*, affirmaretur, & negaretur esse justum; æqualiter exercebitur contradictoria oppositio.

9 Confirm. 2. ex alijs Propositionibus de plurali vniversalibus, negativis prædicati convenientis vni tantum singulari, v. g. *Nullæ Matres sunt Virgines; Nulli Homines sunt impeccabiles; Nulli cœli sunt mobiles;* quæ ideo dicuntur ab Adversi non esse contradictoriæ particularium affirmantiũ, quia sunt tam falsæ quã particulares affirmantes v.g. *Aliquæ Matres sunt Virgines; Aliqui homines sunt impeccabiles, Aliqui cœli sũt immobiles.* Sed vniversales falsæ non sunt; quia non est assignabilis aliqua collectio binaria, de qua possit verificari, quod sit *Matrum Virginum, hominum impeccabilium, & cælorum immobilium*; vt necessarium est ad falsificandas illas negativas vniversales de plurali; quæ de omnibus, & singulis collectionibus

diſtributivè verificant negationem talium prædicatorum. Ergo ſunt contradictoriæ, vt pote veriſimæ.

10 Prob. 2. Quia nulla eſt Propoſitio, cui contradictoria aliqua aſſignari non poſsit, vt conſtat ex diſp. 22. vnde aliqua contradictoria correſpondere debet illi vniverſali, *Omnes Apoſtoli ſunt juſti*: nulla autē melior eſſe poteſt, quam quæ ex Ariſtotelis Axiomate, præpoſitam habeat particulam negativam, *Non* ex illa Regula, *Præ contradic. d. ſeq. & ſup. d. 20. n. 15.* Atque adeo hæc erit optima contradictoria: *Non omnes Apoſtoli ſunt juſti.* Sed ea eſt de numero plurali, vt bene notat P. Alphonſ. n. 66. eo vſque nobis favens; & præterea per Ly, *Non omnes*, æquivalet plurali *Aliqui non*; ſicut *Nō omnis* æquivalet ſingulari, *Aliquis nō* ex Regula æquipollentiæ *diſp. ſeq.* quia habet deſcenſum pluralem *Nō omnes*, ſicut ſingularem *Non omnis*; vt patebit n. 12. ergo.

Confirmatur ex negativa, *Nulli Apoſtoli*, & contradictoria *Non nulli*, quæ expreſsius ſonat, *Aliqui* &c. ex quo patet, in oppoſitione de plurali ſervanda eſſe eadem ſigna, quæ in ſingulari, d. 20. n. 17. mutato ſolo numero: *Omnes, Nulli, Aliqui, Aliqui non.*

11 Reſp. Adverſ. Pluralibus illis *omnes, Nulli*, cōtradici per particulares de numero ſingulari, vg. *Aliquis Apoſtolus non eſt juſtus*: quia hæc pugnat ſine medio cum vniverſali, *omnes Apoſtoli ſunt juſti*, cum poſsint eſſe ſimul veræ, vel falſæ.

Contra 1. Quia hæc pugna licet ſine medio, non eſt immediata; vt requirit formalis contradictio, ſed mediata; ſicut negatio partis repugnat cum affirmatione totius, v. g. *Hoc ens eſt homo*, pugnat quoad vtramque qualitatem, cum his, *Hoc ens non eſt animal, non eſt riſibile, non conſtat corpore*, &c. Quia negando partem hominis, negatur mediate ipſum prædicatum *homo*; nec tamen ſunt formales, ſed ſolum virtuales contradictoriæ; quia non negant formaliter immediatè ipſum prædicatum, *homo*. Pariter, propoſitio ſingularis, negando, quod *aliquis Apoſtolus ſit juſtus*, tollit partem *binarij*, de quo per propoſitionem de plurali affirmatur, quod *ſint juſti*; & ita mediate tollit ipſam collectionem binariā juſtorum; vnde non erit immediata, & formalis contradictoria. 2. Quia quando de Termino collectivo vt exercitu, *Civitate*, *Religione*, &c. affirmatur vniverſaliter prædicatum diſtributivè conveniens ſingulis Civibus, militibus, &c. non fit formalis, & immediate contradictio, de aliquibus militibus, vel ciuibus prædicatum negando; ſed negando de ipſo collectivo termino prædicatū affirmatum; vg. *Tota Religio eſt Clericorum, Non tota Religio eſt Clericorum*; &c. Ergo pariter in contradictione de plurali, per pluralitates collectivas, &c.

OBJECTIONES.

12 Obij. 1. Deſcenſus Terminī communi de plurali ſolū debet eſſe collectio

collectivus distributivè, quando prædicatum non convenit, nisi collectionibus pluralibus, vt cum de equis bigis, pluraliter dicitur quod *Aliqui equi trahunt currum*; tunc intelligitur distributive pro binarijs, & *hi & illa collectio equorũ*, & *hi, & illi*, &c. Quando vero prædicatum verificatur de singulis componentibus collectionem, v.g. quod sint animal, quadrupes, &c, tunc Ly *omnes equi sunt quadrupedes* &c. Non habet descensum pluralem collectivũ, sed singularem; *Et hic, & hic*, &c. Ergo non bene verificatur à nobis, quod *Aliqui cœli non sunt mobiles*, ratione descensus collectivi de plurali, cum mobilitas singulis cœlis, prout inter se disjunctis, conveniat.

Resp. nego antec. Tum quia *trahere currum*, etiam est prædicatum, quòd singulis equis distributivè convenire potest, non minus quam bigis, vel quadrigis. Ergo sicut descensus ille, *Aliqui equi trahunt currum, vel portant lapides grandes*, fit per collectiones binarias, & plurales à P. Alph. ita; & illa, *Aliqui homines sũt justi*. Tum quia varietas illa faciendi pluralem descensum, modo per collectiones, modo per singularia distributivè, est omnio arbitraria; & aliena à modo significandi plurali, seu pluraliter; si enim rogatus pluraliter, an sint plures homines in schola? vbi solum est vnus cum cane, & asino, respondeam vere, *Qui sunt in schola non sunt homines*; ibi non fiet descensus distributivus per singularia, *neque hic, neque hic*; alias esset falsus; sed per collectiones, *neque hæc, neque illa collectio binaria, est hominum*; etiam si prædicatum *homo* sit de ijs, quæ distributivè de singulis verificantur. *Tum* demum, quia ea diversitas descensus est materialis, sive ratione materiæ objectivæ, non formalis, & ex modo significandi plurali; quare autem sit alligandus modus significandi pluralis, & collectivus modo convenientiæ prædicati? cũ possit quis pro libito, falso, & disconvenienti modo loqui; sicut potest habere sensum, & descensum distributivum singulare vocis, quando prædicatum non nisi collectivè pluraliter convenit, dicendo v.g. *aliquis Apostolus est duodecim, aliquod elementum est quadruplex*. &c. Ergo pariter.

15 Obij 2. Hæc est falsa; *Omnes Matres sunt corruptæ*, per nos, ratione Deiparæ. Sed etiam est falsa ejus contradictoria de plurali, *Aliquæ Matres non sunt corruptæ*: Probatur; quia æquivalet huic, *Aliquæ Matres sunt incorruptæ* (cum affirmatio prædicati negativi æquivaleat negationi positivi; v.g. *Equus est irrationalis*, & *non est rationalis* sibi æquivalent:) ea autem, *Aliquæ Matres sunt incorruptæ*, etiam falsa est per nos; quia nulla est collectio binaria, de qua possit verificari, quod sit *Matrum incorruptarum*, etiam si Deiparam cõtineat. Ergo erunt duæ contradictoriæ falsæ.

Resp. neg. min. ad prob. nego quod propositioni negativæ prædicati positivi de subiecto collectivo plurali, æqui-

æquivaleat propositio affirmativa prædicati negativi oppositi: v. g. de binario equi & Hominis, vere dicitur: *hæc duo non sunt rationalia*, sive *hæc collectio non est rationalium*: non tamen dici potest; neque æquivalet affirmativæ: *hæc duo sunt irrationalia*, quæ etiam falsa est. Sed potius negativæ: *Nec sunt rationalia, Nec sunt irrationalia*; etiam veræ, & affirmativæ perpetuo falsæ. Ratio ex n. 3. Quia negativa in propositionibus de plurali habet tantum descensum disjunctivum, mediatum ad singularia; & ideo ad sui veritatem solum requirit, quod de aliquo singulari collectionis vere negetur prædicatum. Affirmativa vero habet distributivum descensum, mediatum ad singularia; quia vt verificetur prædicatum de collectione etiam disjunctive accepta, debet verificari de omnibus singularibus, componentibus collectionem,

14 Obij. 3. & replic. Sufficit quod aliquod prædicatum conveniat alicui parti compositi, vt absolute dicatur de toto composito: v. g. vt de homine dicatur, esse *corruptibile & generabilem*, sufficit, quod vna pars, scilicet vnio sola generabilis, & corruptibilis sit: ergo pariter, vt de collectione Matrum dicatur, quod sit corrupta sufficiet, quod fere omnes corruptæ sint.

Resp. anteced. vniversaliter verum non esse, quia homo dici nequit *spiritualis, impenetrabilis* &c. a sola anima. Deinde ex eo etiam liceret inferre, quod in singulari *omnis collectio Matrum sit incorrupta*, ratione vnius Deiparæ; vel etiam omnis corrupta ratione reliquarū: quod apud omnes est falsum. Ergo. Disparitas est quod prædicationes de cōposito non semper vsurpantur distributive, ita vt prædicata de singulis partibus verificari debeant: prædicationes vero quæcumque affirmativæ de collectione, perpetuo distributivè vsurpantur; e contra vero negativæ solum disjunctivè intelligūtur de componentibus collectionem; vt patet ex adductis exemplis n. 4.

15 Obij. 4 Quod ex nostra doctrina sequitur, has propositiones esse veras: *Aliquæ Personæ Diuinæ non præcedunt; Aliqui Apostoli non sunt salvi, nec iusti; nullæ Personæ Diuinæ sunt incarnatæ* &c.

Resp, conc. conseq. Quia tamen etiam apud doctos, quibuscum disputamus, dubius est sensus earum propositionum, & ab illis distributivè accipitur, licet a nobis disjunctivè, vere intelligatur ideo abijs propositionibus propter dubiam intelligentiam, est abstinendum. Sicut in Theologicis monent DD, cum S. Thom. apud P. Gran *Tract.* 11. *de Incarn. d.* 3. & 4. de propositione *Deus est creatura*, & similibus in Christo D. Et sicut etiam in politicis abstinere debemus a vocibus vulgo offensivis, licet apud doctos receptis.

DISPVT. XXV.

De Æquipollentia Propositionum simplicium.

QVæst. 1. *quid, quotuplex que sit Æquipollentia?* Resp. ex Aristot. 2. *Periher. c.* 2. & 3. a Summulistis colligi definitionem Æquipollentiæ, quæ est *Æquivalentia duarum propositionum*, in sua significatione, & veritate. Sicut duæ monetæ sibi, in pretio, & pondere æquivalent. Est autem duplex vt bene observat P. Alphonsus cap. 5. n. 5. Prima, quando sine mutatione, formæ enuntiationis sibi æquivalēt, per connexionem veritatis: vt vniversalis copulativa, *omnis*, æquivalet particulari distributivæ, *& hic & ille*, &c. Et similiter particularis *Aliquis*, æquivalet disjunctivæ singulariū, *vel hic, vel ille*, &c. *Secunda* fit, mutatione enuntiationis per adiunctam, vel ablatam negationē, *Non*. Et fit tripliciter, vt notatur celebri carmine:

Præ, contradic: Post contra: Præ, post que, subalter.

Vbi tres regulæ, pro triplici conversione oppositarum, a Dialecticis cōprehenduntur.

2 Prima pro contradictorijs, *Præ contradic.* Id est *Præposita* negatio signo, reddit propositionem æquivalentē *Contradictoriæ*: V.g. Si huic, *Omnis homo est animal*, præponas *non*; dicendo: *Non omnis homo est animal*; æquialet suæ contradictoriæ, *Aliquis homo non est animal*.

3 Secunda pro Contrarijs: *Post contra*: id est, *Postposita* negatio subiecto, reddit propositionem æquivalentem suæ contrariæ. V.g. *Omnis homo non est animal*; sonat *Nullus homo est animal*. Item *Nullus non est animal*; sonat; *Omnis est*. Quæ regula servatur etiam pro subcontrarijs: Si enim negativæ addatur secunda negatio; fiet affirmativa per duplicem negationem v.g. *Aliquis homo non est non animal*, valet *Aliquis est animal*. Et è converso, si affirmativæ negationē post subiectum addas, non solum æquivalens, sed eadem fiet cum sua subcontraria negativa; vt patet.

4 Tertia pro subalternis: *Præ, postque subalter*. Id est: *Præposita*, & *Postposita* negatio, subalternas facit sibi æquivalere. V.g. si huic subalternatæ: *Aliquis homo est animal*: præponas, & postponas negationem, dicens; *Non aliquis homo non est animal*; æquivalebit suæ subalternanti, *Omnis homo est animal*. Subalternatæ negativæ non est addenda alia duplex negatio, quia triplex faciet sensum obscurum: sed præponenda est signo negatio sua, & sic æquivalebit suæ subalternanti: v. g. *Non aliquis homo est animal*, æquivalet huic: *Nullus homo est animal*. Omnia his carminibus solent exhiberi.

Non omnis, quidam non.
Omnis non, quasi *nullus*.
Non nullus quidam.
Nullus non, valet *omnis*.
Non aliquis, nullus.
Non quidam non, valet *omnis*.
Non alter, neuter.
Neuter non, præstat *vterque*.

5 Quæst. 2. *Verum propositio de Prædicato infinito æquipolleat Negativæ*. Respondeo. De hoc multi sunt Interpretes cum Arist. toto cap. 1.

Hoc

Breviter dicendum: Minime sibi æquivalere; quia: *Petrus est non lapis*, non solum dicit: quod *Petrus non est lapis*; sed etiam, quod sit positive aliquid, distinctum a lapide, vnde plus dicit. Item *Antichristus est non dormiens*, vel *non distans ab schola*, importat actualitatem, quam minime importat negativa *non dormit vel nõ distat*. Ergo sibi non æquivalent.

DISPVT. XXVI.

De Conversione simplicium Propositionum.

1 POstrema proprietas Propositionis est Conversio, quæ ex Aristotele eo *cap.* 2. definiri potest: *Transmutatio mutua terminorum, servata eadem forma, & qualitate propositionis.* Ita, vt a conversa ad convertentem valeat consequentia; trasmutato subiecto in prædicatum, & prædicato in subjectum. Est autem triplex.

2 Prima, *Conversio simpliciter*, quãdo servatur eadem quantitas; & solum reperitur, inter vniversales negativas; & inter particulares affirmativas, transmutato scilicet prædicato in subiectum eodem signo affectum. V.g. *Nullus homo est canis, ergo nullus canis est homo. Aliquis homo est albus; ergo aliquod album est homo.*

Secunda, *Per accidens*; quando quãtitas cuiuscumque propositionis vniversalis mutatur in particularem: v. g. *Nullus homo est canis; ergo Aliquis canis non est homo. Omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo.*

4 Tertia *Per contrapositionẽ*: Quæ servata eadem quantitate, terminos propositionis vniversalis affirmativæ, aut particularis negativæ, infinitat, si finiti sunt; aut finitat, si sunt infiniti. V.g. *Omnis homo est animal, ergo omne non animal est non homo; Aliquis lapis non est albus; ergo aliquod non album non est non lapis.*

5 Aliter alij, minus aptè, explicant hanc tertiam conversionem. P. Arr. iudicat, non esse infinitandum vtrũque terminum affirmativæ, sed sufficere negationem verbo adiunctã, infinitato solo subjecto. V.g. *Omnis homo est animal*, ergo *omne non animal non est homo.* Et hanc vt novam conversionis speciem a se inventam proponit P. Linc n. 77. Contra tamen: quia conversio ex definitione n. 1. mutat subjectum in prædicatũ, servata eadem forma, nempe affirmatione, vel negatione; sed adiũcta negatio supra verbum propositionis affirmativæ non servat formam, seu affirmationem; ergo nec facit conversionem, sed corruptionem substantialem propositionis, per æquipollentiam, diversam a conversione.

6 Triplicem hanc conversionem Summulistæ comprehenderunt heroico illo Disticho:

simpliciter FECI, convertitur; EVA per acci;
ASTO per contra; sic fit conversio tota.

Vbi triplex dictio, respondens triplici conversioni, constat quatuor syllabis, *A. E. I. O.* quarum *A.* significat vniversalem affirmativam; *E.* vniversalem negativam; *I.* particularem affirmativam; *O.* particularem nega-

negativam, juxta illa carmina.

Asserit A. negat E: sunt vniversaliter ambæ.
Asserit I. negat O. sunt particulariter ambæ.

Ex quo, Prior Distichus tres Regulas explicat. 1. *simpliciter FECI*, ideſt ſimpliciter convertuntur Negativa vniverſalis, & particularis Affirmativa, notatæ per *E.* & *I.* in voce *Feci*. 2. Similiter, *Eva per accidens*, ideſt negativa, & affirmativa vniverſales, per *E* & *A*, notatæ in *Eva*, convertuntur per accidens. 3. *Asto per contra*, ideſt vniverſalis affirmativa per *A*; & particularis negativa per *O*, ſignatæ, in *Asto*, convertuntur per contrapoſitionem. Vbi

7 Advertunt. 1. Summuliſtæ, vt valeat converſio, ſervandam eſſe eandem materiam, ſuppoſitionem, ampliationem, appellationem &c. vnde non valent: *Homo eſt mortuus, ergo mortuus eſt homo. Senex fuit juvenis, ergo juvenis fuit ſenex*, &c. propter *diſtractionem* temporis. Item, *omnis Muſicus eſt homo, ergo aliquis homo eſt muſicus*; quia mutat materiam de neceſſaria in contingentem. Item *Deitas non eſt generans, ergo generans* (ſcilicet Pater) *non eſt Deitas*; quia mutat terminum, & identitatem de ſubſtantiva in adjectivam, & ſic alia apud DD.

8 Advertunt 2. in Propoſitionibus ſingularibus [quas Ariſtoteles non curat, quia ad ſcientias Vniverſitatũ non ſpectant,] fieri converſionem ſimpliciter, ſi prædicatum ſit ſingulare, v.g. *Carolus eſt Rex, ergo Rex eſt Carolus. Hic homo eſt Petrus, ergo Petrus eſt hic homo* &c. ſi vero prædicatum ſit commune, fieri converſio per accidens; particularis in affirmativis; v.g. *Petrus eſt ſapiẽs, ergo aliquis ſapiens eſt Petrus*: in negativis vero etiam vniverſalis: v.g. *Petrus non eſt ſapiens; ergo nullus ſapiens eſt Petrus; ergo aliquis ſapiens non eſt Petrus.* Videantur PP. Conimbr. hic q. 1. P. Lynceus tr. 4. & P. Yzquierdus d. 19. q. 6. ſi his libeat amplius immorari: an vtiliter? neſcio.

DISPVT. XXVI.

De Modalibus Propoſitionibus.

1 DVplex eſt Modalis Propoſitio ex diſp. 17. a n. 11. Alia quæ importat modum applicatum terminis; quæ quaſi terminative, & materialiter Modalis eſt: alia quæ modum importat applicatũ ipſi copulæ, identitati, & convenientiæ, ſive Modo, quo convenit prædicatum ſubjecto; quæ cum ſit formalis vnio vtriuſque, ab illa dicitur Modus formalis, & fit formalis Modalis propoſitio. Hæc autem, vt ibi dixi, eſt quadruplex, a quadruplici modo talis convenientiæ, qui convertitur in prædicata, *Neceſſe. Impoſſibile. Poſſibile, Contingens*, cum dicto infinitivo per modum ſubjecti: v.g. *Deum exiſtere eſt neceſſe*, &c. De priori Modali, quæ multiplex eſt, juxta adverbiorum varietatem, cuius præcipuæ ſpecies 4 numerantur, *exclusiva, exceptiva, Reduplicativa* (de quibus ſatis dixi d. 23. ſ. 2.) item *Comparativa*, & *ſuperlativa*

latiua; nihil eſt addendum, niſi quod cum ſint copulativæ, illis fit oppoſitio, juxta vniverſalem Regulam d. 20. n. 16. De priori Modali formali, plures ſunt quæſtiones; quarum ſit.

2 Quæſt. 1. *Quæ ſit materia & forma Modalium Propoſitionum?* Reſp. juxta d. 20. n. 2. Materiam partialem, eſſe dictum infinitivum, quod ſe habet vt ſubjectum; formam vero partialem Modum ipſum *Neceſſe Poſſibile*, &c. qui ſe habet, vt prædicatum. *Materia totalis*, ſive circa quam, eſt connexio inter modum, & dictum: quæ quoties vera eſt ſemper eſt neceſſaria, licet prædicatum dicti ſit contingens, quia ipſa contingentia eſſentialis eſt, & neceſſaria modo conveniendi, licet contingens reſpectu ſubiecti; idemque intellige de modo *Impoſſibile*. Vnde hæ propoſitiones; *Petrum legere eſt contingens: Chymæram exiſtere eſt impoſſibile*; ſunt de materia neceſſaria, non de contingenti, aut impoſſibili. *Forma totalis*, eſt enuntiatio modi, vnde propoſitio erit affirmativa, quãdo affirmatur modus, licet dictum negativum ſit, & è converſo Et ideo affirmativa eſt hæc, *Chymæram non exiſtere eſt neceſſe*: negativa vero, *Hominem non exiſtere eſt poſſibile*.

3 Quæſt. 2. *Vnde ſumatur quantitas Modalium?* Reſp. formaliſſimè ſumi à modo, qui eſt prædicatum, licet in ſimplicibus ſumatur á ſubjecto; quia prædicatum modale eſt modus dicti, tam ſecundum prædicatũ, quam ſecundum ſubjectũ, & ita participat indolem ſubjectivã quantificandi. Minus tamẽ formaliter, licet nõ omnino materialiter, venit eiũ quantitas a ſubjecto dicti: vnde hæc, *Omnem hominem legere eſt cõtingẽs*. dicitur vniuerſalis de dicto, & particularis de modo: è contra hæc, *Aliquem equum diſcurrere eſt impoſſibile*, eſt vniverſalis de Modo, & particularis de dicto, ſive de dicto particulari. Quæ dicitur Quantitas miſta; & poteſt etiã eſſe adæquatè vniverſalis ſi modus, & dictũ vniverſalia ſint: & particularis, ſi particularia. Proquo

4 Nota, duplicem eſſe Modum vniverſalem, ſcilicet *Neceſſe*, & *Impoſſibile*, primum affirmativum, ſecundum vero Negativum. Similiter duplicem alium particularem, ſcilicet *Poſſibile*, & *Poſſibile non*. Prima reſpondent ſignis, *omnis*, *Nullus*: Poſtrema ſignis, *Aliquis*, *Aliquis non*. Sicut autem *Non aliquis*, æquivalet *Nullus*: ita *Non poſſibile*, eſt æquivalenter *Impoſſibile*, atque vniuerſale, & ſic ſunt aliæ æquivalentiæ particulares, *Non neceſſe*, *Non impoſſibile* &c. Illud tamen hic ſedulo eſt obſervandũ, quomodo quatuor illi *Modi*, quatuor ſignis quãtitatis vniverſalis, & particularis æquivaleãt, quod caute præmitto pro dicẽdis *diſſeq.* Sicut enim *omnis & nullus ſæpe, & numquam*; ſunt ſigna vniverſalia; particularia vero; *Aliquis*, & *aliquis non aliquando*, & *aliquando Non*; ex d. 20. n. 17. qua in ordine ad eſſe & ad tempus, priora ſunt, qua affirmativè, qua negativè copulativa; poſteriora vero ſimiliter diſjunctiva. Ita *Neceſſe*, in ordine ad

eſſe

esse, copulative importat quoddam *semper*, existentiale, in quo consistit necessitas; & *impossibile* similiter quoddam *nusquam*: tam existentiale quam possibile, in quo consistit impossibilitas: Item *Necesse* dicit *omnimodam* determinationem ad esse actuale, per quam correspondet signo *omnis*; & è contra *Impossibile*, omnem illam excludit, & *nullam* determinationem, imo nec potentiam essendi permittit, vnde correspondet optimè signo *Nullus*, quasi dicendo *nullo modo* est possibile. Pariter *Possibile* importat, *aliquomodo* quasi *aliquando* rem esse posse: *Possibile vero non, posse aliquomodo, aut aliquando* nō esse: atque ita optimè signis particularibus, *alijquis*, & *aliquando*, affirmativis; atque etiam negativis *alijquis non* & *aliquando non*, correspondent, in suo disjunctivo, & indeterminato significandi modo.

5 Quæst. 3. Vnde *qualitas*, id est. *veritas, vel falsitas, Modalium sit petenda?* Resp. a Modo, non a dicto petendam. Sic vera est, *Deum mentiri est impossibile*: licet dictum sit falsum: è contra est falsa, *Hominem hoc esse est necesse*; licet dictum sit verū. Pro veritate autem observa 1. duplicem esse posse sensum Modalium, vel compositum, vel divisum Compositus est, cum pro eadem differentia temporis supponunt modus, & dictum. V.g. *currentem legere est impossibile*. Divisus, quando fit amplia tio ad aliud tempus, v.g. *Iustum peccare est possibile*. 2. Detectum Modalium fieri in dicto de vniversali ad singularia, secundum regulas ex *d.* 14. *n.* 21. v.g. *Omnem hominem legere est contingens; ergo, & hunc, & hunc legere contingens est.* Atque adeo fieri debet sub eadem suppositione; Vnde non valet, *omnem Mundi plagam Sole lustrari est impossibile: ergo & hanc, & hanc lustrari impossibile est.* Variatur enim suppositio de copulativa, in distributivam. Sic de alijs.

DISPVT. XXVIIJ.

De Oppositione, Æquipollentia, & Conversione Modalium.

1 QVæst. 1. *Qualiter fiat oppositio Modalium?* Resp. ex Arist tot. *l.* 2. *Perih. c.* 3. *&* 4. S. Thom. PP. Conimbr. & alijs interpretibus ibidem; & Summulistis in præsenti, quod *Contraria* oppositio sit inter Modos Vniversales, affirmativum *Necesse*, & negativum *Impossibile*: qui correspondent signis contrarijs, & vniversalibus propositionum simplicium. *omnis, & Nullus*: vt pote copulativi; qui consequenter simul falsi esse possunt, nunquam tamen simul veri, vt patet in his; *Necesse est Petrum legere: Impossibile est Petrum legere* Ergo pugnāt tantum secundū falsitatem, ac proin de contrariè.

2 *Contradictoria* fit inter ipsos Modos vniversales prædictos ex vna parte, & eorum oppositos particulares ex alia; scilicet, *Non necesse*, vel *Possibile non* ipsi æquivalens; *Nō impossibile*, vel *Possibile*, quod eidē æquivalet: & vtrique respondet signis

nis particularibus *Aliquis non*; & *aliquis*; quia sunt disjunctivi, & significant, rem esse, vel non esse posse; vnde necessario sunt vel veri, vel falsi disjunctim; ac proinde pugnant secundum vtramque qualitatem cum contradictorijs vniversalibus, quia quodlibet est, vel non est: v.g. cum illa, *Necesse est Petrum legere* pugnat hæc, *Non necesse est Petrum legere*, & cum altera, *Impossibile est Petrum legere*, hæc *Non impossibile est Petrum legere*. Ratio: quia inter *Impossibile & non impossibile*, inter *Necesse, & non necesse*, non datur medium; quia est affirmatio, & negatio ejusdem prædicati de eodem subjecto, scilicet de eodē dicto infinitivo. Ergo pugnant sine medio, ac proinde contradictorie.

3 *Subcontraria* patet jam, inter has ipsas particulares cōtradictorias sicut inter *Aliquis*, & *Aliquis non* intervenire; scilicet formaliter inter, *Non Necesse*, & *Non impossibile*; æquivalenter inter *Possibile non*, & *Non impossibile*; quas simul falsas esse repugnat, vt patet ex necessaria falsitate contradictoriarum. Scio P. Alphonsum cum alijs, *Possibile*, & *Possibile non*, vt cōtradictorios formales describere; formaliores tamē sunt assignati ex dicendis n. 5. & 6. quia immediatiores.

4 *Subalterna*, similiter est inter easdem respectivè ad vniversales, quibus non contradicunt, sed potius ex parte astentiunt, & subjacent; sicut *Aliquis* respectu *omnis*, & *aliquis non* respectivè ad *Nullus*. Et hæc est ratio a priori, & vniversalis, pro tota hac quadruplici Oppositione, quadruplicis Termini Modalis; quod se habeant instar quadruplicis signi simplicium oppositatum, *Omnis*, *Nullus Aliquis*, & *Aliquis non*, vt *d. præced.* præmissi; & notant Dialectici celebri illo Dysticho.

Omne, Necesse, valet. Impossibile, Nullum: Possibile, Quidam. Quidam non, Possibile nō.

5 Obij. 1. Si *Impossibile* est negativum, non bene per negationē, *Non Impossibile*, illi contradici, cum vni negationi per aliam non contradicatur, sed per affirmationem. 2. Similiter Modo *Necesse* male contradicitur per *Possibile non*, qui etiam est modus affirmativus, licet importet negationem dicti; vnde vni affirmationi per aliam contradicetur. 3. Regula generalis est, vt in Modalibus contradicatur per negationem *Modi*, qui est prædicatum præcipuum: ergo per *Possibile non*, qui non negat Modū *Necesse*, male huic contradicetur.

6 Resp. ad 1. Sicut *Nullus*, est signum negativum respectivè ad *omnis*, & nihilominus contradicitur illi per *Non nullus*, negativum ipsius, vt logice positivi, in quantum negabilis per negativum negativi; pariter *impossibile*, quod negativum est respective ad *Necesse*, se habebit vt positivum respective ad *Non impossibile*. Ad 2. & 3. propter eas rationes assignatum est, vt præcipuum & formale contradictorium, *Non necesse*: licet *Possibile non*, a P. Alph. & plerisque soleat assignari; vn-

de hoc tantum erit contradictoriũ æquivalens, quod potest etiam esse affirmativum, vt huic, *Iudas est justus*, contradicit æquivalenter, *Iudas est injustus*. Sed de æquivalentijs statim.

Quæst. 2. *Qualis sit æquipollentia Modalium?* Resp. Regulam eandem esse ac simplicium, ex Regulis disp. 25. Vnde si contradictoriæ Modali, sive Modo ipsius præponatur Negatio, *Non*, æquivalebit suæ contradictoriæ, ex Regula, *Præcontradic*, sive præponatur vniversali, sive particulari contradicenti. V.g. *Impossibile* habèt contradictorium *Possibile non*, & præposita ipsis negatione, ad invicem æquivalebunt; scilicet *Non impossibile* æquivalebit huic *Possibile non*; & è converso, *Non possibile non*, æquivalebit ipsi, *Impossibile*. Similiter in contrarijs, *Necesse* & *Impossibile*; si postponatur negatio, id est si dicto infinitivo ipsorum Modorũ apponatur negatio ex Regula, *Post contra*, æquipollebunt ad invicem: v.g. *Necesse est non currere*, æquivalet huic *Impossibile est currere*: cui sine Ly *Non* antea contrariabatur, *Necesse est currere*. Atque ita præposita, & postposita negatione, ex Regula, *Præpositque*, subalternæ poterunt facile combinari, a quovis studiose medicante subijciendam Tabellam n. 12.

8. Ex qua Regula alia deducitur immediator, scilicet: Quod pro singulis quatuor Modis, invicem quadrupliciter oppositis, *Necesse*, *Impossibile*, *Non necesse*, *Non impossibile*, duo alij æquipollent; vnus petitus a codtradictorijs, alius a contrarijs, per præpositam, & postpositam negationem. V.g.

Pro 1. Modo vniversali *Necesse*, æquipollenter vniversales sunt, *Impossibile non*, *Non impossibile non*.

Pro 2. Universali contrario, *Impossibile*, æquipollent vniversaliter, *Necesse non*, *Non possibile*.

Pro 3. Contradictorio particulari Modi, *Impossibile*, scilicet pro *Nõ impossibile*, æquipollent vt particulares contradictorij, *Non necesse nõ*, *Possibile*.

Pro 4. contradictorio particulari Modi, *Necesse*, scilicet pro *Non necesse*, æquipollent particulares *Non impossibile nõ*, *Possibile non*. Vbi

9. Nota 1. Quod æquipollentes aliquando sunt solius connexionis, seu æquivalentiæ, juxta primum æquipollentiæ modum ex d. 25. n. 1. omnes autem respectu aliarũ æquipollentium suam servant oppositionẽ. 2. Quod ex singulis Modis vniversalibus valet consequentia affirmativa ad alios quinque, duos scilicet æquipollentes vniversales, & tres subalternatos; negativa vero ad alios sex contrarios, & contradictorios: vt ex Tabella clarescit.

Nota demum pro Regula adeo facili, & memoriæ commendabili, a Summulistis ex Petro Hispano hic induci, quatuor Dictiones quadrisyllabas; *Purpurea*, *Iuuace*, *Amabimus*, *Edituli*, respondentes quatuor speciebus, & angulis oppositarum; & per quaternas syllabas *a*, *e*, *i*, *o*, quatuor

Modis

Modis, *Impossibile*, *Necesse*, *Possibile*, *Contingens* sedecim æquipollentium sedes implentibus; & præter obscuritatẽ, implicationem que explicationis, (quam P. Arr. & alij jure aversantur) Modum *Contingens*, quem superaddunt, falsissime æquipollentem faciunt Modo *Possibile*; vnde has consequentias quacumque falsiores valere dicunt: *Deum existere est necesse, ergo est contingens; Deũ existere non est contingens, ergo est impossibile*, quia summulisticè dicunt, *Contingens & Possibile* ad convertentiam dici.

10 Contra quam æquipollentiam merito insurgit P. Yzquierd. *d.* 19. *Phar. a n.* 225. [jure tamen, & ipse refutandus, quia hac Arte modaliũ amputata, septem alias, quasi Lernæa capita reproducit, nihilominus implexas, & obscuras,) 1. Quia ea Dialectica acceptio, & mutua æquipollentia Modi *possibile* cum *contingens*; nec non & *Impossibile cum Nõ contingens*, est contraria Metaphysicæ, Philosophicæ, ac Theologicæ vsurpationi, vt ipsi Summulistæ fatentur; quomodo autem Dialectica erit instrumentum scientiarum, per Regulam, quæ in nulla scientia locum habeat? 2. Quia ita superfluet in Regula alteruter eorum Modorũ, *Possibile*, & *Contingens*; erit enim quasi bis repetitus modus *Possibile*, prorsus otiose: vnde propterea in singulis dictionibus, repetitur aliqua syllabarum; vt in *Iliace* duplex *I*. Nõ est autem Regula Petri Hispani adeo superstitiose observanda, *vt Iota vnum, aut vnus apex non prætereat alège*, quasi esset lex divina, aut Pontificia in hac parte; in qua falsa, & otiosa dignoscitur.

11 Facilior quadruplex alia Regula excogitata est a Sapientissimo P. Leonardo Peñafiel, magno Provinciæ Luminari, Provinciali, & Magistro nostro præclarissimo (quo Religiosi mei Tyrocinij Præceptore iterum gloriari, & exultare libet ac licet) in Summulis prælo paratis, quas Nobis, cum Philosophico opere, fatum invidit. *Prima Reg.* Contradictoriæ negant Modum. *Secunda*, Contrariæ negant dictũ, sub modo vniversali. *Tertia* Subcontrariæ negant dictum sub Modo particulari. *Quarta* Subalternæ negant affirmatum, & affirmant negatum, sive dictum, sive modum. Quorum exempla facile erues ex Tabella, studiose considerata; cum sola exceptione contrariarum formalium, *Necesse, & impossibile*, interse se, quas respectu æquipollentium perpendes, solum negare dictum.

Ex dictis patet, a Tabella nostra jure Modum *Contingens* exulare; vt in sua etiam præstitit P. Fonseca l. 3. c. 11. Licet enim illum Arist. suis Tabellis hoc cap. 3. inserat; ideo fuit quia Stoicorum Tabellas, quibus insertus erat, sub eisdem eorũ Modis emendare studuit (vt PP. Cõnimb. *initio text.* monuerunt) illi vero circa rerum contingentiam, quam cũ necessitate & possibilitate confundebant, maximè deertarunt. Seorsim ergo quisque Tabellam sibi cõs

tituat pro, *Contingens. Necessarium*, *cessarium*, subcontraris; & contradic
contrarijs; *Non contingens, Non ne-* torijs, vt pro alijs jam dicendis. n. 13

Subalternantes. *MODALES.* *Subalternantes.*
1. Necesse est Petrum legere. 1. Impossibile est Petrum legere.
Aequipollentes. *CONTRARIÆ.* *Aequipollentes.*
2. Impossibile est Petrũ non legere. 2. Necesse est Petrum non legere.
3. Nõ est possibile Petrũ nõ legere. 3. Non est possibile Petrũ legere.



Subalternatæ. *Subalternatæ.*
1. Non impossibile est Petrũ legere 1. Non necesse est Petrum legere.
Aequipollentes. *SUBCONTRARIÆ.* *Aequipollentes.*
2. Necesse nõ est Petruũ non legere. 2. Nõ est impossibile Petrũ nõ legere
3. Possibile est Petrum legere. 3. Possibile est Petrũ non legere.

13 Quæst. 3. *Utrum aliarum Modalium Tabellæ, & oppositiones eadem lege fiat considerandæ?* Resp. a Petro Hispano, duas alias *verum, & falsum*; contrarias; *Non verum, Non falsum*, contradictorias, designari. A P. Lyncæo *Tract. 5. lib. 4. n. 24. Bonum, & malum; Indifferens, & necessarium*; addendam *physicum*, quam *morale*; & sub hoc consequenter, *honestum, inhonestum, pium, impiũ* &c; vt contrarias; earumque negationes vt contradictorias adijce. Addo ego posse excogitari innumeras alias similes Modales, & Modos; quotquot scilicet, actionibus, & passionibus per infinitivum modum significatis, possunt convenire; vt *facile, difficile; longũ, breve; publicũ, occultum*, & simili, quasi negative oppositas; quorum formales negationes ipsis contradicent. Sed hæ omnes formales Modales non sunt, juxta dicta *disp. præced. n. 1.*

14 Quæst. 4. *Qualiter fiat conversio Modalium?* Resp. fieri debere in dicto, juxta leges *disp. 26. U. g. Nullum lapidem vivere est necesse; Nullum vivens esse lapidem est necesse.* Sed quoniam hic præcipue maximum peri-

periculum est variandi materiam de necessaria in contingentem, & è contra; curãdũ est maximè vt tunc conversio, quæ futura erat *simpliciter* de lege; fiat *per accidens*. vel per *Contrapositionem*. Propterea enim non valet; *Ommem Musicum esse hominem est necesse, ergo aliquem hominem esse Musicum est necesse*: & similiter non valet: *Non est necesse omne animal esse equum, ergo non est necesse aliquem equũ esse animal*. Quæ & aliæ similes varietates, quæ oriuntur a materia, non tollunt certitudinem Regulæ, quæ respicit formam, sicut non repugnantia falsitatis propria Cõtrariarum ex forma, non tollit quod repugnent ambæ aliquando falsificari, ratione materiæ necessariæ. Et ex hoc principio multa solventur, quæ contra Regulas, tum conversionis tum Æquipollentiæ, præsertim in Modalibus de dicto vniversali obijci solent: videnda apud P. Lynceum c. 3. PP. Conimbr. *l. 1. Prior c. 3. per 3. quæst.*

DISPVTAT. XXIX.

De Modo sciendi.

FInis & Scopus, Logicæ vtriusque est *Modus sciendi*, qui propterea huic parvæ finem imponet; de quo sit

1 QVæst. 1. *Quid sit Modus sciendi*? Resp. ex communi Summulistarum vsurpatione, sumi pro triplici instrumento scientiarum, quod ministrat Dialectica, ad earum veritates comparandas; scilicet pro *Definitione, Divisione, & Argumentatione*; & definiri solet *Oratio ignoti manifestativa*, cũ & apud PP. Conimbr. *q. 5. præm. art. 3.* P. Arr. *d. 3. n. 1.* P. Quiros *d. 31. s. 1. & d. 6. n. 1.* &c. Vt autem excludant quasctũque vulgares propositiones, quæ etiam sua objecta ignota manifestant, addit M. Prado l. 2. sum. c. 1. quod sit *artificiosa manifestatio*; itẽ P. Peñafiel d. 3. q. 1. cum P. Suarez *d. 1. Met. sect. 1. n. 24.* Quod sit, *vt instrumentum artificiale logicum, manifestans* &c. Joannitz d. 6. c. 1. cum alijs quod *perfecta manifestatio* sit. Omnes autem explicant Ly *ignoti*, quasi *minus perfectè noti*.

2 Ex quibus omnibus constat *1.* cõmunis vsurpatio *Modi sciendi*, pro triplici illo Dialectico scientiarum instrumento: & ita satis rejecti manent P. Lynceus l. 2. c. 1. P. Oleinas a n. 54. & pauci alij, qui cum Aversa *q. 4. leg.* etiam ad apprehensiones simplices incomplexas, *Modum sciendi*, extendunt; vt parũ absit, quin & Rusticis, imo & Brutis, Modum sciendi Dialecticum concesserint. 2. Definitio receptior sic ordinatur: *Oratio dialectice manifestativa obiecti, minus perfecte noti*. Vnde excludumtur Propositiones perfecte notæ, quæ licet manifestent obiectũ non tamen alias minus perfecte notum: & reliquæ Propositiones, quæ artificio Dialectico perfectæ manifestationis non gaudent: nec non Scientia divina, quæ nõ supponit aliquid sibi minus notum. Ly autẽ *oratio* triplici operationi mentis, imo, & vocibus communis est ex d. 5.

3. Quæst.

3 Quæst. 2. *Vtrum divisio Modi sciendi in tres illas species sit adæquata?* Affirmo ex Arist. 1. Methaph c.2. S. Thm. ibi, S.Aug. 2. *de ordin.* P.Suarez, & reliquis nuper laudatis Et probatur ratione S.Thomæ. Quia cujusque rei, vel ignota est essentia; & hanc manifestat *Definitio.* Vel ejus partes, sive formales, & constitutivæ; sive potentiales, & specificæ, scilicet species, & has *Divisio* ostendit. Vel denique eius connexiones, cum proprietatibus, & effectibus; cum causis, & principijs; & has demostrat Argumentatio, tum a priori, tum a posteriori. Neque restat alia veritas circa rerum perfectam notionem, inquā impendantur Scientiæ. Ergo adæquatè dividitur *Modus sciendi*, in illas species; sive instrumenta sciendi.

4 Quæst. 3. *Vtr. syllogismus probabilis sit Modus sciendi?* Negant P, Quiros d. 31. n. 4. P. Stacruz n. 475 & Spinula *d.* 3. *log. n.* 19. quia indifferens est ad errorem. Affirmat P. Fonseca l 1. c. 3. ex Scoto in 1 *Prior* c. 1. Quia pleraque per scientias probabiliter tantum sciuntur. Iudico, ex forma seu formaliter esse Modum sciendi; non tamen materialiter, quia opinari non est scire.

5 Quæst. 4. *Vtrum omnes Modi sciendi in Argumētationes fundentur?* Resp. cum Spinula a n. 7. & P. Quiros n. 5. vt sint perfecti Modi sciendi, idest, scientifici, absque dubio fundari, quia nisi Definitio, & Divisio demonstratione, sive Argumentatione probentur, scientificæ minimè sunt.

DISPVT. XXX.

De Definitione.

QVæst. 1. Quid sit Definitio? Resp. ex Arist. 5. *Metaph.* c. 8. & 6. *Top.* c. 3. & 2. *Post* c. 10. definitur reflexe Definitio, *Oratio explicans, quod quid est rei*: id est *quidditatem, sive essentiam rei.* Et ideo est Modus sciendi præcipuus, quia cum res primo per sensus, & quasi apparenter, cognoscamus; per Definitionem intima Definiti essentia minus perfecte noti, perfectissime manifestatur Cum autem essentia seu *quid rei*, juxta Arist. ex constitutivis, qua communibus, qua differentialibus, sive physicè, sive Methaphisice componatur; in hunc modum a Dialecticis ea definitio definitionis exponitur: *est Modus sciendi, explicans essentiam rei, per cōceptum communem & differentialem.* Vbi, Ly *Modus sciendi*, est loco generis, seu conceptus communis; reliqua differentialis; quo hc ab alijs sciendi Modis discriminatur. Et hinc sex leges bonæ Definitionis cum Arist. desumuntur.

2 Prima, vt fiat, per *genus proximum* [idest, *infimum*, ex *d.* 13, *n.* 13, sive; inquo cum specie opposita immediatè conueniat Definitum] & per *differentiam*, per quam ab ipsa specie primario differat. Vt Definitio hominis per *animal rationale*, quia immediate convenit cum Bruto, in esse *animalis*, & ab ipso differt per *rationale*. Qvæ tamen lex intelligitur, quando definitum, non sit aliquod supremū genus, vt *Ens, Terminus*

minus obiectum, &c. juxta dicta d. 9 n. 12. Quia respectu supremi generis aliud superius esse non potest, alias supremum non esset. Tunc autē sufficit quod definiatur per cōceptum æqualem, explicatum, tamen voce communi, quæ etiam opposito generi, vel saltem disparato cōveniat; contracta tamen per conceptum differentialem, quo ab alijs generibus differat. V.g. *Ens* definitur per, *Id quod non repugnat esse*, vel existere. Vbi Ly *idquod*, est idem ac *conceptibile*, vel *intellegibile*; quod licet sit tantum conceptus æqualis, & attributtalis entis gerit munus conceptus communis per eam vocem communem, *id quod* per quam etiam *ens rationis*, sive *impossibile*, quod est oppositum entis, definitur; ita scilicet, *est id quod habet esse objectivum tantum in intellectu*; itē, *est idquod repugnat existere*, &c. Et alia, vt ibi dixi. Quod sufficere ad vnam vnivocā definitionē, n. 10. explico.

3 Secunda Lex S. Damasc. *c.* 14. *Dial. Ne abundet in superfluis, & deficiat in necessarijs*, Et Quintil. l. 7. c. 4. *Finitio est rei breviter comprehensa verbis enuntiatio.* Vnde non solum particulæ superfluæ, sed etiam genera remota, non necessaria excluduntur, v.g. *ens substantia*, *corpus*, *vivens*, *sensibile*, a definitione hominis exulant, quia in genere proximo, sive infimo, *Animal*, includuntur. Nec refert, quod etiam includantur in differentia, *Rationale* (vt objicit P. Arr.) Licet enim ita esset, cum tamen differentia non sit expressa ratio conveniendi, non sufficeret pro definitione, in qua ambæ rationes exprimi debent: & pro *prima*, genus proximum, quod trahit secum remota; pro *secunda*, differentia vltima, quæ infert attributa, requiruntur.

4 Tertia lex ex S. Aug. *c.* 25. *de quant. anim.* Quod conveniat omni, & soli definito, & cum illo dicatur ad convertentiam: v.g. *est homo, ergo animal rationale*; & e converso: & quæ de vno dicuntur, vera sint de alio.

5 Quarta. Ne faciat circulum, explicando ignotum per ignotius ad invicem, aut ipsum definitum. in definitione includendo explicite; vel etiam per synonima idem per idem declarando. Hanc tamen legem bene limitat P. Compt. *d.* 48. *leg. s.* 5. cum Arist. 2. *post. c.* 3. approbante circulares demonstrationes, in ijs quæ ad invicem essentialiter referuntur, & per se nobis nota sunt. Et ita circa definitiones *juris*, *in justitiæ justitiæ*, notant DD. cum Gabriele in 1. d. 43. quia aliter, quid sint, nisi per mutuā connexionem explicari nō possunt; aliunde autē moralitates illæ sunt per se, vel rusticis notæ.

6 Quinta, ne fiat per disjunctionem, seu divisionem. Quia cum essentia sit vna, vt pote ens, sive entis esse, nō potest multa divisim eius definitio importare: alias etiam a Divisione non differret. Vnde de æquivocis, quia plures habent essentias, monuit Arist. prius esse dividenda quam definienda; quia definitio

debet

debet esse vnivocus, sive vnus conceptus rei, sicut est vna res.

7 Sexta tandem lex infertur ex reliquis, quod *Definitio sit clarior definito*: cum explicet essentiam rei, indefinito solum implicitè notam. Contra quam tamen sæpe, & præsertim N. 807. *Log. vocal* insurgit Caramuel; quia si Rustico famulo dicas, *voca animal rationale*, vel *affer folium disgregativum visus*; nihil ipsi erit obscurius his Definitionibus: definita autem, *hominem*, & *folium album* statim clarissime cognoscit. Verum vt bene notat noster Cardin. *Palaic.* 1. 2. *q.* 1 *n.* 1. Definitio non est clarior definito claritate vulgaris notitiæ, quoad vocem & apparentiã rerum, qualem Rustici habent; sed quoad pleniorem distinctiorem que notionẽ quidditatis essentialis, quã Rustici penitus ignorãt, scientiæ autẽ per Definitionẽ inquirunt, nõ contẽtæ illa apparenti claritate vulgari.

8 Quæst. 2. *Quotuplex sit definitio?* Resp. tripliciter dividi, 1. Alia *rei*, alia *nominis*; quibus vel rei natura; vel ethymologia nominis explicatur. 2. Alia est *descriptiva* quæ rem per accidentia propria describit; vt homo, *Mortale visibile, & sociabile vivens*, dicitur: alia *causalis*, quæ per causas, & effectus extrinsecos; alia quæ adjuncta depingit; & potius, Rhetorica definitio est: vnde Diogenes illam Platonis definitionem, *Homo est animal bipes implume*; traditur illusisse, quasi a Philosopho alienam, iniecto in Scholam Gallo plumis nudato, cum hac epigraphe, *En Platonis hominem*. 3. ergo & propissime Definitio essentialis, Alia est *Physica*, quæ per partes physice cõponentes (quãdo illas res habet) aliam communem, aliam specificam, rem definit, vt, Homo est *constans corpore & animo rationali*. Alia Metaphysica, quæ per partes metaphysicè constitutivas, communem & differentialem, essentiam rei explicat: vt, *Homo est animal rationale*. Et hæc præcipua negotij Dialectici, & scientifici est.

9 Quæst. 3. *An definitio Termini carentis genere superiori sit propria.* Negant Thomistæ communiter cũ M. Joan. *Th. q.* 4. *a* 2. *§. Genera* Caramuel n. 584. P. Maça hic d. 8. *s.* 2. Tum quia non implet primam legem, Tum quia Ly, *Idquod*, est terminus æquivocus, vt pote communis etiam enti improprio, scilicet enti *rationis, impossibili, & per accidens*, vnde non potest habere vnitatem vnivocationis, sive essentiæ, Definitioni necessariam.

10 Affirmo nihilominus cum Exim. Doctore *d.* 2. *Metaph. s.* 1. P. Arr. d. 3. n. 8. P. Quiros d. 31. n. 9. P. Alph. l. 1. c. 5. n. 19. P. Oleina n. 82. & 96. P. Lync. *l.* 7. *tr.* 5. n. 11. Tum quia Definitio entis, *quod non repugnat existere*; nec non obiecti, Termini; &c. absque dubio est proprie oratio manifestans essentiam rei, non minus, quam definitio hominis; ergo ad aliquem Modum sciendi proprium debet pertinere; non est autem alius, nisi Definitio. Tum quia licet Ly, *Id quod*, secundum vocem

sit

sit æquivocũ, attamen prout contractum in definitione, per differentiam, *non repugnans*, &c. amittit æquivocationem, & tantũ supponit pro conceptu, seu conceptibili reali, æquali & cõvertibili cũ ente: sicut licet *Canis*, secundũ hanc vocem communem æquivocus sit, tamen prout contractus per prædicatum *latrabilis*, amittit æquivocationem: vnde Ly, *quod* servabit vnitatem objectivam necessariã pro definitione vnivoca, sive pro vnitate necessaria essentiæ metaphysicę, in ijs Terminis supremis, qui alio termino communicari carent. Tum demum, quia quod hæ definitiones legem Dialecticam non servent, vbi impossibile est, ac proinde non obligant leges; solum tollet, quod sint Definitiones strictissimè Logicæ (& hoc sensu aliquãdo loquutus est S. Tho. nõ vero quod sint propriæ) Definitiones præsertim metaphysicæ, & scientificæ,

11 Quæst. 4. *Vtrum entia impropria*, v.g. ens rationis, item entia per accidens, præsertim extrinseca, vt exercitus, civitas; Denominationes extrinsecæ, vt amatum, cognitum; *& similia possent definiri?* Negant cõmuniter Thomistę, & Scotistæ apud P. Olcinã n. 88. & alios supra. *Tum* quia vbi est impropria essentia, sive ratio entis, impropria debet esse definitio. *Tum* quia ex Aristotele 7. Metaph. tx. 16. & l. 8 tx. 15. vbi sunt plura entia simpliciter, sunt plures essentiæ, & definitiones; ergo non vna Definitio.

12 Affirmant ipse P. Olcinas, n. 89. Caramuel a n. 594. distinguens Definitiones, *artificiales, formales*, seu rationis, *morales, juristicas*, &c. Quia passim definiuntur a Theologis *jus, Dominium, peccatum, Sacramentum*, Item a Dialecticis *Vniversalia, Denominationes intentionales*, &c. Item a Juristis, *hæreditas, jura, leges* &c. quæ omnia sunt entia per accidens, moralia, & intentionalia per extrinsecãm denominationẽ, ex pluribus entibus resultantia. Ergo.

Iudico, inter DD. dissidium nõ esse, neque esse posse; quia de cõcreto extrinseco est certum, in ratione vnius entis simpliciter, non posse definiri per vnam Definitionem simpliciter. In ratione vero vnius *entis logici, moralis, artificialis*, sive secundum dici, & concipi humanum, sicut habent vnum esse in illis denominationibus, possunt etiam vna definitione logica definiri. De ente *per accidens* intrinseco sive accidentali concreto, vt *album, calidum*, &c. minus est dubium, quia est vnum simpliciter per vnionẽ physicã accidentis cũ subjecto.

13 Quæst. 5. Vtr. *Individua possint definiri?* Negant Thomistæ ex S. Th. 1. p. q. 29. a 1. ad 1. Quia definitio explicat essentiam; individuatio autem extra essentiam est.

Affirmo cum P. Arr. n. 7. P. Olcina *sup.* Caram. n. 567. &c. Tum quia etiã individuatio vt talis habet esse, & essentiã, sumptã pro quidditate, & consequẽter definibilẽ, sicut Personæ Diuinæ, vt tales, habent suas quidditates, licet non essentias juxta S. Th. *ibi* & ideo definibiles

sunt; vnde solũ negat singularibus essentiam specificam, de qua agunt Scientię, quæ ideo nõ agunt de singularibus. *Tũ* quia si de aliquo singulari habeatur certa experiẽtia circa eius individuationes proprias poterit secundũ illas definiri, vt definitur ab Apostolo Antichristus *homo peccati*. 2. Thessal. 2. & S. Th. antonomasticè *Doctor Angelicus*; & sic alij. Vnde sicut per *Rugibile*, quæ est proprietas magis nota leonis, definitur eius specifica natura nobis ignota, vt dicam. n. 17. poterit definiri individuatio per proprietatẽ magis notam individui: imo per nomen proprium ita designàri potest, inquit Caramuel, definiendo, *Homo*, *Petreatus*, &c. quod tamen a modo concipiendi dependebit, vt dicam. n. 18.

14 Quæst. 6 *Vtrum de Deo haberi possit definitio?* Negant Antiquiores. *Tum*, quia Deus sub genere, seu Prædicamento collocari non potest. *Tum*, quia Deũ in via proprié cognoscere non possumus, sed per alienas, sive improprias species. *Tum*, quia Definitio ex S. Damasc. c. 13. *Dial.* finit, & quasi fines ponit Definito; quos proinde Deo infinito ne quibit apponere.

15 Affirmo cum P. Arr. n. 8. P. Hurt. apud ipsũ, & nostris cõmuniter. *Tum* quia *Tr.* 5. ostendam, Deũ sub genere, & prædicamento substantię collocari. *Tum* quia saltem conceptus communis analogus, per quem definiri possit, sicut *ens*, negari non potest. *Tum* quia fines quos Definitio præscribit obiecto, non sunt reales, sed secundum con-

ceptum; vnde, & infinitum, qua tale, a nobis potest definiri. *Tum* quia omnes substantias, æque per alienas species cognoscimus, ac Deum, & nihilominus eas proprié definimus; ergo pariter &c. *Tum* quia ens a se, vel omniperfectum definiri solet Deus.

16 Quæst. 7. *Vtr. Definitio essentialis possit in ordine ad proprietates declarari?* Negant cõmuniter, quia ea est Definitio pure descriptiva. *Affirmat* P. Yzquierdus *d.* 27. *Ph. n.* 9. ex definitione Leonis scilicet, *Animal rugibile*; quę datur per eam externam leonis proprietatem. Addi potest definitio Albedinis ex Arist. *color disgregativus visus*: idest *visibilis disgregando visum*; visibilitas autem est proprietas coloris, sicut cognoscibilitas, seu veritas proprietas entis.

17 Resp. per proprietates solum declarari essentiam, quando alia specialia connotata specifica essentię, ex quibus illam notificemus, comparare non possumus; quod ita præstitit Aristoteles in definitione colorum, quia eorum alias connexiones, sive connotata, ex quibus essentiam specificam eorum dignoscamus, minime inveniuntur. Quod etiam contingit in Brutis, quorum cum specificos, sive speciales modos vivendi sensitivos (in quibus, vt in præcipuis eorum prędicatis essentia, sive primarius conceptus ipsorũ consistit) discernere non possimus, eos ipsos vitæ conceptus per ordinem ad notabiliores diversificantes proprietates, quas cognoscimus, explicamus; in Leone

ne per *rugibile*, in Equo per *hinnibile*, in Cane per *latrabile*, & sic in alijs. Non ita tamen vt per ipsas propietates *rugibilis, hinnibilis*, &c. in recto definiatur essentia, sed solum vt per illas in obliquo declaretur gradus specificus differentialis vitæ sensitivæ specialis Leonis; vel equi, qui exigit vt proprietatem vim *rugiēdi, latrandi*, &c. Ex quo patet, quando supersunt alia connotata, in ordine ad quem præcipuū gradū specificū definiti declarare possumus, vt in *homine, Angelo*, &c minime licere perpropri etatē, adhuc in obliquo, rē definire.

18 Quæst. 8, Vtr. *vnius entis vna sit Definitio?* Affirmant communiter DD. ex Arist. ita loquēte 6. & 7. *Top.* c. 2. Quia vnius rei vna est essentia.

Respondeo cum P. Fonseca l. 4. c. 4. & P. Lync. *eo cap.* 2. *n*, 12. Quod, licet objective realiter ita sit, quia vnius vna solum essentia, & objectiva definitio, realiter est: vt optimè Aristotel. At objective formaliter non ita; cum definitio taxetur per cōceptus nostros; & hi maximè varient; singuli enim suo modo res cōcipiūt; quia modus concipiendi, & cognoscendi sequitur modum essēdi, juxta S. Th. 1. p, q. 12. a 11. Vnde cum modus essendi individualis in omnibus varietur, hic autem ipse per species, & principia doctrinalia, in esse intentionali notabiliter in singulis immutetur; fit vt cōceptus rerum notabiliter diversos efforment; & ea ipsa prædicata, quæ alij vt præcipua, sive primaria, concipiunt, alij è contra inter secundaria rejiciant. Et hinc est tanta digladiatio Scholarum circa Definitiones, & primarios conceptus rerum; vt vix vlla Definitio certa, nisi ea hominis, *animal rationale*, circumferatur in Schotis [vt optimè notat P. Fonseca lib. 5. c. 5. init.) cum tamen de illa multum fuerit cum Platonicis controversum. Imo Rustici, & fortasse aliarum facultatum docti homines, longe aliter hominem concipiunt; ac proinde, & definiūt; quia definitio nihil aliud est, quam explicita declaratio illius conceptus, quem de obiecti quidditate formamus; vnde hoc conceptu de homine, vel de quavis alia re in mente variato, variabitur etiam definitio. Quod observandum est, tum pro nonnullis RR. rejciendis *Tr.* 5. tum pro religiosè tenendo primo cōcēptu, seu definitione rerum a Principibus Philosophæ, præsertim, Aristotele & S. Thoma stabilitis; vt nisi efficax ratio cōvincat, nūquā deflectere licēat, in re prorsus de non irē.

19 Quæst. 9. *Qualiter distinguatur Definitio à Definito?* Resp. Solū distingui penes expressiones mentis, seu vocis: Quia idem met conceptus objectivus qui implicitè, vel confuse in Definito involvitur, & obscure cognoscitur; explicite per Definitionem evolvitur, & clarè explicatur. Et ita ipsa Definitio reflexè, hic definita, vt cognita præcisivè, aut cōfuse secundum rationem communē, distinguitur solum penes expressionem a se ipsa, vt reflectente per spe-

cialem sui Definitionem. Vnde infero contra P. Alph. n. 14. male ab aliquibus, Definitum, distingui, secundum connotata apparentia externe, Definitionem vero secundum interna connotata; ita enim objectivè distingueretur sicut duæ formalitates, & non purè secundum expressiones.

20 Quæst. 10 Vtr. *Definitio in sola apprehensione complexa generis, & differentiæ consistat?* Negant. P. Hurt d. 5. n. 58. P. Compt. d. 43. s. 1. & RR. aliquī. 1. quia sola apprehensio non facit scire; ergo non est Modus sciēdi. 2. Quia hoc modo visio lucis apprehensiva esset Modus sciendi. 3. quia etiā ita apprehēsio integri syllogismi posset esse Argumētatio. 4. Quia se sola non manifestat essentiam Definiti, nisi per judiciū applicata. 5. Quia Aristoteles & S. Th. ita aliquando insinuant; maxime cum dicunt, quod sit oratio.

21 Affir. cū Aristot. 2. *Post.* 3. 1. *Perih. c.* 4 & 6. *Top. c.* 2. S. Th. 1. 2. *q.* 90. *a* 2. & *quodlib.* 5. *a* 9. & 1. *p. q.* 17. *a.* 1. ita expresse tradentibus, M. Ioan. Th. *hic q.* 4. a 2. M. Prado l. 2. c. 3. q. 3. cum reliquis Thomistis; PP. Conimbr. eo *cap.* 4. *l.* 1. *Periherm. litt. D.* P. Vallio *disp.* 3. *de defin. q.* 2. & 5. P. Alph. l. 1. c. 6. n. 26. P. Quiros d. 31. *l.* 1. n. 8. favent que problematici P. Arr. d. 3. n. 8. P. Lynceus *eo tr.* 2. *a.* n. 24. & ipse P. Compt. *d.* 4 *sum s.* 1. *n.* 8.

Prob. *Tum* quia est cōmunior loquendi modus. *Tum* quia juxta Arist. 1. post c. 4. eiusque Interpretes, cum PP. Conimbr. *ibi q.* 1. *a.* 2. Definitio est prædicatum, quod dicitur primo modo dicendi perse, ergo est prædicatum, seu terminus, nō judicium. *Tum* quia dicitur ad convertentiam cum Definito; solum autem prædicatum convertitur cum subjecto. *Tum* quia Definitum nō debet intrare definitionē ex lege n. 5. intrat autē propositionē vt subjectū. *Tum* denique quia Terminus ille complexus perse explicat essentiam rei per genus, & differentiam; ergo perse est definitio.

22 Ad 1. ènum. 20. Neque etiam Propositio facit scire, nisi per euidentiam, inqua consistit scientia, formetur: Ergo satis est quod Definitio sit medium, quo scimus, seu quo demostratio scire nos facit, vt sit Modus sciendi. Ad 2. non est dubium quod visio lucis, & quævis apprehensio evidens sit modus sciē di omnium evidentissimus, vt pote intuitivus: sed hic inquiritur Modus sciendi abstractivus, proprius scientiarum abstractarum a sensibus. Ad 3. Apprehensio integri syllogismi, non est argumentatio, quia hæc debet esse juxta Arist. *Oratio inferens vnum ex alio*; illatio autem dicit actum judicativum, sive illativum; alienum ab apprehensivo. Ad 4. concedo manifestationem in actu secundo, sive applicationem Definitionis ad Definitum, non fieri nisi per judicium; sed hæc applicatio supponit vim manifestativā in prædicato (per quā solum definitur modus sciendi *d. præc.* n. 1.) sicut applicatio

plicatio ignis supponit in hoc vim combustivam. Ad 5. hoc ipso sensu aliquando Arist. & S. Th. tribuũt Propositioni rationem *Definitionis*, idest applicatæ Definito. Quando autem dicunt esse orationem, hanc vsurpant pro Termino complexo, ex dictis disp. 15. n. 15.

DISPVT. XXXI.

De Diuisione.

1 QVæst. 1. *Quod & quotuplex sit Diuisio?* Resp. ex Arist. 1. *Top.* c. 14. cõmuniter definiri est *oratio* (sive est *Modus sciendi*) *totum in partes distribuens*. Totum appellatur *diuisum*; partes vero, *membra dividentia*. Vnde quot modis dividitur totum, dividitur, & ipsa Divisio: imprimis, alia est vocis, quà nominis significationes distinguntur, v. g: *Canis, alius marinus, alius terrestris*, &c. Alia rei. Et hæc triplex. Vel totius physici, in partes physicas: vt hominis *in corpus & animã*; vel metaphysici, in partes metaphysicas, vt ipsius hominis *in animal, & rationale*, quibus constituitur: vel Logici, sive vniversalis (quod vocatur *totum potestativum*) in species quas continet; v. g. animal, *aliud homo, aliud brutum*.

2 Divisio totius logici, alia est essentialis, quando prædicatum divisum essentiale est membris dividentibus, vt *animal homini & bruto*. Alia accidentalis, quando divisum accidentale est dividentibus: & hæc triplex. 1. accidentis in subjecta, vt *album, aliud homo, aliud folium*. 2. subjecti in accidentia, vt *homo, alius niger, alius albus*. 3. accidentis in accidentia, vt *album, aliud frigidum, aliud calidum*.

3 Quæst. 2. *Quæ sint leges bonæ Divisionis?* Resp. Tres potissimum numerantur, *Prima*, ex Arist. 2. *Post.* c. 5. & 14. Et S. Damasc. c. 2. *Dialect.* Ne sit nimia, & prolixa, & vsque ad minimas partes, & individuas, sed in primas, & vniversalio res divisio. *Idem enim* vitium (inquit Seneca Ep. 89) habet nimia quod nulla divisio: simile cõfuso est, quid quid vsque in pulverẽ sectum est.

4 Secunda quod sit adæquata, sive quod divisum adæquetur membris dividentibus, nec magis, nec minus pateat; vt animal, & hominem, & brutum continet, & vltra non patet. Vnde valere debet consequentia á singulis dividentibus ad divisum, *est homo, ergo animal*; non tamen è converso; nisi tantum disjunctivè, *est animal, ergo vel homo, vel brutum*. Hoc intellige de toto logico, seu potestativo; nam in physico actuali, potius valet a toto ad vtramque partem, *est homo ergo constans anima, & corpore*; & non a singulis ad totum *est anima ergo homo*.

5 Tertia, quod membra dividentia mutuo se excludant, & opponantur. Vnde mala esset divisio viventis in animal, hominem, &c. quia animal in homine includitur: & hinc est quod ab vno membro teneat consequentia negativa ad aliud, *est brutũ, ergo non homo*. Sed notandum, quod aliquãdo, divisum præter species purè oppositas, includit aliquam mixtam, vt sub Ente vt sic continen-

tur non solum, *honestum*, *vtile*, & *delectabile*, sed etiam *mixtum*; & sub viuenti vt sic, nõ solum *vegetatiuum sensitiuum*, & *rationale*, sed mixtũ ex tribus scilicet *hominem*. Et in his solum valet consequentia negativa addito Ly *pure*, v.g. est *vegetatiuum pure*, *ergo non sensitiuum*, &c. quia ita tantum sunt species, & mẽbra dividentia, mutuo se excludentia. Item nota, hanc exclusionem solum negativam esse non posse, sed per differentiam positivam, licet aliquando deffectu vocum negative explicentur, vt *animal*, *aliud irrationale*, &c. quasi positive diceres, *aliud brutale* &c.

6 Quæst. 3. *Vtrum divisio totius actualis sit idem cum Definitione*? Affirmant P. Fonseca l. 1. c. 4. P. Hurt. d. 10. n. 36. P. Arr. d. 3. hic n. 12. Quia idem est dicere, *Homo est animal rationale*, vel *constans corpore & anima rationali*, quæ est definitio, ac dicere, hominis *alia pars animal*, *alia rationale*: *alia corpus*, *alia anima*; quæ est divisio.

Nego cum PP. Conimbr. q. 6. *proæm.* a 1. §. 3. P. Ovied. c. 2. p. 2. n. 7. P. Alph. l. 1. c. 6. n. 22. Spinula p. 2. c. 2. &c. Quia licet sit idẽ vtriusque actus obiectum, non tamen idem modus repræsentandi; vnde sicut hi termini *Omnis homo*, & *Aliquis homo*, distincti, diversiq; sũt, quia licet idem obiectũ respiciant; illud tamen diverso modo, quia *omnis* repræsentat omnes copulativè, *Aliquis* vero eosdem disjunctive; ita cum Divisio divisive, & distinguendo membra per modũ plurium partium; Definitio vero copulativè, & eadem adunando ad constitutionem totius, repræsentet; erunt ex modo tendendi, distinctæ, atque diversæ.

7 Quæst. 4. Vtr. Totum logicum dividatur in differentias v. g. animal, *in rationale & irrationale*, sicut dividitur in species *hominem & brutum*? Affirmat P. Arr. n. 14. Quia *animal* non minus superius est differentiatum, quam specierum; nec minus, aliud *est rationale* &c. quã *aliud homo* &c.

Nego cum P. Ovied. P. Alph. n. 15. &c. Tum quia hic est modus loquendi receptior, & approbatus a S. Th. 3. *Metaph. lect.* 4, & 10. *Metaph. l.* 5. Tum quia differentiæ nõ sunt partes totius logici, cum hoc componatur per convenientiam plurium, differentiæ autem non conveniant, sed solum species v. g. *homo* & *brutum in esse animalis*. Tũ quia quando prædicatur, *animal aliud est rationale* &c. hæc prædicatio fit adjectivè, quasi rationale sit extra substantiam animalis, & è converso; è contra cũ de speciebus dicitur *aliud est homo*, &c. est prædicatio substantiua, vt patet. Ergo.

8 Quæst. 5. *Vtrum Divisio fiat per apprehensionem*? Affirmat M. Prado 2. *summul. c.* 4. *n.* 2. Quia Divisio non dicitur vera, vel falsa, sed bona vel mala; ergo quia pertinet ad apprehensionem, quæ non habet veritatem, vel falsitatem: sicut etiã propterea definitio solũ apprehẽsiva est.

Nego cum P. Alph. n. 11. ex cõmuni

muni DD. *Tum* quia ex ratione adducta, etiã argumẽtatio esset actus apprehẽsivus, quia illatio, vel consequẽtia (& cõsequẽter, argumẽtatio, quæ illã dicit de formali] numquã dicitur vera, vel falsa, sed bona, vel mala. Ratio autẽ pro omnibus est; quia nec divisio, nec definitio, nec illatio, si falsæ sint, re ipsa & simpliciter tales sunt; si enim definias hominem *animal hinnibile*, ea non solum falsa, sed nec vlla definitio hominis erit; & pariter si dividas animal in *plantam*, & *lapidem*, nulla erit divisio. Similiter si ex eo quod *Petrus sit animal*, inferas, *Ergo est homo*, nulla erit illatio, quia est falsa, seu falsæ cõnexionis. *Tum*, quia quocumq; modo formetur divisio, sẽper fit per affirmationem, & negationẽ, & consequenter per judicium; sive dicas v. g. *Animal, aliud est homo aliud brutum*; sive, *Alia pars est animal, vel anima, alia* &c. semper sonat Ly *est*. Nec potest divisio vt talis etiam apprehensa (sicut apprehenditur in egra proposito] explicari nisi cũ subjecto diviso, & prædicato dividẽte in sua mẽbra, quod signum evidens est enuntiationis.

DISPVT. XXXIJ.

De Argumentatione, seu syllogismo, eiusque Materia, & Forma.

1 QVæst. 1. *Quid sit Argumentatio?* Resp. ab Aristotele eam cum syllogismo confundi (& merito, vt dicam n. 5.] atque ita l. 1. Prior. *c.* 1. & 4. & *l.* 1. *Top. c.* 1. definiri: *est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quidpiam ab his quæ posita sunt, cum hæc ipsa sunt, necessario evenit*. Alij legunt, *aliud quidpiam sequi necesse est*. Dicitur *Oratio*, quia licet re vera tribus orationibus, duabus scilicet Præmissis, & conclusione ex ipsis illata, constet; omnes tamen adunantur quoad vnum sensum perfecte discursivum; sicut oratio definitur *vox* ab Aristotele, licet constet pluribus vocibus, quia hæ ad vnum sensum cũ verbo congruentem cohibentur, ex d. 15. n. 14. est etiam Ly *Oratio* genus commune reliquis Modis sciendi, imo & orationibus quibuscumq; vn de alij tanquã per genus proximius definire solent: *Est Modus sciendi, in quo vnum notanter infertur ex alio*. Sed nõ facile relinquendus est Philosophus: maxime cum hæc definitio conveniat etiam discursui virtuali, quæ Argumentatio non est; & genus proximũ facile suppleatur per adjunctas differentias, cum nimis remotum non est, *juxta d.* 30. *n.* 10.

2 Per Ly, *in qua quibusdam positis*, ideſt, *positis Præmissis duabus*, distinguitur a discursu virtuali, qui vna propositione hypothetica, sive causali, sive conditionata, sive etiam illativa consistit: v. g. *Si sol oritur dies est*; vel *quia sol oritur*: vel *eo quod sol oriatur* &c. quin tamen sit formalis Argumentatio, nec syllogismus.

3 Per Ly *aliud quidpiam sequi* &c. distinguunt DD. communiter cum & apud PP. Conimb. *eo c.* 1. *Prior. q.* 1. *a* 1, & 3. & P. Alph. *l.* 5. *c.* 1. & *l.* 1. *c.* 7. Argumentationem ab illis, quas vocat *puras consequentias*; scilicet per *conversionem* prædicati in subiectum, vel per *Descensum* ab-

vniuer

vniversali ad singularia; vbi non deducitur in consequenti, *aliud quidpiam*, sive alia veritas; ab ea quæ erat in antecedenti. Minime tamen assentior: *Tum* quia adhuc in Argumentatione veritas cõclusionis, nõ est simpliciter *aliud quidpiam*, nisi tantum in expressionibus; a veritate Præmissarum, maxime cum arguitur a definitione ad definitum. *Tum* quia eas *consequentias* non minus judico argumentationes, quam reliqua alia enthymemata, de quibus *n. 5.* . Ideo enim deduco ex eo quod *Nullus homo est lapis*, quod *Nullus lapis sit homo*; quia implicite subsumo principium, quo Dialecti ea demonstrat veritatem *Conversionis simpliciter*. Atque ita etiam, ex eo quod *omnis homo est animal*, infero per Descensum, *ergo & hic, & hic homo est animal*, quia implicite similiter subsumo, quod *sub omni homine* est & *hic, & hic*, &c. *Tum* quia non capio, quomodo *Inductionem* cũ Aristotele faciant speciem Argumẽtationis ex n. 5. cum non sit aliud, quã Ascensus a singularibus enumeratis *& hic & hic* &c. ad vniversale, *ergo omnis*: cum eiusdem rationis sit hic ascensus, & ille descensus.

4 Per Ly *Necessario evenit*, vel *sequi necesse est*, requiritur quod conclusio, vi illationis, & cõsequentiæ sit necessaria, licet consequens ipsum sit contingens, imo falsum: vnde syllogismus ille repetitus ab Aristotele his duobus libris *Prior. A est B. sed B est C, ergo A est C*: Formalis argumentatio est, quia consequens præmissis legitime infertur conclusio, secundum se materialiter falsa. E contra vero hæc, *Homo est animal ergo equus est hinnibilis*, argumentatio non est, licet veræ sint præmissæ & conclusio, quia hæc ex illa non sequitur necessàrio.

5 Quæst. 2. *Quotuplex sit argumẽtatio?* Resp. dupliciter dividi ab Aristot. *Primò*, a forma *c. 27. l. 2, Prior* in *Syllogismũ, Enthymema, Inductionem*, & *Exemplum*. Syllogismus, qui cõstat duabus Præmissis, Majori, & Minori & cõclusione de quo hactenus. *Enthymema*, sive syllogismus vocaliter trũcatus, carẽs altera Præmissarum, implicite suppositа in mente (vt dicam Tract. 7. cõtra Caramuel n. 1016.) v. g. *Sol oritur, ergo dies est*: vbi reticetur, *Quia quoties sol oritur est dies*: vnde patet in mente esse syllogismum. *Inductio*, est similiter Enthymema per ascensum a sufficienti enumeratione partium (quæ vocatur inductio) ad Totum, sive potestatium, sive actuale, v. g. *hic, & hic ignis Calefacit, &c. ergo omnis ignis calefacit*: vbi etiam reticetur, *Quia hic, & hic* &c. *est omnis*. Similiter *Exemplum* syllogismus truncatus, a pari, vel simili inducens: vg. *Deus pepercit Petro pœnitenti, ergo & huic parcet*: vbi semper subticetur ratio paritatis, quæ est altera præmissa. Et eodem modo discurrendum est de alijs Enthymematis speciebus, quæ a Dialecticis & Rhetoricis afferuntur; vt sunt, *Dilemma* sive argumentũ cornutum, ex duplici antecedenti oppositо eandem inferens

ferens

ferens consequentiam: v. g. *vel est homo, vel est brutum: ergo semper est animal.* Item *Trilemma*, & *Tetralemma* inventa à Caramuele *n.* 1100. Denique *Sorites*, quæ est gradatio de vno prædicato in aliud, vt postremum inferat, v. g. *Homo est animal, animal est viuens, viuens est substantia, ergo homo est substantia*; & est syllogismus ex pluribus per implicitas præmissas compositus. Atque ita pate, omnem argumentationem esse syllogismum. Ratio. Quia petit vnire duo extrema cum tertio, & consequenter per duas præmissas, vt illa vniat inter se per conclusionem.

6 Secundo dividitur syllogismus ab Aristotele per materiam in *Demostratiuum, probabilem, sophisticũ & Pseudographum*: de quibus cit. Tr. 7. Addunt Dialectici, *in Categoricum, & Hypothetic um, disiunctiuũ, complexum, obliquum infinitum &c.* a diversitate terminorum. Et propositionum: Item in *expositorium*, sive de termino singulati; *& communem*, sive de termino communi, & hinc Caramuel tota p. 3. logi. voc. pergit dividere, pro diversitate terminorum, *in Identicum, Etymologicũ, Crypticum, Subterrancum, Transfiguratum, &c.* & mille alia, quibus inotiari non vacat.

7 Quæst. 3. *Quæsit materia, & forma syllogistica?* Resp. Materiã *proximam* esse tres propositiones, *remotam* tres terminos, quibus hæ constare debent. *Formam* vero esse ipsorum terminorum ordinationem: ita scilicet, vt vnus sit medium, quo cum duo alij in duabus præmissis conjungantur (vel disjungantur si conclusio negativa inferenda sit) qui duo sint extrema conjungenda in conclusione inter se. Vnde si præter hos tres, addatur quartus; aut si male aliter distribuantur, vel introducto medio in conclusionem, vel altero extremo in vtramque præmissam; syllogismus non erit *in forma*, sed vel *quadrupes*, vel *vitiosus*; & consequentia fiet *illegitima*, & mala si aliquo ex ijs defectu laboret.

8 Exemplo res clare fit. Vis probare *hominem esse animal*, sive conjungere in conclusione hos duos terminos sive extremitates (ita vocant) assume ergo tertium, quem vocamus Medium, quo cum singulas extremitates in singulis præmissis conjungas, scilicet *sensitiuum*, sive, sensibus præditum, quod pertinet ad definitionem animalis, & etiam ad essentiam hominis; & per hanc identitatem cum eo tertio, inferetur necessaria identitas inter se vtriusque extremi: v. g. *Omne sensitiuum est animal, sed omnis homo est sensitiuus, ergo omnis homo est animal*: vbi vides solos tres terminos; *animal, homo, sensitiuus*; & tertium hunc, vt pote medium, omnino extra conclusionem. Si autem adderes cuilibet eorum aliũ conterminum, v. g. *aquoreum &c.* vel si *sensitiuum* cõclusioni inseres, syllogismus non esset in forma, neque concluderet. Similiter pro negativa, seu disjunctione hon inis alapide deservit idẽ medium; conjungendo cum illo ho-

minem, & ipsum alapide diuidendo: v. g. *Nullum sensitiuum est lapis, omnis homo est sensitiuus, ergo nullus homo est lapis.*

9 Ex hac substantiali, & quasi communi ordinatione, formæ oritur alia duplex specialis. *Prima* circa subjectionem, & prædicationem medij in præmissis seu modum, quo subjici, & prædicari debet in illis; & vocatur Figura. *Secunda*, circa quantitatem vniversalem, vel particularem, & modum affirmationis, vel negationis præmissarum, quem vocant qualitatem, & hæc ordinatio secunda appellatur *Modus*; vnde sæpe dicitur, syllogismum non habere *figuram, nec modum.* Quomodo autē affirmatio, & negatio, dicatur *qualitas*, cum sit substantia propositionis *ex disp.* 19 *n.* 9. explicatur exēplo ab *Annulis catenatis*, quibus species auri vel argenti, accidentalis est respectu numeri, figuræ, & formæ, artificialis, licet sit de essentia metalli illas componentis. *Figura* autem est triplex; sicut *Modus* est multiplex; sed de his seorsim disputandum.

DISPVT. XXXIIJ.

De Figura syllogistica: & vtrum sit tantum triplex?

1 PRima sententia negat cū Galeno; & omnibus Medicis, qui de quarta figura sunt ita soliciti, quasi sine illa non minus forma syllogistica, quam sine quarto humore homo, læthaliter ægrotaret, vt disertè dicunt disertissimi PP. Conimbr. Quibus quasi pedisequi, & asseclæ practici ad hæserunt P. Peñaf. hic *d.* 3. *q.* 2. *s.* 6. P. Yzquier. *d* 20. *n.* 30, Ioanniz *d.* 7. *c.* 2. *n.* 9. & Caramuel *n.* 826.

2 Secunda nostra sententia affirmat, tantum tres esse figuras, cum Aristot: 1. *Prior a cap.* 4. *& c.* 22. *&* 23. S. Thom, & reliquis DD. ibi PP Cōnimbri. ad c. 7. q. 1. á 1. P. Hurt. P. Arr, P. Oviedo P. Compton P. Santa Cruz n. 464. P. Tellez d. 16. s. 3. P. Lync l. 5. tr. 1. c. 2. n, 15. &c.

3 Probatur demostratione Mathematica, combinationum possibiliū subjectionis, & prædicationis Medij in duplici præmissa, quæ solum possunt esse tres; sed Figura juxta Aristotelem nihil est aliud, quam ordinatio Medij secundum debitam subjectionem, aut prædicationem Medij in præmissis, vt ex ipso Arist *d. præc. n.* 9. cum omnibus DD. definivimus. Ergo Figuræ solum possunt esse tres. Maj. mathematice ostenditur: quia tripliciter tantum potest ea dispositio fieri & variari; 1. in qua Medium vni extremitati subjciatur, in vna præmissa, & in altera prædicetur: & erit 1. Figura: 2. in qua de vtraque extremitate in vtraque præmissa prædicetur: & erit 2. Figura: 3. in qua subjciatur vtrique & erit Figura tertia: neque alia est cogitabilis.

4 Resp. Galenus, deficere vnam cōbinationem primæ germanam; quia sicut per primam Medium subijcitur in Majori, & prædicatur in minori; v. g. *Homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal*: ita

per

per aliam poterit è converso transponi, & in Maiori subijci, ac in Minori prædicari: v.g. *Petrus est Homo, sed homo est animal. Ergo Petrus est animal*: & ita constituetur nova quarta Figura.

Cõtra 1 nõ variatur habitudo Medij ad subjectionẽ & prædicationẽ: ex eo quod prius, vel posterius subjiciatur, vel prædicetur in præmissis; sicut ex eo quod idem prædicatum bis affirmetur per duplicem propositionem, vnam priorem altera, non variatur habitudo formalis, seu modus se habendi, vt prædicatum, in ordine ad illas 2. Quia quod præmissa sit Maior, vel Minor, solũ provenit ab eo, quod primo vel secundo loco proferatur, vt patebit *n.* 7. quod materialiter se habet ad propositionẽ, atque etiam ad terminos illius; imo in mente, vbi simul, & fortasse in instanti præmissæ, & totus syllogismus proferri debent, talis ordo Majoris, & Minoris non datur; ergo in mente idem erit Major, ac Minor propositio; ac proinde eadem ipsa medij dispositio, quod subijciatur in majori, & prædicetur in minori, atque è converso 3. Si hæc transpositio sufficeret advariãdam figuram posset addi, *quinta*, quãdo cõclusio ipsa præponeretur præmissis, dicendo v. g. *Petrus est homo, qui est rationalis; & omne rationale est homo*: item *sexta*, quando interponeretur, dicendo; *omne rationale est homo, ergo Petrus est homo, quia est rationalis*, signum ergo est, has transpotiones esse omnino accidentales pro variatione figuræ.

5 Obj. 1. Major & Minor sunt ab intrinseco tales, & non solum ordine accidentali prelationis, ergo earum variatio sufficiens est ad variandam figuram. Anteced. prob. a P. Peñafiel. ex particulis *sed*, *atqui*, & similibus, quæ Minori præponuntur; quæ denotant aliquam intrinsecam subsumptionem, non minus quám particula, *ergo*, illam arguit in conclusione, respectu Præmissarum.

Resp. neg. *anteced.* ad prob. Sicut in vocibus multæ sunt particulæ cõjunctivæ vnius propositionis cum alia, v.g. *Item, deinde, Præterea, &c.* quæ non intrant Propositionem, & orationem ipsam vocalem; ita similes sunt etiam in mente, quæ denotant simultatẽ vnius actus cum alio, non vero modum significandi specialem ipsius Propositionis, & tales sunt illæ particulæ, quæ Minori præmissæ solent adjungi. Disparitas vero earum ab alijs, v.g. à particula illativa *ergo*, sumitur à modo significationis; quia ly *ergo*, & similes illam immutant, & denotant dependentiam intrinsecam vnius actus ab alio, ita vt ab illo impellantur ad assensum; at Minor non inducitur à Majori ad assensum, alias esset conclusio respectu illius: vnde particula, *sed*, *atqui*, non indicant intrinsecam dependentiam: sed conjunctionem accidentalem vnius actus cum alio: cum, illis ablatis, eadem omnino Præmissæ significatio sui objecti permaneat.

6 Obj 2, Iuxta Arist. *l. 1. Prior c. 5. ante med.* Maior extremitas est, cui subjicitur medium; Minor vero de qua medium prædicatur: vnde ab illa Major propositio, & ab hac Minor debet nominari, vt tradunt plerique apud P. Lynium c. 1. ergo ab intrinseca hac subjectione, & prædicatione Medij sumitur ratio Majoris, & Minoris; & ex illa variari potest intrinsece Figura.

Resp. 1. potius hinc confirmari nostrã *sententi*. Quia sive primo, sive secundo loco, propositio proferatur, semper manet eadem subiectio Medij respectu majoris extremitatis, cum illa sit maior extremitas cui medium subijcitur, etiam si secundo loco proferatur; ergo, nunquam variabitur Major in Minorem in prima figura: cum nunquam desinat Medium esse subjectum, vbi semel tale fuerit. Addo, etiam juxta DD. qui cum P. Fons. Majorẽ extremitatem vocant prædicatum conclusionis, Minorem vero subjectũ, eodem modo permanet vtraque in præmissis, licet hæ transponantur.

7 Resp. 2. nihilominus non bene hoc vtroque modo explicari Majorem & Minorem propositionem; vt dicunt M. Sot. *l. 5. c. 5. &* 6. P. Arr. *n. 3. f. 5.* P. Felle. P. Hurt. & alij supra, cum Scoto *l. 1. prior. q.* 24. Tum quia ea *Prima* constitutio Majoris, non potest accommodari secundæ figuræ, vbi prædicatur Medium in vtraque præmissa, ac proinde vtraque esset Minor; & similiter secundæ, vbi semper subjicitur, ac proinde vtraque esset Major *Tum* quia nec *secunda* apta est, Modis indirectis, vbi conclusio convertit prædicatum in subjectum; & Major extremitas, quæ directè prædicabatur in conclusione fit extremitas Minor sive fit subjectum; ergo sicut pro his Modis, nec nõ pro secũda, & tertia figura, præmissa Major debet esse, quæ profertur prius, & Minor, quæ posterius (vtcumque fatetur P. Alph *à n. 13*) melius pro omnibus ita dicendum erit: maxime cũ vsus scholarum iste fuerit, vbi nunquam alia, nisi quæ prius profertur Major dicitur: quid quid contradicat P. Lync. *cap. 1.* cui benedicit P. Arr. *n. 30.*

8 Obj. 3. sola transpositio præmissarum distinguit Modos, vt patet in 2. figura, in *Cæsare*, & *Camestres*, & in 3. in *Datisi*, & *Disamis disp.* seq. videndis, vbi eædem sunt syllabæ, nisi quod prima & secunda transmutatæ sunt pro transpositione præmissarum, vt disp. seq. explicatur. Ergo pariter sufficiet eadem trasmutatio, pro distinctione figurarum.

Resp. nego antec. ex *d seq. n. 5.* his scilicet Modis solũ transponi præmissas; sed etiam conuerti conclusiones de directis in indirectas; & ita fieri diversos Modos: quod tantum nõ sufficit ad invertendam figuram. Nego item *conseq.* quia licet eã inversione Galenica, mutaretur Modus, non tamen figura.

DISPVT.

DISP. XXXIV.

De Multiplici Modo Formæ Syllogisticæ.

1 QVæst. 1. *Quid, quotuple & quæ sit Modus*, Resp. ex Arist. 1. & 2. lib. Prior. definitur, *Ordinatio præmissarum secundum quantitatem*, modo explicato disp. 32. à n. 9. Quoniã verò dispositio quãtitatis vniversalis, & particularis, nec nõ qualitatis, & enũciationis sit, in qualibet figura admittit sedecim cõbinationes, totidẽ in qualibet erũt Modi; & consequenter quadraginta octo in tribus figuris: quod Mathematice.

2. Demonstratur. Quia secundum quantitatem quatuor tantum combinationes præmissarum variari possunt. 1. si ambæ sint vniversales. 2. si ambæ sint particulares. 3. si maior vniversalis, & minor particularis. 4. si maior particularis, & minor vniversalis. Deinde secundum qualitatem, aliæ quatuor tantum combinationes variari possunt. 1. si ambæ præmissæ sint affirmativæ. 2. si ambæ negativæ. 3. si maior affirmativa, minor negativa. 4. si maior negativa, minor affirmativa. Sed primæ quatuor combinationes multiplicatæ per posteriores alias quatuor faciunt sedecim: ergo sedecim sunt modi in vna quaque figura; & consequenter 48. in tribus, nec plures, nec pauciores.

3 Ex his tamen 48. manifestũ est, plerosque esse inutiles, ex principijs per se notis Dialecticæ, de quibus *disp. seq.* In primis ex illo principio. *Quod ex puris negativis, & puris particularibus nihil sequitur*, fit palam, quod modi ex illa duplici combinatione vtriusque præmissæ negativæ, & vtriusque particularis, inutiles sint. Deinde ex alio principio, *Quod ex medio non completè & perfectè distributo, hoc est distributivè accepto, pro omnibus pro quibus potest, in aliqua præmissarum; non potest aliquid determinatè inferri*: colligitur quod in 2. figura, est inutilis combinatio duplicis affirmativæ; quia medium semper prædicatur in præmissis, in ea figura, terminus autem communis dũ prædicatur, non distribuitur, sed solũ supponit pro mensura subiecti. Ex quo fit etiã inutilis pro *tertia* figura combinatio vtriusque enũciatis, quæ *in* præmissis prædicantur de medio, & consequenter non distribuuntur, ac proinde male distribuuntur in conclusione, vt dicam dẽ seq. n. 3. Ex quibus Regulis & alijs meritò DD. communiter redigunt modos vtiles ad duodecim tantum directos, ex 48. combinationibus, quibus addunt alios septem indirectos, ex dicendis n. 5. & omnes simul sunt 19. ex quibus novem, ad primam figuram, quatuor ad secundam, sex ad tertiam pertinent.

Omnes hos novendecim Modos Summulistæ ad subsidium memoriæ, quatuor antiquis versibus comprehendunt ex S. Th. *opusc. 48. tract. de sylleg. c. 8.* vt sequuntur.

1. *Barbara, Celarem, Darij, Ferio, Baralip-- ton, Celant*

Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

2 *Cesare, Camestres, Festino, Baroco,*
3. *Daraptis,*
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

4 Notandū quę 1. Dictiones singulas constare tribus syllabis (nisi vbi lex carminis cogit addere alias extraneas) respōdentibus triplici propositioni syllogismi, designantibusq; per A. affirmativā vniversalem, per E, vniversalem negativā, per I. affirmativam particularem, & per O. particularem negativam, ex regula d. 26. n. 6. V.g. *Barbara* petit syllogismum triplici A. A. A. sive vniversali affirmativa cōstantem, in 1. figura: *Omne sensitivum est animal, sed omnis homo est sensitivus, ergo omnis homo est animal.* Similiter Modus *Darij* (cuius *forma*, veluti Darij Regis *digna imperio*, solet extolli) petit affirmativam vniversalem, per A. & duplicem affirmativā particularē, per duplex I. I. v.g. *omne sensibile est animal; sed aliquod intellectiuum est sensibile*; ergo *aliquod intellectivum est animal*: & sic de alijs.

5 Nota 2. ex omnibus 19. Modis, solos quatuor primos esse perfectos: directos, & claros; vnde reliqui sūt ad illos redigendi, vt dicam d. 37. Reliqui item quinque primæ figuræ, cum eisdem syllabis constent, quibus quatuor priores, parum immutatis, vel transpositis, sunt modi indirecti, respectu eorum, quorum litteras initiales habent; id est, eandem conclusionem, conversam tamen sive transpositam ex Regulis *conversionis*, inferunt, quam directe Modus perfectus inferebat: v. g. illa conclusio nuper facta, in *Barbara*, transiet in *Baralipton* i. a: *Ergo aliquod animal est homo.* & similiter facta in *Darij*, transit in *Dabitis*, ita: *ergo aliquod animal est intellectiuum.* Vnde fit quod pro omnibus 12. Modis directis, possunt alij duodecim indirecti acommodari; illos tamen omiserunt DD. contenti illis quinque indirectis pro quatuor directis in 1. figura: & in *secunda* solo *Camestres* pro *Cesare*, & in *tertia* solo *Datisi* pro *Disami*. Quia reliqui sunt valde obscuri: præter cōmunem obscuritatem, quā omnes indirecti habent, ex conuersione quasi violenta conclusionis directæ, facilis & naturalis; quam semper necessariam esse in intellectu, dicam Tract. 7.

6 Quæst. 2. *Vtrum alij Modi directi vtiles possint inveniri?* Resp. absq; dubio posse: & in prima figura duos *Barbari, Celaro*, pro conclusionibus particularibus; cū *Barbara, Celarem*, pro vniversalibus; & in secunda similiter *Cesaro, cum Cesare*. Quod tamen non ita factum dicunt P. Fons. & P. Alph. Quia in conclusionibus vniuersalibus particulares includi, antiqui DD. supposuerunt. Vnde de hoc adeo curandum, & laborandum non fuit P. Lynceo, pro quinque Modis c. 4. & longe minus P. Yzquierdo d. 20. q. 3. pro Modis 520. eruendis: deinde ad 36. directos, & totidem indirectos, singillatim quasi anathomicè, redigendis in summulistica

Arte

Arte: tandem vero ex alia á se inuenta, aut renouata & aucta, 758. Modis reproducendis, summo quidem studio ac labore. Quem imitatus est Caramuel á n. 767. Modos triginta meditatus, & á n. 1080. pro syllogismo obliquo plusquã centum. Sed non iudico tot rationum agmina his legendis conchylijs, Regiam vesciẽtiæ maiestatem huic Muscarum venationi satis aptè totam impendi.

7 Quæst. 3. *Vtrum prosyllogismo expositorio, & hypothetico, hi etiam Modi, ac figuræ deserviant?* Resp. pro expositorio, posse solum inuerti modum quoad qualitatem, cum careat Quantitate vniuersali, & particulari, quia est de medio singulari: figuræ autem omnino seruari possunt: v. g. in primã: *Carolus est Rex, hic homo est Carolus, ergo hic homo est Rex.* In secunda: *hic homo non est Carolus, sed Rex est Carolus, ergo hic homo non est Rex*: & sic de alijs.

8 Pro *Hypothetico*, & *disjunctiuo*, nec non pro Modali, variæ sunt Regulæ de triplici figura accõmodanda; de quibus PP. Connimb. cũ Aristotel. c. 3. 7. &c, & ex illis breuius P. Lynceus tr. 2. c. 5. & seq. P. Alph. l. 4. c. 15, ex dictis tamen sunt facilius ductu rationis eruendæ; quia reducuntur ad categoricos de termino complexo, vel ad conglobatos syllogismos ex categoricis, vt d. seq. constabit n. 5. & 9.

DISPVT. XXXV.

De Principijs seu Regulis formæ Syllogisticæ.

1 PRimum Principiũ. *Ex puris negatiuis nihil sequitur.* Quia cũ tota sequela, & illatio conclusionis proueniat ex eo, quod duo extrema vniantur cũ tertio seu medio in Præmissis, vt possint vniri inter se in cõclusione affirmatiua si vero negatiua sit, etiam vnum extremum debet vniri cum medio, & aliud ab ipso disiungi, vt in conclusione disiungantur: consequenter semper debet præmitti vnio aliqua cum medio, quæ fit per affirmationem. Et fundatur in Principio, *Quæ sunt eadem vni tertio, &c.*

2 Obseruandum tamen, quod aliquando, ratione Termini infiniti, vel implicitè negatiui Præmissa explicitè negatiua, redditur affirmatiua, v. g. Quod *non est admirativum non est homo, sed lapis non est admirativus, ergo non est homo.* Vbi Ly. *non admirativum*, infinitatur: sicut *d.* 12. *n.* 21. dixi de prædicato *Non scintillat.* Similiter hic: *Nulla flamma frigefacit: sed nullus ignis est aliud à flamma, ergo nullus ignis frigefacit.* Vbi Ly *Nullus est aliud*, implicitè affirmat identitatem quasi *Omnis ignis est flamma.* Atque ita non fit illatio ex negatiuis.

3 Secundum Princip. *Ex Medio nõ distributo nihil sequitur.* Id est ex Medio non distributiuè sumpto pro omnibus contentis, sed pro aliquo. Quia tunc non est identitas cum vno tertio, sed cum duplici. Unde ex medio communi, quod se habet vt purè prædicatum affirmatum, in Præmissis, cõclusio non valet: v. g. *Omnis homo est ani-*

animal, sed omnis equus est animal, ergo omnis homo est equus. Quia mediũ animal nõ est *distributum*, sed sumitur pro distinctionis subiectis. Hinc etiã nõ valet ex purè particularibus *aliquis homo est iustus, aliquis homo est peccator, ergo aliquis iustus est peccator*: quia similiter terminisiue extrema sunt indistributa in præmissis, & sumũtur pro distinctis *aliquis*, & *aliquis*, atque adeo sunt quatuor termini; & deficit Principium *Quæ sunt idem cum tertio &c.* quo solum admittuntur tres?

4 Excipe quãdo particulares sunt de prædicato singulari, vt Medio, quia tunc per Medium ipsum determinantur ad idem singulare subiectum, v. g. *Homo est Petrus, sed aliquod album est Petrus, ergo aliquod albũ est homo.* Idẽ evenit, quãdo aliqua alia singularitate ad modificatur.

5. Tertium. *Termini syllogismi sint tantum tres eisdem seruatis.* Quia si plures sunt, non habet locum lex *Quæ sunt eadem &c.* de tribus tantum vera. Vnde in syllogismis complexis, in quibus plures termini esse solent, vel implicitè sensum faciunt termini cõplexi, vel sunt implicitè plures syllogismi cõglobati, v.g. Sorietes *ex d. 32, n. 5. Homo est animal, & animal est viuens, & viuens substantia, ergo homo substantia*; inuoluit tres syllogismos, & reticet tot implicitas præmissas.

6 Ita etiam syllogismus hic disiunctiuus. *Homo vel est rationalis, vel irrationalis; sed homo non est irrationalis, ergo homo est rationalis.* Vbi, vel cõglobatur duplex syllogismus; vt denotat, quod *Homo* ter sit subiectum, vel implicitè sonat complexè relatiuè, *Qui non est irrationalis, est rationalis, sed homo est qui non est irrationalis. Ergo homo est rationalis.* Atq ita nõ fit quartus Terminus ex disiunctiuo, qui seruiet præmissæ pro alio syllogismo disiũctiuo implicito, quo probatur iste relatiuus.

7 Quartum. *Ex vero nunquam sequitur falsum, ex falso aliquando verum.* Traditur ab Arist. 2. *Prior. c.* 2. 3. & 4. & *DD. ibi.* Prima pars patet quia ex vera identitate cum tertio, vera debet esse identitas inter se, Secunda duplicem habet sensum 1. quod ex falsis admissis, potest esse vera illatio formaliter in esse illationis, sive ex vi formæ. Sicut dicitur esse verum, *Quod si Spiritus S. non procederet, non distingueretur à Filio*: & ita vera est hæc illatio: *omnis homo est lapis, sed Petrus est homo, ergo Petrus est lapis*; quia verè infertur, licet sit Consequens falsum. 2. Quod ex falsis, materialiter potest inferri verum: v.g. *Omnis lapis est rationalis; sed homo est lapis; ergo homo est rationalis.* Conclusio est vera realiter, sed non vt nixa motiuo præmissarum, quod est falsum; ac proinde vt conclusio formalis est falsa, de quo tract. 7.

8 Quintum. *Conclusio sequitur debiliorem partem*: Id est, si aliqua Præmissa fuerit negativa, vel particularis, vel falsa, vel probabilis, talis erit conclusio. Sed an conclusio Theologica certior esse possit præmissa naturali dicam eo tract. 7.

9 Sex

9 Sextum. *Ab oppositō consequentis valet oppositū antecedentis: v.g. est substantia, ergo ens; nō est ens, ergo nec substantia.* Quo modo autem in hoc: *Trinitas est euidenter impossibilis, ergo est euidenter incredibilis*: non valeat hæc. *Non est euidenter incredibilis, ergo est euidenter possibilis*: disputant Theologi. Iudico consequentiā valituram hanc fore: *Non est euidenter incredibile, ergo non est euidenter impossibile.* Quia hoc consequens, est contradictorie immediatè oppositū antecedenti; quidquid alij communiter dicant: alterum enim affirmat vtramque euidentiam.

10 Septimum. *Dici de omni & Dici de nullo*, ex Arist. 1. *Prior. c.* 1. vbi syllogisticam vim dicit eo nisi, quod dicatur *de omni subiecto* cōtento sub medio communi, quidquid dicitur de Medio. *Et similiter de nullo contento* dicatur, quod de Medio communi negatur. Quod ita DD. intelligunt, vt sit distributum sub eadem suppositione, appellatione, modificatione &c. Et hoc sensu huic principio totam vim syllogisticam inniti volunt, excluso altero omnium primario. *Quæ sunt eadem, &c.* aliqui DD. Pro quo sit.

DISPVT. XXXVI.

Vtrum vis syllogistica primariò nitatur Principio, Quæ sunt eadem vni tertio &c.

PRima sent. negat, tribuens primatum hunc, Principio, nuper dicto, *Dici de omni, & dici de nullo.* cum P. Mol. 1. p. q. 24. a 3. d. 3. P. Vazq. d. 123. *de Trin.* P. Yzquierd. disp. 13. a n. 171. P. Lync. l. 5. tr. 1. c. 6. P. Santacruz n. 457. Poncio d. 20. n. 57. Caramuel *in Metalog. n.* 249. & P. Maça tr. 3. d. 9. s. 5.

2 Secunda nostra Sententia affirmat cum P. Hurt. d. 10. s. 16. P. Arr d. 3. n. 27. & 1. p. d. 47, P. Ovied. c. 4. p. 1. P. Peñaf. *hic q.* 2. n. 56. *& d.* 12. *Log. q.* 4. P. Compt. d. 7. s. 2. P. Alph. l. 5. c. 4. n. 5. P. Quiros *de Trinit. d.* &c. desumentibus hoc primarium syllogisticæ formæ Principium, ex Arist. 7. *Top. c.* 1. *&* 3. *& l.* 3. *Physi. tx.* 21. *&* 5. *S Thoma* 1. *p. q.* 28. *a* 3.

3 Prob. 1. Tota forma syllogismi consistit in ordinatione triū Terminorum, vniendo duo extrema cum Tertio, seu medio in præmissis, vel alterum disjungendo; vt ea vniat interse per affirmationem, vel dividat per negationem; in conclusione, vt patet ex d. 32. n. 7. Sed hoc est formalissime exercere illud Principiū *Quæ eadē vni Tertio sunt idem interse, sūt & Quæ non sunt eadem vni Tertio non sunt idem interse.* Ergo in hoc Principio exercendo formalissime consistit tota forma & vis syllogistica.

4 Confirm. Quia alia Principia præcipua formæ syllogisticæ, vt *quod ex pure negatiuis*, vel *ex medio nō perfectè distribute*; vel *ex puris particularibus*; vel *a non distributo ad distributum*, vel *ex plurib⁹ Terminis, quam tribus.* Nihil sequitur; totam vim suam habent ab hoc principio, *Quæ*

sunt eadem &c. vt *d. præc. à n. 1. ad. 5.* ostensum est. Ergo primario & radicaliter omnia in hoc principio, tamquam in basi fundantur.

5 Prob. 2. Quia illud ipsum principium *Dici de omni* &c. suam vim habet à principio, *Quæ sunt eadem* &c. Ideo enim ex eo quod *Omnis homo sit viuens*, sequitur quod *hic, & ille & omnis sub eo medio contentus viuens* sit (in quo sistit *Dici de omni*) Quia omnis sub eo contentus est idē cum illo Tertio *Omnis homo*; si enim non continerentur per identitatem, sed sicut effectus in causa, vel aliter minime ea consequentia sequeretur. Ergo tandem tota illa vis principij, *dici de omni*, in identitate cum tertio, sive in Princip. *Quæ sunt eadem vni Tertio*, fundatur.

6 Prob. 3. Quia principium *Dici de omni*, solum habet locum in syllogismis de medio cōmuni, superiore, seu continente inferiora de quibus debeat *dici*, quidquid de superiori: vnde vim non habet pro Medio singulari syllogismi expositorij, nec pro Medio communi æquali, quale est definitio respectu definiti, & attributum respectu essentiæ: inquibus tamen eadem vis & forma syllogistica servatur, quæ in Medio superiori Ergo debet hæc vis fundari in principio, quo æque Medium singulare, & æquale comprehendantur, quod est vnicè, *Quæ sunt eadem &c.*

7 Obij. 1. In divinis vniuntur extrema cum Tertio, & non interse, in hoc syllogismo: *Deus est Pater, sed Filius est Deus, ergo Filius est Pater.* Ergo.

Resp. ibi non distribui Medium *Deus*, pro omni suo significato, vnde non potest dici, *Omnis Deus est Pater*: quia Deus ratione suæ infinitatis est Terminus virtualiter communis, & ideo ex illo non perfectè distributo non arguitur identitas extremorum; sicut ex quovis alio termino cōmuni indistributo: v.g. *Homo est Petrus, sed Ioannis est homo, ergo Ioannes est Petrus*; quia similiter in majori non distribuitur medium, *Homo*, nec dici potest *omnis homo est Petrus* &c. Pariter ergo. Adde neque Principium *Dici de omni*, aliter intelligi in Deo, nisi vt perfectè distributo; & aliter quid quid dicitur in ea Majori de Deo, falsò diceretur de omni cōtento, scilicet de Filio *quod esset Pater*

8 Obij. 2. Causa est medium ad argumentationem, sive syllogismum demonstrativum à priori, pro effectu probando seu demonstrando; sed non potest esse medium, cui identificetur effectus; ergo in ea identitate cum Tertio nō fundatur vis illius syllogismi.

Resp. multo minus contineri effectum in causa, vt in ratione superiori, vt requirit Principiū *Dici de omni*. Stet ergo causam dici medium, quatenus connexio essentialis effectus cum causa, est medium probandi existentiam effectus: hæc enim existentia est idem cum ea connexione, vt cum prædicato essentiali *suo*.

9 Obij. 3. ex P. Lynceo 2. *Metaph. tr. 4. n. 85.* In syllogismo hypothetico, v.g. *Si Petrus currit movetur,*

tur, *sed Petrus currit, ergo Petrus movetur*, non potest habere locum Lex. *Quæsunt eadem*, &c. Tum quia non est assignabile medium, cui idẽ tificẽtur duo Termini. *Tum* quia sũt quatuor Termini 1. motus condinatus in Maj. 2. motus absolutus in concluss. 3. Petrus. 4. cursus. *Tum* Quia Petrus ter repetitur, in tribus Propositionibus.

Resp. multum fatigari P. Arr. a n 18. in hoc arg. sed brevius, & clarius, pro hoc & quovis hypothetico, dico, conglobare, & includere plures syllogismos vt d. præced. n. 5 & 6. de complexis dictum est: alias neque locum habebit, *Medium commune* in quo verificetur *Dici de omni*. Et quia major pertinet ad syllogismum implicitum, seu mentalit rretentum, qui conditionatus est, in illo etiam repetitur Petrus; cum tamen necessarium non sit ad majorem, ex qua explicita conclusio infertur; ad quam sufficit: *Qui currit movetur*, & deinde; *sed Petrus est qui currit ergo Petrus movetur*. Vbi optimè medium designat P. Arr. Ly *qui currit*; cum quo identificatur in Majori, *Qui movetur*; & in Minori *Petrus*, & ita optimè in conclusione *Petrus & qui movetur* conjungũntur. Ubi etiam patet non esse quartum terminum *motum conditionatum*, quia hic pertinet ad syllogismum implicitum, vt medium probandi præmissas explicite.

DISTVT. XXXVII.

De Reductione Syllogistica, & Arte inveniendi Medium.

1 QVæst. 1. *Quid, & quotuplex sit Reductio?* Resp. cũ syllogismi perfecti, clari, & directi, sint tantum primi quatuor *primæ Figuræ*, vt dixi d. 34. n. 5. à Summulistis tradi Artem; qua reducantur omnes, tam indirecti, etiã primæ figuræ, quam directi reliquarum, ad illos quatuor, *Barbara, Celaren, Darij, Ferio*. Et hæc Reductio est duplex:

2 Prima, per *ostensionem*: & imprimis indirecti per solum conversionem conclusionis reducuntur. Directi vero omnes qui habent litteram initialem B. ad *Barbara*; qui C, ad *Celaren*; qui D. ad *Darij*; qui F. ad *Ferio* reducuntur. Modi autem constant aliqua ex his 4. consonantibus, *S. P. M. C.* ex quibus, *S.* notat propositionem sibi antecedentẽ debere converti simpliciter; *P.* convertendam per accidens: *M.* Majorem transponendam in Minorem; *C.* Modum illum non reduci per *ostensionẽ*. Exempla dabit P. Alph. non enim tantum trophæum oblivioni paro.

3 Secunda Reductio dicitur *ad impossibile*; quæ scilicet, sumpta contradictoria conclusionis negatæ, in præmissam, & adjuncta vna præmissa concessa, infert contradictoriam alterius concessæ; vnde negans cogitur ad impossibile, scilicet ad duo contradictoria. Quod etiam in quatuor Modis perfectis

multo

multo clarius perficitur: si enim quis obduratæ frontis neget consequentiam syllogismi; v. g. in Celaren: *Nullus rationalis est Lapis, sed omnis homo est rationalis, ergo nullus homo est Lapis*; reducendus & revincēdus ad impossibile erit, hoc modo: *Ergo Aliquis homo est Lapis; sed per te nullus rationalis est lapis; ergo contra te aliquis homo non est rationalis*; quæ est contradictoria Minoris concessæ deducta ex concessa Majori, & contradictoria negatæ concessa.

4 Modus autem, quo Reductio hæc fieri debeat, in Modis imperfectis ad perfectos irregularis adeo est, & varius, vt illum per tres Dictiones disparatas, *Nesciebatis, odiebant, Letare romanis*; aut alias æquè barbaras mille exceptionibus, & limitationibus, varijs que syllabarum correpondentijs, implicatas; regulare singuli Summulistæ contendant. Ego vero vna generali, facili que Regula contentus, ero: *Vt nusquam aliis, nisi perfectis 4. Modis, & syllogismis quisquam vtatur.* Vt quid enim perditio hæc texendi laboriosos syllogismos, majori posteaquasi Penelopes telam, labore retexendos? cum facili, connaturali, & prompto rationis ductu Modi, & syllogismi perfecti sponte fundātur. Cette hic, si vllibi, multum errando laboratur: nec plurimo minus errat quis, multiplicando præcepta captu difficilia, ad eas veritates, quæ facilius sine præcepto capiuntur; vt disertissimè ponderat S. Augustl. *l. 2. de doctr. Christ. cap 37.*

5 Quæst. 2. *quæ & qualis sit Ars inueniendi Medium.* Resp. esse Artem regulatiuam, ad quærendum tertiū illum Terminum, quo vnio, vel divisio extremorum cuiuscumque Conclusionis probanda est. Eam tradidit Aristoteles. *a cap. 29. ad 32. lib. 1. Prior.* designando quinque fontes è quibus media probationis petenda sunt; scilicet, *Definitiones, Proprietates, Antecedentia, Consequentia, & Repugnantia*, tam subjecti, quam prædicati Conclusionis: quæ vno verbo dicuntur *Connexa*. Pro quibus dextere tractandis, non aliam Artem esse, optimè dixit P. Arriaga, nisi assiduum studium, continuam exercitationem, tenacem memoriā & felix ingenium. De quo tamen lusit Ovven: *Simonides olim memorandi repperit artem. Nullus adhuc artem repperit ingenij.* Vnde in vanum laboraverunt Summulistæ suis illis præceptis, & regulis, per barbaras dictiones solitas non minus significationis vacuas, quam vtilitatis, nisi quod hanc vnam in veneri-mus in Arte sua inveniendi Mediū, scilicet Artem inveniendi finem prolixissimæ omnium Tractationi.

TRACT. 2.

TRACTATVS SECVNDVS PROOEMIALIS, IN LOGICAM, ET VNIVERSAM PHILOSOPHIAM;

DE ILLIVS NATVRA, ET OBIECTO.

QVIA Tractatus hic (vt initio hujus Primæ Partis admonui) totus est in Dialecticæ naturâ investiganda, tam secundum modum tendendi, quam secundum ordinem ad suum objectum, necessarium fuit, vt, quæ communia sunt alijs Philosophicis scientijs, in vtroque respectu, hic etiam examinarentur; præsertim cũ ad vniversam Philosophiam Proœmium hoc manuducat. Vnde multa de vnitate, praxi, & speculatione scientiarum, nec non de earum objecto, hic tractanda erunt; sic enim quæ Logicæ conveniunt, plenius poterunt adaptari. Quam sesquisæculam consuetudinem reprehendit, benignissimus alias, Caramuel a n. 400 alte ingemiscens, & condolens imbecillitati Tyronum, quorum mentes difficilimis ijs Philosophiæ quæstionibus obruuntur, & illius ab studio deterrentur, præ Dialecticorum Recentium, vt inquit, Tyrannide. Sed ipse statim non nullas decerpit, Panico hoc terrore contempto; causatus n. 408. se Magistris eas scribere, non Discipulis. Sed & nos debitores omnibus sumus. Maxime, cum Tyronum potius interesit scire, quam sibi Provinciam assumant, & cujus indolis sit, non solum Dialectica, sed & Philosophia vniversa, cujus studium sectari profitentur; cum in quovis vitæ genere, ad hoc præsertim examinandum instituta sint Tyrocinia. Nec credo hoc examine magis, quam millenis Tabellis, figuris, & Regulis summulisticis Caramuelis (quibus veterani etiam inhorrescimus) Tyrones deterrendos. Quod si adhuc aliquibus Proœmialia difficilia sunt; meminerint, quæ sequuntur de Ente rationis, & Prædicabilibus, esse difficiliora; vnde quantum detrahetur de primis, tanto citius horribiliora succedent; nisi Tyronum miseratio sensim singula, & demum omnia prorsus ducat reijcienda. Conandum ergo potius Tyronibus erit

in ardua, vt obtento cacumine, in plano quiescant: sic enim in re virtutis (qualis etiam scientiarum institutio est) SS. Patres hortantur; & ipsa diuinæ fidei institutio nos docet; quæ in ipso aditu Ecclesiæ statim omnes ad suprema, & omnium difficillima Trinitatis, & Incarnationis mysteria necessitate medij ad discenda prius obligat; vt per hæc in ardua mens eleuetur, facilius reliquis assensura. Statim ergo elevandi sunt animi ad Vniversæ Philosophiæ naturam contemplandam, vt facilius ad specularionem Dialecticæ, disputationes nostræ descendant.

DISPVT. XXXVIII.

Quid, quotuplexque sit Philosophia: quis illius Autor, & ordo?

QVæst. 1. *Quid sit Philosophia?* Resp. Etymologiam nominis desumi a nescio quo Platonis responso ad Leontium Regem, *se non Sophon*, ideſt, *sapientem*; *sed Philosophon*, *ideſt*, *sapientiæ amatorem esse*; vnde Sapientes Græciæ Philosophi, ipsa vero sapientia *Philosophia* dici cepta sunt. Licet autem vulgo stricte accipi soleat pro illa parte Philosophiæ, quã appellamus Physicam; frequẽtius accipitur apud Stoicos ex Seneca pro Philosophia Morali, sive Ethica de moribus, virtutibus que disputante: imo, & pro ipsa professione virtutis; vt videre est apud PP. Conimbr. & Fonsec. *in Proœm. Log. Phys. & Metaph.* Proprius tamen, licet latius, & vniversalius sumitur pro vniversali Sapientia, sive vniversa scientia humana, præsertim naturali, quam vocant *Encyclopædiam*, ex Arist. 11. *Metaph. c.* 6. & S. Thom. *ibi lect.* 7. & hoc sensu definitur ex Seneca *Ep.* 89. apud P. Fonsec. c. 4. *Humanarum Diuinarum que rerum Scientia*; scilicet quidquid de Natura, & Deo scibile, vt Modo nostro sciendi assequi possumus.

2 Rursum vero Aristoteles 4. *Met. c.* 1. Philosophiam valde stricte accipit pro Scientia solum contemplativa. Media tamen via cum ipso Philosopho *l.* 10. *Ethic. c.* 7. est incedendũ, ex communi (hodieque recepta) vsurpatione apud P. Fonsecam 2. *Met. c.* 3. *q.* 3. Philosophiam accipiendo pro Cursu, quem vocamus, Philosophico, scilicet pro *Dialectica*, *Physica*, *& Metaphysica*; quatenus sunt scientiæ de rebus magni momẽti, per altiores causas, & principia de illis agentes, vt ibi requirit Philosophus ad rationem Philosophiæ. Vnde ab illa excludit 4. *Met. c.* 2. Geometriam, & totam Mathematicam, necnon Artes effectivas: quæ aliás sub humana scientia comprehenduntur.

3 Quæst. 2. *Quotuplex sit Philosophia?* Resp. sumptam pro scientia humana multipliciter dividi.

Primo ex Aristotele 1. *Top. c.* 12. S. Thom. 1. *Ethic.* Celebri divisione, in Physicam, Rationalem, & Moralem; sub Phisica omnem scientiam Realem, seu de rebus agentem, etiã Metaphysicam complectendo; Logi-

cam

cum vero, & Ethicam sub reliquis. Quam divisionem S. August. 8. *de Civit. c. 4. & lib. 11. c. 25.* similitudine Divinæ Trinitatis exornat.

4 Secundo dividi solet in scientiã *Realem & sermocinalem*; sub hac *Logicam, Grammaticam,* & *Rhetoricam* intelligendo, sub priori vero *Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam.*

Tertio dividitur a P. Izquierdo *d. 2. Pharì. q. 2. in Physicam,* quæ agit de re vt existenti; & quoad *an sit*; & *Metaphysicam,* quæ de Re vt abstracta ab existentia, sive secundum cõceptus quidditativos & quo ad *quid sit*? abstractos; & *Mixtam,* quæ de vtraque participat; & eas rursum in Practicas, & speculativas; & has tandem in sexcentas, & plures scientias, scientificè quidem, subdividit.

5 Quarto demum dividitur Scientia *ex Ar. 6. Metaph. text. 2. & 6. & 8. Ibibi lect.* 1. per receptissimas antiquorum abstractiones a materia in *Physicam, Mathematicam,* & *Metaphysicam*; quarum Prima ens naturale per experientias sensibiles, & materiæ sensibilis, probat, & contemplatur. *Mathematica* quantitatem rerũ considerat per species abstractiores a sensibus, scilicet secundum proportionem, mensuram, & numerum. *Metaphysica* vero multo magis abstracte rerum quidditates contemplatur.

6 Notandum tamen sub hac divisione solum scientias contemplativas comprehendi; practicæ enim sub quibus *Logica* & *Ethica* solent includi, sub vniversaliori alia divisione scientiarum in Activas, & Contemplativas, quas Philosophus cõplectitur *supra & l. 1. Top. c. 12.* Activas autem distinguit ab effectivis. Nam hæ versantur circa effectus externos, vt Artes omnes Mechanicæ; *Activæ* vero actus internos dirigunt, vt *Logica* mentales, necnon *Scientia Moralis*, sive *Ethica*, morales.

8 De harum scientiarum subdivisionibus late agunt P. Fonsec. PP. Cõimb. & P. Yzquierdus citati, vbi *Mathematicam* sub dividunt *in Geometriam* de Figura, & dimensione agentem; & *Arithmeticam* de Numero pertractantem; sub quibus Mixtas alias, *scilicet Geographiam, Perspectivam, Musicã &c.* cõprehendunt. *Ethicam* deinde in *Oeconomicam*, & *Politicam*; atque hanc in vtramque iuris prudentiam partiuntur. *Effectivas* vero scientias, non solum ad *Rhetoricam, Medicinam,* & alias Artes liberales, sed etiã ad *Mechanicas*, quæ manus instrumento vti dicuntur, vt, quæ ad *Agriculturam, Plasticam*, & *Coquinariam* extendunt. Quæ quidem licet ordine inventionis *scientiæ* dici possint; earum enim regulæ, cum certæ sint, non nisi scientifica ratione inveniri, & ordinari potuerunt; ordine tamẽ traditionis scientiæ appellari non debent, cum potius exercea quadam praxi, & recepto experimẽtorum exemplo, quam via ratiocinationis & modi sciendi exerceantur; alienæ propterea a nomine Philosophicæ scientiæ.

9 Quæst. 3. *Quis sit Philosophiæ*

Autor? Resp. Primum referri Thalem Milesium, ex septem sapientibus vnum, seu primum; Deinde Socratem, huiusque Discipulum Platonem Academicorum Principem, atque vtriusque Auditorem Aristotelē Principem Peripateticorum. Verum neque hi, neque Pythagoras, & Zeno, Stoicarum Autores, Philosophiæ appellandi inventores sunt, sed tantum Propagatores. Nam ante eos apud Egyptios Athlas, & tres Mercurij præcesserunt, iuxta P. Cornel. *c. 2. Exod. v. 2.* Et hi omnes ex Hebræorum fontibus biberunt Philosophiam: vt ex SS. PP. probant P. Corn. *ibi v. 10.* P. Nieremberg. de *Orig. Sacr. scrip. l. 12. c. 6. & l. 7. c. 7. 8. 10* Et nominatim ab Abrahamo Palæstinos, & Egyptios edoctos, tradit Josephus apud P. Salianum Ann. 2114. n. 8. & 2115. n. 9. De Josepho itē Abrahæ Nepote testatur Psalmus 104. v. 22. Domui Pharaonis fuisse præpositū, vt ipsū aliosq; Egypti *Principes erudiret sapientiamque doceret.* Fit ergo ab Hebræis scientiam omnem, & Philosophiam, quam ab Adamo [cui iuxta S. Thom. in 1. p. q. 94. art. 3. fuit infusa] acceperant, medio Noemo, primum in Egyptios; inde in Persas, ac demum in Græcos, & Romanos fuisse derivatam.

10 Fatendum tamen Philosophiam oblivione sensim consenescentem, Græcorum studio revixisse, operà præsertim Aristotelis; quem propterea Philosophorum Principem appellant. Quem Plato fuæ Academiæ mentem, Averroes quoddam Naturæ in humanis ingenijs miraculū, jure dicunt. Quem demum Scholastici omnes cum S. Thoma & Scoto, alijsque scholarum Principibus, tanquam Ducem sequuntur; quippe qui solo naturali lumine a veritate fidei vix aberraverit, nisi circa Divinam libertatem, & mundi initium cum illa coniunctum; vbi hominum mentes infinito Divinitatis pelago absorbentur. Floruit Aristoteles tempore Magni Alexandri, cuius fuit Magister, Anno 383. ante adventum Christi D. obijt sexagesimo ætatis Anno, teste Laertio, causam causarum, eiusque miserationem implorans, etiam cum lachrymis, vt ex alijs refert Cælius Rhodiginius *lib. 16. c. 3.* cuius proinde non desperandam salutem, parum abfuit, vt asserent doctissimi Vega, & Sotus, apud P. Ripal. d. 17. *de fide* n. 218. quorum censura non huius est loci.

11 Quæst. 4. *De ordine Philosophiæ.* Resp. triplicem esse ordinem inventionis, traditionis, & dignitatis.

Circa primum, suppositō apud omnes Grammaticæ, & Scripturæ primatu, de quo D. Aug. *l. 2. de ord.* & permisso reliquarum Artium vitæ necessariarum: prius Physicā inventam, vt pote quæ a sensibilibus experimentis excitata fuit, admiratione effectuum, & ignoratione causarum [vt ait Philosoph. 1. *Metaph. c. 3.*) deinde Mathematicam, circa figuræ dimensiones, & dimensionum numeros, vt pote sensibus quodammodo affiniorem; tertio Metaphysi-

cam

eã vt pote a sensibus abstractissimã, & tandem Dialecticam, vt pote ortam ex reflexione supra Modum sciẽdi, quo prædictæ scientiæ objecta, & veritates suas perquirere, demonstrare, ac definire curarunt: optime ex Alberto M. demonstrat P. Maurus *hic q.7.* a PP. Conimb. jure defle-ctens.

12 Circa secundum, plerique apud PP. Conimb. *hic q. 3, proæm.* conveniunt, Dialecticã reliquis præmittendam, vt pote ad scientias facile comparandas necessariam; Physicam deinde, & Metaphysicam, naturæ & inventionis ordine. Quibus aut interponenda, aut postponenda est Ethica quæ maturius exigit judicium, & Animasticis principijs ad physicam spectantibus præmunitũ, ex D. Th. *lib. 6. eth. c. 8 lect. 7.* & P. Conimb *q. 5. proæm. Phys. a* 1. vt fert etiã Scholarum vsus, Ethicam cũ Theologia morali, maiori ex parte confundens.

13 Circa tertium, Metaphysicam DD. omnes dignitate præponunt: & merito, ex obiecto abstractissimo; & quia principia omnibus scientijs ministrat, vt sibi subalternatis. Physicam deinde, quia speculativam præfert Aristoteles practicis, quia per se expetibilem. Practicæ enim nõ propter se, sed propter praxim, sive opus, quod dirigunt, expetuntur. Qua ratione DD. præferunt etiam Mathematicã Dialecticæ; sed posthabẽt Ethicam, quia hæc dirigit actus voluntatis, illa vero nobiliores actus intellectus. De quo Conimb. in vtroque *Proæm. cit.*

14 Quæst. 5. *Ad quem finem Philosophia ordinetur?* Resp. duplicem esse finem, alium scientiæ, alium scientis. *Finis scientiæ* speculativæ est affectatio veritatis, & in hunc finem tota Philosophia, qua parte speculativa est, ordinatur, vt ex Arist. demonstrat P. Suarez d. 1. s. 5. & patet ipsa inventione Philosophiæ, ex fine inquirendi veritatem causæ, seu veras causas effectuum, quorum admiratione excitamur, vt ex Aristotele diximus. Imo etiam scientiæ practicæ veritatem quodam modo intendunt; quia finis earum est artificiosi operis certa directio; certitudo autem illa firmitatem, seu necessitatem veri artificij importat in opere, sive in praxi, ac proinde veritatem hac ratione infallibilem intendent.

15 Finis scientis per se (nam definire per accidens ex libito speciali, qui in infinitum variari potest, non est sermo) est felicitas, seu voluptas rationalis, quã in veritatis scientia omnes appetimus; juxta illud axioma: *Omnis homo naturaliter scire desiderat:* quod late probat Arist. 1. *Methaph. c.* 1. & 2, & ibi S. Th. & Scotus, & P. Suarez d. 1. s. 6. tum ex anxietate, qua irrequieti sumus, dum veritatem aliquã scire cupimus, nec nisi ea obtenta quiescimus. Tum ex majori amore, quo sensum visus reliquis anteponimus, quod per illum plura, certius que sciamus.

16 Circa ordinem ad alias causas scilic et intellectum, speciem intelligibilem, &c. agit Animasticus. At circa species sensibiles, medijs quibus

Philo-

Philosophia comparatur, sive per experientiam, sive per traditionem; dicetur suis locis, circa singulas scientias, seu Philosophiæ partes. Et interim videatur P. Suar. & P. Yzquierdus d. 22. q. 1. vbi explicant; quomodo scientiæ Physicæ ab experimento sensuū, vna motivo dependeat; Metaphysicæ vero & Mathematicæ, vt a conditione, quæ non movet, sed solum excitat vel ministrat speciem motivorum, ex quibus assensus scientificus movetur, eo modo quo propositio Parochi nō movet ad assensum fidei divinæ, sed solum illius motiva proponit.

17 Quæst. 6. *Quomodo interse comparentur, & se habeant, Philosophia, qua Actualis, & qua Habitualis* Resp. se habere sicut Actum, & Habitum. Pro quo in intellectu, sicut & in alijs potentijs vitalibus, ex *Lib. de Anim.* distinguenda est duplex Qualitas,

Prima est qualitas actualis trāsiens scilicet actus vitalis scientificus, vel evidens, quo intellectus obiectum scibile cognoscit transeunter in instanti, sive physico, sive morali. Et quia hi actus multi sunt, & diversi, qua judicativi, qua discursivi, qua etiam clarè apprehensivi; atque itē minime permanentes; scientia seu Philosophia actualis ex illis componitur, per collectionem quandam imaginariam, qua ex illis vt in ordine ad vnam rationem scibilis ordinatis, & coadunatis, cōcipimus vnam scientiam actualem resultare, quæ sit Logica, alia, quæ Physica, &c. Et ex omnibus simul vnā integram actualem Philosophiam. Eo modo quo ex multis Tractatibus vnus liber, & ex multis libris vnum opus Theologicum, vel Philosophicum. Quod cernitur in alijs entibus, seu Totis moralibus per aggregationē; vt fit vna Religio ex pluribus Provincijs, deinde singulæ provinciæ ex pluribus Collegijs, & vnumquodque Collegium ex pluribus Religiosis. Ubi notandū, quod sicut in singulis Collegijs, multi sunt familiares, non Religiosi, ad famulatum; ita in collectione constituente vnamquamque Scientiam multi sunt actus pure probabiles, & fortasse plerique, qui ad famulatum, & satellitium scientificorum deserviunt: & hinc tot sunt in scientijs controversiæ ac Disputationes opinativæ.

18 Secunda qualitas est habitualis, quæ est facilitas quædam ex repetitione horum actuum scientificorum genita, & relicta permanentet in hærens intellectui ad actus similes allis, aquibus fuit producta, repetendos: sicut adquiruntur habitus ad saltandum, vel Citharizandum, quos permanētes in nobis experimur, imo tantæ virtutis & efficaciæ ad potentiam juvandam, vt multo plus quam potentia ipsa, virtutis habere, aut communicare videantur. Hi ergo habitus scientiam, & Philosophiam in Intellectu permanentem constituunt. Sed qualiter ad vnam Scientiam faciendam aduniantur, an per collectionem, vt de Actuali dictum est: an per vnam physicam qualitatem

tam? d. 42. examinabitur.

19 Quæst. 7. *Qualiter Philosophia ad Theologiã se habeat?* Resp. Ab aliquibus Theologiam sub Metaphysica comprehendi; quatenus Dei essentiam, & attributa demonstrat. Ab alijs sub Physica, vt demonstrativa primæ causæ, sive primi Motoris. A P. vero Izquierd. d. 21. q. 2. cit. sub vtraque includi. Scilicet quatenus Theologia agit de suo obiecto vt existenti, sive quoad *ansit*, per experimentalia principia ex fide Divina, multo certiora quam quæ habemus ex fide humana, ad Physicas demonstrationes, sub Physica: Quatenus vero de suo obiecto agit, secundum essentialem quidditativum conceptum quoad *quid est*, sub Metaphysica contineri, dicitur a P. Izquierdo. Addo etiam ad Ethicam spectare hoc modo, qua parte de moribus, & virtutibus agit: immo ad Logicam secundum quod multa illius principia explicat, & tẽperat; vt illud; *Quæ sunt eadem vni tertio ex disp. 36. n. 7.* et *Quodlibet est, vel non est*, ex disp. 36. n. 3. & similia alia circa modũ sciendi. Uerũ hæc omnia arguunt, Theologiam esse superiorem, & subalternantẽ scientiam tori naturali Philosophiæ, non tamen sub ipsa contineri; vt suo loco dicetur.

DISPVT. XXXIX.

Quid, Quotuplex, & qualis sit Logica; & eius Auctor?

1 QVæst. 1. *Quid nominis, & rei?* Resp. Logicam, Dialecticam, & Rationalem scientiã a Philosophis appellari ex Arist. 1. *Rhet. &* 1. *Topic. c.* 2. & 9 vbi etiam *scientiarum instrumentum, & Philosophiæ ad miniculum*, dicitur; propter munus præstandi scientijs Modum, sive instrumenta sciendi, vt explicat S. Th. *Opusc.* 2, *q.* 17. *ad* 2. Vnde definiri potest ex Cicerone *lib.* 1. *Acadẽ: Ars recte disserendi.* Vel magis Dialectice ex PP. Connimb. q. 4. & P. Fonsec. *sup. c.* 3. *q.* 1. est *Scientia practica dirigens operationes intellectus in Modũ sciendi.* Cuius definitionis rectitudo ex toto hoc Tractatu constabit.

2 Quæst. 2. *Quæ sint partes Dialecticæ?* Resp. tres omnino esse. 1. *Analyticam*, quæ versatur in materia scientifica, ita dictam a libris Aristotelis de *Priori, & Posteriori Analysi*; vbi agit de Demõstratione. 2. *Topicã* quæ versatur circa materiam probabilẽ, & ita nominatur a libris *Topicorum*, vbi Philosophus explicat sedecim locos ad probabilia argumenta desumenda, pro quæstionibus, de quibus evidentia, aut scientia non habetur. 3. est *Sophistica*, quam continet Aristoteles libris *Elenchorum*, vbi regulas tradit ad sophismatum nodos dissolvendos.

3 Quæst. 3. *Quotuplex sit Dialectica?* Resp. dividi quadrupliciter.

Primo in *Naturalem, & Artificialem* ex Arist. 1 *Rhet. c.* 1. *Naturalis*, vt in actu primo, est ipsa mens; vt in actu secundo, est notitia, quæ *Rationis Lumen* dici solet, dictans modũ recte manifestandi veritatem. Et per hanc etiam Dialecticæ artificiosæ ig

nam

nariſæpe fæliciter Syllogiſmos conficiunt *Artificialis Dialectica* eſt, quæ firmas, certasque Regulas pro hoc ipſo modo ſciendi comparando ſine periculo erroris, præſcribit; quæ etiam dici ſolet *Acquiſita*. Vtrum vero hæc diviſio propria ſit? RR. quidam diſputant, & affirmant ex PP. Connimb. *q. 6. art. 2. adu. 2.* & P. Compton. d. 2. n. 8. paritate Prudentiæ naturalis, quæ tam propria eſt, quam acquiſita per experientias. Negant alij cum P. *Rub. q. 1.*, & *Card. Tol. q. 1. fund. 2.* Quia alias qui Dialecticam artificialem non didicerũt, poſſent a ſola naturali ſimpliciter appellari *Dialectici*. Res eſt de nomine: quam in medio relinquo cũ Caram. in *Metalog.* n. 22. Sicut enim aliqui ſiunt Rhetorici ſine Arte, cur non Dialectici?

4 Secundo divid. in Actualem, & Habitualem, vt quævis alia ſcientia ex *d. præc. n. 6.*

Tertio dividitur à Boetio, ſimplicio, & Antiquis alijs, apud PP. Cõnimb. *q. 4. a. 1.* Scientia Rationalis, in *Dialecticam*, & *Logicam*; ita vt Dialectica ſit, quæ ſolum verſatur in Topicis, ſeu probabilibus, ex Ariſt. *1. Top. c. 1.*, & *2.* vbi id munus ſoli Dialecticæ tribuit: Logica vero quæ verſatur in Analyticis, & Demonſtrativis. Verum, vt ibi PP. Connimbr. demonſtrant, vtrumque munus a Cicerone, & Laertio, alijſque priſcis, omnibus que RR. DD. toti ſcientiæ indiſcriminatim tribuitur; licet nomine Logicæ Ariſtoteles nunquam vtatur.

5 Quarto dividitur in Docentem, & vtentem, ex S. Th. *5. Metaph. l. 4.*, & *1. Poſt lect. 20.* Scoto *q. 1. in Porphy.* & reliquis DD. & eſt communis diviſio cujuſcũque Artis. *Docens*, quæ etiam *Avulſa*, & *vniverſalis* dici ſolet, eſt, quæ abſtracte, & præſcindendo ab vſu, & materia particulari, tradit in communi præcepta Modi ſciendi. *Vtens* vero, quæ etiam *Concreta*, & *Particularis* appellatur, regulas applicat particulari materiæ, circa objecta ſingularium ſcientiarum: v. g. qualiter facienda ſit Definitio hominis, &c. De quibus infra diſputabimus.

6 Præter has, accidentales alias Logicæ diviſiones aliqui DD. adijciũt: vt eſt illa apud Caramuelem in Metalog. n. 31. in *Novam*, & *Antiquam*; quarum, aliqui cum P. Vallio & Amico *Novam* dicunt, quæ ab Ariſtotele; *Antiquam*, quæ ante ipſum tradebatur; quæ potius *Antiquata* dici debet. Alij aliter; & demum Lalemandet Antiquam vocat *Summuliſticam*, Novam, quæ quæſtionibus hodie ſolitis dat operam. Quem reijcit Caramuel, quia arbitrum prolibito in re de nomine. Sed cum res tempore fiant de novis antiquæ; *Antiquæ* nomen imponere, non tam ex arbitrio erit, quam ex lege Temporis, & vocabularij. Quod ipſe Caramuel præſtat ibidem, *Antiquiſſimam*, & *Noviſſimam* Logicas reponens; & lõge licentius *Metalogicam* ſuam n. 4. rationes Metaphyſicas præceptorum tribuentem, a *Præceptiva pure* diſtinguens; atque adeo hanc, Artem

faciens

faciens purè Mæchanicam, nescientem rationem sui reddere, non minus, quam sutoriam, contra asserta sua n. 49. vbi illam judicat scientiã.

7 Divisionem aliam, in *Mentalem & Vocalem*, quam nititur P. Santacruz n. 13. stabilire, non admittimus: qui Logicam de vocibus agẽtem infra excludemus. Multo autem minus, quam Caramuel intrudit *n. 399 Prolog. 2. art. 2. log. voc.* scilicet in *Scriptam*: cũ præter Orographiæ leges, difficillimum sit vllas de Modo sciendi scripto accommodare Dialecticæ.

8 Quæst. 4. *Vtrum Dialectica sit Pars Philosophiæ?* Negant Alens. Aegidius P. Pereyra 1. *Phys. c.* 2. P. Valles q. 4. a 19. P. Olcinas n. 346. minus tamen consequenter, dum affirmat esse sapientiam n. 373.

Affirmo cum PP. Connimbr. *q.* 4. *Proæm. a* 4. P. Amico q. 4. du. 1. & 2. P. Fonseca 2. *Methaph. c.* 3. *q.* 3. Boetio, Alberto M, & plerisque DD.

9 Prob. *Tum.* Quia divisio Philosophiæ in Naturalem, Rationalem, & Moralem, desumpta est ex Arist. *Tum* quiá ipse Philosophus 1. *Top. c.* 14. numerans tria quæstionum genera, Naturalium, Moralium, & Logicalium; subdit de his omnibus agendum esse Philosopho, & consequenter Philosophiæ. Tum quia Philosophia in vsurpatione propriori, & acceptiori, est *Scientia naturalis sive humana, per superiores causas, seu principia agens de rebus magni momenti.* Sed Logica talis est scientia, per Principia superiora etiam Metaphysica, *Quæ sunt eadem vni Tertio*, &c. de Modo sciendi, & operationibus nostræ mentis, quæ magni momenti sũt disputans; ergo. Tum demum paritate Ethicæ, seu Moralis Scientiæ, quæ licet practica sit, totum Philosophiæ nomen sibi arrogat *ex d. præc n.* 1. ergo pariter Dialectica, quæ nobilior est vt ibi n. 11. ostendimus.

10 Obij. 1. Ab Aristotele in præcipua divisione scientiæ Philosophicæ solas tres speculativas numerari, *ex d. præc. q.* 2. Ergo. 2. Quod si semel vna scientia Practica in Philosophia admittatur, etiam Medicina, Rhetorica, imo omnes Artes Mæchanicæ poterunt admitti. 3. Quod ab Aristotele Logica instrumentum Philosophiæ dicitur, ergo non est pars.

Resp. ad 1. Ea ratione, etiam excluderetur Ethica: tunc ergo Philosophus juxta strictissimam acceptionem Philosophiæ pro sola speculativa ipsam divisit. Ad 2. Aliæ Artes non agunt de rebus tanti momenti, quales sunt actus mentis, in quibus omnis scientia, & ipsa Philosophia consistit: pleræque enim circa corporea accidẽtia versantur, qualis est sanitas, vox, &c. Ad 3. Sicut Manus potest esse simul pars & instrumẽtum vniversale hominis, ita Logica Philosophiæ.

11 Quæst. 5. *Vtrum Dialectica quidpiam aliud præter Modum sciendi scientijs ministret?* Affirmant Averroes, Nyphus & alij Antiq. etiam præscribere fines & obiecta: Aversa autem *q.* 4. *Log.* saltem Methodũ, seu ordinem docendi.

Nego tamen cum P. Amico *Tract. 27. d. 4 q. 4. dub. 1.* P. Vallii 2. *Post. c. 11. d. 4. p. 2. q. 1. c. 7.* Tum quia ita deberet immiscerí & confundi cum omnibus scientijs, eorũ obiecta tractando, & ordinando. Tum quia sufficienter, in Regulis divisionis fines & Methodũ generaliter præscribit; per eas enim disponuntur Prædicamenta objectorum, de quibus est scientijs singulis tractandum; & per ipsa fit ordinatio divisiva causarum, effectuum, connexorum & repugnantium, ex quibus Methodus tota resultat, per divisionem Conclusionũ, Probationum, Objectionũ &c.

12. Quæst. 6. *Vtrum omnis Intellectus sit subjectum capax Dialecticæ?* Affirmat P. Santacruz n. 19. & 20. non solum de Christo D. qui ex S. Aug. 1. *Contra Cresc. c.* 27. illa vsus fuit redarguens Phariſæos; sed de Angelico, & Divino etiam Intellect.

Negant P. Fonseca 2. *Metaph. c.* 1. q. 1. sect. 2. & PP. Conimbr. *hic.* q. 5. a 3. non solum in Deo; sed etiam in Angelis propriam Dialecticam, quia omnia naturalia adæquate, & comprehensivè cognoscunt; vnde respuunt Modum sciendi ignoti manifestativum, & consequenter Regulas ad ipsum.

Lis est alterius Loci. Satis sit dicere, quod cum in Angelis, atque etiã in Christo D. secundũ scientiã experimẽtalẽ, & naturalẽ etiã per accidens infusam, locus sit inadæquatis conceptibus, circa plura sibi minus inde nota, vt supernaturalia, & occulta Dei placita, de die judicij, &c: vt circa illa discurrere, & argumentari possint (de quo DD apud P. Arr. *d. 6. de Angel.*) ita & per Logicam regulari aptissunt. At circa ea quæ sibi nota evidentissimè sunt, qua talia, locum non habet Modus sciendi, qui est ignoti manifestativus, & consequenter nec Logica, respectu propriorum actuum.

Num vero respectu aliorum, vt scilicet ad homines minus gnaros dirigendos, Regulis ipsis Dialecticæ vti possint; & hoc etiam sensu an in Deo illæ locum habeant, infra dicam dũ de notitia practica circa opus alienum. Et in Deo specialem habet difficultatem, quia Regulæ Dialecticæ sunt de conceptibus obiective præscissis ad æquatis, scilicet communibus, & vniversalibus, quos plures DD. volunt, sicut neque entia rationis a Deo cognosci, quia illa faceret; de quo *sej. Tract.*

13. Quæst. 7. *Quis sit Auctor Dialecticæ?* Resp. vt *d. præc.* de Philosophia dictum est; ita etiam Logicam, a Deo primum Adamo infusam; deinde per Noemum & Abrahamum ad Hebræos, & hinc ad Egyptios, Persas, & Græcos, transfutam; præsertim post transmigrationes Iudæorũ, qui Salomonis libros & alios sacros, scientias que ab ijs acceptas Græcis infiliarunt. Vnde eorum Sapientes profecerunt; & præcipue Zeno Storicum Autor Logicam nauſ; deinde Socrates Divisionis leges expolivit; Plato Definitionis, Aristoteles ipsas, sed præsertim Argumentationis curiosius excoluit; gloriatus propterea

1. *Ennio.*

2. *Elench. c.* 3. Quod de Argumentatione ante ipsum, *nihil extabat prorsus excultum.* Et hac ratione Logicæ præcipuus inventor ipse celebratur; licet Platoni, & Socrati sua laude servata, apud Sydon. Apollin. l. 4. Ep 3. Legatur P. Amicus *in præf.* & Caramuel post n. 394. in Aristotelem minus benignus.

14 De laudibus Dialecticæ videantur præter citatos, P. Fons. *in Proæm & 2. Metaph. c. 3. q. 3, s. 3.* PP. Cõnimb. *in Proæm.* P. Mendoza in *Prolus. viridar.* P. Cressolius *in Mistag.* Sufficiat, quod eam Plato 7. *de Rep. Scientiarum apicem.* Philo de Agricultura; *Sepem arborũ scientię.* Clem. Alex. 6. strom. *Murum & vallum veritatis.* Et præ omnibus S. August. 2. de ord. c. 13. *disciplinam disciplinarum, & Doctorum doctricem*, appellat.

DISP. XL.

De multiplici obiecto Actuum, & Scientiarum.

QVia tota essentia, & tendentia Scientiæ, & actuũ illius est in ordine ad objectum, a quo specificatur, sive speciem essentialem desumit; prius scire debemus quid, quotuplex, & quale sit eiusmodi obiectum, vt inde scientiarũ, & Logicæ præcipuè specificam naturam dignoscamus.

1 Quæst. 1. *Quid sit objectum?* Resp. Definiti communiter, & optimè ex ipsa Ethymologia nominis, *Id quod objicitur actui potentiæ intentionaliter vitalis*, idest, cognoscitivæ, & appetitivæ, quæ sunt species vitæ intentionalis. Vel *Quod intentionaliter attingitur per actum potentiæ vitalis.* Vg. color per visũ, sonus per auditũ, veritas per intellectũ, bonitas per voluntatẽ &c. Solet etiã extẽdi minus proprie ad terminos potentiæ nõ vitalis; sic creaturæ possibiles dicuntur obiectũ omnipotẽtiæ à PP. Vazq. Molina, Hurt, apud P. Linc. *l. 7. Methaph Tract. 10. n. 1.* Et vniversalius à S. Thom. 1. *p. q. 25. art. 3. Corp.* aiente: *vnicuique potentiæ activæ correspondet possibile, vt obiectum.* Solet etiam a DD. obiectum cum subiecto confundi. At strictè subiectũ est de quo, inquiritur, vel enuntiatur; obiectum vero, tum id, de quo, tum quod enuntiatur; imo quidquid objicitur tam cognoscitivæ, quam appetitivæ tendentiæ, quæ vno nomine dicitur *intentionalis.* De quo DD. omnes re ipsa, licet non voce conveniunt, cum & apud P. Linc. *supra*, P. Arr. *hic disp. & sect.* 1. P. Hurt. *sect. & disp. etiam* 1. P. Ovied. *Contr.* & p. 1. P. Cõpt. d. 2. s. 1. P. Quiros d. 9. s. 1. &c.

2 Quæst. 2. *Quotuplex sit obiectũ?* Resp. quatuor esse primarias divisiones, subdivisiones vero nonnullas, ex communi DD.

Prima divisio Obiecti in Formale & Materiale. *Materiale* est, quod terminat actum intentionalis potentiæ, tamquam materia circa quam versatur. *Formale*, quod per se determinat, seu movet potentiam ad actum, sive, à quo actus movetur, & determinatur ad suam ipsam tendentiam circa tale materiale obiectum; ita vt eo motivo præscisso non movere-

tur, nec determinaretur ad illud ita attingendum. Vnde & ideo dicitur *Formale motivum, & specificativum*, sive quod speciem formalem tribuit actui. Sic veritas præmissarum movet ad conclusionẽ, & in esse talis eã specificat: authoritas Dei revelantis ad credenda mysteria, Dei bonitas ad amorẽ inimicorũ; movent, & specificãt in esse Fidei & Charitatis Theologicæ Qui movendi modus clarior est, quam vt amplius defatigari debeamus in eius explicatione cum P. Quiros disp. 9. a n. 4.

3 Fit 1. Obiectum Formale, aliquando cum materiali identificari; cum hoc immediate per se ipsum movet, vg. cum amatur Dei bonitas propter se ipsam, vel revelatio Divina propter se ipsam creditur Theologice. Vnde non congruit definitio P. Linc. cap. 2. & 3. obiecti materialis, *quod propter aliud attingitur*; cum aliquando propter se, vt simul est obiectum formale, attingatur.

4 Fit 2. Motiva formalia interme dia, sive non vltima, simpliciter formalia obiecta non esse, vt contra ipsum P. Lync observat P. Arr. n. 6. V.g. quando voco Chyrurgum propter scissionem venæ, & hanc appeto propter sanitatem; scissio venæ nõ est propter quã simpliciter voco Chyrurgũ, sed sola sanitas, in quã tandẽ sistit & resolvitur motio actus voluntatis. Ratio. Quia obiectu formale est finis & forma, a qua determinatur species actus. Solum autem ab vltimo motivo ita determinatur, & specificatur; vnde licet cultus religiosus Imaginis sacræ ametur propter honestatẽ Religionis, si hæc ipsa honestas referatur in amorem, & gratiã Dei, propter cuius bonitatẽ eligatur, determinabitur & specificabitur in ratione actus Charitatis. Ergo quia hoc vltimum, seu finale, tantum est simpliciter formale motivũ actus.

5 Fit 3. Quod motio seu causalitas motivi formalis denotata per Ly *propter*, per quam determinatur tendentia, actus non debet esse physica, sed solum intentionalis, cum habeat locum in actibus reflexis, & etiam in Divinis, quibus Deus se & creaturas amat propter se ipsum, absque vlla causalitate physica sui in actum suum, quod bene tractat P. Lynceus a n. 23, Vnde optime infert P. Arr. n. 4. quod denominatio obiecti materialis, vel formalis sumitur præcise a modo tendendi actus, a quo obiectum fit & constituitur tale, non vero e converso. Vbi inter ipsum P. Arriagam, & P. Linceum a n. 45. de voce cõtenditur an antecedẽter ad actum dici possit obiectum in actu primo sive radicaliter materiale, vel formale, sicut dicitur verum; & bonum, cognoscibile vel amabile? Quas denominationes negat determinate ante actum convenire posse P. Arriaga, & bene; quia obiectum indifferens est ad vtramque; at P. Lynceus solum contendit indeterminate posse admitti, quia radicaliter determinatum est obiectum ad alterutrã denominationem; quæ est contentio de voce non valde probanda, ex dic

tis d. 10. n. 5.

6 Subdividitur 1. obiectum formale in formale *quod*, & formale *Quo*, sive sub *Quo*. Formale *Quod* est motivum, vt *quod*; sive quod impellit, inducit, & movet ad actum; vt præmissæ ad conclusionem &c. Formale *quo* est capacitas, qua obiectum redditur aptū adterminandum attingentiam actus, & dicitur etiā Ratio *sub qua*: v. g. Scibilitas est ratio formalis *sub qua* obiectū attingitur per scientiā; credibilitas, *sub qua* per fidē; amabilitas per amorē. &c. Hæc posterior ratio formalis habet etiam locum in termino potentiæ non vitalis: v. g. producibilitas est ratio *sub qua* terminus attingitur per potentiam productivā, vnibilitas per vnionē &c. Sed an propriè obiectū sit, dicā n. 8.

7 Subdivitur 2. obiectum formale, seu motivum in *remotum & proximum*. *Remotum*, quod etiam *extrinsecum* appellari solet, est quod se habet vt motivum intrinsecum proximum alterius actus prævij imperantis, vel inducentis alium; quod proinde extrinsece, & remotè se habet, ad actum imperatum vel inductum. Sic motiva credibilitatis nostræ fidei; v. g. propositio Ecclesiæ &c. sunt motiva formalia intrinseca piæ affectionis imperantis fidem; remota tamen & extrinseca respectu fidei, quæ ab illis motivis humanis moveri non potest intrinsece, alias non esset fides Divina, & Theologica. Hæc autem motiva extrinseca, sive impulsiva, proprie motiva non sunt; sicut causæ remotæ proprie non sunt causæ, cum propriè, ideſt, intrinsece non attingantur per actū; quidquid videatur innuere P. Lynceus a n. 40. Iam patet *obiectum formale proximum* esse quod proprie intrinsece movet ipsum actum immediate, & non per alium intermedium. Hinc.

8 Infero, neque obiectum *formale quo*, seu motivum *sub quo* esse simpliciter motivum, quia non est simpliciter obiectum, neque per actum ipsum attingitur non minus quam Remotum. Quia per actum, quo eius, vel obiectum attingitur, præscisivè, nō attingūtur eius attributa, scilicet eius veritas, cognoscibilitas amabilitas. &c. sed ab illis præscinditur, sicut omnis essentia a suis attributis; alias essent de conceptu primario, si hic esset ab illis impræscindibili; (vt probabo in Metaphysica) Ergo cum actus præscindat obiectum suum ab illa cognoscibilitate reflexa, alias omnis actus reflecteret supra eā ipsam; præscindet a ratione formali *sub qua*, & illam minime attinget vt obiectum. Ergo talis ratio *sub qua* simpliciter obiectum, seu motivum formale obiectivum non erit. Et vrgetur ex ratione sub qua, *visibilis, audibilis, & sensibilis*, quæ a *visu, auditu & sensu*, minime vt obiectum attingitur, cum non sit ratio *colorata sonora* &c. Ergo nō est obiectum simpliciter: & ita insinuat P. Quiros n. 13. contradicit tamen P. Lynceus n. 39. immemor præscisionis obiecti & entis a cognoscibilitate, quam adstruit 2. *Metaph tr. 2. n. 2. & lib. 5. tr. 2. n. 13.* Vnde cum ratio *sub qua* voca,

vocatur à DD. *motivum formale formalissimum*; solum denotatur, esse rationem in qua fundatur ratio *motivi formalis*, non vero ipsam esse formale motivũ objectivũ, de quo d 43.

9 Subdivid. 3. obiectum *formale quod*, magis propriè in *formale per modum obiecti purè*, & *per modum effectus*. Illud est de quo hactenus, & est motivũ solius actus speculativi. Formale obiectum per modum effectus, est quod a cognitione practica seu regulativa intenditur, tanquam speciale artificium operi inducendum. v.g. ab Architectiva, dispositio fabricæ vel domus; a Musica, consonãtia harmonica vocum; a Dialectica rectitudo Definitionis, Argumentationis &c. quæ ab aliquibus appellatur, *directio passiva* actuum, vel effectuum.

10 Obiectum Materiale etiam tripliciter subdividitur. 1. in Proximũ & Remotum. *Proximum* est quod immediate attingitur per actum, vt color per visionem. *Remotum* solet explicari, quod ratione proximi attingi dicitur; vt paries dicitur visus ratione albedinis. Sed hoc modo Remotum non erit proprie obiectum, cum proprie non attingatur; & confundetur cum obiecto *per accidens*, seu *pure denominativo* & improprio, quale est paries, vel homo respectu visus; quod fatentur P. Hurt. & P. Lynceus &c. Melius ergo Remotũ explicatur, quod licet proprie attingitur, non tamen immediate ratione motivi formalis, sive finalis vltimi, sed ratione alterius obiecti materialis, seu quasi formalis intermedij: v.g. cum voco chyrurgum ob venæ scissionem, & virtumque medium eligo propter sanitatem. materiale obiectum magis proximum erit medium, quod immediatius eligitur propter finem sanitatis, scilicet scissio venæ; mediatum tamen, & remotum erit vocatio chyrurgi, quæ est medium medij Idem evenit in intellectu, cũ ex vno principio, seu motivo formali, & vltimo, quasi finali plures veritates, tanquam obiecta materialia, gradatim vna ex alia deducuntur; quæ enim immediatius ex motivo deducitur, erit obiectum materiale proximum, quæ vero mediate erunt remotum.

11 Subdividitur 2. in *Primarium*, quod directe, in se & principalius; & in *Secundarium*, quod minus principaliter; & indirecte attingitur, ratione connexionis cum Primario: & ita cognoscitur a nobis Deus secundario, ratione connexionis cum creaturis, quas primario cognoscimus, in se & directè.

Subdivid. 3. in *Immediatũ*, quod immediate in se: & *Mediatum*, quod in alio, seu medio respicitur: vt substantia a nobis in accidentibus, & per eorum species cognoscitur.

Verum divisiones hæ duæ, vix inter se discriminari possunt; ambæ autem recidunt in primã obiecti *proximi*, & *remoti*, explicatã de obiectis materialibus, quæ se habent quasi formalia intermedia; seu nõ vltima, quæ non sunt simpliciter formalia, finalia. Si enim aliter explicentur, vt

Primæ

Primarium, & Immediatum, se habeat vt motivum vltimum, jam non erit divisio objecti materialis, sed omnino formalis. Circa quod

12 Notandum ab aliquibus DD obiectum Materiale confundi cum obiecto formali *quod*, præsertim â P. Arriaga *supra* P. Hurt. § 7. P. Sãtacruz *n.* 29: quia re ipsa obiectũ materiale formaliter attingitur, *vt quod*, per tendentiam actus potentionalem: Et hic sensus maxime locũ habet, quando motivum formale non distinguitur realiter ab obiecto materiali; vt color, qui dicitur motivum formale visus: ab albedine, quę dicitur obiectum materiale; atque ita etiam *formale quod* optime dici posset: licet enim communiter ratio coloris, in qua conveniunt omnia obiecta materialia, solum dici soleat obiectum formale visus, ex S. Thom. 1. *q.* 1 *art.* 3 *corp.* Quia ratio communis redditur proratione formali, quare obiectum attingatur à potentia; non vero differentialis (non enim dicitur, videri obiectum, quia viride, vel cæruleum, sed quia coloratum) re autẽ ipsa, & absque ea præscissione, æque vtrumque est obiectum formale, ex modo quo attingitur ab actu per realem vitalem tendentiã. Licet color, quia consideratur vt ratio, propter quam, dici possit obiectum formale propter quod; ipsa vero albedo, prout movet potentiam, dicetur formale quo; provt vero terminat actum, materiale quod.

13 Secunda Divisio obiecti, *vt sic*, est in *Motivum physicè*, & *Terminativum purè*. Illud quod physice movet seu causat, per se vel per speciem sui, vt color visionem nostram. Purè terminativum, quod ita non causat, vt obiecta omnia respectu actus Divini, & cuiuscumque actus voluntatis, qui non causatur ab obiecto. Confundi etiam solet hæc divisio cum formali, & materiali; non tamen apte; quia sæpe formale non est physice motivũ *vt sup.* diximus n. 5.

14 Tertia Divisio, in *Specificativum*, a quo actus speciem, nve specificã differentiã sumit: *& non specificativũ*, a quo solã materialẽ, vel individualem, non notabilem accipit differentiam. Specificativum, confundunt Thomistæ cum formali: econtra P. Arr. P. Ovied & alij, qui etiam a materiali obiecto actus specificari volunt: de quo in *lib. de anim.* & sæpius.

15 Quarta Divisio in obiectum *Totale* & *Partiale*. Totale, sive *adæquatum* est totum illud, quod actus, vel potentia respicit. *Partiale*, seu *inadequatum*, quod est pars ipsius Totalis. Qualiter autem dicantur duo motiva adæquata ad eamdem actionem externam per duos actus internos concurrere, alibi explicabitur.

16 Observant tamen P. Arr. P. Ovied. & alij, contrà P. Lynceũ, divisionem hanc esse minus propriam; tùm quia vnum membrum dividens in alio includitur. Tum quia obiectum Totale est collectio obiectorum; quæ non est simpliciter obiectum, sed obiecta; sicut collectio hominum nõ est simpliciter homo, sed homines.

Verum

Uerum fateri omnes debent, in iis prædicatis intentionalibus, quę conveniunt obiecto secundum distinctas conceptibilitates, non esse eandem rationem indivisionis, ac in prædicatis realibus in esse entis. Eadem enim res secundum conceptibilitates distinctas, induit diversas, & oppositas denominationes, & rationes, a diversis nostris conceptibus. Vnde *Prædicabile* vt sic dividitur, vt superius in quinque prædicabilia, secundum vnam conceptibilitatem; licet secundum aliam, vt inferius, sub vno ex quinque contineatur, scilicet sub genere: & ita obiectum secundum vnam conceptibilitatem potest se habere vt adæquatum, & secundum aliam vt inadęquatum: sicut etiam secundum vnam vt materiale, & secundũ aliã vt formale, *supra n. 12.*

11 Quæst. 3. *Vtrum respectu Scientiæ vt totalis, sive vt Collectivæ, & collectim consideratæ, sint speciales divisiones & considerationes Objecti:* Respondeo esse omnino, & maxime observandas, quia solent a RR. confundi: Nam multa objecta, quæ sunt primaria, perse, proxima respectu aliquorum actuum Scientiæ; secundaria sunt, sive remota, & per accidens respectu Scientiæ ipsius vt totalis v.g. Logicæ, vel Physicæ vel Mathematicæ; quæ vt diximus d. præced. n 17. tales sunt per collectionem actuũ, & etiam habituũ, vt constabit d. 42. Ratio est. Quia sicut in toto Collectivo per aggregationem Ordinis, v.g. Exercitu, Religione, Domo, &c. multa quę per se, & primario conveniunt Militibus, Religiosis, lapidibus singularibus; possunt per accidens, vel secundario, aut minus principaliter se habere, respectu totius, quod constituunt; ita etiam in scientia, quę vt totum collectivum ex humana ordinatione (cum fundamento tamen in re) se habet, multa objecta quæ perse primario respiciuntur ab actibus particularibus, possunt per accidens, vel secundario ad scientiã spectare. Et hinc dividitur quadrupliciter obiectũ Scientiarũ.

18 Prima Divisio obiecti Scientiæ totalis est, in *Primarium*, & *Secundarium*. Illud est quod perse participat rationem formalem *sub qua* Scientię, id est, subqua ipsa obiectum suum respicit. Et hoc est quod appellari solet *subjectum adæquatum* scientiæ a DD. quia de illo, quasi de subjecto perse, reliqua obiecta, vt prædicata adjectiva enuntiat vel tractat. v g. *Corpus naturale* seu mobile, est Primarium, & adęquatum subjectum Physicæ, quia mobilitas seu mutabilitas corporũ, ex qua demonstrat Physica omnes suas veritates, est ratio formalis *subqua*, & eam perse corpus naturale participat. *Secundarium* obiectum est, quod non participat perse talem rationẽ, quia tamen cum ipso habet obiectum seu subiectum primarium necessariam connexionem, attingitur a Scientia. V. g. Primus Motor, seu Deus, nec non motus, duratio, &c. quia sunt termini necessariæ connexionis Corporis naturalis, seu mobilis, attinguntur vt obiecta secundaria per scientiam Physicam.

19 Secun-

19 Secũda diuisio in *obiectum per se*, & *per accidens*. Illud dicitur, quod siue primario, & directè sub ratione formali, siue secundario, & indirectè, ratione cónexionis cum primario, per scientiã attingitur. *Per accidens* vero attingi dicitur, quod licet vere per actus scientiæ attingatur, nó tamẽ ob connexionẽ obiecti per se scientiæ; sed ob necessitatem scientis, ad obiecti per se, faciliorem cognitionem. V.g. Mathematica contemplatur numeros, & motus cælorum per se: quia tamen ipsos in se nó adeo facile percipimus, docet modum mensurandi, & conficiendi Sphæras ligneas, Mappas depictas, & Horologia Solaria, &c. in quibus eos motus facilius cõtemplemur. Ea tamen instrumenta minimè dicuntur obiecta, neque primaria, nec secundaria, & per se; sed omnino per accidens Mathematicæ; licet illa per suas Regulas dirigat, & conficiat, ad vsum Mathematici.

20 Tertia Diuisio est in *Obiectum Attributionis*, & *Attributũ*. Obiectũ attributionis est quoddam principale obiectum inter ipsa primaria, respectu cuius alia tam primaria, quam secundaria, minus principaliter tractantur; quia omnia in ordine ad illud diriguntur: vt Homo in Physica, Substantia in Metaphysica, Deus in Theologia. &c. Non quia omnes actus scientiæ illud attingunt, vt per se constat; sed quia omnes illi in eum finem ordinantur; modo dd. seq. explicando. *Obiectum attributum*, sunt reliqua omnia, quæ ita sunt ordinata ad obiectũ attributionis illustrandũ.

21 Quarta Diuisio, est in obiectũ *sub quo*; & obiectum *quod*. Illud dicitur ratio illa formalis *sub qua*, siue ratione cuius, omnia sub Scientia tractãtur, & a qua proinde adunantur in vnam Scientiam; quæ dici solet *Scibilitas* obiecti talis Scientia; & ideo in ipsa debent omnia illius obiecta conuenire; sicut obiecta omnia potentiæ vitalis in sua ratione *sub qua*, v.g, omnia colorata in ratione *Visibilis* &c. Obiectum *quod* dicitur; quod sub hac ratione formali attingitur, siue vt obiectum materiale, siue vt formale; vix enim potest in collectiua Scientia distingui. Hoc autem subdiuiditur in *Totale*, & *Partiale*; atque etiam in Primarium, & secundarium, & alia, vt supra.

22 Subdiuiditur etiam *scibilitas*, siue Ratio *sub qua*, juxta diuisionem multiplicem scientiarum, ex *disp.* 38 *q.* 2. ita vt singulis scientijs sua specialis *scibilitas*, á qua specificetur, correspondeat. Pro triplici autem Scientia cõtemplativa, inventæ sunt tres Abstractiones á materia a DD. secundum quas, & *scibilitates*, & eæ ipsæ Scientiæ dividantur. Sed quia nó vno explicantur modo: & quia ab hac vnitate Scientiarum omnino dependet intelligentia eorum, quæ de singulis, & specialiter de Logica, sũt tractanda; instituitur sequens

DISPVT. XLI.

Vtrum Scientiæ rectè dividantur, vel adunentur per abstractiones a materia?

1 PRima sentẽtia omnino negat, duplici tamen ex capite ex-

tre ne oppositio. *Primo* enim Mirandulandus, Egidius Julius, & Sebastianus Forius apud P. Linceum lib. 8. Met. Tract. 3. n. 77. iudicant omnes scientias ad vnam redigi Metaphysicam; quia omnia obiecta Scientiarum in vna ratione *entis scibilis* inter se conueniunt. *Secundo* & è contrario Nominales (quos tamen vindicat P. Suarez *d* 44. *Met. sect* 11. *n* 60.) putant apud Sotum, tot esse multiplicandas Scientias v.g. Logicas, vel Physicas &c. quot sunt conclusiones scientificæ, habitusque per illas acquisiti.

2 Sed vtraque hæc sententia æque peccat, ac siquis diceret, totum Mundum esse vnam vrbem, aut singulas familias, vel Domos totidem esse vrbes; non enim minus a Prudentium arbitrio taxata est Scientiarum, quã vrbium, & Prouinciarum Diuisio, & numerus; cũ aliquo tamẽ prudenti fundamẽto, quod nũc inquirimus.

Sect. I. Thomisticæ abstractiones reijciuntur.

3 Secunda proinde sententia Thomistarũ asserit ex natura rei, & prorsus necessario totam scientiarum Diuisionem desumi, a triplici abstractione a materia. *Prima* scilicet a Materia singulari, quia nulla Scientia agit de singularibus. *Secunda* a Materia sensibili, siue sensibus perceptibili. *Tertia* a Materia intelligibili, id est, Quantitate cõtinua, vel discreta, quæ licet materialis sit, a sensibus tamen præscindit, secundum mensuram, proportionem, & numerum, & ideo materia intelligibilis nominatur. Et hinc triplex scientia, distinguitur: Physica enim solũ abstrahit a materia singulari, non vero a sensibili, cum agat de sensibilibus, & per experientias sensibiles. Mathematica vero abstrahit tam a singulari, quam a sensibili; non tamen ab intelligibili, quia agit de quantitate, mensuris, &c. Metaphysica vero abstrahit tam a singulari, & sensibili, quã ab intelligibili, quia agit de ente, substãtia, Deo, Angelis, &c. abstractissimis ab omni materia.

4 Quia vero sub his tribus scientijs alias multiplicari vident, scilicet sub Mathematica, Geometriam, & Arithmeticã; & sub his rursus, Perspectivam, Opticam, Astrologiã, &c. Imo sub Physica ipsi multiplicant Animasticã, Cælestem, Elementarem, Medicam &c. (de quo tamen inter se variant,) addunt ipsi Thomistæ, ad vltimam & athomam, siue precificã vnitatem & diversitatem Scientiarũ, attendenda esse lumina, seu principia diversa, quæ augent, vel diminuunt notabiliter abstractionem; v.g. abstractior est *sub Physica Ratio Corporis mobilis*, quam sub Medicina Ratio *sanabilis*, quæ materialior est: & ita Cælum immaterialius est, quam Elementa &c. Ita post antiquos Thomistas Caietan. Sotum, Ferrariam & alios, M. Ioan. Th. *d* 27. *log. art.* 1 M. Prado *Contr.* 1. *Met. a* 1. Complutens *disp.* 19. *log. q.* 4 quibus fauent P. Rub. *q.* 4. *Proam.* PP. Conimbris 1. *Post. c.* 23. *q. vnic.* & *q.* 4. *Proœm. Phys.* & P. Salas *L.* 2. *trac.* 12 *d.* 7. *n* 41 Qui tamen fatetur rem esse

scli

soli Deo & Angelis notam, quia nemo potest divinare, quis gradus abstractionis sufficiat, vt vnus habitus scientiæ generetur. Et idem fere fatentur citati Thomistæ, dum rem difficillimam esse dicunt.

5 Contra tamen 1. Ab hac ipsa difficultate quã fatentur, quæ tota quanta est, inde oritur, quod velint scientias, & habitus ita distinguere ex natura rei per abstractiones, vt nullo alio modo distingui pro libito sapientũ possint; quod certe non solũ est difficile, sed in intelligibile, & vere abstrahens a materia intelligibili. Quomodo enim taxari poterit ea immaterialitas, vt sufficiat constituere diversam scibilitatẽ? *Tum* quia Deus summe positive immaterialis, cum Angelo infinite minus, & ente solũ præscisive immateriali, ad eandem Metaphysicam spectare non posset. *Tum* quia si Cælũ sit immaterialius Elementis, & ideo distinctam Scientiam deposcat; similiter ignis immaterialior aere, aer aqua, aqua tellure &c. distinctas scientias exigent. *Tum*, quia in Mathematicis multipliciter variari potest consideratio luminum & abstractionum, vnde vix vnus Thomista cum alio convenit in earum numero designando. *Tum* demum quia in Methaphysica sunt innumera diversissima lumina, seu principia; circa singula duodecim Prædicamenta: Et in Logica circa singulos Modos sciendi; & in Physica circa singulas causas; vnde totidem intra illas scientiæ erunt dividendæ.

6 Contra 2: quia abstractio a singularitate non ita communis est scitẽ tijs; cum Physica agat de his numero Planetis, & Cælis; de hoc numero Primo Motore, seu Prima causa. *Item* Theologia, quæ in hac parte non minus est vna scientia, quã Philosophia, agit de singularibus, Deo, Christo D. Deipara, & similiter de Apostolis, de Adamo, & Eva, de Angelis, de Antichristo, & innumeris singularibus revelatis. *Accedit* quod per hanc abstractionem non satis potest distingui Physica a reliquis scitẽ tijs, cum per illam, per vos, cum omnibus Scientijs conveniat.

7 Contra 3. quia ex natura rei non est ratio cur vna abstractio potentior, & valentior sit quam alia ad Scientias physicè dividendas, cum æquè omnes sint considerationes quædam seu præscisiones Logicæ. V.g, cur potius valebit abstractio a materia sensibili, in qua differt Mathematica a Physica, ad vtramque dividendam; quam abstractio a materia singulari, in qua per vos, omnes scientiæ conveniunt, ad omnes illas adunandas. Item si diversitas luminum seu principiorum valentior est, quam vnitas abstractionis ad diversificandas scientias ex natura rei; *melius* fuisset ad Luminum diversitatem statim recurrere. Demum, cur potius convenientia in abstractione à materia potentior sit adunare; quam disconvenientia in alijs prædicatis multo principalioribus, tum diversorum prædicamentorum, tum entis increati & creati, valeat diversificare in esse *scibili*?

8 Contra 4. Quod dicitur, Materialitatem, sua quasi crassitudine, obnubilare, & impedire scientiam; sunt puræ voces. Tum quia materialia multo melius a nobis cognoscuntur, atque etiam singularia, & sensibilia, quæ oculis perspicimus. Tum quia Materialitas valde materialiter se habet ad scientiam ex natura rei, non minus quam spiritualitas; quæ nihil aliud sunt quam Impenetrabilitas, & Penetrabilitas; tam disparatæ ad scientiam, quam corruptibilitas, vel incorruptibilitas. Tũ quia individuatio seu singularitas, quæ spiritualis esse potest in Deo, Angelis, Anima, &c. solum secundum dici appellatur differentia materialis; cur ergo vocalis materialitatis appellatio illi noceat ad scibilitatem? Tum quia valde crassum, est quod dicitur de crassitudine; certe enim facilius Terram crassiorem, quam aerem subtiliorẽ cognoscimus, & omnia materialia, quam Deum immaterialissimũ. Videantur nostri citandi, infinitũ enim esset omnia percurrere.

Sect. 2. Conclusio abstractiones temperans, & approbans.

9 Tertia ergo nostra sententia tria asserit. *Primum*, omnino a Sapientum arbitrio dependisse, Scientiarũ vnitatem, cum fundamento in re, prudenter taxabili. *Secundum*, quod taxatio stabilita ab Aristotele, S. Thoma, & antiquis DD. ex triplici combinatione abstractionum a *Materia sensibili, & intelligibili*, pro suprema divisione scientiarum debeat prorsus retineri. *Tertium*, quod illa divisio non sufficit pro athoma, & vltima vnitate specifica scientiarũ, nisi adjuvetur ex vnitate scibilitatis quã habent obiecta primaria, ratione connexionis interse, in ordine ad vnum obiectum & quasi finem adæquatũ, & ad modũ tendendi actuum.

Ita Eximius Doctor consideratis omnibus, quæ sparsim docet *d. 1. Metaph. s. 2. an. 12. & s. 2. an. 8. & d. 44. s. 11. n. 68.* P. Fons. *5. Metaph. c. 7. q. 5. s. 2. & l. 4. c. 1. q. 1. s. 4. & in Proœm. c. 6.* C. Tolet. *q. 3. proœm.* P. Cõpt. *d. 2. log. s. 4. n. 6. & s. 5. n. 13.* P. Yzquierd. *d. 21. n. 16.* P. Quiros *d. 37. s. 1. &* P. Maur. *q. 4. & 5.* Favent quæ re ipsa P. Hurt. *d. 1. Metaph. §. 185.* P. Arr. *d. 1. s. 3.* P. Ovied. *c. 1. p. 3. §. 4.* P. Lynceus *8. Metaph. tr. 3. a. n. 73.* qui primã partem nostræ sent. defendunt, ex qua reliquæ consequũtur.

10 Prima Pars cõclusionis ostẽditur. Quia nullum est obiectum, à quo ex natura rei Scientia totalis seu Collectiva, suam vnitatem accipere possit; cum adeo diversas veritates, definitiones, & Principia, singulæ pertractent. Alias etiã nulla est necessitas, vt majorem vnitatem habeat, quam quæ tribuitur Libro sapienter ordinato, ex connexione obiectorũ quæ tractat, ab Authore in vnũ collecto. Qua etiam gaudent omnia tota, quæ vnitate ordinis adunantur, vt Respublica, Regnum, Civitas, exercitus, Religio: quæ humanam moraliẽ vnitatem simpliciter habent. Ergo eadẽ pro scientijs sufficiet: vt *d. 38. n.*

17. præmissimus, & *seq.* amplius cõstabit.

11 Secunda Pars duas tantũ Abstractiones determinat, 1. a materia sensibili. 2. ab intelligibili (omissa tertia materiæ singularis, propter dicta *s. præc.*] Duplex ergo ea Materia distinguenda est paulo aliter, & clarius, quam Thomistica. *Prima* est sensibilis; scilicet Materia obiectiva *circa quam*, sensibus saltem mediate perceptibilis, experimentaliter, quoad existentiam, sive quoad *an est*. Et hæc est Materia circa quam versatur Physica, demonstrando per experientiam, existentialiter, naturas rerum: & ideo non abstrahit a materia sensibili. *Secunda* est Materia intelligibilis, ideo dicta, quia licet sit materialis & sensibilis, intelligitur tamen abstracta á sensibus, & independenter ab existentia; scilicet, Quantitas quoad dimensiones, figuram, & numerum: independenter enim ab omni existentia, & experientia sensuũ, quantitas vlnaris major est semiulnari; & bis duo sunt quatuor. Et hæc est Materia propria Mathematicæ, quæ propterea dicitur, non abstrahere a Materia intelligibili.

12 Hinc patet triplex combinatio abstractionum. Nam Physica abstrahit ab hac materia intelligibili, non vero a sensibili, quæ est 1. abstractio. Econtra Mathematica abstrahit a sensibili, non vero ab intelligibili; quæ est Secunda & major abstractio. Demum Metaphysica, vt omnium abstractissima, ab vtraq́ materia præscindit, per tertiam maximam q́ abstractionem, quia neque agit de rebus quoad existentiam, & per experientias sensibiles; neq́ quoad proportiones, & dimẽsiones, sive secundũ materiã intelligibilem sed secundum conceptus quidditativos rei, sive quoad *quid est*, & essentialia, ac necessaria prædicata. Quo posito;

13 Prob. 1. Secunda Pars Concl. Quia, quo res minus abstrahit a sensibilibus, & experimentis sensuũ, est nobis intellectu facilior; econtra vero difficilior, quo abstractior; vnde facilius veritates experimẽtales physicas; aliquanto vero difficilius dimensiones Mathematicas, quia abstractiores; difficillime vero omnium demonstrationes, & definitiones Metaphysicas attributorum, & quidditatum, quia summè abstractas, capimus. Sed habitus Scientiarum ordinantur ad facilitandum intellectum, sive vincendas difficultates illius, *vt disp. 38 n. 17.* visum est. Ergo optimo jure habitus Scientiarum, juxta eas abstractiones magis ac magis difficultatem augentes, ordinati, & adunati sunt; scilicet in triplicem illam Scientiam Physicam, Mathematicã, & Methaphysicam; juxta triplicem duplicis materiæ abstractionem, vnice possibilem, & combinabilem.

14 Prob. 2. Quia sumus in re prorsus arbitraria Sapientibus, quorum est Stiẽtias dividere, & instituere: sed scientissimi omnium Aristoteles, & S. Thomas, per tres abstractiones, tres illas Scientias diviserunt: ergo. Min. ostenditur ex Arist. 1. *de Anima c. 1. tr. 17.* ajente. *Constat, nimi-*

xem esse, qui circa Materiæ versetur effectus non separabiles, & vt non separabiles, præter Naturalem Philosophũ. De his autem quæ separabilia quidem nõ sunt, attamẽ non vt affectus corporis talis, sed abstractione sumuntur, Mathematicus. At ea, quæ separabilia sunt, & vt talia sunt, ipse Primus Philosophus (idest Metaphysicus) contemplatur Quod repetit 6. Met tx. 2. & 6. Item S. Thom. ibi l. 1. & in Prologo Metaph. & in Boetium de Trin. q. 5. a. 5. inquit: Secundum abstractionem a materia & motu, Scientiæ speculativæ distinguntur. Ergo ita sunt distinguendæ.

15 Tertia Pars Cõcl. Jã hinc probatur Primo, quia solũ tres Scientiæ speculativæ per abstractiones dividuntur, juxta S. Th. & ipsum Philosophum. Ergo practicæ ex alio capite sunt dividendæ. Et vrgetur, quia si per abstractiones Logica, & Ethica dividerentur, ambæ essent adunandæ cum Metaphysica; ambæ enim gaudent abstractione a materia sensibili & intelligibili; agunt enim, prima de actibus intellectus, secunda de actibus voluntatis, abstractis ab omni materia. Ergo ex alio capite scilicet ex modo practico attingendi suum obiectum primarium, sub ratione practicabilis, seu dirigibilis, ambæ erunt dividendæ, & interse, & ab alijs.

16 Secundo, quia reliquæ scientiæ, quæ sub vna abstractione continentur; vt Medicina sub Physica; item sub Mathematica, tum Arithmetica, tum Geometria; & tutz sum sub hac Cosmographia, Astronomia, & innumeræ Mathematicæ Artes, videndæ apud P. Yzquierd. d. 21. q. 2 Schem 8, non aliter possunt specifice, & athome, sive vltimo ad invicem dividi, & in se adunari; nisi secundum sua obiecta primaria, vt interse ipsa connectuntur, & conveniunt in aliqua scibilitate, respectiva ad vnamquamque Scientiam suam, & modum specialem quo ab illa attinguntur, tanquam illius subiectũ adæquatum, sive obiectum primarium totale (quod idem est vt cum P. Suarez, PP. Conimbr. P. Fonsec. Toleto, & alijs plerique loquuntur, ex disp. præced. n. 18.) Cõfirmaturque, Tum quia non est alius modus humanus adunandi, & ordinandi quascumque rationales Tractationes, non solum scientificas, sed etiam oratorias & Poeticas [vt in omnibus Libris methodice compositis patet) nisi per aliquam vnitatem subiecti, quod solet vocari assumptum, vel primarium argumentum, & obiectum, vt consideratam in ordine ad modum ipsũ illud tractandi; (quæ dici potest tractabilitas) vel Rhetorice, vel Metrice, &c. Tum exemplo potentiarum vitalium, quæ adunantur, vel specificantur per ordinem ad sua obiecta primaria, vt convenientia in ratione intentionaliter attingibilium, v.g. visibilis, audibilis, intelligibilis, &c. Tum demum inductione omnium scientiarum, [vt de singulis in suis Præmijs dicetur) pro quibus tunc sufficiat Theologia, quæ juxta S. Th. 1. p. q. 1. a. 3. c. est vna, quia licet respiciat

pleciat Deum secundum prædicata Vnius, Trini, Principij, Finis, & Redemptoris, ea omnia adunantur, sub vna ratione, *mediate revelabilis*, seu *scibilis* ex revelatis, vt cum Cajet. ibi omnes DD. interpretantur. Vbi notandum, quod licet obiecta secundaria non participent in se, & immediate rationem formalem; sufficit quod necessariam connexionem habeãt, vel terminent respectu obiecti primarij, vt in hoc mediate illã participent, & sub illa mediate adunentur, & ad vnam scientiam adunandam concurrant; de quo d. 43.

Sect. 3. Obiectionẽs.

17 Obij. 1. pro Mirandul. 1. sent. Quia omne ens convenit in esse intelligibilis, datur vna potẽtia intellectiva erga illud, ergo quia similiter cõvenit in esse scibilis, sufficiet vna Scientia de omni illo, scilicet Metaphysica.

Resp. neg. Conseq. & paritatem, quæ non tenet physice ex *disp. seq. n.* 20. nec moraliter, quia ea ratione non tam adunarentur, quam confunderentur scientiæ; non minus, quã si propter convenientiam in esse scibilis, omnes libri, tam Historici, quã morales, & scientifici, in vnum volumen miscerentur. Aut quia totus terrarum orbis est vnus, omnia Regna, & Provinciæ ad vnum tantum essent redigenda. Stet ergo prudentissimo hominum arbitrio, pro faciliori, & vtiliori modo scientias comparandi; illas divisisse Inventores, cũ fundamento connaturali, & proportionato divisionis; sicut pro vtiliori administratione Reipublicæ, & gubernationis, Regna, Provinciæ, & vrbes dividuntur.

18 Obij. 2. contra 1. part. Concl. Si tota Scientiarum divisio ad arbitrium prudentium reducitur, duo sequuntur absurda. 1. Quod iuxta Gentium & Nationum varios vsus, distinctæ essent scientiæ, si earum ordinatio variaretur. 2. Quod qui nostras scientias haberet infusas a Deo, vt Christus D. B. Deipara &c. non eas dem specie cum nostris haberet; vt pote non ea nostra arbitraria methodo & vnitate distinctas.

19 Resp. Ad 1. non inconvenit, quod iuxta Nationum vsus, scientiæ habere possint varietatem, vt habuere apud Sinas, Physica, & Mathematica: nego tamen tunc adeo bene ordinatas fore, ac nostras. Ad 2. cum ipsa methodus & ordinatio scientiarũ fundetur in cõnexione obiectorũ & actuum, eorum habitus, & species vt connexæ infundentur, sicut nostræ se habent, ex d. seq. n. 18. & 21.

20 Obij. 3. *contr.* 2. *part.* male a nobis excludi abstractionem a materia singulari; Tum quia nulla Scientia est de singularibus, iuxta Aristotelem, & S. Thomam. Tum quia primum cognitum intellectus, vt condistincti a sensibus, debet esse vniversale; solo enim sensu percipiuntur singularia.

Resp. Quidquid sit an scientia aliqua sit de singularibus (de qua *tract.* 8.) certe per eam abstractionem minime possunt Scientiæ distin-

gui

geri, cum sit omnibus Scientijs communis, juxta ipsos Thomistas; vnde materialiter prorsus se habebit ad vnitatem, & distinctionem scientiarum. Principium autem illud Thomisticũ de vniversali, vt primo cognito nostri intellectus, cum subtili Scoto in libris de Anima reijcietur.

21 Obij. 4. Nec Physicam, nec Metaphysicam abstrahere a materia intelligibili, scilicet Quantitate. Quia Physica demonstrat ipsius quantitatis existentiã, atque experimentales proprietates: Metaphysica vero de illa agit inter prædicamenta; ipsius essentiam definiendo, dividendo q in *continuam, discretam* &c. ergo per eam abstractionẽ à Mathematica non distinguuntur.

Resp. Quantitatem vocari materiam intelligibilem, solum secundum dimensiones & proportiones figurę & numeri, secundum quas independenter à sensibus possunt considerari; & ab illa prout ita considerata abstrahunt tam Physica, quam Metaphysica; licet illa experimentaliter ejus existentiam, hæc quidditativè essentiam illius, contẽplentur; quod Mathematica non præstat.

22 Obij. 5. Et repl. hoc modo plura alia posse vocari Materiã intelligibilem: v.g. actio, & passio causarum, generatio & corruptio, vnio & divisio compositi; quæ secundum se consideratæ abstrahunt a materia sensibili, ideſt, possunt considerari, vt præcisæ a sensibus, & ab existentia. Ergo pro illis potest distingui inva abstractio, & Scientia.

Resp. concedendo conseq. Quia absque dubio ita posset, si Philosophiæ Parentibus placuisset. Non tamen placuit, quia commode & breviter ea omnia sub Physica ipsa, vt ad corpus naturale pertinentia, poterant tractari. At divisio dimensionum Mathematicarum tam late patet, & tot combinationes scibilitatum importat, vt non vna, sed vix plures aliæ Scientiæ pro illis examinandis sufficiant. Id quod in libris Doctorum passim contingit; vt ad calcem præcipui Argumenti, aliquæ Tractationes, quæ facile aliorsum reijci poterant, adijciantur, quia breviores; aliæ vero, quia prolixiores, licet æquè connexæ, integro volumini reserventur.

23 Obij. 6. In Physica & Logica, quam plurimas haberi Definitiones, quæ rem abstractissimè, & secundũ quidditatem contemplantur: ergo hæc abstractio non vnicè ad Metaphysicam spectat.

Resp. Quod sicut in corporibus, ita omnia sunt a Natura propter majorem rerum connexionem comparata, vt nullum sit Elementum purum; omnia enim per vapores, & exhalationes interse invicem commiscentur; licet a majori, & principaliori parte denominẽtur aer, aqua &c. Ita in Scientijs nulla adeo pura est, vt de alijs multos actus, & habitus sibi admissos non habeat; imo etiam probabiles ex d. 38. n. 17. & præsertim de Metaphysica; à quarum pote a subalternante non solum principia primaria, & vniversalia, sed

etiam

etiam immediatiores definitiones accipiunt subalternatæ. Quia tamen Physica ad has ipsas definitiones per experientias sensibiles, sive sub materia sensibili pervenit; illas aliquando sui juris, & ordinis facit; licet quatenus abstractiori considerationi fiunt, spectent ad Metaphysicã.

24 Obij. 7. contra 3. *part. Concl. Tum* quod ipsa obiecta primaria, & adæquata Scientiarum sub lite sunt; earum vero distinctio, & vnitas minimè: ergo hæc ab alio magis certo principio sumitur. *Tum* quod scibilitas obiecti primarij est denominatio extrinseca ab ipsa Scientia, sicut visibilitas coloris a visu; ergo potius scibilitas ipsa a Scientijs specificatur, quam Scientiæ a scibilitate.

Resp. ad 1. Similiter distinctio individuorum est per se nota apud omnes, & tamen est maximè dubiũ, a quo principio ea individuatio, seu vnitas individualis proveniat. Nego tamen, quod adeo certa sit scientiarum vnitas, cum vix inter Thomistas vnus cum alio consentiat de divisione Mathematicæ, & Physicæ. Ad 2. Sicut visibilitas est ratio formalis specificativa visus, licet ad illũ referatur, ita Scibilitas licet referatur ad Scientiam: non enim est pure extrinseca denominatio, sed intrinseca obiecti capacitas Scientiam terminandi; vt dicam d. 43.

25 Obij. 8 Habitus vnius cujusq; Scientiæ totalis debet esse vna qualitas simplex physicè, ergo non potest consistere in extrinseca illa ordinatione, & collectione arbitraria actuũ, & habituum, in ordine ad subiectum primarium. Antecedens multis probant Thomistæ. Pro quo sit

DISP. XLII.

Vtrum Scientia totalis habitualis sit vna simplex qualitas?

1 PRima sententia affirmat cum Cajet. Soto, & Thomistis, fere omnibus *d. præc.* citatis; quibus ex parte favent P. Vazq. 1. p. d. 9 c. 1. P. Val. 1. 2. d. 4. q. 6. p. 3. P. Rubius P. Salas, supra, & P. Quiros d. 14. s. 3. multis cum limitationibus, de quibus etiam inter Thomistas non convenit.

Sect. 1. Conclusio negans.

2 Secunda nostra Sententia negat; componens singulas scientias ex tot habitibus, quot sunt in Scientia principia, specialem difficultatem circa obiectum ipsius evincentia. Ita Subtilis Doctor cum suis apud Poncium d. 2. q. 9. & d. 22. q. vlt. Nominales cum Ocham. Gregor. Major. &c. Item Durand. Aureolus, & nostri fere omnes cum Exim. D. ea d. 44. C. Tol. P. Mcl. P. Vall. P. Amico, PP. Conimb. P. Hurt. P. Arr. P. Smigletio, quos laudant P. Ovied c. 1. p. 3. §. 4. P. Compt. d. 2. s. 5. P. Lynceus l. 8. Metaph. tr. 3. c. 1. P. Yzquierd. d. 22. Phar. n. 88. P. Tellez d. 18. s. 4. P. Raynaud. *Prolog. Metaph. §.* 3. P. Santacruz *in log. n.* 1220. *& in Metaph. n.* 1079. P. Alph. d. proæm. s. 7. P. Th Polon. d. 1. dist. 6. P. Rhod d. 1. Metaph. s. 3

§.1. P. Suar. Eus. tr. 8 d. 4. s. 1. Ioaniz d. 2. c. 3. & ex Thomistis citatur Lorca 1. 2 d. 10. & Soncin. 6. Met. qui fa vent eodē sensu quod P. Rub. inf. n. 18

3 Prob. 1. Expressa auctoritate S. Th. 1. 2. q. 52. a 2. ajentis: *Scientia potest augeri secundum se ipsam per additionem; sicut cum aliquis plures Conclusiones Geometriæ addiscit, augetur in eo habitus ejusdem Scientiæ secundum speciem.* Et *quæst. 8. de verit. a. 16 una tota scientia comprehendit sub se diversas scientias particulares, quibus diversæ Cōclusiones cognoscuntur.* Idē repetit 1. 2. q. 54. a 2. c. & q. 65. a 1. Ex quo

4 Prob 2. ratione. Habitus Scientiæ nihil est aliud quam facilitas acquisita ex actibus scientificis, ad alios actus similes illis, a quibus est producta, ex d. 38. n. 17. Sed ille qui circa vnas veritates, vel Conclusiones, aut Regulas, vnius Scientiæ totalis habet facilitatē, potest circa alias minime illam habere: ergo quia in Scientia totali datur vnus, & alius, seu multiplex facilitans habitus, ex quibus componitur. Maj. & conseq. constant. Minor patet experientia. Tum Geometriæ, quam affert S. Th, vbi quis multa scire potest de Triangulo, & nihil de Circulo. Tum Dialecticæ, vbi Tyrones prius faciles sunt ad definitionē, & non solū difficiles, sed etiam ignavi, ad Argumentationem; & in hac ipsa faciles ad Primam figuram, difficillimi ad secundam, & tertiam. Tū demum in Physica circa Materiam, vel formam faciles; circa continuum & infinitum difficiles: & in Metaphysica circa Dei existentiā demōstrandā facilimi, & circa entis attributa difficillimi passim invenimur.

5 Confirmatur: licet habitus non petat similitudinem materialem actus a se producendi, cum actu producente, ipsū cum ex definitionibus Metaphysicis fiat habitus facilitās ad Physicas: attamen debet esse similitudo formalis in prædicatis, quorum diversitas immutat facilitatem; sed in actibus Scientiarum, datur summa diversitas in prædicatis, immutātibus facilitatem, difficultatem que augentibus in vno actu, quæ non est in alio; vt prædicta experientia convincit. Ergo impossibile est quod per vnum eorum actuū scientiæ cōparetur habitus, ad alios ita diversos formaliter quoad facilitatem

6 Prob. 3. ratione a priori; Habitus non facilitat ad actum, nisi ex vi *formalis immediati* motivi actuum, a quibus est productus; v. g. habitus fidei facilitat ad credendum ex motivo auctoritatis dicentis, nec potest ex alio motivo disparato, vel inconnexo, v. g. opinionis, facilitare. Sed in nulla scientia totali, quæ de facto datur, inveniri potest vnum motivū formale, quod valeat movere immediate, ad omnes actus, & circa omnes veritates Scientiæ totalis. Ergo in nulla scientia totali potest esse vnus habitus ad omnes illius actus facilitans.

7 Minor, quæ sola negari potest, ostenditur. 1. In ductione singulatum scientiarum. Logica enim di-

versis

sis omnino principijs vtitur ad ostendendam Definitionem, quam ad Diuisionem, & Argumentationem; & Regulæ ipsæ omnino interse diversæ, & fere inconnexæ sunt in directione sua. Physica similiter longe alijs ad principia corporis, quam ad successionem motus vtitur. Metaphysica similiter ad singula Prædicamenta diversis, quam ad Deum &c. 2. Quia Motivum formale, in quo juxta Thomistas, adunantur Scientiæ principia, est *scibilitas* secundum gradum abstractionis; hoc autem motivum est formale *sub quo*, materialiter omnino se habens ad actum in esse objecti, quia nullo modo per illum attingitur; quis enim vnquam in actibus scientificis, dum definit, vel arguit, meminit talis abstractionis Thomisticæ, de qua tot dubia sunt fere inintelligibilia, & (vt ipsi fatentur) valde difficilia? Et præterea cum pertineat ad Rationem *sub qua*, hæc minimè attingitur per actum directe tendentem in obiectum, vt cóstat ex d. 40. n. 8.

8 Prob. 4. paritate virtutum Moralium. Omnes enim DD. fatentur cum S. Th. 1:2. q. 54. ad 2. & 2.2. q. 48. 49 61. 71. 101. 129. & 143. Quod sub virtutibus Cardinalibus multæ aliæ virtutes, sive habitus virtuosi continentur, v. g. sub temperantia Castitas, Sobrietas, &c. Sub Iustitia Religio, Pietas &c. Quia licet virtutes hæ inferiores connectãtur, & coadunentur, secundum aliquam connexionem, & convenientiam in sua honestate communi; attamen secundum speciales suæ honestatis rationes, speciales important difficultates, speciali propterea habitu vincendas. Atqui similiter, licet omnes veritates vnius scientiæ speculativæ, vel etiam omnes Regulæ vnius Scientiæ practicæ, v.g. Logicæ, interse connectantur, aut etiam conveniant, secundum aliquod motivum vel principiũ commune scibilitatis; attamen secundum suas speciales rationes important diversas, distinctas & separabiles difficultates, vt patet adductis experientijs, de facilitate ad definiendum simul cum difficultate ad arguendum. &c. Ergo in singulis scientijs totalibus multiplicandi sunt hábitus ad eas speciales difficultates evincendas.

9 Resp. 1. Thomistæ: experientia illa difficultatis ad novos actus difficiles eiusdem scientiæ, solum convinci quemdam novum modum extensionis, quo habitus primus augetur, quoad modum, non vero, quo simpliciter augeatur in esse habitus.

Contra 1. Quia ille modus habet totam essentiam, & naturam habitus, cum omnino facilitet ad actus similes illis, a quibus est productus, Vrgetur si licet hos modos ad facilitandum substituere, poterunt omnes habitus de medio omnino tolli, cum Caram. *in Metalog. a n.* 1503. asserendo, solum potentiam cum modo extensionis se habere, vt habitum, seu facilitare ad actum, sine nova qualitate, quæ habitus sit. Rursum eodem modo pro omnibus Scientijs vnus habitus, & alius pro omnibus

virtutibus, cum solo novo modo extensionis constitui poterit.

10 Contra 2. Quando adquiritur habitus per primum actum scientiæ, v.g. per Logicam definitivam, tunc talis habitus non habet modum extensionis circa definitionem, cū nondum sit extensus. Ergo pariter, licet actus Logicæ definitivæ secūdo, vel tertio, loco comparetur, talis modus extensionis minimè resultabit in habitu; quod enim prius, vel posterius scientiæ actus eliciatur, nō immutat modū intrinsecū habitus; vnde si hic primo potuit sine modo illo facilitare ad definiendū, ita & postea poterit.

11 Resp. 2. Habitum Scientiæ totalis, post quam semel est adquisitus per vnum actum, non facilitare ad alios actus eiusdem Scientiæ, defectu solius applicationis; eo modo quo qui Regulam totam citharizandi didicit, initio est facilis ad vnos motus; non vero ad alios, non defectu habitus regulativi, sed defectu habitus applicativi potentiæ executricis ad motum.

Contra 1. Hoc etiam modo possent de medio tolli habitus particulares, dicendo, solam potentiam, vel solum habitum generalem, facilitare ad novos actus particulares, addita nova applicatione, sine particulari habitu. Deinde illa applicatio nihil est aliud quam excitatio speciei, sed hæc necessario fit circa actum difficilem, qui sine specie fieri nequit, non minus quam facilis. Ergo

12 Contra 2. Citharæ illā valde dilabat. Tum quia difficultas Citharizandi in eo qui scit totam Regulā, provenit ex defectu habitus potentiæ externæ executricis, qui necessarius est præter habitum internum Regulæ, ad facilem actum externū. Ergo hinc potius infertur necessitas alicujus habitus pro vincenda difficultate illius actus Logici posterioris. Tum quia si Tyro tantum sciret vnam partialem Regulam citharizādi, non haberet habitum totalem artis citharisticæ; ergo pariter, qui solum didicisset vnam Regulā Logicæ, non habebit habitum totius Artis Logicæ (& idem esto de conclusionibus aliarum Scientiarum) Neque enim minus vna est Ars citharistica, quam Logica &c.

13 Respond. 3. plaudente P. Quiros, habitum Scientiæ solum esse vnum circa Conclusiones connexas cum Lumine, seu principio aliquo immediato, sub vna abstractione nō vero si lumina seu principia sunt inconnexa. V.g. in Scientia de homine: ex Principio seu lumine definitionis illius, innumeræ conclusiones circa attributa, & proprietates hominis possunt inferri, & pro his omnibus sufficiet vnus habitus; quia si intellectus ex vi illius applicet diligenter principium, eadem facilitate, imo necessario eliciet primas, ac secundas, & reliquas conclusiones; atque adeo sine habitu, qui pro actu necessario necessarius non est.

Contra 1. Iam enim incipit varietas & inconstantia sententiæ, his luminibus claresceret. Quæ enim est Scientia de homine, nisi ipsa Scientia

tia Physica? Si autem in illa propter diversum lumen vna Scientia de homine sit: similiter alia erit de causa efficiente; aliæ de singulis causarum generibus: aliæ de singulis principijs intrinsecis corporis naturalis; aliæ de infinito, & continuo, de motu, & duratione, & de singulis Elementis, ac Cœlis, aliæ: Et ideo innumeræ in vna Physica erunt, cum diversissima sint principia, & definitiones pro illis, non minus, quã de homine. Atque ita in Metaphysica pro singulis Prædicamentis, & in Logica pro singulis Modis sciendi, eorumque singulis speciebus. Vbi ergo erit decantata illa scientiæ totalis simplicitas?

14 Contra 2. Quia sæpe conclusiones ex vno principio deducẽdæ non sunt æque faciles, quia indigent aliquo secundo principio tanquam secunda præmilla: vnde multoties in hac ipsa applicanda, tum in ipsa conclusione primum inferẽda (maximè si aliquando indirecta sit) non est intellectus adeo facilis, ac in conclusionibus alijs antea sæpius repetitis. Et licet sit necessaria conclusio positis præmissis, seu principijs, non ideo horum habitus sufficiet; sicut datur habitus ad actũ externum, licet sit necessarius posito interno.

15 Resp. 4. P. Quiros, majorem facilitatẽ quam in prima Regula Logicæ v.g. de Definitione, vel in prima conclusione Scientiæ repetita experimur, non vero in secunda de nouo comparata, oriri ex defectu speciei intensæ. Quo nec per repetitionem actuum intenditur circa definitionem, non vero circa divisionem.

Cõtra 1. Est omnino præternaturale, & violentum, quod quis prius habeat habitum ad aliquem actum, & circa eius obiectum, quam habeat speciem vel notitiam circa obiectũ ipsum: quis enim dicat hominem esse facilem ad loquendum Sinice, vel, de rebus Sinicis, antequam de illis vocibus, & rebus vllam habeat speciem, vel notitiam? Ergo repugnat quod habeat quis habitum ad divisionem, antequam habeat speciem vel notitiam de Divisione. 2. Eodem modo dici posset, quod homo ex vi habitus fidei adquisiti in Baptismo habeat facilitatem ad credendum mysteria fidei, ante quam speciem vel notitiam vllam habeat de illis. 3. Hac ratione omnes habitus possent denegari (vt fit a multis DD.) ad actum intellectus, quia ad illum facilitandum sufficeret intensio specierum, repetitione actuũ adquisita sine vllo habitu; vel saltem vnus posset habitus poni pro omnibus Scientijs, imo pro omni intelligibili, qui per intensionem specierum applicaretur ad facilitandum in singulis materijs. 4. Si iam scientia habitualis composita est ex speciebus per actus comparatis; cur tanto scrupulo sit compositio ex pluribus habitibus?

Sect. 3. Obiectiones.

16 Obij. 1. S. Thomas *ea q. 54. art. 4 ex 1.2.* vbi expresse asserit, habitum esse *qualitatem simplicem*; & consequenter

extendi ad multa sine novo habitu. Ergo.

Resp. S. Thomam (ne sibi contrarius sit supra n 3.) loqui de vnitate, & simplicitate Logica; eo modo quo *Civitas* dicitur Terminus Logicè simplex, & incomplexus; quia ea ratione, qua aliquid est vnum est simplex, sive non plura; vnde sicut civitas per additionem civitum extenditur, quin addatur propterea nova civitas; ita dicitur habitus Scientiæ totalis seu collectivæ extendi, quin addatur novus habitus, seu scientia totalis, è contra vero partialis. Et hæc mens S. Doctoris firmatur exemplo, quod adducit *ad* 2. ex virtutibus Cardinalibus, quas fatetur sub se continere alios plures morales habitus virtuosos, & tamen singulas dicit esse vnum habitum, sicut scientia est vna; ac proinde solũ collectiev, seu per modum vnius collectivi, quod logicè tantũ est vnum seu simplex.

17 Obij. 2. Scientia seu habitus collocatur in prædicamento Qualitatis, & consequenter est qualitas; sicut homo, quia collocatur in prædicamento substantiæ est substantia: at si esset collectio habituum, & qualitatum non esset qualitas, sicut collectio substantiarum non est substantia, neque hominum, homo; ergo non est collectio, sed simplex habitus, & qualitas.

Resp. dist. maj. Scientia colloca tur in prædicamento Qualitatis, sciẽtia totalis seu tota Logica, vel Physica, &c. *nego*: partialis, seu quivis habitus partialiter componens Logicam, &c. *concedo*.

18 Obij. 3. Hi habitus partiales erunt in Intellectu physicè disjuncti, & quasi disparati; ergo non erit cur in illo faciant habitus Logicæ vnam scientiam interse, potius quam cum Medicina, vel Optica.

Respondeo, a P. Rub. ea q. 4. n. 20, P. Gran. 1.2.c.4.d.10 n.21. P. Tannero 1.2.d.3.du.4 n. 43, admiti vnionem physicam habituum ad vnam Scientiam pertinentium. Verum hæc vnio est valde difficilis; Tũ quia esset naturalis & physica; natura autem non curat eas intentionales convenientias rationum formalium ad vniendos habitus interse; nõ enim esset ratio cur vniret conveniẽtes in vna ratione proximiori, potius quam in remotiori entis scibilis, &c Tum quia ad nullam speciem vnionis nobis notæ pertinere potest; quia non esset intensionis, cum sicut graduum caloris intensi; quia hic agimus de extensione Scientiæ ad plura objecta, & actus, v.g. definitionem, & argumentationem. Neque esset vnio physicæ extensionis; quia hæc petit partem extra partem, vt extensio albedinis in papyro. Neque formalis, vt inter corpus, & animã; quia non se habet vnus habitus, vt subjectum, & alius vt forma. Restat ergo, vt solum sit vnio aggregationis ordinatæ, fundata in naturali ordine, & connexione, quam interse habent objecta primaria vnius cujusque scientiæ, secundum modum scibilitatis suæ. Eo modo quo sanitas

est

est vna per vnitatem rectæ ordinationis temperamenti primarū Qualitatum, quin hæ, vt pote contrariæ, interse vniantur: sicut etiam pulchritudo est etiam vna per connaturalem proportionem, quam interse habent secundæ qualitates, v.g. colores, cum figura & situ; quin hæc interse, sed solum cum subiecto, vniantur. Atque ita etiā experimur in intellectu connecti species objectorum connexorum, & quæ simul ordinatè per memoriam comparantur; vnde excitata vna, alia statim excitatur, & quodam modo trahitur, quasi vna esset cum alia continuata. Quo pacto etiam poterunt quasi catenati interse, & ipsi habitus scientiæ eo ordine connexionis, quo adquiruntur, & comparantur, & cum speciebus ipsis, quemdam quasi librum seu volumē intellectuale componere, pulchrè intellectualiter ordinatum; sicut externe ipsarum Scientiarum libros ordinatos habemus. Quod cum P. Suarez ea d. 44. s. 11. n. 20. & 53. tradunt DD. laudati, contenti vnitate hac extrinseca ex d. præc. n. 10 Quia major non est necessaria.

19 Obij. 4. & replic. Hanc ordinationem non tollere, quod simpliciter physicé singuli habitus scientię sint disjuncti, vnde singuli erūt Scientia perse, ergo singuli perse erunt Logica v.g. atque ita erunt simpliciter plures Logicæ, Physica, &c.

Respond. conseq. concedi a Nominalibus, Poncio ea d. 22. n. 78. & Bonesp. tr. 9. n. 150. Sed quia hoc pertinet ad modum loquendi; & nomina Scientiæ totalis, v g. Logicæ, Physicæ, &c. imposita sunt etherogeneè toti collectioni habituum, vnam facultatem componentium; non poterit dici de singulis habitibus, quod Sit Logica, &c. licet sit partialis Scientia logicalis &c. sicut non potest dici de singulis civibus limanis, quod sint Civitas Lima.

20 Obij. 5. Quia omnia intelligibilia conveniunt sub vna ratione intelligibilis datur vnus intellectus physicè simplex circa illa: & quia omnia Mysteria sub vna ratione credibilis, datur physicè vnus habitus fidei divinę; & ita de alijs habitibus supernaturalibus, circa sua obiecta: Ergo pariter, quia omnia objecta conveniunt sub vna ratione formali *sub qua* scibilis, á qua etiam per nos specificatur, & adunatur Scientia, poterit dari vna Scientia habitualis, sive vnus habitus Scientiæ totalis, physicé, & realiter.

Resp. nego antec. quod præcisè propter eam convenientiam in ratione formali communi, sit vnus intellectus vel vnus fidei habitus; sed etiam, quia non experimur, quod sub ea ratione formali, detur separabilitas potentiæ, sive intellectus, vel habitus supernaturalis; ita vt maneat potentia ad vnos actus sub ea ratione contentos, & non ad alios; sed potius semper ad omnes simul, & indivisibiliter est ea potentia. Et idem evenit in omnibus habitibus supernaturalibus infusis, qui per modum potentię se habent.

At

At vero habitus adquisiti è contrario, habemus experientiam, quod sub eadem ratione formali separabiles sint, manente facilitate, seu facile posse circa vnos actus, & minime remanere circa alios, quos sub ipsa ratione formali difficillimos experimur, simul cum aliorum facilitate. Imo etiam in potentijs sensitivis distinguimus, v. g. Visivam ab auditiva, licet earum objecta sub vna ratione *sensibilis*, seu *sensu perceptibilis* conveniant; quia sub ea experimur separabilitatem potentiæ ad vnum sensibile a potentia ad aliud sensibile, v. g. visivæ ab auditiva; Pariter ergo ob separabilitatem vnius facilitatis ab alia, circa vnam communem rationem formalem facilitates, seu habitus distinguentur. Si autem liceret ab ea paritate intellectus, vel habitus fidei, &c. vniversaliter arguere: ita & vna potentia externa pro omni sensibili, & vnus habitus simplex Scientiæ pro omni scibili, sicut arguebat Mirandulanus d. præc. n. 17. posset inferri.

21 Obij. 6. Adhuc in virtutibus adquisitis, quæ non se habent per modum potentiæ, sicut infusæ, vrget paritas. Nam eadem virtus adquisita sobrietatis, v. g. sufficit vt homo abstineat a nimio cibo, & a potu; sed mihi hominus postquam facile abstinemus a cibo, experimur magnam difficultatem abstinendi a potu, quin nova virtus seu habitus circa potum adquiratur per actus abstinentiæ a potu. Ergo pariter potest quis facilis addefiniendum per habitum Logicæ experiri difficultatem in dividendo, quin novus habitus Scientiæ per actus divisionis difficiles comparetur.

Quod si dicas cũ P. Arr. P. Alph. & nostris communiter, etiam virtutes adquisitas componi, sicut habitus Scientiæ totalis adquisitæ, secundũ novas difficultates materiæ, pro quibus vincendis habitus a natura donantur. Contra erit: quod si quis semel habet adquisitum habitum virtutis ex motivo præciso honestatis illius, v. g. sobrietatis; si vincet difficultatẽ abstinẽtiæ in materia facili, scilicet in cibo; etiã vincet in materia difficili, scilicet potu, cũ sit idem motivũ pro vtraque: alias si in potu cederet difficultati, convinceretur non habuisse præcisse motivum honestatis sobrietatis secundum se, vt requiritur ad virtutem; sed vt conjunctum cum facilitate materiæ, ac proinde ipsa facilitas materiæ esset partiale motivum, & non sola formalis virtutis honestas, vt pro virtute requiritur. Ergo.

22 Resp. hic tangi gravissimam difficultatem de vnitate & specificatione virtutum; in qua citatus P. Arr. 1. 2. *d.* 41. *de habitib. n.* 24. *& Tom. de pœnit. ac de Fide*, P. Ripalda *ibidẽ*, alijque multi docent, rationes formales virtutũ non esse adeo abstractas a materia, seu objectis materialibus (cum vix homines ita abstracte regulariter moveantur) vt facilitatem aut difficultatem non contrahant ab objectis materialibus; ita vt qui ex auctoritate Petri, v. g. alteren

tis,

tis, assentitur honeste ex fide humana veritati facile credibili, possit ex eadem autoritate nolle credere rem perdifficilem; imo ita iudicant adhuc contingere posse in credibilitate evidenti mysteriorum nostræ fidei; ex qua dicunt, posse hæreticum supernaturaliter assentiri vni mysterio, & alteri sibi difficiliori dissentiri. Et hoc modo putant, habitus virtutis adquisitæ non esse simplices ex motivo, sed compositos juxta majorem difficultatem materiæ, in qua comparantur, non minus quam habitus Scientiæ adquisitæ. Sed quia res Theologica est, & difficilis;

Dato anteced. neg. conseq. & paritatem, quia in virtutibus etiam acquisitis potest designari vnum motivum formale, ex quo possit homo moveri ad omnes omnino actus virtutis; vnde si alicui obiecto materiali gaudenti eodem motivo non adhærear, signum est, quod ex habitu virtutis non operetur, cum ex illius præcisa honestate ad actum omnem non inducatur. At in nulla Scientia totali, quæ de facto datur, inveniri potest simile motivum, vel principium vniversale, ex quo intellectus ad omnes veritates, cõclusiones, vel regulas inducatur, *vt num. 6.* ostensum est. Diversissima enim principia, & regulas habet Logica v.g. ad definiendum, quam ad dividendum, vel arguendum; vnde licet Logicus facilis ad definiendum, difficilis sit ad arguendum, non convincetur carere motivis, & regulis, & consequenter neque habitu Logicæ, ad definiendum, ex eo quod argumentatio sit ei difficilis, imo impossibilis secundum regulas. Non ergo tenet paritas ad virtutem, cuius motivum formale potest vincere omnes materiæ difficultates.

23 Obij. 7. Saltem possibilis est habitus acquisitus simplex, circa omnes actus vnius cuiusque Scientiæ, quia in eo nulla est repugnantia, vt vt bene P. Linc. *sup. c. 7. addens n. 83.* fortasse tales esse Scientias per accidens infusas Christo D. N. Deiparę &c. Ergo talis erit de facto, ne multiplicentur entitates, & habitus, sine necessitate.

Resp. neg. conseq. Quia de facto vrget necessitas, ex manifesta experientia difficultatis circa vnos actus Scientiæ, cum facilitate circa alios; vnde cõvincuntur habituũ distinctio. At in Christo D. & B. Deipara a qua facilitas esset circa omnes actus Scientiæ, vnde circa illos possibilis est simplex habitus. Imo hic magis repugnaret in principijs Thomistarũ quia deberet esse simul practicus, & speculativus, scientificus & probabilis, ad actus earum specierum in Scientia collectiva concurrentes ex d. 38. n. 17. juxta ipsos autem vnus habitus sub duplici illa specie repugnat, sicut vnus color sub specie nigredinis, & albedinis.

24 Obi. 8. ex P. Quiros, quod sola difficultas actuum Scientiarum quæ spectat ad modum tendendi, sive sub vna abstractione, debet vinci per habitum; quia habitus Scientiarum ex majori, vel minori facilitate secundum abstractiones divi-

duntur, etiam per nos, *disp. praced.* Ergo reliquę difficultates poterunt vinci, per maiorem intentionem specierum, quam per repetionem actuum comparamus, quin sit necessaria additio novi partialis habitus.

Resp. nego antec. quia hoc modo posset per vnum habitum, sub vna abstractione a materia singulari, v.g. omnis scientia cõtineri; ita vt maior facilitas, quam experimur, fiat per intensionem specierũ, quin alius Scientiæ habitus vsquam cõparetur. Item non erit modus distinguendi tot Scientias Mathematicas; cum omnes sint sub abstractione in materia intelligibili, vnde singulæ per solam intensionem specierum circa singula sua obiecta dividi poterunt; hic autem rursus redibit quęstio, cur potius hæc collectio specierum, quam alia ad vnam Scientiam pertineat, sicut de collectione habituum. Præterea ũ Logica, & Ethica abstrahant ab omni materia, sicut Metaphysica, vnus habitus pro omnibus sufficeret. Quia tamen reccurrit P. Quiros ad modum tendendi diversum practicum, pro quo dicit variari habitũ: contra; quia ita pro modis diversis tendendi definiendo, dividendo, & arguendo, non sufficiet vnus habitus in Logica. Item ęque pro modis tendendi apprehensivo, judicativo, & discursivo in vna quaque Scientia multiplicabitur habitus. Demũ quod ait de facilitate abstractionis minoris a materia sensibili præ majori, quæ consideratur ad divisionẽ Scientiarum, est pura consideratio arbitraria, ad divisionem extrinsecam traditionis, & Institutionis, vt *d. praced.* explicuimus; qnę deservire nequit ad physicam habituum divisionem, vt vult P. Quiros.

DISPVT. XLIII.

Vtrum Dirigibilitas in Modum Scientiæ sit Ratio sub qua specificativa Logicæ?

1 PRima sententia negat cũ Thomistis, quos laudat Ortiz hic Conf. 2. art. 2. n. 33. Spinula d. 2. n. 47. Et quodammodo favent P. Alph. hic s. 6. n. 97. & P. Galtruch. c. 3.

Sect. 1. Conclusio affirmans.

Secunda nostra & communis nostrorum sententia affirmat cum PP. Conimbr. 1. Post. c. 23. q. vn. a. 1. P. Vall. 2. Post d. 4. p. 3. q. 2. P. Yzquierdo d. 2. n. 42. P. Tellez d. 18. s. 4. n. 9. P. Peñaf d. 1. q. 3. P. Cõpt. d. 2. log. s. 2. n. 4. &c.

2 Supponendum tamen 1. ex dicendis d. 57. Logicam esse scientiã practicam, seu directivam operationum Mentis in Modum sciendi. 2. ex *lib. de Anima.* Specificativum actus, scientiæ, vel potentiæ, esse duplex: *Intrinsecum*, scilicet modum tendendi circa obiectum: & *extrinsecum*, scilicet obiectum, per ordinem ad quod desumitur, seu determinatur, specifica differentia, & vnitas Scientiæ, vel potentiæ; idest, fit vna in se & divisa seu diversa ab omni alia specie; vt audibilitas, & sonus respectu auditus &c. His positis,

3 Prob. 1. Concl. ex Principio receptæ

ceptissimo S. Thom. 1. p. q. 1. a 3. & q. 16. a 1. & 2. Subt. Scoti q. 3. Prolog. & in 1. d. 3, quorum Scholas sequuntur nostri omnes cum P. Molina 1 p. q. 1, a 3. d, 2. P. Suar. d. 44. Met. s. 11. n. 64. PP. Conimb. & alijs *supra*. Quod specificativum formalissimum Scientiæ, vel potentiæ, est illa ratio formalis *sub qua* obiectiva, consistens in ipsa capacitate obiecti ad terminandam potentiam vel actum; v. g. veritas seu intelligibilitas respectu intellectus, visibilitas respecta visus, scibilitas respectu Scientiæ, &c. quæ dicitur obiectum formale *quo* ex d. 10. n. 6. Quia per ordinem ad eam rationem, quasi primario, & radicaliter, distinguntur Scientia, & potentia, ab omni alia specie distincta, vt de se patet. Sed hæc capacitas obiecti Logicæ, quatenus respondens ipsi Logicæ, vt Scientiæ directivæ Modi sciendi, nihil est aliud, quam passiva, terminativa, aut obiectiva *dirigibilitas* obiecti in Modum sciendi, sive *regulabilitas* per Logicæ regulas, scientifica aut scientifice; quam voce *dirigibilitas* explicamus; vel dicant, quâ alia melius hæc scibilitas propria Logicæ explicari possit? Ergo ea dirigibilitas erit formalissimum specificativum, vt Ratio *sub qua* Logicæ.

4 Prob. 2. Quando non datur speciale Motivum *quod*, a quo possit actus vel potentia specificari extrinsecè, solum potest specificari a motivo *quo*, seu ratione formali *sub qua*, vt correspondet correlativè intrinseco specificativo, seu modo tendendi speciali actus, vel potentiæ: v. g. quia circa idem motivũ formale *quod* potest esse triplex actus, apprehensionis, judicij, & discursus; hi actus obiective specificãtur a ratione *sub qua*, scilicet *apprehendibilitate*, *judicabilitate* &c. quæ ipsorum modis tendendi correlativè respondet ex parte obiecti. Sed Logica non habet aliquod motivum *quod* speciale, per quod obiective differat ab alijs sciẽtijs; eius enim obiectum primarium, scilicet operationes Mentis, attingitur ab Animastica, a qua solum differt in modo attingendi & attingibilitate; quia ab Animastica speculativè, a Logica vero practice directive cæ operationes attinguntur. Ergo solum ab ea attingibilitate, seu dirigibilitate, Logica obiective specificabitur.

5 Confirmatur exemplo Ethicæ, quæ attingit seu respicit Actus voluntatis, quos etiam Animastica respicit; & quia solum in Modo illos attingendi directivè differt, non per aliam rationem formalem, nisi per dirigibilitatem, differre ab illa potest. Ergo pariter.

Sect. 2. Objectiones.

6 Obij. 1. ex Spinula, Obiectum minime dirigitur per Regulas Logicæ, sed intellectus; ergo obiectũ Logicæ nõ est dirigibile, nec dirigibilitas ratio, sub qua respicitur a Logica.

Resp. dist. obiectum non dirigitur, inobiective, & vt principium, si-

cut intellectus; concedo: terminative, passive sive obiective, & effective nego: nõ enim habemus aliã clariorem vocem, qua explicemus eam capacitatem objecti per modum effectus, ad terminandam directionẽ vel regulam: & hoc sensu non dubitant P. Alph. & Gualtruch. assentiri nostræ sententiæ.

7 Obij 2. Dirigibilitas non attingitur ab omni actu Logicæ, alias supra se ipsum, vt terminum talis dirigibilitatis reflecteret: at si esset motivum formale *sub quo*, deberet attingi ab actu, sicut producibilitas debet attingi a productione termini, & vnibilitas ab vnione. Ergo non est motivum *sub quo* &c.

Resp. concessa maj. licet male ibi probetur ex reflexione, quia hæc vitatur, si dirigibilitas non attingatur explicite, sed solum implicite; sicut per visionem, & cognitionem albedinis non attingitur reflexè visus ipse, licet albedo essentialiter definiatur *disgregativa visus*, & in ordine ad visum; quia hic ordo non attingitur explicite sed solum implicite per terminum *albedo*; & solum explicite per definitionem explicite expressivam illius. Vnde nego min. Tũ quia licet esset motivum formale, posset esse solum implicite tale. Tum quia motivum *sub quo*, neque implicite simpliciter est motivum aut obiectum; ex *d* 40. *n*. 8. sed solum ratio formalis, in qua ipsum formale obiectũ radicatur, & fundatur: ac propterea attingi non debet vllo modo per actum. Sic enim nec visibilitas per visum, nec audibilitas per auditũ, imo neq; intelligibilitas per intellectum; quando ens vel obiectũ secundum se præscise cognoscitur, vt expresse tradit S. Th. 1. p. q. 16. a 3. ad 3. inquiens: *Non potest intelligi ens, quia ens sit intelligibile, sed tamen potest intelligi ens, ita quod nõ intelligatur eius intelligibilitas.* Pariter ergo dirigibilitas.

8 Obij. 3. Obiectum formale specificativum, non est solum ratio *sub qua*, sed etiam ratio motiva quæ, seu motivum *quod*; v. g. color respectu visionis, & ratio corporis mobilis, seu mobilitas corporis naturalis respectu scientiæ Physicæ; & sanabilitas respectu Medicinæ; ergo pariter in Logica, &c.

Resp. neg. conseq. quia quando non est assignabile motivũ *quod*, seu ratio formalis *quæ*, specialis, per quã potentia, vel actus aut Scientia specificetur; quia solum differt ex modo tendendi: tunc non suppetit alia ratio formalis specificativa, nisi capacitas obiecti, quam vocamus rationem *sub qua*; vt patet in ratione specificativa *apprehensionis & iudicij* imo etiam intellectus, & voluntatis; quia veritas nihil aliud est quam intelligibilitas rei vt talis, & bonitas volibilitas rei similiter vt talis (vt in Metaph. demonstratur) quin detur aliud speciale obiectũ formale *quod* intellectus, & voluntatis, a formali *quo* distinctum. E contra accidit in sensibus, virtutibus, & in Physica, vbi propterea præter rationẽ *sub qua*, est ratio quæ specificativa, quia nõ;

ex solo

ex solo modo tendendi differunt.

9 Obij. 4 Pro Thomistis: Motivũ, sive obiectum formale Logicæ, melius assignari rectitudinem ipsam artificiosam operationum mentis in modum sciendi (quam Thomistæ dicunt esse ens rationis) quæ a nobis dicitur motivũ *formale quod per modum effectus*, *d.* 40. *n.* 9. Quia per illud sufficienter differt Logica ab Animastica, quæ actus mentis non considerat, secundũ quod sunt recta *definitio, divisio* &c. sicut Logica; sed secundum naturalem tendentiã actus: eo modo quo differt Mathematica, seu Geometria a Physica: quia Physica agit de linea secundũ cõpositionẽ naturalẽ, Geomatria vero secundũ rectitudinẽ vel curvitatẽ, &c. Ergo.

Resp. neg. antec. Quia illa ipsa rectitudo Definitionis, &c. potest etiã pure speculative contemplari, & ita pertinebit ad Animasticam maxime cum nihil aliud sit rectitudo definitionis nisi ipsa specialis tendentia & repræsentatio actus [vt infra probabitur] Ad Animasticã autem, seu Physicam spectat de actibus Animæ rationalis, & eorũ speciebus sicut de ipsa Anima tractare, & speculari, sub eadem abstratione, siue sub materia sensibili, & per experientiam sensibilem rei, quoad existentiam, ex dictis *disp.* 41 Vnde non aliter talis rectitudo specialiter pertinebit ad logicam, nisi vt dirigibilis, seu practicè tangibilis; atque adeo sub ratione *dirigibilitatis*; quo pacto non attingitur a Physica seu Animastica; quæ pure speculativa est. Quod autem Geometria seu Mathematica distinguatur a Physica, licet de eadem Quantitate speculative agant, solum quia secundum eas diversas formalitates & respectus distinguntur obiecta: nõ inducit paritatem pro Logica: dependet enim omnino ab arbitrio Inventorum. Ratio autẽ fuit vt disp. 41. n. 22. dixi, quia Quantitas secundum eos respectus *dimensionis*, tam longas, & multas tractationes requirit, vt vix septem Scientiæ Mathematicæ pro illis sufficiant, vnde in plures etiã subdividi solent quæ ideo a Physica separantur. At tractatio de tendentijs specialibus actuum intellectus nõ est adeo operosa ac diffusa, vt propter illam solum nova Scientia contemplativa multiplicari deberet. Atque adeo solum pro Tractatione practica, quia diversus est omnino modus tendendi ab speculativo, Physicæ propriè distingui debuit Logica, siveinstitui.

10 Replic. Per nos disp. 41. n. 17. Logica est sub abstractione Metaphysicæ: ergo non pertinebit ad Physicam, sed ad Metaphysicam ea contemplatio obiecti Logicæ, scilicet totius Modi sciendi.

Resp. Logicam vt practicam, esse sub abstractione Metaphysica, quia attingit Modum sciendi, sive triplicem operationem mentis, vt possibilem, siue vt operabilem; ac proinde nõ ex motivis materiæ sensibilis, siue secundũ existentiam experimentalem obiecti, quia scientia practica præscindit ab existenti vt tali, nec de existenti vt tali esse potest vt in-

fra

fra constabit. Vnde hoc modo ad abstractionem Metaphysicam, quæ rem tangit præscisè ab existentia experimentali, & sensibili, Logica vt practica spectabit. At ipsius Logicæ objectum vt contemplabile; operationes videlicet Mentis, attinguntur secundum experimẽtales species, quas medijs phantasmatibus sensibilibus circa nostros actus, aut medijs vocibus sensibilibus etiam, circa alienos accipimus de earum existentia, & natura; vnde hac ratione ad Physicam seu Animasticã, cujus est hic modus materiæ sensibilis, spectare debet.

11. Obij. 5. *Dirigibilitas* nihil est aliud, quam denominatio extrinseca ab actu directivo posibili, sicut ratio directi talis est a directione actuali: Ergo actus directivus a se ipso specificabitur, vt a constitutivo dirigibilitatis, si ab hac specificetur.

Resp. neg. antece. quia, vt DD. observant cum P. Suarez supra, *scibilitas*, alia est extrinseca per denominationem extrinsecam a Scientia, alia intrinseca per intrinsecam capacitatem objecti ad terminandã Scientiam ipsam: sicut etiam producibilitas respectu causæ, & intelligibilitas seu veritas entis respectu intellectus: & hac ratione est similiter duplex dirigibilitas. Specificario autem Scientiæ directivæ seu, Logicæ, vt ab specificativo extrinseco erit a *dirigibilitate* intrinseca objecti; ab extrinseca autem, quæ est forma diter ipsius Scientiæ tendẽtia, potius extrinsecè specificabitur, seu constituetur Logica.

DISPVT. XLIV.

Vtrum Tres Operationes Mentis sint Obiectum primarium Logicæ?

1 PRima sententia negat, saltem quoad Apprehensionem, cum C. Toleto q. 5. PP. Connimb. q. 5. a. 3. P. Rub. q. 6. P. Hurt d. 1. §. 16. Spinula d. 2. log. n. 63. Tribuitur etiam Scoto q. 3. Prolog. vbi asserit, solum syllogismum esse objectum adæquatum Logicæ; quem tamen vindicat Ponz. d. 2. q. 3. quia ibi objectum adæquatum pro objecto attributionis vsurpat.

CONCLVSSIO.

2 Secunda nostra sententia affimat tres omnino operationes, apprehensionem, iudicium, & discursum esse primarium Logicæ objectum. Ita nostri communiter cum P. Suarez P. Fonseca P. Arr. d. 2. s. 4. P. Ovied. *controv.* 2. p. 1, §. 4. P. Compt, d. 5. s. 3. & d. 6. P. Linc. lib. 2, tract. 1. c. 3. P. Santacruz n. 87. P. Alph. sect. 6. P. Quiros d. 9. s. 5. P. Olcin. n. 258. Caram. n. 407. & favent re ipsa Thomistæ cum Joan. Th. q. 1. a 3. §. *contra secundum*, licet nolint esse objectũ formale, nisi suum illud *ens rationis*, resultans ex triplici ipsa operatione, de quo d. 48.

3 Prob. 1. Concl. ex S. Thom. 1. Post. l. 1. aiente: *Oportet igitur Logicæ partes accipere, secundum diversitatem actuum rationis; sunt autem rationis tres actus* &c. *Et in Præf. ad lib. Perihier. cum Logica dicatur rationalis Scientia, necesse est, quod eius consideratio*

sideratio versetur circa ea, quæ pertinent ad tres prædictas operationes. Quid clarius?

4 Prob. 2. Illud est obiectum primarium, quod tractatur á Scientia, vt perse, & immediate participans rationem formalẽ *sub qua* Scientiæ. Sed omnes tres operationes mentis tractantur á Logica, vt perse, & immediate participant rationem formalem *sub qua* Logicæ; ergo omnes illæ sunt Logicæ obiectum primarium. Major constat ex disp. 40. n. 18 Minor prob. Quia ratio formalis sub qua Logicæ est dirigibilitas in modum sciendi; omnes autem tres operationes mentis sunt perse & immediate dirigibiles in modum sciendi. Et de discursu in formam syllogismi; ac de Iudicio in modum propositionis, divisionis, & præmissæ ab omnibus conceditur. De Apprehensione item complexa in modum definitionis, patet ex disp. 30. n. 20.

5 De Incomplexa vero [de qua lis est) ostenditur: quia licet ratio generis, vel differentiæ &c. non sint modus sciendi formaliter, sunt tamẽ modus sciendi dispositivus, quatenus prævia apprehensiones genericæ, lifferentiales, vel specificæ, & aliæ incomplexæ, disponunt intellectum ad ipsum modum sciendi complexe, vel iudicativè, aut discursivè formandum: ex mala enim vel bona apprehensione terminorum, non solum disponitur, sed etiam rapitur intellectus ad bene vel male judicãdũ, aut discurrendum de obiecto, vt patet. Vnde Logica præmunit intellectum regulis terminorum, seu apprehensionum incomplexarum præcedentium, vt per illas bene disponatur ad modum sciendi recte, & scienter formandum. Ergo apprehensiones incõplexæ ita dirigiuntur seu, dirigibiles sunt a Logica, in modum sciendi dispositive, ac proinde vt obiectum primarium.

OBIECTIONES.

6 Obij. 1. Apprehensio incomplexa solum est dispositio ad modum sciendi, ergo non est dirigibilis in modum sciendi: sicut artefactum, quod non est domus, non est dirigibile in Domum.

Resp. neg. conseq. Quia sufficit quod sit dispositio in modum sciendi, vt in modum sciendi dispositive dirigatur, licet non formaliter; sicut etiam Ars Domi factiva non solum dirigit ea, quæ formaliter constituunt domum, sed etiam quæ materiam pro Domo disponunt, vt lignorum, & lapidũ prævias adaptationes, mensuras, &c.

7 Obij. 2. Apprehensio incomplexa non est capax erroris; sed regulæ directivæ, & præsertim Logicæ, non dirigunt nisi actus erroris capaces; vt quid enim deservirẽt Regulæ pro actu irregulationis incapaci, Ergo.

Resp. dist. mai. apprehensio incomplexa non est capax erroris; absolute, & in se, concedo; respective & in ordine ad Iudicium, vel discursum, pro quo disponit, nego. Quia si pro definiendo homine, v.g. assumatur in genus rãtio *plantæ* per prævia apprehensionem; licet apprehensio

hensio in se, erronea non sit, fiet erronea respective ad definitionem hominis, pro qua disponit, vel similiter ad divisionē animalis, si pro illa praecedat: ad corrigendas ergo vel excludendas ineptas has apprehensiones, dictat Logica, quae debeant praecedere, vt secundum illas judicium recte determinetur.

8 Obij. 3. Actus resultans omnino necessario ex specierum excitatione, non subjacet Arti directivae; ideo enim ad visionem, vel auditionem regulae Artis non sunt: sed apprehensio resultat necessario ex speciebus excitatis, non minus quam visio ex specie coloris. Ergo.

Resp. nego maj. Si Regulae ipsae directivae apprehensionum dirigunt etiam ordinationem specierum contingentem, ex qua resultare necessario debet recta apprehensio, juxta materiam, in qua disponit ad Modū sciendi. Sic v.g. apprehensio praecissiva Termini communis generici, *Animal*, regulatur, ordinando actus praevios comparativos specierum cōvenientium in ea ratione communi; ex quibus resultat apprehensio praescisiva in complexa rationis conveniendi, scilicet *animalitatis*; quae quamvis resultet necessario, regulatur in ea causa praevia contingenti. Hac ratione etiam regulatur conclusio in Praemissis, ex quibus necessario sequitur; & judicium in apprehensionibus, extra quas vagari non potest: imo & ipsa visio ocularis, licet necessaria per practicam Perspectivam, disponentem species visuales, circa apparentias artificiosas, quae passim celebrantur, etiam capax est directionis.

9 Obij. 4. Omne artificium regulabile dicit aliquam compositionem materiae, & formae artificiosae, vt inductione patet in arte factis; sed apprehensio incomplexa, vt pote omnino simplex, nullius cōpositionis est capax; ergo neque artificij regulabilis per Logicam.

Resp. neg. min. Tum quia apprehensio simplex, licet non sit capax cōpositionis in se, bene tamen dispositive in alio, quia disponit ad compositionem judicij, quatenus est Terminus extrinsecus, quasi formans, & determinans Terminos intrinsecos, qui componunt propositionum, ex d. 2. n. 3. eorum que artificium. Vnde sicut indivisibilia, ex quibus linea componitur, sunt capacia artificij lineae rectae vel curvae, quia licet in se propter simplicitatē suā sint illius incapacia, attamen vt conjuncta cū partibus continuis, quas vniūt & secum trahunt, faciunt compositionem: ita termini simplices, sive apprehensiones, vt conjunctae cum terminis intrinsecis, quos secum quasi afferunt, medijs illis subeunt dispositivam compositionem. Tum quia etiam in se Termini omnes communes, quandam compositionem potestatiuam important; ex convenientia plurium inferiorum, quibus communes sunt; & haec compositio Logica sufficit ad formam artificialem Logicam in ipsis apprehensionibus, seu Terminis extrinsecis.

10 Obij.

10 Obij. 5. Obiectum, quod omni no attingitur, & tractatur a Scientia, ratione alterius principalioris, ſive ob connexionem cum illo, non attingitur primario, ſed ſecundario; ideo enim in Theologia Angelus, & homo ſecundario attinguntur, & Creaturæ a Beatis per viſionem beatam ſecundario videntur, quia ratione connexionis cum Deo obiecto primario attinguntur: ſed Apprehenſio attingitur a Logica, vt diſpoſitio connexa cum Modo ſciendi, vel ſyllogiſmo, aut propoſitione, & horum ratione; ergo ſecundario attingitur.

Reſp. diſt. maj. obiectum ſi attingitur præciſe ratione connexionis, quin participet rationem formalem erit ſecundarium, concedo; ſi ſimul vt connexum, & vt participans rationem formalem, nego. Aliàs tolum obiectum attributionis eſſet primariũ, quia reliqua primaria attributa attinguntur, vt connexa cum illo; vnde ſolus homo eſſet obiectum primariũ in Phyſica; & ſic de alijs: quod falſum eſt, ideo, quia alia quæ vt connexa cum homine tractantur, rationem formalem æquè participant, v. g. *Scibilitatẽ corporis naturalis*, quæ nõ minus cõvenit Elementis, Cælis, &c. quã homini. Nego itaque cauſalem, quod ideo ſint creaturæ obiecta ſecundaria Theologicæ, & Beatificæ Scientiæ, quia attinguntur vt connexa; ſed quia tantũ vt connexa attinguntur, quin rationem formalẽ participẽt in ſe, & immediatè. Ratio enim formalis *ſub qua* vtriuſque illius Scientiæ; vtpote Theologicæ, eſt *Scibilitas entis Diuini*, ſoli Deo, & prædicatis Divinis per ſe conveniens; vnde omnia creata pure attinguntur vt connexa, & ideo ſunt ſecundaria reſpectu vtriuſque illius Scientiæ. At Apprehenſio attingitur, ſub ratione formali dirigibilitatis, ideoque licet ſimul vt connexa attingatur, erit obiectũ primariũ, ſed attributũ, ſeu minus principale.

11 Obij. 6. Actus intellectus ſunt obiectum materiale, ſeu materia circa quam Regulæ Logicæ verſantur; at ſi eſſent obiectum primarium, non materiale, ſed formale obiectum eſſent, cum non attingerentur propter aliud, ſed propterſe. Ergo non ſunt obiectum primarium.

Reſpondetur hanc eſſe de nomine, cui multũ inſiſtere ſolent Thomiſtæ, pro ſuo illo Ente rationis, quod omnibus modis facere volunt obiectum formale Logicæ. Noſtri vero vtroque modo loquuntur: Alij enim dicunt, actus mentis eſſe obiectũ formale *Quod*, modo explicato diſp. 40. n. 12. Alij vero dicunt eſſe obiectum materiale, quia licet non aſſignetur vnum aliquod commune motivum formale *propter* quod, ad omnes Regulas Logicæ circa mentis actus; ſingulæ tamen ſpeciale aliquod principium, & motivum habent, propter quod certo, & ſcientifice ſingulos modos ſciendi regulãt, ſeu dirigunt, v. g. *quæ ſunt eadem mediante tertio* &c pro argumentatione; & ſic de alijs: vt de ſingulæ operationes in modum ſciendi dirigibiles ſe habeant vt obiectum materiale, reſpective ad ea principia,

cipia, & motiva formalia.

DSPVT. XLV.

Vtrum conceptus obiectivi sint obiectum primarium Logicæ?

1 PRima sententia affirmat adeo absolute, vt etiam *secundum se*, res obiectivas, dicat esse primarium obiectum Logicæ. Ita singulariter P. Linceus l. 2. tr. 1. n. 39. citans Averroem & Avicennam.

Secunda sententia temperatior conceptus objectivos, saltem vt subsunt formalibus asserit esse primariũ materiale obiectum, adeo tamen principaliter, vt formales sint secundarium. Ita P. Rubius q. 6. proœm. P. Vallez p. 2 log q. 4. c. 16. & alij antiquiores.

2 Tertia sententia adhuc magis temperata, conceptus obiectivos affirmat ita esse primarium obiectum Logicæ, vt subsunt formalibus, vt cum his tanquam comprimarijs vnũ obiectum adæquate primarium compleant, secundum denominationes *Definiti, Diuisi*, &c. Ita P. Hurt. d. 1. a. §. 93. P. Santacruz n. 80. P. Linceus supra c. 4. Caramuel n. 407. Põcius d. 2. q. 4. concl. 2. n. 37. Bonesp. d. vlt. n. 219. Aversa q. 2. c. 1. & Thomistæ aliqui apud Ortiz tr. 1 conf. 2. §. 1.

Quarta sententia extreme opposita, solum obiectum *per accidens* Logicæ res obiectivas esse asserit, cum P. Compt. d. 5. s. 3. & RR. nostris per doctis.

Sect. 1. Conclusio media.

3 Quinta nostra sententia duo statuit. *Primum*, conceptos obiectivos minime esse obiectum primariũ Logicæ, *secundum*, esse tamen obiectũ per se secundarium, atque adeo non omnino per accidens. Ita P. Suarez d. 39. Met. init. P. Fons. PP. Conimb P. Arr. d. 2. s. 1. P. Ovied. cont. 2. p. 1. §. 3. P. Peñaf. q. 7. n. 12. P. Oficina a n. 283. sumitur que ex S. Th. *Opusc.* 48 & *opusc.* 56. *circa med.*

4 Prob. 1. *Prima pars concl.* Quia illud non est obiectum primarium Scientiæ; quod per se, & immediate non participat rationem formalem *sub qua* talis scientiæ; ideo enim creaturæ nõ sunt obiectum primariũ Scientiæ Beatificæ, neque Theologiæ ex disp. præc. Quia non participant scibilitatem Divinam, quæ est ratio formalis *sub qua* vtriusq; illius Scientiæ. Sed conceptus obiectivi per se, & immediate nõ participant rationem formalem *sub qua* Logicæ, scilicet dirigibilitatem; res enim obiectivæ nec dirigibiles sunt, nec diriguntur per se a Logica; non enim dirigit Oves aut Boves (vt ait P. Arr.) dum eorum definitiones dirigit; ergo non sunt obiectum primarium Logicæ.

5 Resp. 1, Advert. Quod licet res obiectivæ secundum se dirigibiles a Logica non sint, sunt tamen dirigibiles prout subsunt cõceptibus mentis; id est, *vt definibiles, diuisibiles*, seu definitæ & diviſæ, per ipsos mentis conceptus.

Contra 1. Quia hæc ipsa reduplicatio dirigibilitatis obiecti, *vt diffiniti, diuisi* &c. cadit supra ipsum conceptum mentis, per quem objectum

tum definitur, dividitur &c. eo modo quo dum dicimus Deum complacere in peccato, vt retractato, vel condonato, hæc reduplicatio complacentiæ non cadit supra peccatū, sed supra retractationem, & condonationem illius; ergo sicut hæc sola est amabilis Deo, ita solus conceptus mētis erit dirigibilis simpliciter, sub ea reduplicatione. 2. Quia conceptus obiectivi in se & per se non dirigunt vt sint definitio, & divisio, seu modus sciendi, sed solum vt sint *Res scita*, sed Logica solum dirigit in modum sciendi, definiendi &c. Ergo per se non dirigit *rem scitam*. nec definitam. 3. Quia sub ea reduplicatione omne obiectum secundarium dici posset primarium: v.g. creaturæ, Angelus, & homo, peccata &c, dici possent obiectū primariū; Scientiæ Theologicæ, & Beatificæ; nam licet secundū se immediate non sint *scibile Divinum*, seu *Beatificativum*, attamen prout reduplicative in Deo visum, & scitum, dici potest, obiectum creatum esse obiective formaliter Divinum, & beatificum.

6 Prob. 2 Paritate artis Pictoriæ, nec non Grammaticæ, quæ dum agunt primario de Picturis, & vocibus, nullo modo dici possunt primario etiam respicere omnia obiecta realia, prout repræsentabilia, vel repræsentata aut significata per picturas, & voces, etiam si secundum has reduplicationes subsint concretive picturis, & vocibus, quas primario respiciant artes Pictoria, & Grammatica.

7 Secunda Pars probatur 1. contra 4. *Sentent*. Quia obiectum per accidens esse non potest respectu Scientiæ totalis, quod per actus *præcipuos* ac *primarios* ipsius Scientiæ attingitur. Atqui conceptus obiectivi per Regulas *primarias* Logicæ per se, & simpliciter attinguntur. Ergo non sunt objecta per accidens Logicæ. Major, & conseq. certæ sunt Minor ostenditur ex Regulis circa modos sciendi præcipuis: v.g. *Definitio explicat essentiam rei: dicitur ad convertentiā cum Definito* &c. *Divisio est oratio totū in partes distribuens*. &c. *Argumētatio est oratio perquam vnum infertur, ex alio* &c. Sed hæ regulæ simpliciter, & per se attingunt conceptus obiectivos, nimirum *definitum, divisum, illatum*, vt patet ex ipsis terminis Regularum *Rei, definito, Totum, partes, vnum infertur*; &c. per quos ipsæ res obiectivæ exprimuntur. Ergo.

8 Prob. 2. Quia obiectum secundarium quod ratione connexionis cū primario per actum attingitur, attingitur proprie, & simpliciter per illū, & non tantum per accidens, licet sub ratione formali, sub qua primarium attingitur, minime secundariū attingatur. V.g. Scientia practica divina attingit primario creaturas, vt operabiles, sive vt obiective dirigibiles, & quia Creaturæ dicunt essentialem connexionem cum Deo ipsum Deum secundario, & in obliquo reflexe attingit; vt est communior nostrorum sententia cum P. Arr. 1. p. d. 17. n. 10. P. Herize d. 4. c. 2. P. Lugo d. 18. c. 2. &c. Quia implicat

cognosci connexum explicite vt cõnexum, quin terminus connexionis cognoscatur, v.g. Pater vt talis cognosci nequit explicite, nisi cognito filio, quia relativa sunt simul cognitione, juxta Aristotelẽ. Nihilominus Deus per eam Scientiam practicam non attingitur sub ratione operabilis, & dirigibilis, vt patet, quia operabilis ipse non est. Ergo pariter licet cõceptus obiectivi non attingantur sub ratione dirigibilis, & operabilis, sed solum secundario, & indirectè per eas *Primarias* Regulas Logicæ, scilicet vt Terminus necessariæ connexionis cum obiecto primario, seu conceptu Mentis per illas dirigibilis; nihilominus proprie, & simpliciter attingetur; & non tantum improprie, seu per accidens, sicut pariès attingi dicitur per visionem.

9 Prob. etiam 3. RR. Quia quid quid per aliquẽ actũ Scientiæ proprie, & simpliciter attingitur, non potest attingi per accidens a Scientia, quia attingi per accidens est attingi improprie, vt substantia per sensum cognosci dicitur, &c.

Verum hæc Ratio ita generaliter sumpta non vrget, quia licet respectu Scientiæ partialis, sive actus particularis, sit indubitatum Principiũ assumptum; nõ tamen respectu Scientiæ totalis; quia multa possunt attingi simpliciter, & proprie per aliquẽ Scientiæ actum, quin per Scientiam totalem proprie, & simpliciter attingatur, sed solum per accidens, ex disp. 40. n. 17. & 19. & d. seq. n. 17. Solum ergo verum est, si per actus primarios, & præcipuos scientiæ totalis tale obiectum attingatur, vt advertenter, in nostris Probationibus observavi.

Sect. 2. Obiectiones contra 1. partem Conclusionis.

10 Obij. 1. Arist. S. Aug. & S. Th. sæpe asserentes, Logicam agere de rebus obiectivis, item de Prædicabilibus, & Prædicamentis, quæ realia sunt. Ergo

Resp. hinc solum probari, quod secundario indirecte, res obiectivæ, item Prædicabilia, & Prædicamenta, secundum quod realia sunt, attingantur; primario enim secundum intentionale quod dicunt, tantummodo attinguntur a Logica, quia solum ita sunt dirigibilia per se.

11 Obij. 2. Definitiones Prædicabilium, v. g. *Genus est quod prædicatur de differentibus specie*, item Regulæ de Medio syllogismi; & de cõversione Definitionis cum definito; sunt primariæ in Logica; sed hæ primario & directe verificantur solum de rebus obiectivis, quæ solum prædicantur, sunt Medium Syllogismi, & ad convertentiam dicuntur, minime vero conceptus formales talitor se habent, vt patet. Ergo.

Resp. in ijs omnibus Regulis, vt Regulæ sint, seu practicæ, & ad Logicam pertinentes, subintelligi reflexam directionem supra conceptũ formalem, quo ipsi conceptus obiectivi in esse *Prædicabilis, Definiti, Medij* &c. constituuntur. Vnde dum Regula circa illos aliquid præscribit,

bit, quasi in finem, & principale motivũ dirigẽdi secundã intentionẽ, sive conceptũ formalẽ, primario intendens, sic exprimi debet: *Vt definitio recta sit, eius obiectiva Definitio cũ obiectivo definito convertidebet: Vt syllogismus sit rectus, medium obiectivum debet distribui*, &c. Ratio: quia si primario versaretur circa non dirigibiles conceptus obiectivos, non esset directiva talis Regula, ac proinde nec regula, nec Logicalis; cum Logica essentialiter sit regulativa, & practica. Quo autem spectent actus qui aliter tendunt, patebit n. 15. & 16.

12 Obij. 2. Ex Beatitudine formali, & obiectiva fit obiectum primarium adæquatum spei Theologicæ. Ergo ex conceptu formali, & obiectivo fit pariter obiectum adæquatum primarium Dialecticæ.

Resp. neg. conseq. Quia tam Beatitudini formali, quam obiectivæ, scilicet Deo beatificanti, convenit ratio formalis spei, scilicet ratio boni delectabilis tam speranti, quam Beato; ipse enim Deus simul cum visione, & amore sui est bonum nobis, & satiat mentem, & appetitum nostrũ, vt expendunt Theologi. Imo Eximius D. disp. 5. de Beat. s. 3. P. Tanner. 1. 2. d. 1. q. 2. dub. 2. & alij, ipsum Deum, seu Beatitudinem obiectivã, essentialem putant Beatitudini formali; quia hæc talis non est, nisi vt vera felicitas; veritas autem per ipsum obiectum constituitur: Hinc patet disparitas ad conceptum obiectivum, cui nec cõpetit ratio formalis dirigibilitatis, nec constituit conceptũ formalẽ dirigibilem, qui sub ea ratione a Logica respicitur.

13 Obij. 3. ex imagine, & Prototypo repræsentato per illam, fit vnum obiectum adæquatum adorationis, ergo ex conceptu formali, & obiecto per illũ repræsentato, fiet adæquatum obiectum primarium Logicæ.

Resp. 1. ex disp. 12. n. 15. Imagini nõ cõpetere adorabilitatẽ primariã, & absolutã; ergo potius infertur nõ fieri vnum primarium obiectum Logicæ ex conceptu formali, & obiectivo, sicut non fit vnum adorabile primarium, ex imagine, & eius obiecto; sed solum vnum adæquatum ex primario, & secundario. 2. Ideo immediate proprie & simpliciter adorantur imago, & prototypus, quia conveniunt in ratione formali adorabilitatis simpliciter: & hinc fiet ex vtroque vnum adæquatum adorationis obiectum. At conceptus obiectivi non sunt simpliciter dirigibiles nec regulabiles, vnde non possunt facere vnum obiectum immediatum Regulæ Logicalis, quæ sub ratione regulabilis, & dirigibilis suum obiectum primarium, & immediatum respicit.

14 Obij. 4. Hoc concretum *Definitum, Diuisum*, &c. ab aliqua Scientia primario est tractabile: sed non ab alia nisi Logica, Ergo.

Resp. sufficere quod singulæ partes concreti primario a Scientia tractentur, scilicet ratio *obiecti* speculative ab Animastica, & ratio *definitionis*

tionis practice a Logica: sicut concretum *homo pictus*, secundum Picturam practice ab arte Pictoria, & secundum quod homo speculative a Physica tractatur. Nec opus est quod pro ipso cõcreto, vt tali, Scientia instituatur, sicut nec pro concretis *visum*, *amatum* &c. in quibus nihil est scitu speciale, vel dignum.

15 Obij. 5. Scientia Moralis, sive Ethica non solum dirigit honestatẽ moralem actus, sed etiam agit de honestate obiectiva virtutis, a qua formalis desumitur; cũ non sit alia Sciẽtia ad quam ea speculatio pertineat; ergo pariter ad Scientiam Rationalem, seu Logicam pertinebit primario, non solum agere de rectitudine formali modi sciendi, sed etiam de obiectiva, & reali.

Resp. ad Ethicam, vt pote practicam, & regulativam minime pertinere tractatum de honestate obiectiva, vt obiecto primario, sive speculabili, hic enim partim pertinet ad Metaphysicam, secundum quod speculatur bonum vt sic, ac proinde etiam bonum honestum; partim vero ad Animasticam, quæ contemplatur obiectum voluntatis, sicut ipsam potentiam, & eius actus, secundum gradũ abstractionis vnius cuiusque Scientiæ. Unde ad Ethicam, vt pote practicam, solum pertinebit de ea honestate agere secundario, & quatenus est terminus connexionis honestatis formalis actuum, quam primario regulative, & practice attingit. Ideo que semper Ethicæ actus, vt Regulæ sint, ita debent eformari, vt primario sonent directionem circa actus, & indirecte tractationem circa honestatem obiectivam; sicut de Regulis Logicæ n. 11. dictum est.

16 Fateor tamen in Ethicam communiter introduci eiusmodi actus, & tractationes speculativas, quæ de honestate obiectiva secundum se primario disputant: sicut etiam in Logicam passim plures speculativæ definitiones, quæ de obiectiva rectitudine modi sciẽdi primario agunt, licet hæ ad Animasticam, cuius interest de obiectis actus intellectus speculative differere, spectent; secundum alium vero respectũ veritatis obiectivæ sive intelligibilitatis etiã pertineant ad Metaphysicam, cuius est agere de veritate, non minus quam de bonitate entis, vt nuper dixi. Ati hi non sunt actus præcipui, & primarij Scientiæ, & a quibus ipsa denominationem specificam, sive vnitatem sumat; quia suum specialem tendendi modum non servant; & ideo sunt quasi actus concomitantes, & ad satellitium vel famulatum Scientiæ deservientes, vt de actibus alijs circa voces dicam disp. seq. n. 18 & vniversaliter dictum est d. 38. n. 17. & d. 40. n. 17. & d. 41. n. 23.

17 Obij. 6. Logica agit de veritate actus regulati primario, dum dirigit Definitionem, Divisionem, & Argumentationem, quæ sine veritate non consistunt, ex d. 31. n. 8. Sed veritas, vt dicam Tr. 7. consistit æq primario in ipso actu, & obiecto mutuo cõformi: Ergo æque primario respicit actũ directũ eiusq obiectũ.

Resp.

Resp. dist. min. sed veritas æque primario cõsistit in actu, & obiecto, si consideretur vt præscisa a veritate obiectiva, & formali, concedo; si consideretur vt veritas formalis sive ipsius actus, nego: quia sic dicit in recto, & primario actum, & in obliquo, seu secundario objectum; & ita respicitur a Logica veritas actus. Ratio, quia veritas est species relationis similitudinis, quæ est per nos relatio secundum dici ex fundamento, & termino resultans; vnde variari potest mutuo, fundamentum, & Terminus, juxta modum quo ex parte vtriusque relatio per intellectum attingitur. V.g. similitudo inter Petrũ & Paulum ex vtroque obiective resultat; sed quando concipitur Petrus vt similis Paulo, ille concipitur vt fundamentum in recto, hic vero vt terminus in obliquo; econtra vero sive è converso, quando concipitur Paulus vt similis Petro. Ita ergo veritas, quando concipitur vt veritas sive conformitas actus cum obiecto, actus attingitur in recto, & primario & obiectum in obliquo, atque ita attingitur a Logica. Econtra vero attingitur a Metaphysica, quæ veritatem vt obiectivam, & realem præcipue considerat.

18 Obij. 7. Logica primario respicit syllogismum probabilem; & demonstrativum qua tales; sed qua tales solum differunt ex obiecto, sive ex motivis præmissarum, qua probabilibus, qua evidentibus; ergo respicit ea motiva obiectiva primario.

Resp. dist. min. qua tales differunt ex obiecto tanquam ex termino connexionis, & obliquo, concedo, tanquam ex constitutivo in recto, nego: vnde solum respiciet vt terminum, in obliquo, & secundario ipsa obiectiva motiva; in recto vero, ipsum modum tendendi intrinsecum, qua probabilem, qua demonstrativum syllogismi formalis, qui ex illis extrinsece specificatur.

19 Obij. 8. ex P. Lync. In Logica disquiritur, & disputatur, vtrũ res obiectivæ primario sint obiectũ Logicæ: vnde hæc ipsa quæstio, & disputatio illas primario respicit: sed ipsa quæstio est actus Logicæ propriissimus, nõ enim est alia Sciẽtia ad quã pertineat ergo per actũ Logicæ proprijssimũ, primario attinguntur res obiectivæ.

Resp. Risum tenet, sed non sub risum P. Arriaga, hac super obiectione amicissimi P. Lyncei: ea enim probatur, etiam ens rationis esse primarium obiectum Logicæ, dum ita P. Lynceus inquirit, & disputat in Logica; quod tamen ipse negat Sect ergo, eas quæstiones, non esse proprios actus Logicæ, cum sint reflexæ supra Logicam ipsam, sed pertinere ad satellitium, & comitatum Logicæ, ex n. 16. & sæpius.

Sect. 3. Obiect. contra 2. Conclusionis partem.

20 Obij. 9. Sicut visibilitas est ratio formalis sub qua visus, ita diligibilitas est ratio formalis *sub qua* Logicæ; Ergo sicut propterea paries albus non videtur per se simpliciter per visum, quia per se, & simpliciter non participat visibilitatem; ita

nec

nec res obiectivæ definitæ aut diuisæ proprie, & simpliciter attingentur a Logica, quia perse, & simpliciter non participant dirigibilitatem; ac proinde solum per accidens, & improprie erunt illius obiectum.

Resp. neg. sicuitatem anteced. Quia visus habet puram rationem visionis intuitivę immediatæ, quin possit cognoscere obiecta mediate, seu ratione connexionis; quod proprium est cognitionis intellectualis, quæ valet cognoscere vnum in, vel ex alio; vnde respectu visionis corporeę non datur alia attingibilitas, nisi visibilitas immediata; qua quia caret paries secundum suam substantiam, secundum illam attingibilis non est per visionem. At cum cognitio intellectualis cognoscitiva sit obiecti non solum immediate, & inse, sed etiam mediate, & in alio, ratione connexionis cum medio; habet generaliorem rationem formalem communem pro immediato, & mediato obiecto, scilicet intelligibilitatem; & aliam specialiorem ex modo suo speciali tendendi circa obiectum primarium, & immediatum. V.g. Scientia practica divina de Creaturis, secundum quod practica est, attingit primario & sub ratione dirigibilis, sive operabilis Creaturam, secundario vero ipsum Deum, vt terminū connexionis sub ratione intelligibilis, nō vero sub speciali dirigibilitatis ratione propria obiecti primarij. Pariter cum Scientia Logica sit intellectualis, licet respectu obiecti secundarij non habeat rationē formalem *sub qua* primarij propriam scilicet dirigibilitatem, habet tamen generaliorem vtrique communem, scilicet intelligibilitatē; & sub hac attingit secundarium, vt terminum connexionis, sive vt in alio cognoscibilem.

21 Obij. 10. ex docto R. Amor quo Deus fertur in suam Scientiam de peccato, nō est amor peccati, nec illud per se attingit, quia caret ratione formali obiecti primarij, scilicet amabilitate. Ergo pariter, cum res obiectiva careat ratione formali propria primarij obiecti Logicę, erit obiectum per accidens.

Resp. hoc argum. probari, neque per accidens, aut denominativè fore obiectum Logicæ res obiectivas, sicut peccatū nec denominativé est obiectum divini amoris. Disparitas ergo est, quod *relativa sunt simul cognitione*, juxta Philosophum; non tamen simul amore; non enim debet amari filius ex eo quod ametur Pater; debet tamen cognosci vnus, si alius cognoscatur: & ideo si explicite cognoscatur conceptus formalis vt relativus ad obiectum, impossibile est quod hoc non cognoscatur; non tamen debet amari peccatum ex eo quod ametur Scientia relativa ad illud. Paritas etiam àliunde retorquetur. Quia amor Dei, in quantum comprehensivus, debet attingere terminos connexionis obiecti amati, quantum attingibiles sunt; vnde ipse amor divinus, quatenus amat Scientiam de peccato, attingit odio habendo ipsum peccatum, ergo sicut amor Dei tendit in Scientiā vt amabilem primario,

&

& in peccatum connexum vt odibile secundario, ita Logica tendet in conceptus formales vt dirigibiles primario, & in obiectivos vt intelligibiles mediate secundario.

22 Obij. 11. Quod multæ sunt Regulæ Logicales, quæ non exprimunt connexionem explicitam cum obiecto; ergo saltem secundum illas Logica non respicit conceptus obiectivos. Anteced. patet ex his: *Syllogismus constat tribus Propositionibus. Propositio alia est negativa, alia affirmativa.* &c.

Resp. ab aliquibus negari antec. quia conceptus formalis dicit essentialem connexionem cum obiectivo, atque adeo sine hoc cognosci nō poterit. Minus tamen bene, quia nisi connexio explicite vt talis exprimatur, optimè cognosci potest implicite, quia terminus connexionis attingatur ex dictis d. 43. n. 7. Melius ergo concedo cum P. Arr. & plerisque, ab ijs regulis non expressivis connexionis cum obiecto, hoc neque secundario attingi: non est autem necesse, quod obiecta secundaria per omnes actus cum primario attingantur. In Theologia enim plures sunt Tractatus pure de divinis prædicatis, in quibus creaturæ, quæ secundaria obiecta sut Theologiæ minime attingentur.

23 Obij. 12. Si Logica saltem secundario res obiectivas attingeret, ita saltem ipsi erit cura de bobus, & ovibus. Ergo nec secundario illas curat.

Resp. Logicam solum agere de rebus obiectivis, secundum quod cū illis regulæ connectuntur, scilicet secundum rationes vniversalissimas, definibilis, divisibilis, præscindibilis, & prædicabilis, &c, minime vero secundum speciales, & specificas, quas minime attingit. Secundū neutras vero, illos potest dirigere, quod fuit munus a nobis cum P. Arr. supra reprehensum.

24 Obij. 13. & replic. Grammatica agit de conceptibus obiectivis secundario, sicut Logica; sed non solum in communi, vt significabilibus, sed in singulari: quia singulis rebus nomen imponit: ergo pariter Logica.

Resp. neg. conseq. Quia similitudo cum Grammatica non tenet in omnibus: illa enim agit de singularibus circa nominum impositionem, vt pote Ars inferior: Dialectica vero, vt pote Scientia superior Philosophica, solum de vniversalibus, & circa vniversalia; de singularibus vero adhuc in communi, eo modo quo *Pictura*, singularia depingenda præscribit, per lineamenta communia.

DISPVT. XLVJ.

Vtrum voces sint obiectum per se Dialecticæ?

1 PRima sententia affirmat cum Nominalibus (quos ex parte excusat P. Hurt. tom. & P. Lync,) & ex Thomistis M. Soto, Sanchez, & Araujo cum & apud Complut. q. 3. n. 31. Aversa c. 2. §. 2. Icam. d. 1. c. 4. n. 51. Caramuel n. 404. Spinula d. 2. §. 2. Bor esp. tr. 9. d. vlt.

dd. 1, P. Saurez a n. 70. P. Linc. lib. 2. tr. 1. c. 1. & aliqui nostri RR. quibus prælucent duo magna Provinciæ nostræ Lumina Sapientiss. Magist. meus P. Martinus de Xauregui, & doctiss. P. Mâça, qui Sententiam minus probabilem, probabiliſsimam reddidere.

Sect. 1. Conclusio negans.

2 Secunda noſtra negativa ſententia voces omnino excludit ab objecto perſe, non ſolum Primario, ſed etiam ſecũdario Dialecticæ, ac proinde ſolum permittit eſſe obiectũ per accidens. Ita P. Suarez d. 1. *Metaph.* ſ. 4 n. 27. PP. Conimbr. q. 5 *proœm.* a 2. P. Vallez. p. 2. prolog. q 3. c. 13 P. Amicus p. 1. prolog. 5. du. 2. P. Rub. quæſt. 6. P. Hurt. d. 1. ſ. 3. P. Arr. d. 2. ſ. 3. P. Ovied. c. 2. p. 1. P. Compt. d. 3. P. Alph. d. proœm. ſect. 6. n. 82. P. Rhodes d. 1. p. 1. ſ. 2. P. Suarez Luſit d. 2. n. 36. P. Chabronius, P. Galtruch. &c. favet que P. Quiros d. 9. ſect. 3. juxta dicenda n. 14. Lalemadet d. 3. p. 5. n. 34. Poncius d. 2. n. 34. cum Scotiſtis, & alijs DD. communiter. Sumiturque ex Ariſt. l. 1. Rhe. c. 2. ajente, *Dialecticam eſſe adſeq; Rhetoricam vero ad alios*; & ex S. Th. *init. Poſt. r. ſolos rationis actus*, pro obiecto Logicæ deſignante.

3 Probatur 1. Obiectum per ſe Dialecticæ reſultat ex primario, & ſecundario; ſed voces neque ad primarium, neque ad ſecundarium ſpectant; ergo non ſunt illius obiectum per ſe. Minor probatur, & eius vtraque pars. *Prima* de obiecto primario: quia hoc debet immediate per ſe participare rationem formalẽ *ſub qua* Scientiæ ex d. 40. n. 18. Sed voces non participant immediate, per ſe, rationem formalem *ſub qua* Logicæ; ſcilicet dirigibilitatem in Modum ſciendi mentalem, ſeu propriũ, quæ eſt illius ratio *ſub qua* ex d. 43. Voces enim minime ſunt nec formaliter, nec diſpoſitive Modus ſciendi ſimpliciter; cũ proprie nõ ſint definitio, diviſio aut argumẽtatio, vel ſciẽtia, imo nec propoſitio, aut terminus ex diſp. 12. Vel ſaltem mentalis modus ſciendi non ſunt, quod eſt primarium Logicæ obiectum, fundans dirigibilitatem illius. Ergo primariũ obiectum eſſe non poſſunt. *Secunda* pars Min. de ſecundario obiecto prob. Quia hoc debet eſſe terminus neceſſariæ connexionis obiecti primarij, ſaltem medio illo participans ſcibilitatem, ſeu rationẽ *ſub qua* Sciẽtiæ ex eo n. 18. vt conſtat de conceptibus obiectivis, propterea ſecundarijs Logicæ obiectis, ex d. præc. Sed voces termini ejusmodi connexionis non ſunt; cum perfectiſsimè ſalvetur Modus ſciendi in triplici operatione mentis, abſque vllis vocibus tum in Mutorum in eo qui pure mẽtaliter Scientiarum actus exercet. Tum caſu quo Deus omnes voces in hominibus aboleret, & immediate per ipſos actus mentis interſe (ſicut de Angelis multi DD. putant) loquerentur. Ergo voces neque ſecundario ſunt obiectũ Logicæ, ac proinde nullo modo per ſe.

4 Reſp

4 Reſp. RR. voces vel eſſe Modum ſciendi propriũ, vel ſaltem inſtrumentalem, & ſuppoſitivum; atque ſta eſſe dirigibilem a Logica ſaltem in Modum ſciendi ſuppoſitivum, ſicut Apprehenſio per nos in Modum ſciendi diſpoſitivum.

Contra 1. Quia Apprehenſio eſt ita dirigibilis, quia eſt diſpoſitio neceſſaria ad Modum ſciendi formalẽ mentalem, ita vt huius directio ab Apprehenſionis directione omnino dependeat, ex diſp. 44. at voces nullo modo neceſſariæ ſunt ad illum. 2. Apprehenſio habet artificiũ propriũ Logicæ, & nõ pure grammaticale, ſi ve ad grammaticam directionẽ vnice ſpectans; At vocibus, licet illis demus propriam rationem Modi ſciendi eſſet putè grammaticalis; vt jam oſtenditur; &

5 Prob. 2. Concl. vt voces ſint obiectũ per ſe dirigibile a Logica, debet in illis relucere aliquod ſpeciale artificium, propriè reſpondens artificioſæ directioni ipſius Logicæ: ſicut, vt ſint obiectum per ſe dirigibile a Rhetorica, reſpondet artificium ornatæ dictionis; vt à Poetica, metricæ quantitatis ſyllabarum; vt a Muſica modulati concentus tonorum &c. Atqui nullum eſt ſpeciale artificium in vocibus, quod propriè Logicæ directioni correſpondere poſſit; ergo non ſunt obiectum per ſe dirigibile a Logica. Major & conſeq. conſtant. Minor probatur. Quia ſi quod eſſet artificium maxime ratio *definitionis vocalis*; & ſimiliter, diviſionis, & argumentationis vocalis &c. Sed hoc artificium minime correſpondet ſpecialiter Logicæ, ſed proprium eſt omnino Grammaticæ. Ergo

6 Minor, quæ ſola negatur, oſtenditur. 1. Quia Grammatica dirigit totum artificium ſignificationis vocũ, vt ſcilicet manifeſtent obiecta eo modo, quo ab intellectu concipiuntur: v. g. enuntiative, dubitative, illative, conditionate, abſolute: & omnibus alijs modis; quin vllus concipiendi modus ſit in intellectu, pro quo Grammatica non curet aptare, & miniſtrare voces, quæ quantum fieri poſſet, rem vt conceptam, & modo quo concepta eſt, perfectiſsime explicent. Sed vnus ex ſignificandi modis, eſt modus ſciendi, ſcilicet definitivus, diviſivus, ſyllogiſticus, præciſivus, apprehenſivus &c. Ergo pro hoc modo ſciendi ſignificando, Grãmatica aptat, & miniſtrat artificioſas voces. 2. Eo ipſo quod homo concipiat in mente rectam definitionem hominis, v. g. *homo eſt animal rationale*, nulla alia Regula, niſi grammaticali adiutus, per quam eas quatuor voces, ſive latinas, ſive Hiſpanas, ſive Græcas comparet, ac pronunciet: optimam definitionem vocalem proferet. Ergo omnis alia regula præter grammaticalem, per accidens ſe habebit ad artificium illius definitionis vocalis. 3. Si quis vel caſu, vel ſciẽter eam bonã definitionẽ cõcipiens, eſſet malus grammaticus latinè, & putaret, per vocem *Equus* ſignificari obiectum *animal*, peſsimam vocalem Definitionem pronuntiaret, dicendo: *homo eſt equus rationalis* licet pro

illa applicaret omnes regulas Logicas, & veritates Philosophicas, solum ex defectu Grammaticæ. Econtra vero bonus grammaticus, licet ignarus Logicæ, & Philosophiæ, optime illam vocaliter pronuntiaret. Ergo quia solum se habet per se Grãmatica, Logica vero, & Philosophia omnino per accidens ad rectam definitionem vocalem, supposita mentali recte concepta.

7 Resp. RR. 1. non dubitari quod Grammatica concurrat ad eam definitionem vocalem, secundum congruitatem significationis vocum; attamen secundũ quod hæ voces sunt, *generica*, & *differentialis*, minime sola Grammatica sufficeret, nisi per Dialecticam doceretur, eligere in vocibus eam, quæ significet rationem cõveniendi, & differendi: vnde ambæ Regulæ ad invicem adiuvantur.

Contra 1. Quia hoc ipsum munus eligendi voces, quæ respondeat generi, & differentiæ mentali, non est aliud, quam munus discernendi significationes vocum; quæ videlicet sit significans in communi obiectum *animal*, & similiter obiectum *rationale*: vnde qui hoc ipsum græce conciperet, & latine dicere vellet, non consuleret regulas Logicæ, sed Calepinum; & Nisolium, vt eas voces conceperit secundum significationẽ aptaret. Quod fit evidentius exemplo traductionis de vno in aliud idioma: si enim quis, ignarus Dialecticæ, traducat hanc definitionem; *homo est animal rationale*; de latino idiomate in Hispanum, dicens: *El hombre es animal rational*; certe optimã definitionem vocalem pronuntiaret, nullis adiutus regulis Dialecticæ, quam ignorabat, sed solis Grammaticæ latinæ, & Hispanæ, circa significationem vocum. Ergo pariter, dũ de mentali idiomate (vt ita dicam) traducit quis in idioma vocale eamdem definitionem, vnice deseruit Regula Grammaticæ; cuius est, ambas significationes mentales inter se, quasi traductive, concordare; materialiter que & per accidens se habebit Regula Dialecticæ, & quæcumque alia scientia.

8 Contra 2. & vrgetur exemplo scriptionis, v.g. discipuli in Schola scribentis, qui eodem modo per caracteres excipit, & quasi profert scripto definitiones, & argumentationes a Magistro dictatas, sicut per locutionem vocalem ore refert, & pronuntiat mentales ab intellectu conceptas; quin tamen, dum discipulus illas scribit, concurrat Regula Logicæ, quam sæpe ignorat, vel non meminit, sed sola Regula Orthographiæ, seu Artis scribendi. Sed definitio scripta non habet minus de artificio definitionis externæ, sive instrumentalis (vt vocant RR) quam definitio vocalis. Ergo sicut illud artificium in scriptis soli Orthographiæ respondet, minime vero Dialecticæ, ita in vocibus soli Grammaticæ.

9 Contra 3. Quia Logica per se minime requiritur ad electionem vocum, v.g. generis, & differentiæ, pro vocali definitione. Quia hæc electio consistit, in conformandis vocibus

cibus externis cum conceptibus internis definitionis, v.g. hominis per *animal rationale*: hæc autem conformatio non aliter fit quam cognoscendo significationes vtriusque actus interni, & externi, & illas interse adaptãdo. Sed Grammatica, totũ hoc præstat, vt pote Ars vniversalissima, ad quam de omnibus obiectis, & cõceptibus loqui pertinet; minime vero Logica quæ non cognoscit illas particulares significationes conceptus interni circa definitionem hominis, & vocum ad eandem exterius significandam. Logica enim minime curat peculiares Scientiarum materias obiectivas, & multo minus earum significationem per voces. Ergo sola Grammatica, minimè vero Logica ad eam vocum electionem concurret.

10 Resp. 2. RR. fatendo, per se necessariam non esse Logicam ad definitionem vocalem, præcise prout significativam; sed solum prout taliter significativam, idest, dialectice & per genus & differentiam vt talia; quæ a Grammatica vt talia non cognoscuntur, nisi reflectendo supra Regulas dialecticas generis, & differentiæ, seu definitionis; quas Grãmatica applicat pro suis vocibus cõformandis juxta illas, in materia Sciẽtiarum. Eo modo, quo ipsæ etiam Scientiæ applicant easdem Regulas, pro materia sua cum illis conformãda. Sicut enim Physica applicat Regulam vniversalem, *Definitio constat genere, & differentia*, suæ materiæ, particulari v.g. circa hominẽ, eligendo per conformitatẽ cũ Regula, mentales conceptus, communem, & differentialem, *Animal & rationale*, ita etiam Grammatica, conformando suas voces illi Regulæ, per similem applicationem eligit voces illis conceptibus respondentes, idest vocale genus, & differentiam vocalem. Ergo hæ voces vt sunt genus, & differentia regulantur a Logica in Grammatica, sicut conceptus mentales in reliquis Scientijs regulantur.

11 Contra 1. Licet possibilis sit ea reflexa regulatio, est tamen inutilis, & otiosa proinde quę indigna, vt ab Arte aliqua specialiter intendatur, quod patet ab exemplis. 1. Quia alias omnes Scientiæ similiter circa regulandas specialiter voces versarentur. Nam vt quis loquatur Theologice, posset vocales propositiones, vt tales, cũ veritatibus Theologicis conformare, non contentus ea conformitate, quam voces ex actibus mentis participarent, & ita similiter, vt Mathematice, vt Medice, &c. loqueretur, reflexiones illæ deservirent. 2. Manuscriptor posset etiam ita reflectere in scriptione, non contentus conformitate mediata, quã caracteres haberent, ratione vocũ cũ regulis Logicæ, & principijs Scientiarum; imo ruttum in transcriptione, & traductione, vel de vno scripto in aliud, vel de vno in aliud idioma. 3. Adhuc quis, dum latinè loquitur, posset hoc modo regulari reflexe per regulas Grammaticæ *Hebraicæ, Græcæ, Hispanæ*, &c. si vellet latinam syntaxim construere

secum,

secundum quod conformaretur regulis syntaxeos, sive loquutionis Græcæ, Hispanæ, &c. Ergo sicut hæc inutilis, otiosa q reflexio esset, cum sine illa eodem modo rectitudo latinæ loquutionis in quavis materia consisteret; ita esset otiosa reflexio supra cõformitatem cum Regulis Logicis de mentali Modo sciendi, cum sine illa eodem modo rectitudo vocalis locutionis secundum formam modi sciendi salva, perfecta que evaderet.

12 Contra 2. Quoties signum aliquod artificiosum repræsentat alia artificiosa significata, non regulatur per se per regulas artificij repræsentati, licet cum illis mediate, & necessario conformetur, ex vi proprij artificij in esse signi. Quod patet inductione nuper facta ex traductione, scriptione, transcriptione &c. Et ex Pictura, ac Typographia. Si enim Pictor depingat sphæram, aut horologium solare (idem est de alijs arte factis) per se non regulatur ex principijs Astronomicis, per quæ ab Astrologo ea instrumenta facta sunt. Similiter Typographus, Typum Latinæ, vel Tabulæ insculptũ, medio atramento præli opera chartæ imprimens, nõ regulatur per regulas sculptoris, vel fabri Typum efformantis, licet cum illis etiam mediate descripta imago conformetur. Et licet Typographus, & Pictor simul essent sculptores, fabri, Mathematici, statuarij, &c. & vellent reflexe harum artiũ regulis cõformare picturam, &c. hæc regulatio, vt superflua & per accidens adjuncta, vt concomitans haberetur. Ergo ita regulatio illa vocum per regulas artificij dialectici, cum æque necessario ex vi solius Grammaticæ significationis conformatur; concomitanter, & per accidens se habebit; sicut Pictura, Typographia, traductio, scriptio, transumptio, &c.

13 Contra 3. Solum se habet vt principium per se actus, quod influit in illum, vel tanquam causa necessaria, vt potentia, vel species; vel tanquam causa facilitans, vt habitus, vel regula. Sed reflexio illa conformitatis vocum cum regulis mediatis Logicæ, &c. non est principium, vt necessario requisitum ad rectam vocalem definitionem simpliciter [vt Adversarij fatẽtur:) neque vt facilitans, quin potius per illos ambages reflexionum moras, difficultates, fatigationem, absque vlla vtilitate Logicus compararet; cum sine illis necessario ex vi solius Grammaticæ tota illa rectitudo constaret. Ergo per accidens se habet illa reflexio, & non vt principium per se.

14 Contra 4. ab exemplo Adversariorum de applicatione Regularũ, circa materias particulares aliarum Scientiarum: quia inde potius infertur, quod sicut Materia illa particularis est obiectum per accidens, ex d. præced. n. 23. vt tenent etiam Adversarij. ita erunt obiectum per accidẽs voces, quibus similis applicatio per Grammaticam fieret. Ergo.

Nec dicas cum P. Quiros, saltem pariter secundario, secundum rationem communem signi Logicalis attingi

tingi poſſe voces, vt obiectu n per ſe, ſicut per nos materia obiectiva in communi, vt definibilis &c. Aut ſaltem poſsibile eſſe, quod a Logica attingatur reflexe illud artificium (licet defacto non conſideretur) ſi Logicæ Inventores vellent.

15 Ne inquam 1. Quia ideo materia obiectiva Scientiarum in communi attingitur a Logica ſecundario, quia eſt obiectum ſeu Terminus neceſſariæ, connexionis explicitæ obiecti primarij: at voces ſimilem connexionem neceſſariam nõ terminant ex n. 3. Ergo. 2. Quia non dubitamus poſsibile fuiſſe, quod Inſtitutores Dialecticæ illam etiam ad vocalem ſignificationem correſpondentem ſuoModo ſciendi mentali extendiſſent; ſcilicet cum Grammatica ex ea parte confundentes (ut facit hodie Caramuel, propterea *Grammaticam audacem*, mediam doctrinalem Logicam appellans) ſed nos adeo audere non debemus, cum videamus a ſapientibus ita fuiſſe ſtatutũ, vt omnibus Scientijs vna Grammatica miniſtret voces; quin Grammaticæ multiplicentur in Theologicam, Philoſophicã, Iuriſticam, Mathematicam, Medicam &c. licet ſingulæ ex Scientiæ ſpecialia vocabula habeant, nõ minus quã Logica: ſed ſolum in vnoquoque Idiomate vna Grammatica, a ſingulis Scientijs, & Artibus inſtruatur, vt ſingulis miniſtret, & adaptet voces, juxta ſingularũ mentales, & obiectivos terminos. Vnde ſuppoſita hac diviſione Grammaticæ ita facta, inepte illam partialiter cum Dialectica confunderemus; non minus quam ſi Artem fabrilem ferrariam, quæ omnibus fere Mæchanicis Artibus inſtrumenta præbet, vellemus partialiter cum lignaria, vel Agraria, & non cum alijs confundere: de quo rurſum n. 19 & 26. & hinc

16 Prob. 3. concl. a priori. Quia juxta Ariſtolem. 1. *Rhet. c.* 2. *Logica eſt ad ſe, Rhetorica vero ad alios*: ſicut etiam Poeſis: vnde non ſe habere debet, ſicut Scientiæ, vel Artes quæ ad alios ſive inſtruendos ſive oblectandos ordinantur; vt ipſa Rhetorica, nec non Grammatica, Muſica, Poeſis; ſed ſicut Scientiæ reales, quæ in Mente ſcientis, independenter ab aliorum commercio, abſolute, & perfecte ſalvantur; vt Logica etiã in Muto, vel quando Deus voces omnes aboleret ex n. 3. perfecte conſiſteret. Atqui ita perfecte non conſiſteret ſi de vocibus per ſe, & ex inſtituto ageret; quia Scientia quæ curat & agit per ſe de vocibus, non eſt tantum in ordine ad ſe, ſed ad alios: cũ voces ſolum ad alios inſtruẽdos, vel oblectandos dirigantur. Ergo Logica minime curat, vel agit perſe de vocibus.

17 Prob. 4. etiam a priori, ſupponendo duo principia. *Primum*, quod abſque dubio in Logica agitur de vocibus: cum tori libri Elenchorum agant de ſophiſmate, quod vnice in multiplici æquivocatione, & varia ſignificatione, ſuppoſitione, & appellatione vocum conſiſtit: Tum quod in libris Periherm. de ſignis ad placitum,

citum, seu vocibus differitur: & in lib. de Analysi, de ijs termini vocalis proprietatibus disputatur, vt apud omnes est certum. *Secundum* quod quando in aliqua Scientia agitur de instrumentis necessarijs, pro faciliori manifestatione obiecti primarij, quin ipsum primarium obiectum cum illis habeat connexionē; tunc tractatio de instrumento solū per accidens pertinet ad Scientiam, & tantū per se ad *Scientem*, Quod patet: tum in instrumentis Mathematicis, vg. sphæra lignea, horologiis solaribus, de quibus per integra volumina agunt Astrologi; quin tamen illa sint obiectum per se Astrologiæ, sed solius Astrologi: vt contra vnum P. Linceum omnes supponunt, quia nec sunt motus corporis cęlestis naturalis, (quod est obiectum primarium Astrologiæ) neque terminus necessariæ connexionis ipsius corporis cęlestis, vt philosophice scibilis (cum sine illis simpliciter scibile sit) vt pro secundario obiecto per se requiritur. Tū quia omnes Scientiæ agunt de vocibus, seu proprijs Terminis suę facultatis: v. g. Theologia in 1. p. S. Thomæ ad q. 29. & 30. de modo loquendi in Mysterio SS Trinitatis; & 3. p. ad quæst. 16. de communicatione Idiomatum circa Incarnationem. Similiter vtraque Iurisprudentia per Titulos integros de Verborum significatione. Artes similiter liberales, vt Medicina, Cosmographia, habent multa instrumenta, v.g. illa Corpus Anatomicū, hæ Mappas Topographicas; & vna quæq; speciales voces Tyronibus per Magistros prolixis tractatibus explicandas. Nec propterea omnes hæ Scientiæ, vel Artes agunt tanquā de obiecto per se, de instrumentis aut vocibus: quia illa accipiunt ab alijs Artibus, Mæchanicis, & manufactivis; voces vero a Grammatica, quæ ex principijs Sientiarum instructa, voces aptat, medio discursu applicativo Prudentiæ practicę; vt ijs veluti instrumentis sua obiecta melius manifestent: vt n. 20. magis explicabitur.

18 Tum sic. Sed Logica ita etiā agit de vocibus, quasi de Instrumētis; Tum vt medijs illis manifestet alios conceptus mentis, de quibus agit: tum vt veluti in Mappis, aut sphæris, dignoscat melius ipsos cōceptus & concipiendi Modos, quos in se ipsis dignoscere satis non pussumus, vt Avicenna vnus de primis Logicæ Institutoribus observat, 1. p, Log. c. 3. apud PP, Conimbr. Ergo more aliarum Scientiarum, aget Logica de vocibus, per Tractatus prudentiæ practicæ applicativæ; quæ ex ipsius Logicæ principijs, necnon ex Grammaticę regulis, significationes conceptuum cum vocum significatione cōferet; vt æquivoca, & sophismata Logicus apte discernat, & per eorum fugam scientificos conceptus, & Modos sciendi certius addiscat, præcepta Logicæ, ijs amotis periculis, melius per callendo. Vnde hi Tractatus per se non sunt Logicæ, sed Logici; ac proinde de vocibus non per se aget Logica, sed Logicus; sicut etiam nō Theologia, sed Theologus; non Iurisprudentia, sed Iuris-

disperitus, &c.

Sectio 2. Obiectiones.

19 Objicitur 1 ex P. Linceo multiplex authoritas Arist. Platonis, S. Augustini, S. Ambrosii, S. Basilij, ac præsertim S. Thomæ 1. Perhierm. lect. 2. & plurium antiquiorum expresse asserentium, consideratione vocum *Logicæ esse præcipuam.*

Sed illud est obiectum per se alicuius scientiæ, de quo agitur per actus præcipuos ipsius scientiæ, & ex Inventorum, seu Institutorum ipsius scientiæ ordinatione. Ergo voces erunt obiectum per se Dialecticæ.

Respõd à nemine dubitari quod in Logica agatur de vocibus, vt à n. 17 dixi, & quidem per Tractatus præcipuos, idest, pro Logici institutione maxime necessarios sicut præcipui sunt in Matemachica Tractatus de Instrumẽtis, sphæra, &c. & in ipsa Theologia, & Iurisprudentia, tractatus valde necessarij, de modo loquendi in mysterijs, & de verborũ significatione. Verũ sicut illi tractatus licet præcipui pro sciente, sunt tamen per accidens pro scientia, id est non essentiales seu primarij pro illa, eo quod substantialiter & simpliciter sinè illis eæ scientiæ salvari possunt; cum earum veritates sinè vocibus omnino in mente consistant. Ita etiam in Logica sunt valde præcipui Tractatus de vocibus, licet non primarij, seu de obiecto sibi proprio: neque aliud S. Thomas, & alij PP. ac Philosophi voluerunt: vt satis constat ex dictis. Et confirmatur exemplo Artium Machanicarum; nam lignaria, & Agraria v. g. præcipue agunt de instrumentis ferreis, sibi necessarijs adaptandis; nec tamen illa instrumenta, vt obiectum per se respiciunt; sicut Ars ferraria respicit illa. Et sic mille exempla suppetunt in reliquis Artibus, circa instrumenta sua, quæ mutuantur ab alijs Artibus, non tamen illa, vt propria artefacta pertractant; de quo rursum n. 26.

20 Obijc 2. Potentia visiva non solum respicit vt obiectum per se colores veros, & proprios, seu etiam improprios & fictitios; v. g in Iride, & cœlo. Ergo pariter Logica, nõ tolũ modum sciendi proprium mentalẽ; sed etiam improprium & vocalem, vt obiectum per se respicere poterit.

Resp. Antecedens niti falso supposito, de ente rationis intrinsecè fictitio: *tract.* enim seq constabit, colores qui in cœlo & Iride videntur esse reales, aliàs potentiæ vitales de proprio ad improprium obiectũ formale transire possent, atque ita etiam visiva ad ipsum Deum. Sed dato *anteced* nego *consq.* Quia licet potuisset tasari ab Inventoribus scientiæ, vnum obiectum primariũ Logicæ, tam ex reali, quam fictitio, proprio, & improprio, quod solum esset vnum Logicè & in voce (quia totum hoc ab eorum prudenti arbitrio dependet ex disp. 41 & 42 sicut DD. aliqui putant, Metaphysicam agere de ente reali, & rationis. Attamen supposita divisione

Grammaticæ ab omnibus facta; ad quam proinde spectat Modus sciendi vocalis, sicut ad Ortographiam scriptus, & ad vtramque omnes aliæ scientiarum voces, qua prolatæ, qua scriptæ: jam determinatum est pro Dialecticæ objecto primario solum modo *Modus* sciendi proprius, seu mentalis; vnde qui talis non fuerit ad ipsam pertinere non poterit, vt n. 15. explicavimus, sive conveniat sive non cum mentali.

21 Obij. 3. hæc est de primarijs regulis logicalibus, *Definitio vocalis est oratio manifestans naturam rei per genus & differentiam vocalia*; cum ad aliam scientiam pertinere non possit, & multo minus ad Grammaticam, cuius non est scire, *quid sit genus*, aut *differentia*, nec *definitio*. Sed huius Regulæ primariæ in Logica obiectum per se sunt voces, vt patet; ergo de vocibus per regulas primarias agit per se Logica.

Resp. neg. mai. Quia ea est conclusio discursiva ex vna præmissa Logicæ, scilicet, *omnis definitio mentalis constat genere, & differentia*; & ex alia grammaticali; scilicet: *sed omnis oratio vocalis repræsentat rem modo, quo à mentali repræsentatur*. Ex quibus infertur: *ergo omnis oratio vocalis, respondens mentali definitioni, est definitio vocalis, constans generes & differentia vocalibus*. Quæ conclusio ad nullam Scientiam Præmissarum spectat; sicut conclusio Theologica deducta ex vna præmissa de fide, & altera Philosophica (v.g. *homo est animal; sed Christus est homo, ergo Christus est animal*:) nec ad fidē, nec ad Philosophiam spectat; sed ad novam scientiam, quam vocamus Theologiam. Ita conclusiones omnes, seu regulæ discursivæ per quas immediatè, & in particulari applicantur ab intellectu Regulæ generales Logicæ, imo cuiuscumque alterius artis, non pertinent ad ipsas artes applicatas, sed advirtutem intellectualem, quam Aristoteles vocat intellectualem Prudentiam; vt dicam disp. de Logica vtente. Et patet manifestè in applicatione simili eiusdē Regulæ Logicæ ad definiciones in materia Philosophica, vel Theologica, quæ fit per similē discursū prudentiæ; v.g. *omnis definitio constat genere, & differentia; sed genus & differētia hominis est, animal, rationale. Ergo definitio hominis debet constare terminis, animal & rationale*: vbi maior est Logicæ, minor Physicæ, conclusio Prudentiæ practicæ. Vnde fit, quod licet grammatica nesciat, quid sit genus, & differentia, sicut etiam nescit quid sint veritates Philosophicæ, vel Theologicæ; per hanc applicationem prudentialem instruitur, ad quærendas voces pro Philosophia, Theologia, & reliquis scientijs. Sicut etiam licet Faber, nesciat quid sint Sphæra, vel Horologia, instruitur ab Astrologo ad illa formanda ex ligno, vel ære; quin ipse Faber reflectere debeat, supra conformitatem artefacti cum circulis, Zonis, Polis Cœlorum, &c.

22 Obij 4. Dialectica dicitur a Philosopho *sermocinalis*, item à *Lo-*

gos

Logos, quod ſignificat ſermonem, ſeu Verbum nominatur Logica; ergo de ſermone, verbo, ſeu voce agit per ſe.

Reſp. etiam Theologiam, à *Logos*, deducitur, nec tamen agit de vocibus; quia præcipuè ſermo, ſeu verbum mentale, vel ratio per *Logos* ſignificatur; vnde præcipuè de actibus rationis agit logica, & ideo *Rationalis* dicitur.

23 Obij 5. Definitio vocalis conformatur cum regulis Logicæ non minus quam mentalis; ſed actus qui conformatur cum Regulis, ab ipſis dirigitur; ergo Definitio vocalis dirigitur à Regulis Logicæ.

Reſp. diſt. maj. Definitio vocalis conformatur cum Regulis, immediate & per ſe, nego; mediate & ratione actus intellectus, cum quo conformatur; concedo; vnde, & adhunc immediate dirigendum tendet per ſe Regula. Sicut pictura ſphæræ vel alterius arte facti, conformatur cũ regulis aſtrologicis, vel alterius Artis mediate, & ideo ab illis Pictura, vel Pictor per ſe non dirigitur.

24 Obij 6. Grammatica non poteſt reddere rationem de definitione vocali; ſecundum quod recte definit, ſed ſolum ſecundum quod congrua: ergo ſecundum eam rectitudinem pertinet ad Logicam.

Reſp. nego conſeq. Quia ſimiliter nec Logica poſſet de ea rectitudine rationem reddere, ſi ignoret idioma vocum: ergo ſignum eſt ad Tertiam aliam virtutem, ſcilicet prudẽtiam applicativam, & diſcurſivam ex n. 21. eam rationem pertinere.

25 Obij 7. Licet forma abſolutionis, *ego te abſolvo*, conſiſtat in ipſa ſignificatione verborum, quæ pertinet ad Grammaticam, directio tamen illius ſecundum eam formam ſanctè artificioſam, pertinet ad ſacram Theologiam practicam. Ergo pariter, licet forma definitionis vocalis conſiſtat in ſignificatione, eius directio ad logicam pertinebit, ſecundum artificium ſcientificum.

Reſp. nego conſeq. Quia Theologia Sacramentalis practica agit per ſe de vocibus, vt ſunt Sacramẽtales formæ a Logica per ſe de vocibus non agit, niſi tantum per accidens, tum ratione collocutionis cũ alijs; tum ad faciliorem inſtructionẽ per ea inſtrumenta; & hoc media applicatione diſcurſiva Prudentiæ.

Sect. 3. Speciales objectiones ex noſtris doctis Recentibus.

26 Obij 8 Vt aliqua potẽtia attingat per ſe aliquod obiectũ, ſufficit, quod per aliquem actũ, etiã minus præcipuum, illud attingat: ſic enim licet formalitatẽ ſimpliciſſimam non poſſit intellectus incõplexe attingere, niſi per apprehenſionem ſimplicẽ incõplexã, ſuorum actuum infimũ, & minus præcipuum; nihilominus ea formalitas, vt incomplexe attingibilis, eſt obiectum proprium per ſe intellectus. Sed per nos per actus ſaltem minus præcipuos Logicæ, attinguntur voces, dum Logica agit de æquivocis; &c. Ergo ſimiliter propriè & per ſe à Logica attingun tur voces, & conſequenter, vt obie

ctum proprium per se, & non per accidens.

Vrgetur 1. Quia quod voces attingantur, vt instrumenta ad perfectiorem notitiam actuum mentis; solum arguit, quod hi se habeant, vt objectum principalius, sicut objectum attributionis respectu attributi, aut primarium respectu secundarij: sed objectum attributum, & secundarium non sunt objectum per accidens, sed per se. Ergo & voces.

Vrgetur 2. Quia solum dicitur objectum per accidens, id quod propriè per actum, vel potentiam nõ attingitur, sed solum denominativè, vt paries per visionem albedinis; At voces non attinguntur solum denominativè per actus Logicæ, sed proprie, & simpliciter: ergo nõ fũt objectum pure per accidens Logicæ.

27 Resp. ad arg. concel. maj. & min nego conseq & paritatem, quæ ab omnibus DD. negatur contra vnum P. Lynceum, qui (vt loquitur P. Arr. n. 40) *fuã phantasiam sequitur*, asserens ab omnibus Scientijs tractari per se de vocibus, eo ipso quod habeant tractatus aliquos, seu actus, qui voces suæ facultatis dirigant, vel explicent, vt re ipsa faciunt. Cũ tamen DD. omnes contrarium supponant, ex d. 40. n. 17. & 19. exemplo Mathematicæ, quæ per se non agit de sphæra lignea; & Medicinæ, de corpore anathomico, & alijs ex n. 17. Ratio autem disparitatis est,

Prima, quod potentia per nullum actum, qua talis minus principium attingit objectum vllum, nisi sub ratione formali sua, v. g. intellectus sub intelligibilitate, &c. At Scientia collectiva per aliquos actus minus proprios potest objecta aliqua sua attingere, non sub ratione formali immediate, sed vt terminos connexionis objecti primarij participantis rationem formalem, vt *d. præced.* dixi de conceptibus objectivis.

28 Secunda apriori. Quia vnitas potentiæ est naturalis, & sumitur vt ab specificativo necessario ab vna formali ratione, extra quam vagari non potest per suos actus. Vnitas vero Scientiæ est arbitraria ex d. 41. & 42, vnde potest admittere aliquos actus extra propria objecta vagantes, ratione alicuius vtilitatis ad manifestationem proprij objecti, ex ordinatione Inventorum; sicut Liber admittit digressiones aliquas vtiles in ordinatione suorum Tractatuum. Et ita licet potentiæ non possint admittere actus minus proprios extra suum medium tendendi, vt visiva nullũ, qui visio nõ sit tamen Scientia collectiva multos actus minus proprios, qui scientifici non sunt passim, imo plerosq; tales admittit, quia conducunt ad comparandam tandẽ scientificam aliquam veritatem. Vt ipsi Adversarij fatentur de actibus pluribus, tum speculativis, tum directis circa conceptus objectivos, tum pure probabilibus, quos Logicũ nõ Logicã per se admittere dicũt, propter institutionis vtilitatem. Pariter ergo propter similem vtilitatem admittet

mittet tractatus de obiectis improprijs, qui ad propij obiecti notitiam illuſtrandam deſervit, vt ſunt voces &c.

29 Tertia a paritate, quia in toto collectivo multa quæ perſe cõveniũt componentibus, poſſunt per accidens convenire toti, quod componunt; eo quod ad finem totius perſe non ſe habeant vt dixi ea d. 40. V. g. Laicis, componentibus Religionem Clericorum, vt obiectum vel finis deſignatur domeſticus famulatus; non tamen illud poteſt dici objectum per ſe Religionis Clericalis, ſed quod à præcipuis & primarijs totius collectionis procuratur. Ergo pariter licet aliqui Tractatus, quaſi Laici, Dialecticæ habeant pro obiecto voces ad famulatum obiecti primarij, nõ ideo dicentur voces obiectũ perſe dialecticæ, ſed tantũ illud, quod ſub propria ſcibilitate a primarijs illius actibus & Regulis circa Modum ſciendi proprium, & mentalem, attingitur; vel quod ab ipſis ob primarij obiecti neceſſariam connexionẽ ſecundario & proprie tractatur. Hinc

30 Ad 1. Vrg. nego conſ. Quia objectum attributum eſt etiam primarium minus principale; & ſub ipſius Scientiæ ſcibilitate propria debet attingi; ſecundarium vero debet attingi ex neceſſaria connexione primarij cum ipſo ex d. 40. n. 18. voces vero neutro ex his modis tractãtur a Logica, ex n. 3.

31 Ad 2. Vrg. nego maj. Quia ea vſurpatio obiecti per accidens, vt ſit tantum denominative tale, eſt ratio obiecti tantum ſecundum dici, ex ea d. 40. n. 10. obiectum autem per accidens reſpectu Scientiæ, vt ibi a n. 17. obſervandum monui, eſt propie, & ſecundum eſſe obiectum reſpective ad actus non primarios Scientiæ, ſive minus præcipuos quoad ſubſtantiã illius, quia ſine illis ſalvari ſimpliciter poſſet Scientia; licet præcipui, & valde vtiles dici poſsint, quoad circunſtantiam, ſive quoad Inſtructionem, vt conſideratio vocum appellatur a S. Th. ſupra n. 19. pro Logica, id eſt pro Logico.

32 Obij. 9. Ex communi ſent. DD. cũ S. Thom. 2, 2. q. 3. a 1. P. Suarez d. 14. de fide ſ. 1, &c eadem Regula fidei, eadem que Prudentia ſupernaturalis dirigens, idemque affectus piæ affectionis imperans; actum internum, ſeu confeſsionem mentalem myſterij revelati; regulat, dirigit, & imperat confeſsionem externam ſive vocalem, ſive ſcriptam eiusdem myſterij. Ergo pariter eadem Regula Logicæ, dirigens internum ſeu mẽtalem Modum ſciendi, diriget externum ſive vocalem, circa idem ſcibile.

Confirm. 1. ex actu externo Religionis, qui cum actu interno vnum obiectum facit virtutis Religionis, per modum vnius actus, quem dirigit, & imperat eadem virtus pro Religioſo cultu exhibendo, non minus primario externe, quam interne, vt cum S. Th. 2. 2. q. 81. a 7. tenent DD. ergo pariter &c.

Confirm. 2. a priori, quia honeſ-

ta

tas horum actuum externorum, vel vocalium fidei, & Religionis; in eo consistit, quod adhuc posito actu interno mentali; vocalis etiam reflexe reguletur ex fine honestatis vtriusq; virtutis; quin hæc regulatio sit otiosa vel inutilis, Ergo pariter vocalis, sive externa definitio poterit, reflexe regulari ex fine rectitudinis, & conformitatis cum regulis dialecticæ: quin sit otiosa & inutilis ea regulatio; licet conformitas illa sit necessaria, posita definitione mẽtali si ex imperio Grammaticæ dirigatur; sicut etiam adoratio, & confessio fidei vocalis, posita interna, recta esset ex sola directione Grammaticæ.

33 Resp ad argumentum, omisso antecedenti, de quo multa disputari possent ex P. Suarez d. 3 de virtut. sect. 3. P. Salaz tract. 11. d. 2. s. 3. P. Raynaud. lib. 1. d. virtut. sect. 1. c. 3. qui diversas virtutes agnoscunt pro actibus internis, ac externis, dirigendis, imperandis, & eliciendis. Item ex P. Ruiz d. 31. de Prov. sect. 3. Qui cum P. Suarez P. Molina P. Vazq. &c. distinctam gratiam auxiliamẽ, seu directivam cooperantem ad actum externum, ab operante interno statuit: Nego *cons.* & paritatem. Quia in confessione externa seu vocali fidei datur honestas specialis significativa, seu protestativa obiecti revelati in obsequiũ Divinæ auctoritatis revelantis; quæ respiciatur, dirigatur, & imperetur a fide, eiusque pia affectione; cum ea honestas ad aliam virtutem non pertineat. At artificium externæ definitionis, vel modi sciendi vocalis non est aliud, quam ipsa significatio, vt exprimens modum mentalem concipiendi, quæ omnino pertinet ad grãmaticam vt a num. 5. ostensum est; & ideo ad Logicam pertinere non potest, Sicut ipsa confessio externa & vocalis fidei, quando fieret imprudenter, & sine necessitate, tempore persequutionis, v. g. tunc non pertineret ad Fidem, licet corresponderet internæ mentali confessioni fidei; quia tunc ea externa confessio non conservaret honestatem propriãl fidei internæ; & ad alios habitus, ve actus imprudenter regulativos, ex nimio fervere, pertineret.

34 Ad 1. Confirm. neg. similiter paritatem, quia in actu externo religiosi cultus, datur specialis honestas significationis reverẽtis in Deũ, vnivoce conveniens cum interno, ex disp. 12. n. 14. quæ a nulla alia virtute, nisi a Religione respicitur. At artificium externæ definitionis nec simpliciter cum interno convenit, ex ibi dictis, neque (licet conveniret) respici etiã deberet a Logica, quia, cum consistat in sola significatione vocali, eius directio, & consideratio, pertinet ad Grammaticam. Adde, quod licet virtus extendatur ad actus internos, & externos aliquãdo; non ideo Scientia extendi debet. Tum quia taxatio, & limitatio Scientiarum ab arbitrio prudenti dependet, cuius lex potest limitare vniuscuiusque Scientiæ spheram; non tamẽ spheram virtutis. Tum quia neque potentiæ vitales, quæ amplioris sphæ-

ræ

ræ ſunt, quam Scientiæ, poſſunt extendi ad actus internos, & externos, ad quos tamen poſſunt virtutes. Ergo paritas hæc a virtutibus ad Scientias multas patitur diſparitates.

35 Obi. 10. Eo modo quo Logica, per nos, dirigit tantũ actus mentales; Rhethorica, & Poeſis etiam ipſos tãtũ dirigeret: quia, poſita tantũ in mẽte, oratione figurata, & ornata per Rethoricã; vel metrica & menſurata per Poeſim, Grammatica miniſtraret voces, quibus eæ vocaliter pronuntiarentur. Ergo ſola Grammatica ageret de vocibus, nõ vero Poeſis, nec Rhetorica.

Reſp. neg. anteced. & ſuppoſitũ, quod poſsit concipi in mente oratio figurata, vel carmen menſuratũ, niſi concipiendo ipſas voces; cum figuræ, & tropi Rhetorici in vocibus ipſis, vt translatitiè, metaphoricè ſignificantibus conſiſtant; & ſimiliter menſura ſyllabarum in ipſis ſyllabis vocum ſita ſit. Duplex ergo conceptus in mente diſtinguendus eſt; præcedens locutionem. *Primus* rerum, ſive veritatum, & rationum; & in hoc ordinando verſatur Rhetorica, qua parte eſt Scientia rationalis, & ſub alternatur, tum Logicæ, ad probandas cauſas per Loca Topica; tum Scientiæ Hiſtoricæ ad enarrationẽ rerum; & ex vtriuſque principijs ordinat Ideas intellectuales ipſarum rerum, ſeu veritatum, & ratiocinationum. *Secundus* conceptus eſt vocum, vt primo rerum conceptui reſpondentium. Ad hunc autem mentalem conceptum, tres Artes vocales concurrunt (vt nunc Muſicam omittamus) Grammatica omnium vniverſaliſsima, quæ voces rerum proprias accommodat: Rhetorica, qua parte eſt Ars vocalis, & cum Grammatica ab aliquibus confunditur, vt curat ornatum dictionis per voces figuratas, translatitias, metaphoricas, &c, & Poeſis, vt quantitatem ſeu menſurã ſyllabarũ dirigit, a ſignificatione Grãmatica aliquando præſcindibilem, vt in Carmine *Barbara, celarem, ferio.* &c. Sicut etiam Muſica ab eadem aliquando præſcindit concentum vocum, vt in illis, *vt, re, mi, fa, ſol,* &c. Iuxta qualitatem ergo locutionis, ſeu prolationis, Prudentia intellectualis applicat has Artes, ſive omnes, ſive aliquas cum Grammatica ad vocum electionem. Quæ tota conſultatio, & electio fit in Mente, vbi omnes artes Ideas ſui externi artificij dirigunt & eformant. Quod enim ex ipſæ voces exterius deinde proferantur, non eſt immediatus actus Artium vel Regularum, ſed potentiæ externæ loco motivæ, aut loquutivæ executricis (quæ etiam ſine Arte in Pſittaco locum habet) ad quam, cum artificioſe dirigitur, præcedit imperium voluntatis, Ideas Artis in executione applicantis. Ex quo patet, nunquam externam vocalem prolationem poſſe á Rhetorica dirigi, quin ipſa interna vocum Idea etiã fuerit per ipſam Rhetoricam eformata & ordinata: & argumentum procedere ex minori penetratione horum principiorum.

36 Obij. 11. Multas regulas Logicæ

gicæ versari solũ circa vocales transpositiones terminorum V.g Regulæ Conversionis subjecti in prædicatũ, necnon conclusionis indirectæ pro directa, v. g, in *Dabitis* pro *Darij*; cõclusio enim, *ergo Petrus est animal* solum in voce distinguitur, ab indirecta; *ergo aliquod animal est Petrus*. Similiter transpositio maioris in minorem in figura Galenica est omnino vocalis. Ergo in his omnibus Logica per se agit de vocibus.

Resp. neg. antec. quia cõversiones subiecti in prædicatũ, & consequenter conclusionis directæ in indirectam, variant modum concipiendi Dialecticum, vt constat ex disp. 7. ac proinde non consistunt tantum in vocibus. De transpositione Galenica fateumr tantũ esse vocalem, & proinde per se non pertinere ad Logicam, sed ad summum ad Logicum, ex dictis disp. 33.

37 Obij. 12. in vocibus dari proprium modum sciendi, propriam propositionem, Definitionem &c. ergo proprie dirigibilem à Logica.

Resp. Vel neg. aut ex disp. 12. vel Dato antec. neg. conseq. quia modus sciendi vocalis esset proprius, tantum grammaticalis, sive secundum significationem externam, solum à Grammatica proprie dirigibilem, vt à n. 4 ostensum est.

DISPVT. XLVII.

Vtrum obiectum formale quod, sive artificium Logicæ, sit ens rationis?

1 PRima sententia affirmat. Ita Thomistæ omnes ad vnum, vt testantur Cõplutenses d. 1. q. 1. & Ioannes a S. Thoma q. 1. Logicæ art. 3 cũ Ortiz, & Lerma, & ex nostris P. Rubius q. 6. n. 24. P. Vallius, P. Tellez, Cardin. Toletus; fauent Scotistæ cum Merinero o. 4. s. 1. & ex parte P. Quiros d. 10. s. 8. inspiciendus, & Joannitz d. 1. c. 3.

CONCLVSSIO.

2 Secunda nostra vera Sententia negat, obiectum formale *Quod* per modum effectus (vt appellant, ex disp. 40. n. 9.) sive artificium a Logica in suo obiecto materiali, per se, inventum, esse vllo modo ens rationis. Ita P. Suarez d. 54. Metaph initio PP. Conimb. q. 5. a 2. P. Hurt. d. 1. s. 45. P. Arr. s. 2. P. Alph. n. 67 P. Peñaf. q. 5, s. 3. P. Lynceus tract. 1. c. 6. P. Comp. d. 4 n. 1. P. Rhod. P. Oviedo, P. Thom. Polon. imo juxta P. Hurt. omnes Societ DD. & ex Thomist. Sotus, Masius & Durandus; ex Scot. Poncius d 2. 1. q. 5. concl. 1. Bonesp d. vlt. Caramuel n. 403. asserens esse expressam S. Thom.

3 Præmittendum, Thomisticam sententiam eo solum cardine totam vertari, quod putent, Denominationes extrinsecas, v.g. *cognitii* &c. esse entis rationis, eo quod a parte rei nõ dentur eo modo concretivo, quo concipiuntur (de quo tract. seq. agemus) vnde eo supposito, inferunt, quod cum finis Dialecticæ sit, vt obiecta Scientiarum recte sint *definita divisa* &c. atque adeo conceptus etiam simplices obiectini recte præscisi in formã *generis, differentiæ* &c.

quæ

quæ omnes ſunt extrinſecæ prorſus denominationes, ab actibus mentis, quos ipſa Logica dirigit, deriuatæ; conſequenter totus finis artificioſus Logicę, erit ens rationis, vt pote inijs denominationibus extrinſecis vnice conſiſtens: quare ex Thomiſtico principio ſuppoſito, quæſtio precedit; & ita

4 Prob. 1. Concl. Quia ea denominatio extrinſeca habet aliquod fundamentum reale, & verum, ex quo reſulter; non enim eſt ens rationis ſine fundamento, omnino chymęricum, ſicut *hircoſeruus*; ſed cum fundamento reali in rebus, vt Thomiſtæ ipſi fatentur. Ergo fundamentum reale poterit eſſe obiectum, *formale quod*, Logicę, multo melius quam ens rationis, Conſequentia oſtenditur, quia cum ex fundamento illo reſultet ſpeciale ens rationis artificioſum, debet etiã illud eſſe ſpeciale; nam ſpecialis forma non niſi ex fundamento ſpeciali reſultat: ſed eo ipſo habet illud fundamentum ſpecialem, ſeu ſpecificam rationem, quæ ſpecificare poſſit per modum ſpecialis fundamentalis artificij, ipſam Artem ſeu regulam Dialecticę in eſſe artificioſæ; quæ eſt vnica ratio quærendi ea Thomiſtica entia rationis pro fine Dialecticæ Artis. Ergo in fundamento illo reali ſalvatur tota ratio obiecti *formalis quod*, per modum effectus, ſeu finis artificioſi Dialecticę Artis.

5 Confirmatur declarando illud reale fundamentum denominationis, quod nullum aliud eſt, niſi ipſe actus intellectus, vt eſt recta definitio, diviſio, præciſio &c. qua poſita, & ablato quocumque alio reſultat in obiecto denominatio recte *definiti*, *diviſi* &c. Ergo ipſe actus definitionis, ſecundum eſſe reale, ſecundum quod poteſt fundare talem denominationem rationis, erit obiectum *formale quod*, ſeu finale Dialecticę.

6 Prob. 2. Quia Scientia Moralis, ſeu Ethica, non minus reſpicit rectitudinem actuum moralium, ex qua reſultat ens rationis, quam ipſa Logica. Bonitas enim, & malitia moralis conſiſtit in extrinſeca denominatione, ex dictamine rationis, a quo bonum vel malum morale formaliter ſumitur; cum ex moralitates non ſint entitates phyſicè, & intrinſecè exiſtentes, ac proinde rectitudo moralis erit formaliter ens rationis, non minus quam formalis rectitudo Modi ſciendi. Sed nihilominus Ethica ſeu Scientia moralis non reſpicit vt obiectũ formale finale, ens rationis reſultãs, ſed illius fundamentum ſeu rectitudinem actus, quem dirigit, ex qua reſultat moralitas. Ergo pariter Logica &c.

7 Confirmatur ex Juriſprudentia (quæ continetur ſub Ethica politica ex diſp. 38. n. 8.) definita a Iuſtiniano, *Iuſti, atque injuſti Scientia*; vnde *jus & injuria*, eſt ipſius formale obiectum: quod tamen formaliter conſiſtit in denominatione extrinſeca morali, ac proinde in ente rationis Thomiſtico; ſed nemo dicet, quod Iuriſprudentia reſpicit pro obiecto formali *ens rationis*; ſed ſolum fundamentum reale ex quo illud ens rationis reſultat. Ergo

pariter, &c.

8 Prob. 3. a priori. Quia Artes vel Scientiæ [directivæ non aliter rectitudinem intendunt, quam diri gendo eam ipsam, quæ realiter, & ex natura rei in ipsis operibus cum periculo errandi comparabatur, & relucebat in opere artificioso; vnde inducti sunt Primi Artifices ad Artes, sive earum regulas ordinandas. Sed ea rectitudo in rebus ipsis realiter experimentaliter invenitur; vt patet inductione omnium Artium Grammaticæ, Rhetoricæ Poeticæ, &c; & licet ex illis multæ denominationes rationis resultrent (vt quoad significationem vocis, congruitatem, ornatum, &c. est manifestum) nihilominus illæ ab Artiū & Scientiarum consideratione alienæ, imo indignæ visæ fuerunt, quæ vt finis, & obiectum, sive vt artificium formale intenderentur. Ergo pariter in Logica, &c.

9 Resp. Thomistæ dando disparitatem, quod reliquæ Artes, & Sciētię sunt Reales; Logica vero rationalis, & ideo de ente rationis.

Contra Tum quia nituntur pura assonantia, & voce *rationis*. Tum quia juxta S.Th. *initio Poster. Logica est Scientia rationalis, quia est circa actus rationis*: aliunde enim tam realis est, & de veris ac realibus agens, quam reliquæ Scientiæ, quæ vt tales non nisi vera, & realia respicere debent perse, & vt finē: quę enim vtilitas in figmentis, quà talibus, vnice procurandis?

OBJECTIONES.

10 Obij. 1, S.Th. 4 *Metaph. lect.* 4. distinguens *ens naturæ, & ens rationis, scilicet secūdas intentiones, quæ sunt subjectum Logicæ.* & in *Proœm. Ethic.* distinguit ordinē artificiosū, quem ratio vel facit, vel considerat per singulas Artes: & ait quod per Logicam *facit & considerat ordinem rationis in actu rationis.* Ergo per ens rationis.

Resp. adeo clare S.Thomam, ibi nomine *entis rationis, & ordinis rationis*, intellexisse ipsos actus mentis, seu rationis, sive secundas intentiones; comparando etiam ordinem rationis, quem facit, & considerat Ethica in actibus moralibus nostræ voluntatis, cum Logica; vt expresse sit pro Nobis: dum agnoscit in ipsis actibus rationis imbibitā rectitudinem illam a Logica intentam; sicut in moralibus intentam ab Ethica. Vnde Caram. co *n.* 4, non dubitavit hic dicere: *Thomistæ putant se bene exponere D. Thomam, cum durius, difficiliusque, &c.*

11 Obij, 2. Obiectum formale Logicæ sunt vniversalia, Prædicabiliaque vt talia; sed hæc essentialiter important ordinem, & relationem rationis ad inferiora, &c. Ergo

Resp. dist. maj. Vniversalia, secundum fundamentale, quod dicūt, ratione actus præscisivi, vt dirigibiles sunt obiectum Logicæ, concedo; secundum formale, quod resultat per rationem concipientem res aliter ac sunt, denominative, nego; quia hoc dignum non est quod intendatur ac respiciatur a Scientia Logica, intenderet enim quod fallamur, dum intendit quod sciamus res, vt in se sunt.

12 Obij,

12 Obij. 3. Ens rationis est obiectum alicuius Scientiæ perse, sed non alterius nisi Logicæ; Ergo.

Resp. vel neg. maj, cum P. Suarez supra & d. 1. s. 1. n. 6. alias Scientia, per se ageret de Chymæris. Vel data maj. Metaphysica quæ agit de ente, aget secundario de eius opposito ente rationis: Atque etiam Logica secundario aget de his entibus rationis denominativis resultantibus ex actibus a se directis; sicut de conceptibus obiectivis ob connexionem agit.

13 Obij. 4. Iuxta Arist. 1. *Metaph. text.* 5. Logica agit de omni ente: sed non secundũ esse reale, quod pertinet ad Metaphysicam; ergo secundum aliquod esse rationis.

Resp. Logicam agere de omni ente, secundario, secundum esse obiectivum definibile, divisibile, &c, quo pacto non consideratur a Metaphysica. Ea autem rationes in tantum respiciuntur a Logica, in quantum respicit, & dirigit *definitionem, divisionem* &c. per quas obiectũ illud denominatur, non vero quia ipsas denominationes, vt resultantes per cõcretum rationis considerat.

14 Obij. 5. & replic. ex P. Quiros, saltem præscindere a reali, & rationis, obiectũ *formale quod* Logicæ; quia definibile, & divisibile, vt sic, quod a Logica perse respicitur, ab ente reali, & rationis præscindit. Ergo Logica non omnimo respicit realem rectitudinem artificiosam.

Resp. Quod licet conceptus obiectivus *definibilis*, &c. præscindat a reali, & rationis (de quo in *Metaph.* vbi de supertranscendentibus] attamen definitio ipsa, per quam denominatur obiectum definibile, & media qua, sive in qua vt in primario obiecto respicitur a Logica, semper est actus realis; & consequenter gaudens reali rectitudine, v.g. definitionis; vnde quod formaliter, & primario respicitur, & intenditur a Logica semper est reale.

15 Obij. 6. Si rectitudo quam Logica intendit non esset ens rationis, esset ipsa repræsentatio realis, & naturalis actuum intellectus; sed quod est naturale, non est artificiale, neq; artificiosum; atque adeo nec poterit esse artificium intentum a Logica, vt est Ars, seu Scientia artificiosa; sed solum ab Animastica vt contemplatur Naturam. Ergo.

Resp. concessa maj. neg. min. Quia eo modo quo recta intrinseca repræsentatio *definitionis* &c. respicitur a Logica, scilicet regulative, sit artificiosa, licet in se sit naturalis: eo autem modo non respicitur ab Animastica, atque adeo neque vt artificiosa. Pro quo explicando sit,

DISPVT. XLVIII.

Vtrum artificium a Logica intentum sive directio passiva, sit ipsa intrinseca repræsentatio Actu mi

1 PRima sententia negat: sed triplici via. 1. Thomistæ per suũ ens rationis. 2. RR. nostri per doctrinam P. Ripalda T. 1. d. 67. n. 4. & d. 39. de Char n. 17. per de-

nominationem extrinsecam, ab ipsa Logica vt dirigente derivatam, in actus directos. 3. P. Lynceus c. 8. n. 60. &. 4. Phys. tr. 10. n. 18. P. Peñafiel q. 6. a n. 49. & alij apud P. Hurt. s. 6. per quemdam modũ physice superadditum, eam artificiosam rectitudinem actuum in formam Modi sciendi, formaliter constituunt.

Sect. 1. *Conclusio affirmans.*

2 Secunda nostra sententia affirmat, rectitudinem artificiosam, quã vocare solent directionem passivam actuum, aut obiectum *formale quod*, per modum effectus, sive finis a Logica per suas regulas intenti, nihil esse aliud quam intrinsecam repræsentationem actuum directorum: sive plurium, quando fuerit artificiũ compositum, vt in *syllogismo*; sive singulorum, quando simplex, & singulare fuerit artificium, vt *definitio, divisio, genus* &c. Ita DD. laudati *d. præced* cum P. Surrez, & præterea P. Granad. 1. p. q. 1. d. 3. s. 2. n. 9. P. Santacruz n. 127. Spinula d. 11. s. 2 Joannitz d. 1. c. 7. &c.

3 Prob. 1. Modus repræsentandi non est aliquid superadditum, neque extrinsecum actui, sed ipsa intrinseca, & essentialis repræsentatio illius. Sed rectitudo artificiosa, quam Logica imẽdit in actibus a se directis, nihil est aliud quam modus repræsentandi ipsorum actuum; ergo talis rectitudo non est aliquid superadditum neque extrinsecum, sed ipsa intrinseca repræsentatio actuum. Major est certa, quia modus repræsentandi pertinet ad essentialem modũ tendendi ipsius actus; v. modus repræsentandi clare, vel confuse, disjunctive, vel copulative &c. Minor probatur inductione. Quia quod actus simplex directus, sive rectus sit in esse *generis, differentiæ*, &c. nihil est aliud, quam quod modo præcisivo cõcipiat rationẽ conveniendi pluribus speciebus communẽ, v. g. *animal*; vel differentialẽ earumdẽ v. g. *rationale*. Quod vero actus complexus directus sit in definitionem, idem est, ac modus concipiendi rem per vtrãque eam rationem *generis*, & *differentiæ*; quod item in divisionem, modus concipiendi Terminum communẽ superiorem, vt diuisum in inferiores, vel partes: quod denique in syllogismum, modus concipiendi illativus, vel discursivus, ex vnione duorum cum tertio, ad vnionem vtriusque inter se. Neque est aliqua alia passiva directio Logicalis actuũ. Ergo tota directio passiva, seu rectitudo Logicalis, & artificiosa actuum, in ipsorum intrinseco repræsentandi modo consistit.

4 Prob. 2. Illa est rectitudo, sive directio artificiosa intenta a Logica: qua posita, resultat in actu conformitas cum regulis Logicæ. Sicut ea est rectitudo seu congruitas vocũ intenta a Grammatica, qua posita, resultat in vocibus conformitas cum eius regulis. Sed posita tantum eius modi repræsentatione actuum, v. g. per *genus*, & *differentiam* &c. ablato quocumq; alio, resultat in actu cõformitas cũ regulis Logicis *definitionis*, &c. Ergo ea sola repræsentatio,

tio, & nihil aliud, eſt rectitudo artificioſa intenta per Logicam.

5 Prob. 3, paritate, Tum Scientiæ ſive Artis divinæ practicæ; quæ *omnium Artifex* dicitur *Sap.* 7. & 14. & ſumme artificioſa a SS. Patribus apud P. Cornel. ibi, mirifice commẽdatur. At nullum aliud artificium ſuperadditũ reſpicit in creaturis, niſi ipſarum eſſe, vt artificioſiſsimum Dei opus evadant. Tum multarum Artium humanarum; v.g. ſaltatoria, cithariſtica, &c. nihil aliud artificij reſpiciunt niſi motus ipſos, qui naturaliter fieri poſſent, abſolutè & ſimpliciter, ſiue Arte, cu periculo tamen errandi; quod vnicè tollitur per Artem exercite, nulla alia ſuperaddita re obiectiva, vt motus ipſi evadant artificioſi. Ergo pariter vt rectitudo Modi Sciendi artificioſa ſit, nihil reale ſuprad di neceſſe eſt quod objectivè inẽdatur a Logica.

6 Prob. 4. rejiciendo triplex artificium negativæ Sẽtentiæ ex n. 1. Et impri nis ens rationis ſatis rejectum eſt *d. præced.*

Deinde Denominatio extrinſeca a Regulis ipſis derivata rejicitur. Tum quia hæc denominatio exercite derivatur à Regulis, quin ſit neceſſarium, quod reflexe intendatur; eſſet enim otiosum, & inutile. Tum quia alias omnis Regula eſſet explicitè reflexa ſupra ſe, cum explicitè rectitudinem actuum intendat, & dirigat: Quod & otioſum eſt, & contra experientiam. Tum quia in nulla alia Arte ea denominatio extrinseca intenditur, aut reflexè reſpicitur; vt quid enim, quod neceſſario reſultat, ita intendetur? Tum demum quia ablata per impoſsibile, vel præciſa per mentem, ea denominatione reſultãte, actus eſſet ſimpliciter & abſolute rectus, & cõformabilis cũ regulis; ſed ita, quæ ſal tẽ per mentẽ ablato, manet res; non eſt conſtitutivũ rei, propterea enim Deus nullius creaturæ cõſtitutivum eſt; ergo ea denominatio nõ eſt cõſtitutiva rectitudinis.

7 Demum Modus ſuperadditus eodem modo rejicitur Tum quia otioſus. Tũ quia eo tantũ per mentẽ ſaltem ablato, maneret actus rectiſsimus. Quod autem dicunt, ſine eo modo futurum actum rectum fundamentaliter, non vero formaliter: refutabitur *tract.* 5. cum omnis modus relationis, ad ſimiles denominationes formaliter conſtituendas, otioſe invẽtus expũgetur, quia ſic poſſet cõfingi novus modus præter calorẽ venitũ, vt aqua eſſet calida formaliter.

8 Reſp. Adverſ. repræſentationem actuum fundare artificium, ſicut entitates lapidum fundant artificium domus; at ſicut formaliter ſuperadditur quædam ordinatio in lapidibus; ita in actibus quidam modus ordinationis adjicitur, qua fiant ſyllogiſmus ex tribus propoſitionibus ita diſpoſitis; & definitio ex duplici termino generico, & differentiali, &c.

Contra 1. Quia hæc ipſa ordinatio nihil eſt aliud, quam ipſa entitas & repræſentatio actuũ ordinatorũ: quæ licet, cum multi ſint, involvat aliquid

aliquid intrinsecum actui scilicet propriam repræsentationem, & aliquid extrinsecum scilicet repræsentationẽ alterius actus coexistentis, vt in syllogismo; attamen nihil distinctum a repræsentatione ipsorum actuum respectivè ad omnes simul importat; & multò minus quãdo actus simplex est, cum sola distinctione formalitatum seu terminorum, vt *definitio, divisio.* &c. 2 quia adhuc in ipsa ordinatione lapidum, nihil datur distinctum ab ipsis intrinsecis vbicationibus superficierum vnius cuiusque lapidis coaptati, quæ vt coexistentes faciunt situm, seu ordinem situationis, in quo consistit artificium domus. Ergo pariter, &c.

Sect. 2. Objectiones.

9 Obij. 1, *pro 1. sent. neg.* S. Thom. ex Arist. 2. 2. *q.* 96, *a* 2. *ad* 2. inquiens, *Corporum artificialium formæ, procedunt ex conceptione Artificum, & nihil aliud sunt quam compositio, ordo, & figura, vt dicitur in 1. Physic.* Vnde omne artificiũ aliquã cõpositionẽ importat materiæ cũ forma artificiosa, vt inductione constat. Ergo vt actus intellectus artificiosi sint, supra materialem entitatem & repræsentationem suam, aliquam formam, quacum componatur artificium, important; maximè cum plerique actus ex se sint simplices qualitates.

Resp. fatendo cum P. Suarez *d.* 1. *Metaph. s.* 4. *n.* 30. & P. Hurt. *d.* 7. *de Anima, s.* 3. ex Arist. & S. Thom. omne artificium aliquam compositionem importare; non tamen semper formalem, sed sæpe etiam virtualem: nisi quando fuerit artificium corporeum, vt externum; vel Mæchanicum, seu manufactum: quia tunc solet fieri per solã aggregationem, vel ordinationẽ entis per accidens, de quo loquitur S. Thom. Non ita tamen artificium internum; vt patet in Scientia divina, omnium Artium artificiosissima, ex n. 5. cuius objectũ perfectissimè artificiosum est, juxta P. Suarez 3. *de attrib. c.* 4. *n.* 7. & P. Ruiz *d.* 5. *de Provid. s.* 1. *n.* 11. cum tamen sæpe sit indivisibile, & omnis formalis compositionis expers, vt Angelus, & Anima rationalis; habens tamen virtualem compositionem prædicatorum diversorum, mirabiliter interse consonantium. Similiter ergo; licet alij actus intellectus præter syllogismum, simplices sint, & careant formali artificiosa compositione, habent tamen virtualem ex terminis; quam dirigit Logica ordinando prævias apprehensiones, per quas quasi per caracteres typographicos imprimit judicio & discursui earumdẽ apprehensionũ terminos, & repræsentãdi modos; quia extra illos, quos prima operatio præscribit, secunda, & tertia evagari nequeunt; vt d. 44. n. 5. ostensum est. Ipsa vero simplex apprehensio licet formaliter incomplexa habet etiam virtualem complexionem vt ibi n. 9. expositi, ob virtualem, & potestativam continentiã, sive plurium formalitatum, ex quibus obiectum sæpe componitur, sive plu-

rium

rium inferiorum, ex quorum conuenientia terminus communis præſcisive reſultat, vel componitur; v. g. ratio animalis, ex homine & bruto in ratione animalis cõueniẽtibus. Et hæc Logica virtualis compoſitio ad artificium ſufficit, cũ ſub Artis directionem cadat, ſicut compoſitio formalitatum Angeli, quia cadit ſub directionem Artis, & ſcientiæ Divinæ: quin requiratur alia forma artificioſa ſuperaddita.

10 Obij 2. Repræſentatio actus eſt illius rectitudo naturalis; ergo nõ eſt artificialis; cum artificiale & naturale opponantur; & conſequenter illa non erit artificium, ſeu obiectũ formale *quod* Artis Logicæ.

Reſp. conc. ant. neg. conſ. Quia eadem rectitudo entis naturalis, pro vt ſit ex regula artis excludente periculũ erroris, dicitur artificialis ſeu artificioſa, ſicut natura Angeli artificioſa eſt reſpectu Dei, & motus cithariſtici, & ſaltatorij reſpectu ſuarum artium ex n. 5. Solum ergo in corporibus datur ea oppoſitio entis naturalis cum artificiali, ſicut entis per ſe cum ente per accidens; quale eſt omne corpus artificioſum ex n. 9. per accidens compoſitum.

11 Obij 3. obiectum formale artis & ſcientiæ practicæ debet habere indifferentiam, vt bene vel male fiat, alioquin fingere liceret Artem practicam, circa rectitudinem cadendi in centrum, &c. Sed repræſentatio actus indifferens non eſt, vt bene, vel male fiat; neque enim repræſentatio generi proximi poteſt eſſe remoti, &c. aliàs actus variaret obiectum, & eſſentiam; ergo ea repræſentatio non poteſt eſſe rectitudo, quam intendit Ars Logica.

Reſp. diſt. maiorem. Obiectum formale Scientiæ, vel Artis practicæ debet habere indifferentiam, vt bene vel male fiat, ſi ſit artificiatum per accidens, ſicut artificia mæchanica, quæ habent indifferentiã ſubiecti ad accidentia concedo: ſi ſit artificium per ſe, ſicut Angelus, & Anima rationalis artificioſiſsima opera Dei, nego. Quia hæc artificia tantũ requirunt indifferentiam entis ad exiſtendum, & ad ſummum conditionalem quandam contingentiam, quod ſi deficeret Scientia vel Ars, eſſet periculum erraudi, ponendo opus improportionatum ad finem, pro artificioſo propotrionato: vt ſi per impoſsibile Deo deeſſet Scientia, poſſet creare lapidem loco Angeli in finem beatitudinis. Et ita ſi deeſſet directio Logicæ, poſſet eligi mala definitio, loco bonæ vel rectæ, in finem Modi ſciendi. & hæc indifferentia ad exiſtendũ, ſive ad errorem in exiſtendo, ſufficit vt Ars Logica vtiliter dirigat, ad eligendũ exiſtentiam definitionis rectæ præ erronea. Atque hoc modo dubium non eſt, quod ſi in manu hominis ſit cadere, vel non cadere in centrum, poſsit dirigi per cognitionem practicam ad eligendum vtrum præ alio; ſicut quemcumque alium actum, vel motum aliàs neceſſarium, ſi excogitetur modus, quo fiat indifferens ad exiſtendum.

12 Obij.

12 Obij 4. pro 2. *sentent. neg.* Prudentia practica, seu dictamen rationis dirigit actum moralem, reflexè secundum denominationem extrinsecam ab ipsa prudentia dirigente, sive vt directum ab ipsa: quia dirigit actum vt bonum moraliter, non est autem bonus seu rectus moraliter, nisi vt prudenter rectus, sive ex regula prudentiæ hic & nunc factus: ergo pariter vt actus scientificus, seu Modus sciendi a Logica respiciatur, vt rectus, sive secundum rectitudinem scientificam debet respici secundum denominationem extrinsecam, qua à Regula ipsa rectus, seu directus constituitur.

Resp. dato anteced. quod multi DD, negant cum P. Gran. 1.2. tr. 9. d. 1. n. 8. neg. conseq. & paritatem; quia juxta omnes DD. cum Arist. 5. & 6. Ethic. & S. Thom. 1.2. q. 18. & 19. vt bene moraliter operemur, nō sufficit facere *bonum, sed bene; nec, justū sed etiā justè*; vnde ad hoc vt fiat actus moraliter bonus seu rectus per prudentiæ dictamen seu regulam, non sufficit quod specificativè actus ille rectus dirigatur, sed reflexe reduplicativè, vt hic & nunc rectus, & prudenter operabilis eligatur: & ideo debet prudentia saltē implicitè reflectere supra se ipsam, vt extrinsecè regulantem sive denominantem actum illum; vt rectè & prudenter operabilem. Quod non ita contingit in rectitudine pure artificiosa, quæ secundū se potest absolutè & simpliciter consistere sine regula artis, vt passim boni syllogismi sine regula fiunt; cum tamen nullus actus bonus moraliter sine dictamine prudentiæ bene fieri possit. Vnde per se salva consistit rectitudo artificiosa Modi sciendi sine vlla denominatione a Logica dirigente, imo sine ipsa regula; ac proinde rectitudo quam in ipso actu Logica intendit, minime ab ipsius directione resultat aut denominatur, sicut rectitudo moralis, quam prudentiæ regula intendit, quæ sine hac nec esse, neque concipi potest.

13 Obij 5. Rectitudo quam Logica intendit in actibus est artificiosa, & quæ fiat bre periculo erroris; sed hæc ratio artificij, & exclusio periculi, constituitur formaliter positivè per ipsam regulam: ergo rectitudo illa per ipsam regulā vt denominātem constituitur.

Resp. dist. mai. Rectitudo intenditur à Logica, vt artificiosa, & sine periculo, exercitè, concedo; signatè, & reflexe, nego. Sicut obiectum quod directè cognoscitur, respicitur, vt cognitum exercitè; quia exercetur per cognitionem ipsa denominatio cogniti, nō tamē signatè, & reflexe, quia nō debet per omnem cognitionem, si directa sit, ea denominatio respici. Ita ratio artificiosi & excludentis periculum errandi, exercite communicatur actui per regulam, non tamen reflexè attingitur, vel intenditur à Regula.

14 Obij 6. Rectitudo actus, vt repræsentatio est, sumitur in ordine ab obiectum, sive vt est verus & cōformis cū illo; sed rectitudo Logica-

lis

lis non est in ordine ab obiectum, & in esse veri; quia syllogismus falsus potest esse Logice rectus; & etiã definitio, vel divisio, falsa potest esse recta, si v.g. bona definitio hominis dicatur de Leone, ergo rectitudo Logicalis distinguitur a rectitudine repræsentationis.

Resp. 1. neg. Suppositum *maj.* & *min.* Quod rectitudo repræsentationis in ordine ad objectum, sit solum in esse veri; quia est etiam in ordine ad illud vt *definibile, divisibile præscindibile*, &c. & secundum hunc respectum attingitur repræsentatio actus a Logicæ regulis, de definitione &c. 2. nego aliud suppositum, *min.* Quod Modus Sciendi falsus possit esse rectus; quomodo enim recta Scientia (quæ idem est cum modo sciendi) esse valeat, per quam non scimus, sed potius fallimur? Vnde cum omnibus DD. d. 31. n. 8. & d. 35. n. 7. ex Aristotele, dixi, Quod eo ipso quod definitio, divisio, & Argumentatio (secundũ esse formale illationis sive argumentationis) falsæ sint, desinunt esse simpliciter tales. Imo idem est de præscisione generis, differentiæ, & cuiuscque termini Communis. Si enim præscindat quis *rationale* a bruto v.g. desinet esse præcisio; quia hæc essentialiter dicit cognoscere vnam formalitatem sine alia identificata, vnde necessario supponit identitatem prædicati præscisi, cum subjecto, a quo præscinditur. Et hinc rursus fit, quod non possit se habere vt recta definitio, quæ falso prædicatur de subiecto v.g. *animal rationale*, si prædicetur de Leone; quia non potest esse differentia Leonis; quæ a Leone non fuit præscisa; ac proinde nec definitio recta respectu Leonis, quæ differentiam ab ipso præcisam, & de ipso prædicabilem non importat.

15 Obij. 7. & replic. hinc fieri, quod rectitudo Logicalis actuum sit partim extrinseca ipsorum repræsentationi; quia veritas, vt dicam *Tr. 6.* est extrinseca denominatio desumpta ex conformitate actus cum objecto. Sed rectitudo Logicalis Modi sciendi importat veritatem, ergo, & denominationem extrinsecam.

Resp. 1. quamvis totum concedatur, hic litem non esse, nisi de extrinseca denominatione a Regulis; vel ab ente rationis, præscisè 2. Duplex veritas est distinguenda. Alia formalis, quæ consistit in extrinseca denominatione ab obiecto, cui actus conformatur. Alia radicalis, quæ dicitur certitudo, sive infallibilitas actus, sive intrinseca connexio illius cum objecto; scilicet, vt hoc aliter non sit quam vt repræsentatur. Et hæc gaudent actus divini, atque etiam nostri supernaturales, & scientifici, intrinsece, & prout ab objectis omnino distincti; licet prout formaliter veri, involuant extrinsecam denominationem obiecti. Cum ergo omnes Modi sciendi, vt pote actus scientifici, debeant habere certitudinem, & evidentem connexionem cum objecto suo formali (ad hunc ipsa argumentatio probabilis cum illatione) ratione huius intrinsecæ certitudinis, habebunt

bebũt rectitudinem intrinsecam, certi, sive radicaliter veri modi sciendi, quam Logica intendit, antecedenter ad extrinsecam denominationem veritatis formalis ab objecto refusã.

16 Replicas adhuc: Quod etiam multæ definitiones, ac divisiones sint pure probabiles; Tum quia de multis dubitatur inter DD. an sint veræ definitiones, vt passim videmus. Tũ quia inter Loca Topica, vnde probabiliter argumẽtamur, assignatur definitio ab Arist. lib. 6. Top. Sed actus probabilis non habet certitudinem, nec connexionem intrinsecam cum obiecto, cum non sint infallibiles. Ergo in ijs definitionibus non respiciet Logica rectitudinem prorsus intrinsecam.

17 Resp. neg. maj. Quia implicat in Terminis, quod sit Definitio, vel divisio, & quod sit probabilis ex sua tendentia intrinseca; vt cum Arist. 1 Post. c. 3. & 4. & toto lib. 2. tradunt S. Th. Scotus, & omnes DD. cum & apud PP. Conimb. q. 1. & q. vn. ibi; qui non solum omnem Definitionem scientificam, & evidentem esse dicunt; sed etiam medium præcipuum Scientiæ, & demonstrationis, imo inter præcipua principia per se nota enumerant; idemque statuunt de divisione. Vnde licet Argumentatio dividatur in evidentem, & probabilem, ratione materiæ; numquam tamen definitio, aut divisio, ita dividitur, quia semper versantur in materia necessaria, & evidenti. Ratio. Quoties datur necessaria connexio inter prædicatum, & subjectũ actus, datur certitudo, & evidentia infallibilis, & scientifica actus: sed inter definitionem, & definitum, inter dividentia, & divisum, datur necessaria connexio, tanquã inter prædicatum, & subiectum, vt constat. Ergo datur certitudo, & evidentia infallibilis, in Definitione, & divisione. Et hinc est disparitas ad Argumentationem, quæ licet, ratione formæ semper sit certa, & infallibilis, quo ad illationem, potest tamen aliquãdo ratione materiæ a veritate deficere, vnde tunc tota certitudo, & infallibilitas rectitudinis Logicalis salvatur in forma Nisi dirigatur etiam per regulas demonstrationis, quæ vtramque præmissam certam, & evidentẽ requirit; tunc enim habebit intrinsecam rectitudinem ratione infallibilitatis actuum, non minus quam Definitio, & divisio. *Advertc* tamen nõ propterea a me excludi Regulas, quæ etiam attingant veritatem formalem connotative, & secundario, juxta disp. 45. n. 17. sed solum quæ primario aliam quam radicalem veritatem actui intrinsecam respiciant & dirigant.

18 Ad 1. prob. maj. ex n. 16. Dubium illud probabile de definitionibus, circa quas disputatur, non facit quod definitio ipsa sit probabilis: sicut dum probabiliter dubitamus de homine a longe viso, an sit homo, ille non est probabiliter brutum secundum se, quia tota probabilitas se habet ex parte dubitationis in vtramque partem judicium inclinantis. Ita dubium de definitione, non est quia

definitio

definitio poſſet eſſe dubia per ſe; ſed quia dubitatur reflexe an ſit vera definitio? Si enim ſemel ſit recta juxta regulas Logicæ, tã impoſsibile erit, quod definitio non ſit certa, quam quod homo verus ſit probabiliter brutum.

Ad 2. prob. maj. Etiam ex principio certo & evidenti poteſt probabiliter argumentari, adjuncta alia Præmiſſa probabili, vt paſsim fit; quia concluſsio ſequitur debiliorem partem; vnde oprime definitio, licet certa, evidens, & ſcientifica, deſignatur inter Topica principia ab Ariſtotele.

19 Obij. 8. pro 3. ſent. neg. In eo diſtinguitur obiectũ formale, quod reſpicitur a Logica, ab eo quod ab Animaſtica in ipſis actibus mentis reſpicit, quod diſtincto modo a Logica reſpiciatur, ex d. præc. n. 15. Ergo eſt aliquis modus diſtinctus, ſecundum quem actus eſt directus per Logicam.

Reſp. diſt. antec. & conſeq. eſt modus, diſtinctus a modo directivo quo tendit Regula, & modo dirigibilitatis, ſeu ſcibilitatis, ſub quo attingitur actus mentis, nego: indiſtinctus, concedo, & modus intrinſecus dirigibilitatis actus, eſt rectitudo ſeu directio paſsiva illius; modus vero extrinſecus regulæ eſt directio activa; nec opus eſt alio modo ſuperaddito.

20 Obij. 9. Quod actus mentis ſit directus in actu ſecundo a Logica fieri debet, per aliquem modum actionis ſuperadditum; ſicut quod calor ſit productus ab igne, ſit per ſuperadditam actionem; cum poſſet aliquando coexiſtere Regula pro poſteriori ad definitionem v. g. quin definitio tunc a Regula dirigatur, quia ſolum ab illa vt pro priori ſe habente dirigi vel regulari poſſet. Ergo per aliquem modum determinatur actus definitionis vt ſe habeat pro poſteriori vt directus.

Reſp. hic tangi gravem difficultatem de actione, & influxu cauſæ moralis, ſeu pure directivæ, an fiat per modum ſuperadditum ſicut influxus effectivus: de quo in *Phyſic.* & videri poſſunt P. Rip. d. 67. de ſupern. ſ. 3. & P. Ribaden. d. 10. de act. hum. & alij. Et nunc dato illo modo ſuperaddito, per modum actionis, nego in illo conſiſtere rectitudinem definitionis, diviſionis &c. a Logica directive cauſatam; ſicut nec in ſimili actione conſiſtit bonitas moralis actuum voluntatis, directa per Ethicam, vel prudentiam. Sicut etiam entitas caloris phyſice cauſata ab igne diſtinguitur a modo ſuperaddito actionis, per quam cauſatur. Ratio a priori. Quia ablato, vel præciſſo per mentem, quocumque modo ſuperaddito actionis, manente ſola repræſentatione actus per genus, & differentiam, manet tota formalis rectitudo actus in eſſe definitionis: ſicut ablata ſolum realiter vel per mentem ſimili actione productiva actus honeſti, maneret illius honeſtas, & rectitudo; & ſimiliter ablata actione phyſica per impoſsibile ſolã, omnibus alijs manentibus, maneret entitas caloris: ergo ſimiliter &c.

21 Obij. 10. Syllogiſmus rectus ſi

proferatur inverso modo, mutando conclusionem in præmissam, non manet rectus ob inversionem modi: ergo rectitudo illius consistit in modo superaddito rectæ dispositionis.

Resp. neg. conseq. Quia si conclusio inverteretur in præmissam, mutaretur, & auferretur intrinsecus repræsentandi modus illativus denotatus per ly *ergo*; quia eo ipso adderetur præmissæ, & auferretur cõclusioni, vnde intrinsece modus tendendi, vtriusque mutaretur: & consequenter intrinseca rectitudo. Si vero variatio solum esset præmissarum inter se, hæc non immutaret rectitudinẽ quia esset pure vocalis transpositio ex d. 33. n. 4. & 5.

22 Obij. 11. In reliquis artefactis v.g. lapidum in formam domus &c. artificium est modus superadditus ex speciali dispositione figuræ, collocatione, & situ vbicationum: ergo pariter artificium Logicæ.

Resp. 1. neg. conseq. quia artefacta per accidens, talia sunt ex accidenti, non ita tamen artefactum per se, vt Angelus respectu scientiæ Divinæ, & definitio recta respectu artis Logicæ. 2. nego suppositum antecedenti, quia etiam ipsa artefacta per accidens, adæquate sumpta, consistunt in ipsis entitatibus naturalibus, tum lapidum, tum vbicationum, quibus artificium nihil aliud speciale artificiosum addit, nisi denominationem extrinsecam, materialiter se habentem respectu intrinsecæ ordinationis, quam naturaliter, & sine arte absolute habere possent; vt etiam de *saltatione*, & *citharizatione* dictum est supra n. 5. & 8.

DISPVT. XLIX.

Quodnam sit Scientijs Attributionis obiectum?

1 Nihil est apud DD. implicatius, quam explicatio obiecti attributionis, teste P. Hurt. d. 1. Metaph. Quare vt statuamus, quodnam sit pro Logica designandũ, præmitti debet, in quo illius ratio consistat. Qua in re novem, præter suã, Sẽtentiã refert, & reijcit P. Lynzeus 8. Met tract. 5. quarum præcipuas sect. 1. refutabo, vt antiquiorem cũ recentiori sect. 2. componam.

Sect. 1. Aliorum sentẽtiæ reijciuntur.

2 Prima sententia tenet obiectũ attributionis esse rationem formalem, *sub qua* reliqua omnia tractantur, in Scientia; attingendo saltem in obliquo per omnes scientiæ prædicationes. Ita Sotus, & Masius apud P. Hurt. 5. 38. & alij Thomistæ apud P. Linze n. 51.

Contra 1. quia confundit obiectum attributionis cum ratione formali *sub qua*, quam perpetuo DD. distinguunt, vt d. 40. n. 6. 20. 21. & 22. præmisimus 2. Quia vt ibidem n. 8. probavi, Ratio *sub qua* nec proprie est obiectum, nec ab actibus attingitur: e contra vero obiectum attributionis. 3. Quia obiectum attributionis non debet per omnes scientiæ actus attingi: Deus enim iuxta S. Thomam q. 4. Prolog. & reliquos DD. est obiectum attributionis Theologiæ, nec tamen per omnes actus Theologicos circa Angelum, Sacramenta &c. attingitur: nec in Physica homo, qui obiectum

est

est attributionis illius per omnes ipsius tractatus attingitur, ergo.

3 Secunda sententia illud esse dicit, ad cuius perfectam cognitionẽ omnia alia obiecta attributa dirigantur sub eadem ratione, formali; vt in Physica ad cognitionem hominis deservium tractationes de principijs, quæ ipsum componunt, de causis, quæ illum efficiunt, de motu per quem mutatur, &c. Ita P. Hurt sup. s. 25. & d. 1 Log c. 8. P. Arr. hic d. 1. n. 11. & 43. & d. 2. n. 54. P. Ovied. cont. 1. princ. 1. n. 10 ex Durando. &c.

Contra 1. Quia cum omnes hæ connexiones obiectorum sint mutuæ (non enim minus connectuntur causæ cum effectu, partes cum toto, proprietates & attributa cum essentia, quam è converso) non erit cur vnũ potius, quam aliud, sit obiectum attributionis; cum æque ad invicem connectantur, & ad mutuam cognitionem & scientiam alterius deservire possint. Quod autem inquit P Arr. n. 48. illud futurum inter ea obiectum attributionis, in quo Scientia tanquam in fine quiescat, non satisfaci: si enim æquè connexa sint, & æquè ad finẽ Scientiæ deservientia ad invicem, cur in vno potius quã in alio Scientia quiesceret?

4 Contra 2. V. ipse P. Arr. initio Physic. fatetur, omnia quæ tractantur in Physica non minus connectũtur cum homine quam cum equo vel Bruto. Ergo aliquid aliud, præter connexionem facit, quod homo potius quam Brutum sit in Physica attributionis obiectum: hoc autem aliud esse non potest, quam Scientiæ Institutorum arbitrium, vt s. seq. decernam.

Confirmatur. Quia vix poterit determinari in Scientijs attributionis obiectum, si regulandum sit ex sola connexione, cum omnia obiecta ad invicem connectantur; vnde ipse P. Arr. *in proæm. Physic.* prius *Corpus complectum*, deinde *hominem* postea vix non *equum*, pro Physica determinat. Et disp. 2. Log. n 65. non parum laborat, vt Totum potius quam pars debeat esse obiectum attributionis; quia hæc potius ad totius cognitionem; quã illud ad cognitionem partis ordinatur: cum nulla detur major ratio pro vna, quam pro alia ordinatione, nisi ad arbitrium Prudentis redigatur; quia æqualis vtrimque objectiva connexio æqualem inducit ordinationem, quantum est ex parte obiecti; ergo. Vrgetur. Tum quia ipse P. Arr. n. 74 Demonstrationem facit obiectũ attributionis Logicæ, & tamen est pars constitutiva, seu genus ad Demonstrationem, *quia, & propter quid*. Tum quia Diuisio generis in species vt pote modus sciendi est manifestatio generis diuisi; ergo species ordinantur ad manifestationem generis diuisi, licet hoc sit pars earum juxta P. Arr.

5 Contra 3. Quia difficulter poterit P. Arriaga, attenta solum connexione obiectorum, decernere in Mathematicis, quod nam sit obiectum Attributionis, vel Attributi

V. g. in Geographia, an circulus, an quadrum, vel triangulus? in Astrologia, an Motus solis, vel alterius Planetæ? Imo in Metaphysica vbi Deum assignat, vix capitur titulus connexionis, quia licet omnia prædicamenta de quibus illa àgit, connectantur cum Deo, minimè tamen agit de illis, vt cum Deo connexis; sed vt secund suas essentias, & attributa, ab illa connexione præcisis. Ergo quærenda est alia ratio præter connexionem.

6 Tertia pro inde Sententia, requirit, quod obiectum attributionis sit nobilius reliquis, vt Deus in Metaphysica, & Theologia Ita Gabriel q. 9. Prolog. à 2, concl. 3, P. Comp. hic d. 7, s. 1 n. 6. & s. 4. n. 2. Quos rejicit P. Lynceus n. 50. Quia Deus deberet esse attributionis obiectum in Physica, quia nobilius. Facile tamen se expediunt: quia in Physica Deus non est objectum primarium, quale esse debet obiectum attributionis, inter primaria præcipuum. Aliunde ergo,

Contra 1. quia licet obiectum Attributionis debeat esse inter primaria præcipuum, ex modo tractationis, non tamen ratione entitatis; quia illud, quod nobilius est, potest in aliqua scientia minus principaliter tractari, vt Deus in Methaphysica iuxta P. Suar. d. 1. sect. 1. & plerosq. DD. 2. quia sicut obiectum nobilius potest in scientia tractari secundario, & vt terminus conexionis; v. g. Deus in Physica, etiam poterit inter obiecta primaria minus principaliter attingi. Sicut sæpe cõtingit in oratione, vel cõcione sacra, vbi solet tractari de B. Deipara, & alijs SS. Patronis, non tamen ordine dignitatis, sed occasionis vel opportunitatis, secundum principale assumptum argumenti; in quo B. Deipara, imo & Christus D. potest esse obiectum minus præcipuum. 3. quia ex hac perfectionis, vel nobilitatis mensuraæ, gre poterit definiri, quod nam sit obiectum Attributionis in alijs scientijs, vel Artibus; v. g. in Rhetorica, an genus Exornativum, vel Deliberativum? in Nautica, an gubernatio Prætoriæ, vel Onerariæ navis? in Domifactiva, an Palatium, vel Templum? in Mathematica, an hæc vel illa species quantitatis; &c. Ergo certior aliqua regula quærenda est.

7 Quarta sent. P. Quiros d. 11. sect. 1. asserit penes arbitrium Institutorum scientiæ esse obiecta Attributa, & Attributionis in vnam facultatẽ colligere; sed hoc posito ex modo connexionis obiectorum provenire; quod vnum potius, quam aliud sit Attributionis obiectum. Sicut ex præmissis, quas libere quis conjungit, necessario sequitur conclusio; ex narrationibus, quas historicus prolibito ordinat, resultat necessario historia Cæsaris, vel Alexandri, vt obiecti Attributionis.

Contra 1. quia adhuc in præmissis libere positis est necessaria connexio obiectiva cum conclusione antecedenter ad libitum nostrum; à quo connexio terminorum,

rum, & veritas necessaria non dependet. Et similiter in quavis Scientia connexio obiectorum inter se est omnino necessaria: ergo materialiter se habet arbitrium ad connexionem illorum. 2. Quia non designat P. Quiros, quænam sit illa connexio, quæ ex libito Institutorum Scientiæ resultat; si enim est ea, quam antecedenter habent obiecta, hæc neque dependet ab arbitrio, neque determinat vnum obiectum præ alio in finem Attributionis; cum æque mutua sit inter omnia. Si autem sit connexio ex methodo, & modo tractationis; hæc est prorsus arbitraria licet cum fundamento connexionis, sicut quævis intentio, & electio finis, & mediorum nobis est libera. 3. Quia in syllogismis expositorijs, (v. g. *hic homo est Carolus, Carolus est Rex, ergo hic homo est Rex*) tres illæ veritates habent mutuam connexionem, vt ad invicem possint esse præmissæ, vel conclusio. Et idem est quando sumitur in medium syllogismi definitio, quæ dicitur ad convertentiam cum definito. Sed pariter obiecta scientiarum sunt mutuo connexa. Ergo pariter se poterunt habere mutuo, vt obiecta attributionis, seu conclusionis 4. idem evenit in historia quando duorum Heroum facinora sunt inter se connexa, vt Cæsaris & Pompei: vbi solum ex modo libero Tractationis, potest vnius potius, quàm alterius Historiæ apellari: ergo pariter.

8 Quinta sententia P. Lynzei c. 2. approbat in scientia speculativa obiectum attributionis prorsus arbitrarium; è contra in practica, cuius regulæ necessario respicium t opus, vt obiectum attributionis, instrumẽta vero operis, vt obiecta attributa, vt Pictoria, Typographica, &c.

Contra 1. Quia sicut in ea generalitate praxis seu opus necessatio est finis scientiæ practicæ, ita veritas necessario est finis speculativæ. Vnde sicut sub veritate, vt sic sunt, plures veritates specificæ, quarum vna potius quam alia eligi possit in finem; ita sub praxi vel opere artificioso vt sic, plures species continentur; v. g. sub praxi Dialectica tres operationes intellectus dirigibilis in modum sciendi. Ergo cum ad invicem inter se connectantur & coadiuventur, liberum erit eligere vnũ vel aliud in finem attributionis, cum nullum sit ex se determinatum. 2. Quia in omnibus Artibus directivis, v. g. Politica circa regimẽ publicum, Medicina circa curationem hominis, &c. non minus sunt multiplicia opera dirigibilia, quam in quavis scientia veritates scibiles, nec minus inter se coadjuvari, & connecti possunt ad invicem. Ergo indigent aliquo arbitrio, à quo vnũ potius quam aliud determinetur in ratione finis, non minus quam speculativæ veritates. 3. Quia difficulter in Logica vel Ethica invenientur instrumenta, quæ possint esse obiecta attributa, distincta ab operatione mentis, quæ sit attributionis; cum præter illam nullum aliud obiectum respiciant. Nec minus difficul

ter

ter in Artibus manufactivis inveniet P. Lynceus instrumenta, quæ sint propria illarum obiecta attributa. Nam Picctoriæ, Nauticæ, & similium instrumenta, aliæ artes fabriles subministrant, v.g. Lignaria, ferraria, &c. quarum tantum modo videntur esse praxes.

9 Sexta sent. tenet. Obiectum seu subiectum Attributionis esse totum obiectum primarium adæquatum, vt in Physica corpus naturale, pro vt involvit vivens, elementale, cœleste, &c. quia est primarius finis, in quem Scientia, intendit. Ita passim loquuntur cum S. Thoma 1. p. q. 1. art. 7. Thomistæ, & cum Scoto quæst 4. prol. Scotistæ apud Pontiũ d. 2. q. 2. Nostri item antiquiores cũ P. Suar. d. 1. Meth. sect. 1 n. 7. 8. 16 24. P. Fonsec. lib. 2. c. 3. q. 1. sect. 3. & lib. 1. Dial. c. 3. Card. Tol. q. 5. proem. P. Rub. q. 6. PP. Cõimb. q. 5. art. 1. quibus accedunt P. Rhod. d. 1. q. 1. sect. 2. § 3. P. Polon. d. 2. q. 3, diff 3. & P. Quiros d. 9. n. 19. & d. 11 n. 23. Non improbo.

Sed quæro. Licet fatendum sit sæpius in scientijs, & artibus totum obiectum primarium adæquatum, vt finem attributionis tractari, vt in Mathematicis omnibus, in Medicina, & in plerisque Artibus, vt Grammatica, Rhetorica. Poesi, Pictoria, Nautica, &c. At in scientijs philosophicis aliquando videmus, inter ipsa obiecta primaria, vnum aliquod seligi, tanquam principalius, ad quod reliquorum tractatio ordinetur, quod, vocari solet apud Thomistas obiectum Principalitatis, iuxta M. Joan. de S. Thom. hic quæst. 1. art. 3. §. *secundum est*, & P. Rhod. supra ad obie. 2. vt patet in Physica, vbi homo, seu corpus naturale humanum inter omnia primaria obiecta præcipuum, & principalius, & quasi finis tractandi reliqua iudicatur a Philosophis. Ergo ratio aliqua vniversalis quærenda est, vt aliquãdo totum adæquatum obiectum primarium, aliquando vero vnum aliquod inadæquatum, se habeat, vt finis attributionis. Pro quo sit;

Sect. 2 Conclusio pro Sapientum Placito.

10 Septima nostra sent. totã obiecti attributionis designationem, Sapientum arbitrio, cum fundamento in re cõnexionis, ex qua reliqua obiecta primaria atque etiam secunria, ad ipsius elucidationem, ordinari possint, omnino tribuendam docit. Ita Sapientiss. P. Leonardus 1 p. d. 1. sect. 3. a n. 15. P. Rip. d. 1. *de fide sect.* 2. n. 7. P. Smigl. d. 17. sect. 2. P. Hurt. *in Proœm. Phys.* P. Suarez *ibidem* n. 22. Joanniz d. 1. n. 65 & 74. & re ipsa P. Linceus, & P. Quiros supra: & RR nostri communiter sequuti per doct. Mag. meũ P. Xauregui, & P. Maça, in præsenti.

11 Prob. 1. Concl. Quia obiectum attributionis, vt ab omnibus definitur, ex d. 40, n. 20. in Scientia collectiva, est illud ad quod ordinantur omnia, quæ tractãtur in Scientia, tanquam obiecta attributa. Sed hæc

hæc ordinatio intrinsecè determinata esse non potest. Ergo debet esse determinata extrinsecè. Maj. & conseq. constant. Minor probatur. Quia, neque omnes Tractatus, vel actus Scientiæ collectivæ, & totalis vnum aliquod obiectum respiciunt intrinsecè, cum singuli circa specialia obiecta versentur, vt in Logica circa definitionem, diuisionẽ, &c. æque vllam aliã intrinsecã determinationẽ habent, ex qua ad hos potius, quam illud petant ordinari; connexio enim sub vna ratione scibilitatis, est mutua inter omnia obiecta primaria, & æque illa inter se ad invicem refert, vt apta sint indeterminate ad invicem ordinari; vt *sect praced.* ostensum est. Ergo ab intrinseco determinatio illa ordinationis oriri non potest, sed solum ab extrinseco.

Tum sic. Sed ordinatio extrinseca non potest aliunde prouenire, quam ab Institutoribus Scientiæ, a quibus illius vnitas, & collectio prudenter, sapiẽter q̃ ordinata est; habita ratione cõnexionis, & vtilioris, cõmodiorisque methodi, qua omnia quę tractantur in Scientia, ad vnum aliquẽ finẽ præcipue elucidandũ ordinentur, ex d. 41. n. 10. 15. & d. 42 n. 18. Ergo solũ ab hoc prudenti sapientũ placito, cum eo fundamento connexionis, tota ordinatio ad obiectum attributionis dependebit.

12 Prob. 2. quia obiecta Scientię non solum scibilia propterse sunt, sed etiam propter aliud, ad cujus notitiam deservire possunt; sed hæc scibilitas est ab intrinseco indeterminata; vnde modo ad hanc, modo ad illam Scientiam, & ad eam diversos fines potest deservire. Ergo determinatio illius scibilitatis debet a sapientibus *in actu secundo* prouenire. Minor patet inductione; v.g. Nutritio a Medicina in finem Corporis sanabilis; a Physica in speculationem corporis generabilis, ab Animastica in corporis animati seu viventis notitiam dirigitur. Itẽ omnia prima Principia a singulis Scientijs, in suas diversissimas conclusiones assumuntur, & sic alia.

13 Confirmatur 1. & declaratur exemplo omnium Tractatuum, qui præter connexionẽ obiectorũ, sub aliqua scibilitate, & tractabilitate, convenientium; semper præcipuum aliquod assumptũ determinant, in quod alia minus præcipua dirigantur. Quod præstat Propositio in orationibus Rhetoricis; in sacris concionibus Thema; in Libris Titulus sive inscriptio; & vbique quod vocamus argumentum, sive Scopum discursus humani. V.g. in Theologia Mariana P. Christophori Vega Beatissima Virgo; in Opere P. Ripaldæ, *ens supernaturale* in; Libris Ægidij Lusitani Beatitudo: & in vniversa Theologia Deus. Hic autem finis seu Scopus ab operis Auctore seligitur. Ergo.

14 Confirmatur 2. ex S. Th. qui 1 p. q. 1. a 7. docuit *Deum* esse objectum attributionis Theologię; & 4. *sent. q.* 1 *prolog. a* 4. statuit, illud esse *ens divinum*: non quod S. D. suam retractaverit sententiam, vt aliqui censuerunt; sed quia, vt op-

timè observat P. Quiros 1.p.d. 10. n. 1, & 8. judicavit, juxta diversâ Methodum Theologiæ, a se in Summa, & a Magistro in sententiarijs pertractatæ, diversum posse ac debere designari finem attributionis. Ergo quia tractatio, & Methodus pro libito sapientum instituta in ordinandis Scientijs, præscribit, & variat obiectum attributionis.

15 Ex quo patet pro obiecto attributionis designando, attendendũ maximè esse, Tum circa Inscriptionem, & Titulum operis: Tum circa Modum seu methodum agendi, & tractandi de obiectis. Si enim de aliquo obiecto primario valde ex professo agatur in Scientia, & notabiliori inquisitione præ alijs; tunc illud reputandum erit principalius seu Attributionis. Vnde homo, quia ita de illo agitur in Phisica, finis attributionis ibi dicetur: & talis etiam diceretur Equus, vel Leo, si de illis similis accurata Tractatio haberetur, vt bene observat, licet non valde consequenter, P. Arr. *init. Phys.*

15 Obij 1. Ita futurum obiectũ attributionis, potius historicè, quã Dialecticé probandum, si solum ex placito constet. Ergo

Resp. neg. antec. Quia fundamentum connexionis, quod præcedere debet non est purè historicum. Deinde sicut de testamentis, & alijs rebus arbitrarijs, valde subtiliter, & ex præsumptionibus, sæpe discutitur, ita de electione obiecti attributionis potest disputari, vt suis locis fiet.

16 Obi. 2. quod si recta, & sapiens est dispositio assumpti, & probationum illius, in oratione vel concione Rhetoricé ordinata; licet fuerit libera oratoris dispositio: ea tamen supposita, est necessaria connexio, vt mutuo inverti non possint probationes in assumptum aut e contra; contemneretur enim talis dispositio, vt minus sapiens. Ergo sapiens dispositio obiecti attributionis inducit necessariam connexionem, in esse talis.

Resp. 1. neg. antec. Quia nulla est adeo singularis dispositio orationis, vt non possit excogitari multiplex modus variandi argumenta, & probationes; quin propterea aliquis modus ordinationis contemnatur; nisi aliunde facile versatilis artificij videatur. 2. nego *conseq*, & *paritat.* Quia Scientiæ collectivæ ordinatio non est dispositæ, instar vnius orationis, vel historiæ: sed instar plurium orationum; & historiarum, cũ singuli Tractatus agant de Argumentis valde diversis; vt in Methaphisica, de omnibus prædicamentis; in Logica, de omnibus operationibus mentis, vt dirigibilibus: vnde circa totum hunc cumulum non eodem modo, ac circa vnã orationem est discurrendum; sicut non discurritur ex modo vnitatis vnius familiæ, ad vnitatem totius Imperij, quę majorem admittit latitudinem. Ad summum ergo singuli tractatus Scientiæ poterunt cum vna oratione comparari, vt ordinati sint, v.g. circa Argumentationem, agendo de essentia, speciebus, pro

prie-

prietatibus, & principijs illius ordinare, ex Methodo Dialecticæ, non minus quam oratio ex regulis Rhetoricæ.

17 Obij. 3, Aliquando in Scientijs nõ agitur specialiter de vno aliquo obiecto primario, sed æquè desingulis, vt in Metaphisica de omnibus Prædicamentis, de Deo, & Angelis: & in Mathematica æque de omnibus figuris, ac numeris, & sic in Medicina, & plerisque Artibus Aliquando etiam pro duabus, vel tribus obiectis primarijs, institutæ sunt ab Inventoribus Scientiæ, Tractationes prolixiores, vt in Physica pro Elementis, Cælis, & Viuentibus; in Logica pro syllogismo, & Demõstratione, ergo tunc vel erunt omnia, vel duo aut tria, obiecta attributionis, contra vnitatem quam exigit Scientia: vel nullum, cum non detur signum, vnde vnum præ alio designemus.

18 Resp. Quod quando ita ex professo in Scientia tractatur, vel de pluribus, vel de omnibus & singulis primarijs obiectis; vel omnia, vel plura erunt tunc obiectum attributionibus; nisi vnum aliquod emineat, de quo specialius, *quid*, *quotuplex*, *quale*, ejusque effectus; ac principia examinentur; & proquo reliquæ etiam prolixæ Tractationes de alijs primarijs obiectis ordinatæ videantur; vt in Physica, pro homine ordinatæ sunt reliquæ, de Elementis, cælis, &c. Sed quando plura pro fine attributionis habentur, debent respici secundum aliquam rationem communem, in qua conveniant, & de qua Scientia ipsa agat, & secundum illã rationem erunt attributionis obiectum, non vero secundum speciales differentiales rationes. Sic v. g. juxta P. Suarez ea d. 1. s. 1. *Metaph.* Ens vniversale prout comprehendit, omnia prædicamenta, & Deum etiam, & Angelos, secundum scibilitatem abstractissimam, est obiectum attributionis Metaphysicæ, quia de singulis, ex professo Metaphysica agit, & omnia in ea ratione entis conveniunt, de qua non minus ex professo disputat. Et ita etiam Logica comprehendit sub ratione syllogismi seu Argumentationis perfectæ, tam Demonstrationem, quam syllogismum probabilẽ, & ideo secundum eam rationem erunt Attributionis obiectũ, vt dicam d. seq. Notandum tamen semper servandam esse *vnitatem* aliquam in ratione communi, vt vnum obiectum attributionis dici possit, a quo vna Scientia specificetur, vt latius amplius declarabo.

19 Obij. 4. Si sufficiat quævis obiectorum connexio, cum arbitraria Sapientum collectione eorum in vnam tractationem, pro vno obiecto attributionis, & vna Scientia, de illo: quæcũque *Sylva variæ lectionis*; vel spicilegium *Selectarum*, ex omnibus Scientijs, *Philosophia*, *Theologia*, *Medicina*, *Mathematica*, &c. sicut possunt facere vnum librum sub vno titulo, facerent vnam Scientiam; quia omnia illa obiecta primaria, in ratione scibilis, vel entis, vel saltem in ipsa ratione *scientificæ varietatis*, convenirent, & vnum obiectum attributionis facere possent. Sed hoc esset omnẽ scientiã cõfundere. Ergo

Resp. quod cum totum hoc vniuersum, eius que partes, & operationes per vnitatem, tum ordinis, tũ naturæ, ordinentur ad manifestationem vnius creatoris; vt sapienter tradit S. Th. 1. q. 11, a 3. *corp.* 5. *Tertio.* Vnde & disposita sunt a Deo, in numero, pondere, & mensura: *Sap.* 11. idest, secundum vnitatem, *speciei, ordinis, & modi,* vt explicat S. Augustin. *l. 4. de Gen. ad litt. c. 3. & de natura boni c.* 3. consequenter omnia, quæ ordinatè artificiosè, & secundum rationem concipimus, vel facimus, ad aliquam vnitatem ordinamus. Atque ita concipimus essentias, & specificationes, tam potentiarum, quam habituum, & actuũ, per ordinem ad vnam aliquam rationem formalem obiecti, vt cum S. Th. 1. p. q. 77. a 3. & 1. 2. q. 54. a 2, & q. 60. a 3. & Aristotele tradunt DD. Hinc pariter Scientias, imo quoscumque tractatus, per modum vnius operis, per aliquam vnitatem obiecti præcipui, sive assumpti, & argumenti specificamus. Et in ipsis Rhetoricis, vel Sacris Orationibus ineptum esset, si argumenta eriã disparata, quæ aliquando concurrũt, non aliqua ratione connecteremus: quanto ergo magis, in vna Scientia sapienter adeo a sapientibus ordinata; id erit observandum. Vnde si obiecta attributionis vniuscuiusque Tractationis in opere aliquo Selectarum, non vnianturin aliqua ratione logicæ saltem communi, & sub vna abstractione, & scibilitate; non vnam Scientiam, aut intellectualem virtutem [quæ vel ex ipso nomine ordinationem prudentissimam requirit;) sed vnam faciemus Sylvam, aut congeriem; solum sub ratione *varietatis*, quæ in voce tantummodo Grammaticalem vnitatẽ servet, obiective vero ipsam diversitatem, & multiplicitatem adhuc logicè, & expresse designet; atque adeo nõ sufficit pro vno Opere dialectica Methodo simpliciter eformãdo.

20 Inferes 1. ex tota hac disputatione, quatuor conditiones pro obiecto attributionis omnino requiri. 1. Quod sit vnum, modo explicato, vt sicut ex vno Principe, vel Rege fit vnum Imperium, ita vna Scientia ex obiecto Principali. 2. Quod habeat vel terminet connexionem cum reliquis, quæ tractantur in Scientia, tam primario, quam secundario, sive immediatè sive mediate; quæ propterea obiecta attributa respectu ipsius dici possint. 3, quod per obiectum attributionis, vt taliter secundum specialẽ scibilitatem consideratũ, distinguatur Scientia ab omnibus alijs scibilijs, & Attribus. 4, Quod ea methodo, ac modo, illud per Scientiam tractetur, vt finis præcipuus suæ considerationis esse videatur: quod, supposita triplici prædicta conditione, & connexione intrinseca, pendet ab arbitrio Institutorũ Scientiæ; sicut supposita mutua connexione, & vtilitate, inter recreationem & citharizationem, dependet *ab arbitrio* eligentis, quod altera sit finis, altera vero medium. Quas omnes conditiones colligunt ex Aristot. 1. post.

post. c. 23. & 4, Metaph. c. 1. S. Thoma, S. Bonav. Scoto, Durando P. Suar. P. Vazq. & plerisque antiquioribus P. Lynceus eo c. 1. P. Quiros, & alij supra laudati; & eas satis huc vsque probavimus.

21 Infertes 2. Quod in Scientijs, vel Artibus, in quibus ex methodo, vel inscriptione, colligi non potest, quod aliquod particulare objectum primarium fuerit in finem attributionis selectum; omnia illa quæ primaria sunt, & immediate rationem formalem *sub qua* participant, & sub illa conveniunt in vna aliqua ratione objecti, erunt obiectum attributionis; juxta *sent.* S. Thomæ, & Antiquiorum è n. 9. Quia eo ipso quod ab Institutoribus primario respiciãtur; & inter ea vnũ ad aliud non ordinetur, constat fuisse intentum, vt finem adæquatum primarium. Vnde solum ea, quæ secundario, ratione, alicuius cõnexionis, per eas scientias vel Artes attingentur, tunc erunt obiecta attributa; quia hæc non semper debent esse primaria.

DISPVT. L.

Quodnam sit Logicæ Attributionis objectum?

1 SEptem decim sententias memoratur P. Comptonus; novem decim vero rejicit P. Lynceus; quibus suam addit, vt etiam suam P. Quiros; quas ego cum alijs præcipuis refutabo; omissis super vacaneis, & inter eas, exotica Zarabellæ lib. 1. Log. qui nullum artributionis objectum Logicæ præfixũ dicit; quasi Scientia antonomastice *Rationalis*, fine & scopo, in quem rationaliter ordinetur, carere possit. Postea vero, vt in re arbitraria communiorem *sent.* eligam.

Sect. 1. Aliorum sententiæ refutantur.

2 Prima sent. tenet. *objectum attributionis Logicæ esse* definitionẽ; quia est perfectissimus sciendi Modus, & præcipuum medium Demõstrationi *propter quid*, sive à priori, & a causa; nec non præcipuus finis, seu conclusio demonstrationis *quia*, sive à posteriori, & inductione. ita P. Cõpt d. 7, f. 4. Averla q. 2. l. 5. ex Avicen. &c.

Contra 1. Quia ex d. præced. n. 6. materialiter se habet major perfectio pro attributionis objecto. 2. Quia valde dubium est, an sit perfectior Definitio Demonstratione: cũ hæc etiam definitioni certitudinem tribuat, illam à posteriori cõprobãdo, vnde se excedunt invicem, secundum quid, dum mutuo se juvãt & perficiunt: vt autem titulo perfectionis definitio præhaberetur, deberet esse excessus simpliciter notabilis, & indubitabilis 3. Quia nulli bi ex professo, & quasi ratione sui, Logica agit de Definitione: in libris enim *de Poster.* de illa agit Arist. tanquam de Medio Demonstrationis, inter alia Principia per se nota, quæ similiter Media sunt. In *lib.* vero *Topicor.*, agit similiter de illa, vt de loco præcipuo probabilis argumentationis, inter reliqua loca Topica probabiliter arguendi. Ergo semper de Definitione agit in ordine

ordine ad Argumentationem, qua de monstrativam, qua probabilem; ac proinde de ipsa vt Medio, non vt fine attributionis: sicut etiam agit de Divisione, propterea pariter hinc relegata.

13 Secunda sententia, Modum sciẽdi, vt triplicem speciem importat, in obiectum attributionis designat, cum Merinero, Poncio, PP. Conimb. P. Fons, P. Rub. P. Tellez & alijs apud P. Quiros, & Lync.

Contra 1. Quia confundunt obiectum attributionis cum obiecto primario adæquato, quod fieri non debet, quando constat, ab Institutore Dialecticæ Aristotele de vno in adæquato præcipuè notabiliter tractari scilicet de Argumentatione 2. Quia de Divisione, vix nisi obiter Aristoteles agit. 2. Post. in ordine ad Demonstrationem. 3. Quia si totus Modus sciendi ita præhabeatur; non est, cur propositio, Terminus, & omnis prima operatio, quæ etiam à Logica primariò respicitur & dirigitur, & de quibus Aristoteles æquè tractat, ac de definitione, & divisione, non sint etiam finis attributionis.

14 Tertia propterea Sententia, Omnes operationes Mentis à Logica in esse Scientiæ totalis dirigibiles, sive vt componant scientiam collectivam dirigibiles, cuius finem attributionis præstituit. Quia finis Logicæ est ordinare scientias totales, per scientificas cognitiones, circa *quid*, & *quale* obiectorum, quæ non solum triplicem Modum sciendi, sed propositiones, & apprehensiones, circa omnia prædicabilia, & prædicamẽta, & circa Methodum, & vnitatem scientiarum, comprehendit. Ita P. Quiros d. 11 s. 3. & ex parte favet P. Rhodes *supra*.

Contra 1. Hic enim erit finis Dialecticæ, vt à P. Quiros & alijs RR. institutæ, pro vt apud nos longas disputationes de vnitate, & Methodo componendi scientiam totalem inoluit: non vero prout ab Aristot. & S. Thoma concinnatæ: quia, licet de vnitate illa non nihil egerint lib. 1. Post. c. 7. & 8. nõ tamen adeo ex professo, nec ratione sui, sed in finem demonstrationis, per quam scientia comparatur; nec per Regulas certas, & scientificas; cum tot, & tam variæ sint circa Vnitatem scientiæ opiniones. 2. Si hæc totalitas scientiæ esset finis Dialecticæ, nullus scientiæ actus maneret pro obiecto attributo, & minus principali, cum tamen certum sit ab Aristotele non æquè principaliter de omnibus actum esse.

5 Quart sent. P. Lyncei l. 2. Log. tr. 2 veritatem decernit esse obiectum Attributionis; quia cum finis Logicæ sit parare instrumenta sciendi, scientia autem, vt talis ad veritatem assequendam ordinetur; vltimus finis dialecticæ erit veritas.

Contra 1. Quia veritas est finis scientiæ, *vt sic*, vt cum Arist. S. Th. & P. Suarez, diximus d. 38. n. 14. Vnde pro vna quaque speciali scientia, specialis veritas est quærenda pro fine: cum autem Logica sit sciẽ-

tia

tia practica, veritas radicalis practi ca, seu certitudo præceos sive practi ci obiecti sui, erit ejus finis; sicut in Artibus practicis, v. g. Grammatica, certitudo congruæ locutionis ex Regulis, &c. Sed in Logica alia veritas practica esse non potest, nisi infallibilitas recti Modi sciendi, juxta Regulas; sive certitudo, & veritas radicalis, explicata d. 48. n. 15. & 16. Ergo. 2. Quia de hac veritate, vt reflexè tali, vix nisi obiter agitur ab Aristotele in Logica, ratione scientiæ & Demõstrationis ad c. 2. & 23. lib. 1 Poster. ergo non illa, sed hæc erit finis ab Aristotele primario principalissimè intentus.

6 Quinta sent. magis ad veritatẽ accedens, *Demonstrationem* in Logica pro fine Attributionis agnoscit, cum P. Vazq. 1. p. d. 4. c. 1. P. Hurt. d. 1. §. 147. P. Arr. d. 2. s. 5. subs. 3. P. Alph. Hic. f. 6. n. 98. P. Rub. q. 6. n. 42. Peñaf. d. 1. q. 8. n. 47. P. Rhodes. eo §. 3. ad 2. Ioan. d. 1. c. 6. n. 74. & alijs.

Contra 1. Quia Aristoteles non minus principaliter agit de syllogismo probabili, per octo libros *Topico.* quam de Demonstrativo duobus libris *Poster.* Ergo ex modo & methodo tractationis, ab Inventore instituta, æque vterque erit finis attributionis. 2. Quia vt sect. 3. probabo scientiæ multum per argumentationes probabiles iuvantur, & promoventur. Sed finis Dialecticæ est iuvare & promovere scientiam: ergo. 3. quia ex vi formæ tam certo, & infallibiliter dirigitur à Logica syllogismus probabilis, quam Demonstrativus: ergo æque vterque dignus est per Dialecticam principaliter dirigi; vt ex Aristotele, & S. Thoma n. 10. comprobabitur.

7 Sexta sententia nost. RR. quibus favet per doctus P. Maça, tenet, vtrumque syllogismum probabilem & demonstrativum, secundum suas speciales rationes, facere duo specialia, partialia obiecta attributionis Dialecticæ: pro quo citant P. Oviedum, Spinulam, & alios.

Contra 1, Quia licet veritatem attingant hi DD. illam tamen modo loquendi pervertunt: implicat enim, vnius scientiæ esse duo obiecta attributionis, sicut vnius actus humani duos fines adæquatos; aut vnius imperij duos Principes. Vnde axioma philosophicum est, apud Novatinum lib. 7. *Axiom. pag. 694. Vnius scientiæ vnum esse obiectum.* sicut etiam vnius orationis Rhetoricæ vnum est argumentum: & vnius libri vnum assumptum. Si enim duo assumpta, vel argumenta, quasi simultaneè confuantur, non vnus erit liber, vel oratio, sed duplex quasi inter se confuetur. 2. Quia hæc est vna ex præcipuis cõditionibus obiecti attributionis vt vnũ Logice sit, vt *disp. præc.* à n. 19. diximus 3 Quia dũ dicunt RR. esse duo specialia obiecta attributionis partialia, denotant in vna ratione totali convenire, & advnari. Quod cum facile fieri possit in vna ratione Argumentationis perfectæ, non est cur contra communem sententiam DD. ad

dis-

differentiales rationes obiectum attributionis distrahamus, & multiplicemus; cum nihil multiplicandum sit sine necessitate.

8 Septima sententia sapientiss. P. Leonardi, & aliorum RR. est, obiectum attributioni esse solum Argumentationem perfectam, ex vi formæ; quia illam solum suis regulis procurat Dialectica, & in ea tam probabilis, quam demostrativa argumentatio, perfecte concludit. Vnde, & Aristoteles in *lib. de Priori* solum format syllogismos circa litteras *A. B C.* vt a materia præscindat. Sicut Ars statuaria solum curat formam, non vero materiam statuæ.

Contra 1. Quia regulæ Logicæ in particulari dirigunt syllogismũ circa materiam necessariã per principia per se nota, & evidentia. Vt patet totis libris *de Posteriori*; vbi etiam Aristoteles agit de scientia, vt de effectu demõstrationis, qua talis; quæ omnia admateriam necessariã spectant. 2. Quia Logica per se agit de definitione; & divisione, quæ vt tales versari debent circa materiam necessariã ex d. 48. n. 15 & 16. ergo per se & primario respicit actus, vt versantur circa materiam necessariã. 3. Quia demonstratio, vt talis, seu vt evidens, & vt taliter dirigibilis ñ nisi ad Logicã potest pertinere. Quod enim dicit aliquis R. pertinere ad Animasticã, contradicit totis libris *de Priori* Aristot. nisi illos Animasticos facere velit hic R. & Animasticam, scientiam directivã, quod est absurdum. 4. Quia quod Aristoteles in libris Priorum vtatur litteris *A, B C* inde oritur, quia ibi vniversaliter pro omni materia regulas tradit, non quia ab omni materia in tota Logica præscindat. Similiter enim in libris de cœlo, & in lib 1. *Posterio* c. 3. 6. 10. & 23. eisdem litteris vtitur, licet materiam necessariam ibi respiciat; quia generaliter, & præcisive circa illam versatur.

Sect. 2. Conclusio pro Argumentatione perfecta.

9 Octava nostra sententia Vera, quia in hac re communis, statuit syllogismum, sive Argumentationẽ perfectam, prout ab evidenti, seu Demostrativa, & probabili, seu Topica præscindit, esse obiectum Attributionis Logicæ, seu Dialecticæ. Ita expresse Aristoteles, & S. Thomas, statim audiendi; Scotus *q. 3. prædicabil.* & cum eo Merinetus, Rodriguez; Mastrius; & alij quos sequitur Ponc. q. 3. P. Ovied. cõtr. 2. p. 1. n 73. P. Suarez Lusit tr. 1. d. 2. n. 67. P. Thom. Polon. d. 2. q. 2. diff. 1. p. 4. P Olcina n. 333. Spinula d 2. n. 67 Bonesp. d. vlt. du. 3. n. 237, & fr. vent P. Fonseca 2. Metaph. c. 3. s. 4. 5. magnus P. Rub. q. 6. n. 42. PP. Conimb. in Proœm. *ad lib. Prior & Post.*, & plerique Antiquiores.

10 Prob. 1. autoritate Aristotelis Qui libros Analyticos sive de Priori & Posteriori resolutione, expresse asserit, omnino agere de Demostratione, initio *lib. 1. c. 1. de Priori Anal.* in quibus: *Primò dicere oportet circa quid, & cujusnam sit hæc consideratio*

ratio; atque est circa Demonstrationem, & est Scientia Demonstrandi. & l. 2. *Elench.* in fine ait: *se de Demonstratione disputasse.* Eccntia vero in Libris Topicorũ cap 1. l 1. sic incipit: *Propositum quidem negotij est, methodum invenire, per quam poterimus syllogizare de omni problemate ex probabilibus:* & paulo post. *Demonstratio est, quando ex veris, & primis syllogismus erit. Dialecticus autem syllogismus, qui ex probabilibus est syllogizatus.* Ex quibus patet, quod in partibus Analytica, & Sophistica Philosophus finem attributionis Logicæ Demonstrationem præfecit; in parte vero Topica syllogismum probabilem, quem antonomastico nomine *Dialecticum* appellat. Vnde cum Logica ex tribus his partibus constet, secundum omnes suas partes ex Institutoris fine syllogismum, qua Demonstrativum, qua Probabilem, vt obiectum attributionis respiciet. Sed hoc respici debet, vt vnum, & secundum vnam rationem, in qua partialia obiecta attributionis conveniant, ex *disp. præc. a n.* 20. non est autem alia ratio conveniendi proximior, quam ratio syllogismi, sive Argumentationis perfectæ, in qua vterque syllogismus conveniat. Ergo hæc juxta Aristotelem erit obiectũ attributionis Logicæ.

12 Prob. 2. Ex S. Thoma, *Opusc* 48. vbi faciens brevem Summam Logicæ Aristotelis, in proœmio præmittit, quomodo omnia, quæ tractantur in parte Analytica Logicæ, ordinentur ad Demonstrationem; nimirum Termini, & Prædicabilia ad propositionẽ, Definitionẽ, & Divisionẽ; hæ vero ad syllogismũ Demonstrativũ, inquiens: *Quia Demonstratio est syllogismus, necesse est præcognoscere syllogismum; syllogismus autem ex sit quoddam aggregatum ex partibus.* &c. Et concludit: *De syllogismo vero applicato ad materiam probabilem, qui pertinet ad partem Logicæ, quæ Dialectica dicitur;* &c. Ergo juxta S. Thomam vnusquisque Syllogismus finis est vniuscujusq; partis, ac proin de vterque, vt conveniunt in esse syllogismi perfecti, vtiusque partis præcipuæ, ac proinde totius Logicæ, finis attributionis erit.

13 Prob. 3. Ex ipsa Methodo, & inscriptione operis, ex qua illius finale assumptum melius dignoscitur. Tum ex nomine Dialecticæ, quo solo vsus est Aristoteles ex disp. 39. n. 4. & sive a nomine *Dialogos*, sive a verbo *Dialegomai*, desumatur, disputationem, atque etiam *argumentationem* significat; ex Cicerone 1. *de fin.* apud PP. Conimb. *q. 4 proem. a* 1. vnde & ab ipso *Ars disserendi definitur*, vt ea d. 39. n. 1 præmisi. Tum ex inscriptione præcipuæ partis Logicæ, scilicet Analyticæ, quam libris de *Priori*, & *posteriori Analysi* Aristoteles tradit; quos ipse Aristoteles primitus inscripserat, priorem de *Argumentatione*, posteriorem de *Demonstratione*; vt ex *c.* 3. *l.* 1. *Post.* atque ex Galeno, comprobant ipsi PP. Conimb. *in proœm. lib.* 1. *Prior.* Tum quia Aristoteles nullum aliud præscribit attributis-

nis objectum, nisi Syllogismum, sive Argumentationem secundum se in *Lib. Prior.* Demonstrationē item in *Libr. Poster.* Syllogismum vero Probabilem seu Dialecticum in *lib. Topic:* vt præfert tota methodus, & ordo Tractationū, & cum S. Th. M. Albert. Ægidio, & reliquis Interpretibus ijdem PP. Conimbr. in proœmijs obseruant. Ergo ex Inscriptione, & Methodo operis (ex quibus finis, & Scopus Autoris debet indagari) nullus alius fuit Dialecticæ ab Aristotele finis præscriptus, nisi Argumentatio, tum secundum se; tum pro vt syllogismum Demonstrativum, & probabilem comprehendit.

14 Prob. 4. á priori, quia Argumentationi conueniunt omnes conditiones obiecti attributionis Dialecticæ, ex *disp. præced.* Imprimis *vnitas* non solum nominis, sed etiā conuenientiæ, qua in esse Argumētationis, demonstrativa, & probabilis vnivocantur. 2. Per eam vt dirigibilem, ab omnibus alijs Scientijs Dialectica discriminatur, cum nulla alia ita Argumentationē respiciat; Animastica enim solum, vt speculabilem, & sub materia sensibili ipsam attingit. 3. Ad Argumentationem omnia alia, quæ tractantur in Logica apprime referuntur; vt ex S. Thoma n. 12. dicebamus circa demonstrationem. Imo ipsa Demonstratio, necnon syllogismus probabilis, ad cognitionem clariorem Argumentationis ordinatur: ex speciebus nam que genus scientifice dignoscitur, nimirum per diuisionem ipsius in species suas; cum diuisio sit modus sciendi, manifestativus diuiq per membra diuidentia. 4. Demū conditio, quod in actu secundo fiat hæc ordinatio aliorum obiectorum, quæ vocantur attributa, scilicet aliarum mentis operationum, ad ipsam Argumentationem; vt in attributionis finem; constat, ex auctoritate Aristotelis, & S. Thomæ a n. 11. satis aperta; & quia de Argumentatione seu syllogismo secundū se, quoad figuras, & Modos, fere omnes Regulæ Logicæ agunt. Ergo Argumentatio seu syllogismus secundum se, erit omnino attributionis obiectum Dialecticæ, cum ipsi prorsus, & soli, conueniant omnes quatuor conditiones obiecti attributionis, ex meliori, & majori consensu DD. disp. præced. comprobatæ.

15 Confirmatur ex communiori sententia cum P. Suares disp. 1. sect. 1. Metha. asserente, obiectum attributionis Methaphysicæ esse *Ens* secundum se; quia omnia primaria obiecta, de quibus principaliter ex professō Metaphysica tractat, scilicet Prædicamēta, Deus, & Angeli, in ea *entis* ratione conueniunt; & de illa etiā, sub speciali scibilitate abstractissima, Metaphysica ipsa disputat. Sed primaria obiecta, de quibus Logica principaliter ex professo tractat, sunt syllogismus demonstrativus, & probabilis (de omnibus enim alijs modis sciendi, & terminis, fere obiter agit Aristoteles) & ipsi conueniunt in ratione syllogismi

misseu Argumentationis perfectæ, & secundum se; de qua etiam Aristoteles principaliter, & ex professo agit duobus libris *de priori resolutione*; & sub propria scibilitate, scilicet dirigibilitate in modum sciendi. Ergo pariter Argumentatio erit finis, & obiectum attributionis Dialecticæ; reliqua vero, quæ primario vel secundario tractantur, erunt obiecta attributa, vt pote ad eius, cõpositionem, vel dispositionem; cognitionem & directionem ordinata.

16 Ex quo fit, quod Argumentatio dupliciter est obiectum Attributionis. 1. Per se, & secundum se, quia æque principaliter de illa secundum se agit Dialectica, vt patet ex Regulis Summularum de syllogismo secundũ se, à vt materia particulari præciso; & ex totis duobus libris de *Priori Analysi*, vbi ita agit de ipso Aristotele: cumque in hoc pares sint Argumentatio secundũ se, & syllogismus demonstrativus, & probabilis, illa tamen excedit, in eo quod sit ratio superior, & in qua vterque inferior sunt vnum, & gaudent vnitate pro obiecto attributionis necessaria. Vnde ex hoc capite debet Argumentatio in hac prærogativa præcedere; sicut ens in Metaphysica. 2. Erit obiectum attributionis, quasi per accidens, seu ratione suarum specierum, scilicet Demonstrativi, & Probabilis syllogismi, eo quod ambo æque principaliter tractentur in Logica, & ad vtrumque non minus reliqua ordinentur; vnde cũ hac principalitate attributionis, gaudeant, ratione vtriusq; ratio superior in qua cõueniũt eadem gauderet; licet aliunde per se, & ex modo tractationis, ipsam non præhaberet per se.

Sect. 3. Obiectiones.

17 Obij. 1. Aristot. & S. Th. *in lib. Prior.* repetentes, Demonstrationem esse huius Scientiæ scopum. Et Opusc. 48. etiam addit; syllogismũ sophisticum esse obiectum principale Dialecticæ in parte sophistica. Ergo.

Resp. Quod sicut in specialibus Tractationibus Physicæ dantur partialia obiecta attributionis, v. g. in libris de Anima corpus animatũ; in proprijs libris de Cælo, ipsos; atq; ita elementa, Metheora, &c. in prijs libris. Ita in singulis dialecticæ partibus datur suum obiectum attributionis, partiale, respectivè ad singulas partes, & Tractatus; at vero absolutè, & respectu totius Scientiæ collectivæ, non dicitur obiectum attributionis, nisi illud ad quod vltimo reliqua alia ordinatur; quod dignoscitur ex principalissimo omnium modo, quo tractantur, ex dictis d. præced. Cum autem hic principalis modus æqualis in Logica videatur circa *Tria*; scilicet circa syllogismum in commun, nec non circa demonstrativum, & probabilem, prior debet præhaberi reliquis, eo quod ille omnes comprehendat; & quia cum vnaquæque species ab altera opposita impedia-

tur, ne principalior sit, eo quod æque principaliter ambæ tractentur; ratio generica inqua conveniunt, & quæ alias prævaleret propter vtriusque speciei convenientiã; multo magis debet principalissima reputari, & prævalere, quia ipsa etiã per se æque principaliter tractãtur in Dialectica. De parte sophistica satis dictum est d. 46. a n 17 & 27 eam per se ad Logicam non pertinere, quã parte de sophistico syllogismo prorsus vocali agit, cum in mente proprius syllogismus sophisticus, & æquivocus esse non possit: vnde solum, quatenus ex illa Tractatione perficit Logica regulas suas, circa mentales syllogismos demonstratiuos, & probabiles, indirecte pertinebit seu deserviet ad Logicã. Et quia adhunc finem Pars sophistica ordinatur, illam concludit Aristoteles asserendo in fine Elench. se disputasse ibi de Demonstratione, vt n. 11. dixi. Demonstratio ergo erit finis Partis sophisticæ, quatenus Logica est.

18. Obij 2. Minime ordinari possunt ad syllogismum vt sic eius species, scilicet Demonstrativus, & probabilis; quia totum nunquam ordinatur ad cognitionem partis, cũ pars præcedat cognita in ipso toto: genus autem est pars actualis specierum, illas cum differentia constituens; vnde syllogismus cum differentia *evidentis* constituit Demonstrationem, &c. ergo non potest Demonstratio ad generis sui, scilicet syllogismi vt sic, cognitionem ordinari, vt ad objectum attributionis.

Resp. nego anteced. ex dictis cõtra P. Arr. d. præced. n. 4. ipse enim Demonstrationem facit objectum attributionis, cum tamen sit pars seu genus ad suas species. Ratio: quia æquè mutuo connectuntur pars & totum, & æque invicem deserviunt Termini mutuæ connexionis ad cognitionem fundamenti connexi: vnde modus sciendi est manifestatiuus non minus totius divisi, quã partium dividentium, vt *ibidem*, & nuper n. 12. dixi. Quia licet hæ implicite in toto cognoscantur, explicite congnoscuntur, & clarius in se ipsis, in ordine ad totũ. Neque enim dubium est, quod materia prima valde manifestetur, per ordinem ad viventia, quæ componere potest; & Animal per ordinem ad species hominis & bruti: ergo pariter Argumentatio seu syllogismus, per species quas constituit. Maximè cum genus, licet sit pars actualis specierum sit etiã totũ potestatiuũ earum, quia ex ipsarum convenientia quasi componitur.

19. Obij 3. Ideo Demonstratio nõ est obiectum attributionis, quia nõ minus ordinatur in Logica ad syllogismum probabilem, quam hic è cõverso ad illam; vnde non est cur illa huic præhabeatur, cum æque principaliter de vtroque tractetur. Sed demonstratio non ordinatur ad syllogismum probabilem: quod enim perfectius est nõ recte ordinatur ad minus perfectum, tanquam ad finem:

hæc

hæc enim est deordinatio propria peccati, quæ Deũ ordinat, vt mediũ, ad creaturam vt finem; seu *vtitur fruendis & fruitur vtendis*, vt loquitur S. Thom. ergo.

Resp. Concessa mai. neg. min. Nõ enim est deordinatio, quod perfectius ordinetur ad minus perfectum, vt medium scientiæ, alias deordinatio esset, quod Deus tanquam obiectum secundarium tractetur in Physica, in ordine ad cognitionẽ corporis naturalis; imo etiam, quod in Deo tanquam in medio Beati creaturas viderent. Solum ergo est deordinatio quãdo ordinatur perfectius ad minus perfectum, tan quam ad finem, ordine appretiationis, & fruitionis, præhabendo finem creatum Deo, seu medio increato. Ordinatio autem demonstrationis ad syllogismum probabilem ptiori modo ht; quatenus exercitium argumentationis in materia necessaria iuvat, vt dirigamur in materia probabili, & contingenti, ad argumentationẽ omnino similem secundum formam; & vt hæc ipsa clarius cognoscatur: vnde optime potest vt obiectum attributum respectu illius se habere.

20 Obij 4. Neque syllogismus probabilis potest ordinari ad Demonstrationem, quia ille versatur in materia omnino contingenti, oppositæ necessariæ, in qua versatur Demonstratio: non potest autem exercitiũ in vno contrario iuvare, aut ordinari ad exercitium in alio opposito, alias exercitium in materia vitiosa iuvare, aut ordinari posset ad contrarium in materia virtutis. Ergo.

Resp. Quod quando materiæ sunt materialiter contrariæ, seu diversæ, eo quod capaces sint eiusdem formæ artificiosæ, potest exercitiũ artificiosũ in vna iuvare, & ordinari ad simile exercitiũ artificiosum in alia. Sic enim, cõtraria elementa sunt aer, & aqua, & nihil ominus artificium construendi organũ vsuale aereum, iuvare & ordinari potest ad artificiũ organi hidraulici, sive aquei; quia materialiter contraria sunt, & in formali artificio organi cõveniunt. Sic etiã exercitium fabrile in materia plumbi deservit, & iuvat ad exercitium similis artificij in materia nobiliori argenti, vel auri, quia licet sit materia diversa, & contraria materialiter; formaliter tamen & in ordine ad formã artificiosam, annuli, vel sigilli, aliam ve recipiendam, omnino conveniunt. Pariter licet materia probabilis sit materialiter diversa, & contraria propter contingentiam, respectu materiæ necessariæ, in qua versatur Demonstratio: quia tamen vtraque materia capax est eiusdem formæ syllogisticæ, optime conveniunt, & per syllogismum probabilem demonstrativus iuvatur & dirigitur. Materia enim probabilis est facilior, & vsualior; quia passim invenitur rerum probabilitas; raro vero certitudo; vnde sicut artifices frequentius exercentur in materia minus nobili, plumbi. vel ceræ; quæ vulgarior est; vt postea in nobiliori

biliori argenti, vel auri, quæ rarior est, dexterius exerceantur: sic ex probabilibus ad exercitiũ in necessarijs, & demonstrativis, ascendit recto ordine argumentatio. Vnde patet, eodem ordine rectò syllogismum probabilem ad demonstrativum in Dialectica ordinatis sicut etiam è converso: & propterea cum mutuo ordinentur, & æque principaliter tractentur in Dialectica, recidet tandem in syllogismum ut sic, in quo vterque convenit, jus objecti Attributionis, iuxta dicta n. 16. Hinc pat. eidisparitas ad materiam vitiosam, quæ non est capax ejusdem formæ moralis seu honestatis, ac virtuosa, vnde ad hanc juvare nõ potest.

21 Obij. 5. Syllogismus, sive argumentatio, vt sic, præscindit á determinata materia, tam necessaria, quam probabili, ac proinde erit tantum præscissus secundum formam. Sed per nos syllogismus ita præscissus est obiectum Attributionis; ergo tale erit tantum secundum formam vt asserebat sent. n. 8. refutata.

Resp. neg. major. Quia licet syllogismus, vt sic, præscindat ab speciali materia, non tamen ab omni materia præscindit, quia in aliqua debet versari. Vnde regulatur à Logica, secundum quod hoc, vel illo modo medium obiective distribuit, in hac, vel illa figura: ac proinde non attingitur præscisse secundum formam, sed etiam secundum materiam objectivam; quando verò dirigitur, vt denominativus, tunc adhuc secundum materiam necessariam in particulari dirigitur, vt eo n. 8. contra RR. ostensum est.

22 Obij. 6. Finis Logicæ est omnis Modus sciendi, sive ministrare scientijs Modum omnem sciendi; sed objectum attributionis est finis scientiæ: ergo Modus omnis sciẽdi est objectum attributionis Logicæ.

Resp. dist. maj. Finis Logicæ est Modus omnis sciendi, finis primarius adæquatus, concedo; finis principalior tractatione, inter omnes primarios inadæquatos, nego: hic autem principalior finis est obiectum attributionis, vt homo in Physica; non vero totus adæquatus, qui solum est objectum primarium totale.

23 Obij 7. Syllogismus probabilis non est Modus sciendi, sed opinandi. Ergo syllogismus, provt illũ complectitur non est objectũ attributionis, sed solum provt Demonstrationem importat. *Confirm.* Quia sola demonstratio est in qua intellectus quiescit, & quam homo vt discursivus, quasi centrum appetit, quia naturaliter scire desiderat. Ergo.

Resp. neg. maj. Quia syllogismus probabilis est modus sciendi, tum formaliter secundum formam ex d. 29. n. 4. tum secundum materiam dispositivè, & præparativè; quatenus per exercitium in ea materia paratur intellectus, ad se facilius excercendũ & quasi introducendũ in materia necessaria, vt n. 21. dixi. Quia medijs argumentationibus & disputatio

rationibus probabilibus, tandem plures veritates certò eruuntur. Eo modo quo judex ex probabilibus cõjecturis, tandem ad convictionem & demonſtrationem evidentem delicti pervenire ſolet. Ad confirm. Cũ ſæpe locus nõ ſit illi intellectus quieti, defectu materiæ neceſſariæ; optime Dialectica dirigit ſyllogiſmum probabilem, in defectum demoſtrationis.

24 Obij 8. Argumentatio tota, ſive ipſius præmiſſæ, ad concluſionẽ vt finem ordinantur; non vero è cõverſo: ergo ſola concluſio erit finis attributionis.

Reſp. diſt. Ordinantur ad concluſionem vt finem ordine naturæ, concedo: vt finem ordine doctrinæ, & Tractationis dialecticæ, qui præcipue obſervatur pro obiecto attributionis, nego. Similiter enim ipſa concluſio ad veritatem, & veritas ad beatitudinem humanam, vt finẽ naturæ ordine dirigunt, nec tamen hæ ſunt objecta attributionis; quia pro hoc, præcipuè attenditur ordo doctrinæ, ſeu tractationis: per hanc vero æquè, imo diligentius, regulantur Præmiſſæ à Logica; quia neceſſario, illis poſitis, cõcluſio ſequitur. Quia tamẽ æquè principaliter de tota Argumẽtatione, ſecundũ Præmiſſas, & concluſionem, Tractatio Logicæ inſtituitur, æquè omnes integrant finem attributionis.

25 Obij. 9. Ars ſtatuaria non curat per ſe materiam, v. g. cedrum, vel obiectem, ſed ſolum formam: ergo pariter Dialectica ſolam formam argumentationis.

Reſp. nego conſeq. & parit. Quia Materia diverſificat artificium dialecticum, ſcilicet in eſſe ſcientiæ, & demonſtrationis, non vero artificiũ ſtatuariæ.

26 Hactenus egimus de natura logicæ, reſpectivè ab objectũ, vt ſpecificativum extrinſecum; reſtat agendum de intrinſeco ſpecificativo, ſcilicet modo tendendi, tum ſcientifico, tum practico, & per modum Artis directivæ, eiusque ad ſcientias comparandas vtilitate. Sit ergo.

DISP. LI.

Virum Logica ſit ſimpliciter Scientia?

1 PRima ſententia negat cum Zarab. Mirandulano, Aegidio, Villalpando, P. Dandino P. Vallio, P. Pereyra, P. Smigleſio, P. Lorino, apud citandos: quibus ſubſcribit Spinula d. 1. ſ. 6. n. 88. & Lalemand d. 3. p. 3. n. 11. Fauent ex parte Thomiſtæ aliqui cum & apud Complutens d. 1. q. 5. n. 49. ſaltẽ, vt *dicentem*, & in parte Topica negantes eſſe ſcientiam; nec diſſentiũt Card. Tolet. q. 3. P. Rubius q. 3. & alij, quos ſequitur P. Quiros d. 12. ſ. 2. qui etiam vt docentem negat.

2 Secunda noſtra ſententia affirmat, Logicam ſimpliciter & omnino ſcientiam eſſe. Ita S. Th. 4. Meth. lect. 4. & Thomiſtæ cõmuniter, quos laudat M. Ioan. Th. q. 1. a 2. Scotus q. 1. in Porfir. & Scotiſtæ cum & apud Poncium d. 2. q. 7. n. 68. noſtrĩ fere omnes cũ P. Suarez d. 1. Meth. ſ. 4.

s.4.n.30. P.Vazq.1.2.d.85.c.1.P. Fons.4.Metaph.c.3. q. 1. PP. Conimb. P. Hur. P. Arr. P. Ovied. P. Comp. P. Alph. P. Tellez quos laudant P. Santa Cruz n. 1225. P. Lynceus l.2.tr.3.c.2. P. Mau. q. 22. & 23. P. Suarez Lusit. tr. 1. n. 100. P. Th. Polon. l.2.q.1.diff.1. P. Oleina n.380. P. Peynado Tr. 1. d. 1. s.2. n.22. Caramuel in Metalog. n. 49. &c.

Sect. 1. Præmittitur, quid sit scientia, & quæ virtus intellectualis, &c.

3 Præmittendum 1. ab Aristotel. 6 Eth. c.2.3. & seq. S. Th. 1. 2. q. 57. *per totam*, & Theologis ibi, præsertim P. Vazq. ca d. 85. P. Arr. d. 34. de virtutib. P. Oviedo hic c. 1. p. 5. P. Mauro. q. 15. & seq. virtutes intellectuales circa verum, prout distinctas à moralibus, sive voluntatis, circa bonum, numerari, quinque. Tres sunt speculativæ, scilicet scientia, sapientia, & intellectus: Duæ vero practicæ Ars, & Prudentia. *Scientia* dicitur habitus cognoscendi veritatem per demonstrationem; scilicet per conclusionem ex principijs certis, & evidentibus. *Sapientia*, similiter demonstrativa, & per altissimas causas, & supremos principia. *Intellectus* est ipse habitus principiorum, ex quibus tam scientia, quã sapientia, suas demonstrativas conclusiones inferunt. *Ars* est habitus, certa ratione factiuus, sive regulativus factibiliũ. *Prudentia*, est recta ratio agibilium siue hic & nunc agendorum. Ubi cuittitur opinio & fides humana, quia fallibilis: Fides vero divina, quia ignota Philosophis.

4 Circa quam divisionem multa notantur à DD. cum P. Arr. 1. quòd re vera omnes hæ species virtutis intellectualis sub vna ratione Scientiæ, generalius acceptæ, cõtinentur, juxta ipsum S. Thomam ex Arist. 6. Eth. hic c. 7. Scientia enim, prout est cognitio certa & evidens, omnes illas virtutes cõprehendit. 2. Quod Scientia ibi ab Aristotele valde stricte vsurpatur pro pure speculativa, sive non mixta cum Arte, latius enim & proprie vsurpata, etiam Artes liberales, & practicas scientias complectitur, quæ simpliciter scientiæ sunt, ex ipso Aristotele, & S. Thom. ibi art. 3. ad 3, vt Ethica quæ non solum scientia, sed etiam pars est Philosophiæ. 3. Quod distinctio sapientiæ à scientia solum arbitrarie taxari potest. Quis enim metiatur, quanta debeat esse pro sapientia altitudo causarum, nisi ex arbitrio prudenti? 4. Quod sub Intellectu non solum accipiuntur prima principia, suprema, & media, sed propositiones omnes, per se notæ scientificæ, & definitiones, divisiones, & enuntiationes de prædicato per se necessario, quæ absque dubio scientia actualis sunt. 5. Denique, Quod Aristoteles solum strictam Scientiam esse voluit demonstrationem, scilicet conclusionem per præmissas certas & evidentes comparatam. Nec in re de nomine amplius est immorandum.

5 Præmitt. 2. circa Artem, aliquos hic defatigari, vt à Scientia distin-

guatur,

guatur, propter Aristotelis & S. Thomæ auctoritatem. Qui tamen solum distingui volunt, quæ fuerint pure Ars, & pure scientia; cum sæpe vtrãque conjungant in scientijs practicis & Artibus liberalibus; vt patebit disp. seq n. 3. Nam sicut divisio viventis ab Aristotele & S. Thom. tradita ad *lib. 2, de Anim* in *vegetativum, sensitivum, & rationale*, tanquã in species puras, non tollit, quod detur species mixta ex omnibus, scilicet *homo*; ita divisio virtutis intellectualis in *Scientiam*, & *Artem puras*, non tollit quod detur species mixta scilicet *Scientia practica*, quæ simul sit ars, & scientia. Quænam autem sit ars pura, non scientifica, difficile assignari potest; quia *cum sit certa ratio factibilium*, in ipsa certitudine importat rationem scientiæ; vnde & omnes artes sub humana scientia dividuntur, ex disp. 38. n. 8. Ex ibi tamen dictis explico cum P. Arr. ea disp. 34. n. 9. eam dici *pure Artem*, quæ licet ordine inventionis scientia fuerit, ordine tamen, & methodo traditionis scientifice non fundatur; quia solum tradit regulas nullam earum rationem reddendo, nec earum certitudinem demonstrando: vt nunc traduntur Artes omnes Mechanicæ, necnon multæ liberales, vt Grammatica, musica, &c. Et hac solum ratione Ars contraponitur scientijs practicis, quæ semper suarum regularum certitudinem demonstrant, vt præstant Logica, Ethica, Medica, &c. dum traduntur.

6 Præmitt. 3. specialiter circa *Prudentiam*, quod licet sit practica, & directiva scientifice, sicut Ars non pura, distinguitur tamen ab arte, quia vt inquit S. Thomas *art. 4. corp.* Ars est ratio factibilium: Prudentia vero agibilium. Explicat vero S. Doctor differentiam; quia ars in suis regulis præscindit ab vsu; Prudentia vero applicat potentiam circa *vsum*, vt hic & nunc ex regula recte agendum, media appetitiva potentia agentis, iuxta ideam regulæ agere volentis. Vnde sicut distinguit optime P. Arr. à n. 43. Prudentiam à regulis Ethicæ in moralibus; quia hujus Regulæ sunt vniversales; applicatio vero prudentiæ fit per Regulam particularem, hic & nunc dictantem, quid agendum ipso vsu & facto sit: scilicet, per illos tres actus quos ex Aristotele enumerant DD. cum S. Thoma à 6. *Eubuliam*, sive consultationem; *Synesim*, sive judicium de consultatis; & *Gnomen*, sive regulã particularẽ, hic & nunc directivã, vel, vt alij vocãt, imperativã. Ita in reliquis Regulis Artiũ, quæ semper vniversales sunt, sicut Regulæ Ethicæ, eam particularem applicationem habet Prudentia, per similem consultationem particularis materiæ, sæpe ad alias facultates à regulativa distinctas spectãtis. v. g. pro Regulis Logicæ applicandis, consultat Prudentia, aliarum Scientiarum principia, in quarum materia excercentur, per discursum illũ mistum, ex vna Præmissa Regulæ Logicæ, & altera materiæ scientificæ, inferendo conclusionem prudẽ

tialem particulariter hic & nunc regulativam, modo explicato d. 46 n. 21. Ex quo.

7 Fit 1. cũ S. Th. ã 4. ad 3. Quod Prudentia est *bene consiliativa*, seu bona consiliatrix, nõ solũ *in his quæ pertinent ad vitam hominis*, sive ad mores; sed etiam in *his quæ pertinent ad fines proprios Artium*; *unde aliqui in quantum sunt bene consiliativi in rebus bellicis, vel nauticis, dicuntur prudentes Duces, vel gubernatores* (vt pulchre explicat, & loquitur S. Doctor.) Vnde posset Prudentia dividi, in Moralem, pertinentem ad Mores, & idealem pertinentẽ ad ideas Artium. Et hæc est illa vis consiliativa prudentiæ, quæ *Sagacitas* appellatur ab Aristor. apud P. Arr. n. 36. qua quia multi carent, licet polleant scientia regularum, v. g. Poeseos, vel Grammaticæ; nihilominus sunt mali Poætæ, vel grammatici, quoad vsum.

8 Fit 2. Quod Regula Artis eodẽ modo se habet in suo esse & modo tendendi scientifico, dum per Prudentiam, in quavis Materia applicatur ad vsum; quæ vt applicabilis *in actu primo*, vt præmilla, dici solet Regula *docens*; vt vero in actu 2. applicata per conclusionem prudentialẽ, dicitur *vtens*. Vnde nisi abutendo vocibus vtentis & docentis, vix capi potest, quomodo regula vt docens scientia sit, nõ tamen vt vtens, vt aliqui n. 1. volunt.

9 Præmitt. 4. Distinctio scientiæ actualis ab habituali; ex dictis d. 38. n. 17. Vnde eo ipso quod in Logica probetur esse actus scientificos sive certos & evidentes; & præcipuè demonstrationem, quæ scientia actualis strictius appellatur; convincitur, Logicam prout permanenter & habitualiter est in intellectu, esse scientiam habitualem, sive *Habitum adquisitum per demonstrationem*, quæ est definitio scientiæ ex Aristotele 1, post c. 2. vt jam probatur.

Sect. 2. Conclusio affirmans defenditur.

10 Prob. 1. concl. In Logica quam plures sunt actus scientifici, & præsertim Demonstrationes, Tum quibus demonstrat formam, Figuras, & Modos Argumentationis rectè concludere, & in principijs per se notis *Dici de omni*, & *Quæ sunt eadem*, manifestè fundari. Tum quibus Reductiones ad impossibile evidenter demonstrative convincit. Tum per quas proprietates vniuscujusque modi sciendi, ex eorum Definitionibus á priori colligit; vt quod Definitio ad convertentiam dicatur cũ Definito; quod Divisio non latius pateat ex parte divisi, quam dividentium, &c. Vnde habitus ex his actibus relictus erit adquisitus per Demonstrationem. Sed scientia habitualis nihil est aliud, quam habitus adquisitus per Demonstrationẽ, sive scientiam actualem, juxta Aristotelem. Ergo Logica est scientia habitualis, per proprios actus, vt per scientiam actualem, ad quisita.

14 Prob. 2. Regulæ Logicæ tam vt

vt docentes; quam vt vtentes & applicatę in quavis Parte, ſive Analytica, ſive Topica, ſive Sophyſtica, ſunt evidentes, & ſcientificæ; quin per applicationem, vel vſum ſuam certitudinem amittant, Ergo Logica omnino in quavis Parte eſt ſcientia. Antec. prob, Tũ quia in parte Analytica verſatur regulando certo & evidenter in materia neceſſaria & evidenti; ac proinde non poteſt non eſſe evidens & ſciẽtifica regula, per cujus conformitatem materia eſt certó ſcientifica & evidens. Tum quia etiam in Materia Topica probabili, evidens eſt Regula Argumentationis, quod ex Principio *quæ ſunt eadẽ vni tertio*, admiſsis præmiſsis probabilibus, cõprobalibus, vnientibus terminos cũ Tertio; neceſſario ſit admittẽda probabilis cõcluſio ipſorũ Terminorũ inter ſe. Tũ demũ, quia etiã in materia Sophiſtica, evidens eſt Regula (quidquid ſit an per ſe ſpectet ad Logicam, de quo d. 46. n. 18. & 26.) Quod admiſsis præmiſsis, non ſit neceſſaria conſequentia ſophiſtica, quia claudicat, & claudit quatuor terminos, ſub aquivoca ſignificatione, vel inadæquata diſtributione Medij. Ergo vbique & omnino in omnibus tribus ſuis partibus, Regulæ Logicæ ſunt evidentes, demonſtrativæ, & ſcientificæ. Cõfirm. Quia de errore & opinione Deus habet ſcientiam. Ergo pariter Logica ſcientificam definitionem, & demonſtrationem habere poteſt de ipſis. Ergo.

12 Obij. 1. Ariſtoteles; Tum 1. Rhet. c. 4. dicens, *Logicam eſſe facultatem, non ſcientiam.* Tum ſupra 6. *Eth.* ſolum facultatem ſpeculativam ſub ſcientia complectens; ac proinde excludens Logicam, quia practicam. Tum 1. Rhet. c. 2. docens Rhetoricam eſſe partem Dialecticæ; cum autem Rhetorica ſciẽtia non ſit, ſaltem non erit Logica adæquatè & ſimpliciter ſcientia. Tum 2. *Meth.* c. 3. ait, *abſurdum eſſe quærere ſimul ſcientiam & modum ſciendi*: ergo quia dum quæritur Modus ſciendi per Logicam, non quæritur per ſcientiam. Tum demum quia 1. *Top.* c. 9. Logicam vocat *Inſtrumentum ſcientiarum*, ergo non eſt ſcientia.

Reſp. ad 1. & 2. ibi vſupare Ariſtotelem vocem ſcientiæ ſtrictiſsime pro ſpeculativa, ſive purè inquirente veritatem; non praxim nec opus, vt eam ab *Arte pure* diſcriminet, vt n. 5. præmiſsi. Ad 3. etiam Rhetorica, qua parte agit de locis Topicis ordinandis ſcientia eſt, & ibi Logicæ ſub alterna. Ad 4. Solum vult Philoſophus, quod abſurdum ſit alias ſcientias ſpeculativas, & ſimul Logicam ſeu Modum ſciendi addiſcere; quia hæc practica ſcientia debet præmitti. Ad 5. Ariſtoteles ibi non vocat Logicam *inſtrumentum*; ſed quæ præbet inſtrumenta ſciendi: dato tamen, factum eſt ſatis, d. 39. n. 10.

13 Obij. 2. Scientia juxta Ariſtot 1. *Poſt.* c. 7. debet eſſe de neceſſarijs & ęternis; quia debet eſſe de infallibilibus, & enuntiabilibus æternæ veritatis. Sed Logica eſt de contingentibus, cum omnes operationes Mentis, de quibus agit, contingen-

ter existant: ergo.

Resp. dist. maj. Scientia debet esse de necessarijs in essendo, sive, in esse objectivo, & verificativo; sive in cõnexione prędicati, vt verificabilis de subjecto: quo sẽsu dicũtur propositiones necessarię, & æternæ veritatis, etiam quę de contingentibus sunt, v. g. omne contingens est defectibile; *concedo*. Debet esse de necessarijs in existendo, sive in esse existentiali; quo pacto operationes mentis, vt dirigibiles in Modum sciendi sunt tantũ contingentes: *Nego*. Sunt enim necessarię in esse dirigibilis in Modũ sciendi objectivè & verificativè, quia, tam necessarium æternè erit, quod syllogismus recte dispositus, sive vt á Logica directus est infallibilis, seu legitimè concludens (idem esto de alijs modis sciendi) quã quod, *homo sit animal* &c. Et hęc sola necessitas requiritur ad scientiam; alias nulla esset scientia de obiecto creato, cum omne illud sit contingens in existendo.

14 Obij. 3. Modus saltandi non traditur per saltationem; ergo neque Modus sciendi; seu scientiæ, tradetur per scientiam; cum autem tradatur per Logicam, fit hinc Logicam non esse scientiam;

Resp. neg. conseq. & parit. Quia saltatio non spectat ad modum tradendi artem saltandi; at scientia pertinet ad modum tradendi scientificè ipsum Modum sciendi, quia fit per scientificam reflexionem; sicut Modus certò faciendi vnam Mensuram debet ordinari per aliã; quia mensura certo fieri non potest, nisi per aliam reflexè mensuretur.

15 Obij. 4. Logica nititur experientijs, vt pote per illas adquisita; illæ vero sunt fallibiles, vt à sensu fallibili dependẽtes: sed omnis notitia nixa principio fallibili est fallibilis, atque adeo non scientifica: ergo & Logica.

Resp. neg. maj. Ex qua omnis scientia humana de medio tollere tur: aliud enim est comparari medijs experiẽtijs, & media sensuũ applicatione, quod omni scientiæ nostrę cõvenit: aliud illis tanquã principijs, ac motivis niti, quod a scientia metaphysicé infaliibili (qualis est Logica) alienum est. Sicut enim fides nostra divina est infallibilis, licet dependeat à sensibus, & sensibili instructione per Parochos & parentes; quia ab hac solum dependet, vt a conditione, per quam nobis innotescat Motiuum infallibile credendi, scilicet Auctoritas Dei revelantis, cui solum fides innititur, vt principio. Ita scientia Logica & Metaphysica, à sensibus solum pendet, vt ab applicatione sive instructione motivi scientifici infallibilis, quo solum nititur ad assensum ipsa scientia, ac proinde evadit infallibilis. Dum enim audio à Magistro, *Syllogismum concludere, quia nititur principio, quæ sunt eadem*, &c. nõ assentior propter auditionẽ Magistri, licet hæc sit necessaria, vt motivum *Quæ sunt eadem*, &c. mihi innotuerit; sed solum propter motiuum & principium ipsũ infallibiliter connexum cum ea cõ

clu-

cluſsione. Quomodo autem Scientia Phyſica quæ ab experientijs, vt a motivis in materia ſenſibili, depender, ſe gerat; in eius proæm. dicam; & interim videantur P. Suarez & P. Yzquierd. citati pro hac generali doctrina d. 38. n. 16. An autem Prima principia Metaphyſica formidinem aliquam fallibilitatis admittant, in Proæm. Metaph. explicabo. Vid. P. Quir. ad q. 1. a n. 7

16 Obij. 5. Scientia non agit de ſingularibus, vt pote contingentibus & fallibilibus: ſed Logica de ſingularibus agere debet, quia vt practica agit de operabilibus, nihil autem eſt operabile niſi in ſingulari; Ergo.

Reſp. 1. neg. maj. ex d. 41. n. 6. Quod firmatur, ex Demonſtratione expoſitoria de ſingularibus; & ex Scientia infuſa Chriſti D. quam S. Th. 3. p. q. 9. a. 3. fatetur eſſe de ſingularibus. 2. Nego, Logicam agere de ſingularibus exercite, ſed ſolum ſignate; quia ipſa non dirigit immediate actum vt in particulari, hic, & nunc exercitè in ſpeciali materia exercendũ; quia hæc immediata directio, & applicatio pertinet ad Prudentiam, ex n. 6. & 7. Regula enim Logicæ, & cujusvis Artis ſolum in communi, & vniverſaliter, ſignatè ſingulares actus dirigit; eo modo quo ratio generica individui, ſingularis, &c. dicitur ſignate, non exercite, ſingularis.

17 Obij. 6. Omnis Scientia habet propria principia, per quæ demonſtret ſuas veritates, ſed Logica propria Principia non habet: illa enim quibus vtitur, *Quæ ſunt eadẽ*, & *Quodlibet eſt vel non eſt*, &c. ſunt Metaphyſicæ propria: ergo non eſt Scientia.

Reſp. neg. min. Tum quia illa principia, nullius Scientiæ ſunt propria, ſed omnibus communia juxta P. Suarez d. 1. ſ. 4. n. 24. Tum, quia cum Metaphyſicæ omnes Scẽtiæ ſubalternentur, ab illa licet omnibus mutuari principia. Tum quia ſpecialia quædam ſunt Logicæ, vt *Dici de omni*, Definitiones Modi ſciendi, oppoſitionis, converſionis, &c.

18 Obij. 7. in Logica ſunt actus, & Tractatus pure probabiles, (vt hi proæmiales, in quibus verſamur] & longe plures, quam actus ſcientifici, ergo potius ab illis opinativa, quam ab his ſcientifica, ſive Scientia denominabitur Logica.

Reſp. neg. conſeq. quia ſolum ſumitur denominatio ab actibus primarijs, ſive regulis ſcientificis, quæ eſſentialiter conſtituunt Logicam; non ab actibus quaſi adventitijs, & minus propijs, qui ad famulatũ, & ſatelitium ſcientiæ collectivæ in ipſa colliguntur; quales ſunt actus & habitus pure probabiles, & qui circa obiecta ipſius minus propria verſantur; qui ratione alicuius vtilitatis Scientis, ſeu Logici, in vnum opus ſcientificum adunantur, ex dictis diſp. 38. & 46. n. 17. 19. 26. & ſæpius.

19 Obij. 8. Regulæ Dialecticæ in parte Topica non ſunt omnino

ſcien-

scientificæ; imo potius aliqua est erronea, v.g. *Quod ex præmissis probabilibus sequitur conclusio probabilis*: aliquando enim sequitur erronea, V,g. *Substantia non distinguitur à quantitate; sed in Eucharistia manet quantitas panis; ergo in Eucharistia manet substantia panis.* Vbi hæretica conclusio ex probabilibus præmissis infertur. Ergo fallit regula Topica Dialecticæ.

Resp. cum Caramuel qui de hoc multus est in *Theol. Fundam.*, & in *Logica vocali an.* 752. & P. Card. *d.* 7. & 8 *adversus Caram*, Regulam illam Dialecticæ intelligi de præmissis, non solum probabilibus divisim, quales sunt in argumento adductæ, & aliæ innumeræ; sed de comprobabilibus, sive quæ in sensu coæposito, & coniunctim probabiles sint. Tales autem minime sunt quando legitime infertur consequens absurdū, sive erroneum. Illud enim non est probabile, *ex quo sequitur absurdum*, iuxta Arist. in Topicis. Sed quando ex duplici probabili præmissa legitimè infertur consequens absurdum, illud sequitur ex coniunctione simultanea vtriusque præmissæ. Ergo illa coniunctio non est simul probabilis, & consequenter non sunt comprobabiles; nec faciunt medium, seu principium probabile ad probabilē conclusionē. Quia illud cōsistit in simultanea, atque adeo comprobabili vnione medij cum extremis, in conclusione inter se vniendis: quæ comprobabilitas seu simultas tunc omnino deficit, cum absurdum sequitur.

20 Obij. 9. Logica non est Scientia, vt docens; neque item vt vtens; ergo nullo modo est Scientia. Consequentia liquet, quia est adæquata divisio Logicæ. Antec. prob. a P. Quiros, & alijs supra. 1. Quia Logica, vt docens & vtens convenit cum alijs regulis artis non scientificæ, quæ vt docēres, & vtentes scientiæ non sunt; ergo pariter Logica præscindit a ratione scientiæ, vt docens, & vtens. 2. Quia Scientia, vt Scientia respicit verum vt verum, regula vero vt docens, & vtens respicit praxim seu operabile vt tale. 3. Quia regula, vt docet, & vtitur solum procedit dictando, & quasi imperando, quid agendum sit; vt scientia vero non ita, sed discurrendo, & ex præmissis conclusionem inferendo. Ergo neque vt docens, neque vt vtens est scientia.

21 Resp. fatendo, quod Logica secundum conceptum genericum *docentis*, & *vtentis*, in quo etiam cū regula erronea convenire potest, minime est Scientia, imo nec Logica; sicut homo secundum conceptum animalis, in quo cum irrationalibus convenit, neque rationalis, neque homo est. Solum ergo per eam reduplicationem inquiritur, an vt docens, & vtens, taliter doceat, & vtatur, vt scientifice se gerat, secundum quod taliter docens, & vtens? Et ita prorsus affirmamus. Quia regula Dialecticæ, cum per demonstrationem scientificam comprobetur, se habet vt conclusio demonstra-

trativa; & eius habitus vt acquisitus per demonstrationem, seu scientiam actualem, est etiam scientia habitualis. Vnde regulæ omnes, quas talis habitus producit, vt pote similes illis, aquibus ipse productus est (quia habitus non habet vim nisi ad similes actus producendos) habebunt intrinsece imbibitam rationem Scientiæ, ac proinde tam dum in actu primo docent, quam dum in actu secundo ad vsum applicantur per prudentiam, eamdem rationem scientificam docendi, & dirigendi sibi intrinsecam, & essentialem conservabunt, ex dictis n. 8. & hinc in forma,

22 Nego antec. ex n. 20. Ad 1. prob. nego quod Logica vt taliter docens, & vtens per Regulam demonstratione comparatam, conveniat cum Artibus non scientificis, quæ regulas ita non comparant. Ad 2. Licet Scientia vt practica respiciat opus, non illud vt cumque respicit, sed vt certo infalibiliter rectum, secundum praxeos veritatem infallibilem, vt optime notavit P. Suarez d. 1. Metaph. s. 6. n. 32. vt prænonni d. 38. n. 14. Quam tamen veritatem in actibus intellectus vt in Logica directis esse tantum radicalem respective ad obiectum, d. 48. n. 15. adverti. Ad 3. Licet quoties conclusio demonstrativa repetitur, non repetatur discursus formalis per præmissas denuo iteratas, non ideo desinit esse Scientia actualis; sufficit enim quod ab habitu per formalem demonstrationem ad quisito producatur, vt perfectissimam Scientiæ actualis rationem retineat; & ita ea in rationem omnes Regulæ demonstrativè acquisitæ in Logica, Ethica, & quavis Scientia practica, licet per modum Dictaminis, non vero per formalem illationem doceant, & vsui applicentur, omnino retinent.

23 Obij. 10. Logica est Ars, quæ est species opposita Scientiæ; ergo scientia simpliciter non erit. Pro examinando anteced. Sit

DISPVT. LIJ.

Vtrum Logica sit simpliciter Ars.

1 PRima sententia negat cum subt. Scoto & suis; ex nostris P. Valentia 1. 2. d. 5. q. 3 p. 2, §, Secundo P. Tannero 1. 2. d. 3 q. 4. du. 1. n. 3. P. Arr. d. 3. Log. n. 11. & 12. & 1. 2. d. 34. *virtut. s.* 1. *subs.* 2. quos laudat P. Maza hic d. 1. sect. 7.

2 Secunda nostra sententia affirmat cum S. Thoma, & Thomistis apud Joann. Thom. q. 1. art. 2. P. Suatez 1. Meth. s. 4. n. 13. P. Fōl. 4. Meth art. 3. q. 1. P. Vazq. 1. 2. d. 85. c. 1. PP. Conimbris q. 2. præm Card. Tol. Hurt. P. Ovied. & vno verbo, nostris omnibus, præter quatuor citatos; quos laudant P. Linzeus lib. 2. tract. 2. n. 20. P. Santacruz n. 27. P. Quiros d. 12. s. 2. & alij passim.

3 Sed Præmitendum, quod sicut Aristoteles aliquando strictissime sumit scientiam pro pure speculativa

&

& Artem similiter pro non scientifica, ex *disp. præced. n.* 5. Ita e contrario, aliquando latissime Artem accipit, prout omnem scientiam, etiam speculativam cõprehendit, vt *ex* 2. *Meth. c.* 1. *& lib.* 6. *c.* 2. *&* 8. *Topic. c.* 2. & 1. *Poster. c.* 1. probãt PP. Conimbris. & P. Fons. cum ipso Philosopho, & S. Thoma, Scientiam dividentes, non minus quam Artem, in *Contemplativam, Activã & Effectivam.* Et cum hac vsurpatione convenit communissimus loquendi modus, qui cursum Philosophicum, Cursum Artium, & Philosophicas Scientias omnes, Artes appellare consuevit. Et in hoc sensu a nemine dubitatur, Logicam esse Artem. Similiter e cõtra affirmari non potest ab ijs, qui Logicam Sciẽtiam esse dicunt, eam esse Artem in sensu opposito strictissimo, quo Ars ab Aristotele pro facultate exclusiva Scientiæ sumitur. Verum cum ab Aristotele *supra* deseratur sæpe hæc vsurpatio; & fere neque in Artibus Mæchanicis locum habeat, saltem via inventionis, vt eo *num.* 5. dixi; nescio quare ad eas angustias Ratio Artis redigi debeat, solum vt Logica excludatur. Media ergo via tenenda est, vt Ars neque cum omni Scientia repugnet, neq cũ omni conveniatur; atque adeo ita definiendo erit, vt etiã Scientiã divinã (quæ Ars Artium, omnium que *artifex* est ex SS. Patribus ad *c.* 11. *Sap.* laudatis *supra* d. 48. n. 5.) complectere possit, vt sentit expresse S. Th. 1. 2. q. 93. a 1. c. propterea ibidem & q. 57. a 3. &. 4. ex Philosophice definiens, vt sit *Virtus intellectualis practica, seu certo regulativa operis* vt factibilis; item, quod *sit recta ratio factibilium, sive Habitus certa ratione factivus.* Iam hinc

4 Prob. 1. Concl. Logica est regulativa certo infallibiliter, & sciẽtifice operationum Mentis in Modum sciendi; sed eo ipso est virtus intellectualis practica certo regulativa alicuius operis vt factibilis, sive est recta ratio factibilium, sive habitus certa ratione factivus, quæ est essentia, & definitio Artis; ergo Logicæ simpliciter convenit ratio Artis.

5 Prob. 2. Quia in re de nomine hic est cõmunissimus loquendi Modus, ex S. Augustin. *l.* 3. *contra Acad.* & S. Th. *l.* 1. *post. c.* 4. appellantibus Logicam *Artem Artium*; & rursum Opusc. 70. q. 5. a 1. ad 3. *rationalem artem*; atque iterum 1, 2. q. 57. a 3. ad 3. Artem liberalẽ nominat. Et habetur pro recepto Axiomate, in illis carminibus, vbi liberales, & Mæchanicæ Artes numerãtur, apud PP. Conimb. a 3. Nimirum Liberales: *Lingua Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra*: idest; Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmetica supputativa, Musica, Geometria, & Astrologia, directivæ. Mæchanicæ: *Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Lana, faber*: Idest Agricultura, venatoria, Gladiatoria; Nautica, Chirurgica, Textoria, fabrilis. Sub quibus etiam alias comprehendi, prolixioris esset Problemã

matis: an scilicet sub *Lingua*, Poesis, orthographia &c. sub *Numero*, & *Angulo* multæ Mathematicæ practicæ.

6 Obij. 1 Ab Aristotele Artem contraponi *Scientiæ*, in divisione virtutum, a S. Th. & Theologis religiose recepta *d. præced. s.* 1. Ergo si Logica Scientia sit, Ars non erit.

Resp. Non minus ab Aristot. ibi, Scientiam contraponi notitiæ practicæ, & tamen dispensatur religiosa observantia divisionis ab ipsis Adversarijs, admittentibus Scientias practicas. Sicut ergo ipsi dicunt esse nimis strictam eam vsurpationem Aristotelis, ab ipso alibi dispensatam pro Scientia; dico similiter dispensatam sæpius pro Arte; atque adeo intelligendam de Scientia pure, & Arte pure, non de mixta, vt ibi n. 3. explicui.

7 Obij. 2 hoc modo posse omnes Artes Mæchanicas cum Scientijs confundi; si semel Ars, & Scientia possint adunari; item Ethicã, & Prudentiam dici posse Artem, quia vtraque est certo regulativa. Ergo.

Resp. ad 1. ex eo n. 5. etiam Artes Mechanicas ordine inventionis esse Scientias; licet ordine traditionis, quia demonstrative non fit, á Scientijs excludantur; nõ vero quia Arti ex genere suo Scientia repugnet. *Ad* 2. Ideo Ethica, & Prudentia non sunt Artes, quia ex communi vsu loquendi, rectitudo moralis, quam ambæ respiciunt, opponitur artificiali, quæ respicitur ab Artibus, vt notat P. Arr. ea d. 34. n. 19 & fundatur in dicto illo Aristotelis, laudato a S. Th. 1. 2. q. 57. a 4. c. quod *Ars sit factibilium, Prudentia vero agibilium*, ideſt, moraliter eligibilium hic, & nunc [vt multis locis explicat Philosophus apud P. Lync. n. 75.] quod ita dictat, tum Ethica in communi, tum Prudentia in particulari. Et ex hoc etiam capite Prudentia differt ab Artibus, quæ non in particulari, sed in communi regulas præscribunt. Adde ambas absolute Artes dici posse; sicut Sciẽtias; juxta illud S. Gregorij M. *Ars artium est hominem regere* &c. Quæ tamen ad Prudentiam, & Ethicam spectat, quarũ est regere homines.

8 Obij. 2. Iuxta Aristotelem, 1. Magn. Moral. *c.* 33. *&* 6. *Ethic. c.* 4. *&* 5. & sæpius, Artes omnes versantur in opere externo: Quod si sit transiens, dicuntur activæ, vt *Musica, Poetica*, &c. si permanens, factivæ, vt *fabrilis*: si vsibus corporis serviens, *serviles*, & Mechanicæ: si vsibus animi, *liberales*. Consentitque S. Th. 1. 2. q. 57. a 1 ad 1. Arti practicæ tribuens solum opus externum & art. 3, ad 3. eam in sola parte opinativa residere affirmans; & a scientifica excludens. Ergo.

Resp. Quod sicut Nomen *animalis*, solet tribui speciei minus perfectæ, scilicet bruto; ita, & nomen genericum *Artis*, solis puris Artibus ex d. 51. n. 5. quæ ex traditione nõ scientifica putæ Artes sunt, instar Mæchanicarum. Et juxta hanc vsurpationem loquuntur ibi Aristoteles, & S. Th. cum alibi constet, Scientiã

ab Artibus minime per ipsos excludi.

9 Obij. 4. ex Arist. 6. Eth. c. 4. & 5. obiectum Artis indifferens esse debet, vt bene vel male fiat: esset enim otiosa Ars humana ad artificiũ quod errari non posset, neque illud artificium jure vocabitur. Sed objectum Logicæ non ita est indifferens, actus enim per suam essentiam est bona definitio &c. ex d. 48. s. 1. ergo Logica non est Ars humana.

Resp. 1. sufficere indifferentiam actus ad existendum, vt scilicet malus pro bono poni possit, & e converso, quando actus est artificiosus per se, & ab intrinseco, & non per accidens, modo explicatio ea disp. n. 11. Quia de ratione essentiali Artis periculum absolutum errandi nõ est, neque quod artificium accidentale sit, vt patet in Arte divina respectu Angeli, &c. 2. Satis est pro Arte humana, quod materia denominativa circa quam artificij habeat indifferentiam, vt bene vel male ordinetur: Materia autem circa quam denominativa, & secundaria artificij Logici sunt conceptus objectivi, qui denominantur definibiles, divisibiles; &c. hi autem indifferentiam habent, vt bene vel male definiãtur, dividantur &c. vt pro humana Arte requiritur.

10 Obij 5. Obiectum formale Artis, seu notitiæ practicæ, est *Praxis*, Latine opus, vt idealiter operabile, ex directione regulæ. Sed obiectum Logicæ praxis ita esse non potest, vt nec ipsa Logica simpliciter practica; ergo non est simpliciter Ars. Circa Minorem multæ sunt, gravesque difficultates pro quibus sequitur,

DISP. LIII.

Quid sit Praxis; sive obiectum formale Artis, & notitiæ Practicæ?

1 QVæst. 1. *Vtr. Praxis debeat esse opus alterius Potentiæ ab intellectu?* Affirmant Scotus, & Scotistæ, quos laudant Smising. *q. 4. proœm. n.* 224: & Poncius q. 8. n. 77. & ex parte Scotizant Thomistæ, cum M. Ioan. Th. q. 1. a 4. §. *ex quibus*. Et Complut. d. 1. q. 6. § 1. &c. nollentes, intellectionem per se, & vt speculatio est, praxim convenire.

2 Nego cum Nominalibus, P. Suarez *d. Metaph. s.* 13. *n.* 25. P. Mol. 1. p. q. 1. a 4. d. 2. P. Vazq. ibi. d. 8. P. Fons. P. Rub. P. Hurt. P. Arr. P. Ovied. & reliquis nostris quos laudant, nostras P. Leonard. 1. p. d. 4. s. 1. P. Lynceus 7. *Metaph. Tr. 5. c.* 3. P. Quiros d. 13. s. 1. & Caram. n. 260. Faventq; a fortiori apud P. Lynceũ, Durand. & Bacchonus, qui solos actus intellectus praxes esse dicunt. Sed *nequid nimis*: cum græcũ nomen *praxis* ab externis artefactis præcipue desumpserit Philosophus, vt hic notant DD.

3 Prob. 1. Quidquid respicitur ab intellectu, vt regulabile, & dirigibile, seu in ordine ad opus, & fieri, est praxis, cum ita respici non possit per puram speculationem; hæc enim

enim sistit in pura contemplatione obiecti, vt veri; quod autem vt taliter verum, & pure speculabile non respicitur, vt praxis nec esse est respiciatur, quia speculabile, & praxis omnino opponuntur. Atqui actus intellectus, respici possunt, vt regulabiles ad opus, sive ad fieri: vt est manifestum; dirigimur enim passim per consilia prudentum ad orãdum, meditandũ, studendũ, cogitandum honesta, vel delectabilia, aut vtilia: vt interim Modum sciendi, ad quem dirigimur per Logicam, omittamus. Ergo ij omnes intellectus actus erunt praxes. Confirm. Nó alia ratione rejiciunt Scotistæ Durandum, negantem alios actus, præter intellectuales, esse praxes; nisi quia alij sunt regulabiles per dictamen rationis Ergo si ipsi actus intellectuales sunt ita regulabiles, erunt praxes.

4 Prob. 2. Ex communi DD. cum S. Th. ea q. 57. a 3. & 4. Prudentia est virtus practica, vnde quidquid per illam dirigitur, praxis est; sed per Prudentiam diriguntur, non solum actus voluntatis, sed etiam intellectus; nimirum fides, studiositas, oratio, meditatio, consideratio, & cogitatio; qui omnes actus prudenter fiunt, aut fieri possunt, vt patet Ergo actus Intellectus, vt dirigibiles per Prudentiam, sunt praxes, & pariter, vt per Artem dirigibiles, sive Logicam, sive Ethicam.

5 Resp. Scotistæ; intellectualem actum solũ esse praxim prudentiæ, vt eligibilem actu voluntatis, & cõsequenter medio actu alterius potentiæ ab intellectu, *Contra*: hoc ipso modo intendimus, quod sit praxis actus intellectus respectu Logicæ, Ethicæ, & cuius vis regulæ illum dirigentis, medio scilicet vsu, & electione voluntatis, ex applicatione prudentiali regulæ idealis ad opus dirigentis, vt ex S. Thoma præmisi d. 51. 6. n. Et rursum dicam n. 9.

6 Obij. 1. Ex Arist. 3. de anima c. 10. Intellectus *extensione fit practicus*; Ergo extensione ad actus alterius potentiæ. 2. Speculatio contraponitur praxi; sed omnis intellectio est speculatio; ergo non praxis 3. Praxis dicitur bona vel mala; non vera vel falsa; è contra intellectio: ergo. 4. Si obiectum regulæ sit speculatio, regula sistet in speculatione cum sistat in suo obiecto; ergo erit speculatiua.

7 Resp. ad Primum. Arist. locum non inveniunt P. Fonf. P. Hurt; imo nec Scotus apud P. Leon. Et licet citetur a S. Th. 1. *p. q. 79. art. 11. § sed contra*, corrigitur a S. D. in corpore ita, *quod practicum & speculativum differunt fine*. Quidquid redarguant Complut. Dato tamen Antec, neg. conseq. solum enim fit practicus intellectus extensione ad opus, quia non se continet in contemplatione obiecti, sed vltra se extendit dirigens ad fieri illius. Et ita explicat S. Thom. q. 14. de verit. art. 4. inquiens: *extensio ad opus facit intellectum practicum*. Vel intellige de extensione per applicationem volun-

tariam ex n. 5. & 9.

8 Ad 2. Nego Mai. Speculatio enim solum contraponitur practico; non vero praxi: vnde sicut de opinione potest dari Scientia, ita de speculatione regula practica, & è converso. Neg. item *min.* quia multiplex intellectio practica non est speculatio.

Ad 3. Praxis intellectualis dicitur etiam bona, vel mala respective ad regulam, vt de definitione, divisione &c. dixi d. 31. n. 8. Licet respectu obiecti possit esse vera, vel falsa.

Ad 4. disting. illud *æquivocum*: regula sistet in speculatione, vt in obiecto, seu obiective, *conced.* ex modo tendendi sistendo speculative, *neg.* quia cum tendat directive, seu regulando ad opus, non sistet speculative, & ex modo tendendi.

9 Quæst. 2. *Utrum Praxis debeat esse opus voluntarium?* Neg. P. Arr. d. 1. n. 63. P. Lync. supra n. 46. P. Thom. Polon. d. 1. dific. 2. p. 1. & RR.

Affirmo, cum S. Thom. *sup. n.* 5. & 1. 2. q. 57. art. 1. ad 1. Vbi praxim vocat opus exterius, ideſt extra intellectum, quà voluntariam. Item Scoto, & vtriusque Schola; NN. P. Suar. ea d. 44. s. 13. n. 26. Card. Tol. c. 4. & Reliquis fere omnibus, teste P. Ovied. Cont. 1. p. 2. n. 15. & P. Quiros. d. 13. s. 5. quia opus regulari non potest, nisi media voluntaria applicatione regulæ.

10 Prob. 1. Opus regulabile, vel dirigibile ex se indifferens est, vt ex hac, vel alia regula, vel ex nulla fiat; si enim in mente operantis simul sint pro eadem actione multæ regulæ, quà honestæ, quà politicæ, quà etiam iniquæ; actio vel opus non habet ex se determinationem, vt ab vna potius, quam ab alia reguletur; neque determinari potest ab intellectu, qui per se non determinatur, nisi naturali necessitate veritatis obiecti. Ergo ea indeterminatio non potest tolli per aliam, quam voluntatis, determinationem, explicandam *in Physic.*

11 Prob. 2. Praxis est opus ideale; sive proveniens ex idea, ab agente, vt aliquo modo operante propter finem, sive ex fine imitandi ideã, iuxta S. Thom. 1. p. q. 14. art. 8. Sed quod fit ab agente, vt operante propter finem, fieri debet voluntarie, siue media voluntate intendente finem. Ergo. &c.

12 Prob. 3. Cognitio practica, seu directiva est inclinativa agentis ad opus vt aliquo modo bonum, ex S. Thm. 1. p. q. 79. a 11. ad 2. quia respicit obiectũ, vt operabile, & ponibile, ac proinde, vt volibile; quod enim ab agente vt intellectuali ponitur, aliquo modo quoad existentiam amatur, sive (vt ita dicam) volitur. Sed quod fit medio velle seu voluntate est voluntariũ. Ergo obiectum vt operabile, sive vt praxis, respicitur vt voluntariũ.

13 Obij. 1. Verbum Divinum est praxis respectu cognitionis comprehensivæ sui, ex qua procedit a Patre, iuxta plures DD. cum ea cognitio non sit pure speculatio; nec sis-

tat

tat in sola contemplatione Verbi, quia ad ipsius productionem extenditur. Et ita tradunt P. Leon. Tom. 1. d. 4. n. 34. P. Arr. 1. p. disp. 18 n. 14. & d. 23. n. 24. P. Lync. sup n. 63. Sed Verbum Divinum non est voluntarium, nec media voluntate procedit. Ergo.

Quod si dicas cum P. Hurt, Verbum non esse praxim, quia non est opus, seu effectus. *Contra.* Quia actus Divini liberi moralium virtutū, sunt praxis respectu Scientiæ Divinæ illos dirigentis, cum hæc speculativa non sit, vt pote directiva. Sed tamen non sunt opera, neque effectus: ergo pariter.

14 Resp. ergo neg. maj. cū plerisq; DD. ex S. Thom. 1. p. q. 14. à 16. P. Gillio lib. 1. tr. 5. c. 2. P. Ruiz d. 16. de scient. s. 1. & 2. & d. 81. P. Gran. d. 6. de *Ideis*. P. Hurt, d. 10. *de Anima* §. 12. P. Quiros sup. n. 28. & 1. p. q. 14. a 16. n. 179. *Tum* quia verbum non procedit ex cognitione sui, vt regulatum, sive ideatum, neque modo inclinativo, & directivo cognitionis, ad ipsum producendum, quia ejus modi inclinatio non potest concipi, nisi repræsentādo obiectū vt aliqua ratione bonum, & volibile suo principio producenti: quod non habet locum in productione Verbi, alias esset voluntaria, & non naturalis. Tum quia illa cognitio Verbi intentionaliter sistit in contemplatione illius, non minus quam in essentiæ, quam communicat; licet physicè & naturaliter non sistat quia ita se extendit ad physicam, & naturalem Verbi productionem, eo modo, quo cognitio intellectualis reflexa de specie re memorativa sui, quam relinquit & producit ipsa cognitio in intellectu; est purè contemplativa speciei, in modo tē dendi intentionali; licet physicè naturaliter non sistat in contemplatione, sed potius se extendat ad physicè causandam ipsam speciem, quia hæc extensio non est intentionalis, & in modo tendendi directivo ad opus, sed in modo physico causandi illam. Unde DD. qui Verbum dicunt esse praxim, solum in hoc sensu physico, non in intentionali & regulativo loquuntur.

15 Obij. 2. Possibilis est aliquis intellectus, qui se determinet ad suos actus; & consequenter, qui posita regula directiva syllogismi se determinaret ad illum, juxta Regulam eliciendum, eo modo quo nunc positis præmissis se determinat ad conclusionem. Ergo praxis tunc esset sine voluntatis determinatione.

Resp. Eum intellectum, qui se determinaret ad actum, vt regulabilem, fore simul voluntatem, cum ea determinatio involvat essentialiter volitionem boni, ex dictis n. 11. & 12. Determinatio autem ad conclusionem positis præmissis, fit longe aliter, scilicet per necessitatem veritatis, cui necessario naturaliter assentitur intellectus: regula autem non ita necessitat ad actum regulabilem.

16 Obij. 3. Sensationes internæ Bru-

Brutorum, quibus inducuntur ad suos motus locales, sunt practicæ & directivæ; cum non sint purè speculativæ, sed ad opus & operationem inclinent; sed non movent idealiter; neque ad finem imitandi regulam, sive ideam, cum Bruta non operentur propter finem. Ergo pariter.

Resp. neg. maj. Quia divisio practici, & speculativi est propria Intellectus, vt cũ Arist. 3. *de Anima* tradit S. Thom. ea q. 79. à 11. P. Suarez ea d. 44. s. 13. n. 27. P. Arr, d. 1 n. 61. P. Leon. n. 32, & alij communiter. Tum quia Praxis est opus regulabile, seu ratione operabile; bruta autem neque regulæ, neque rationis sunt capacia. Tum quia operabile, vt operabile, non est objectũ sensibile, seu sensu perceptibile, nõ minus quam operativum vt tale, cũ sub nullo sensibili, neque proprio, neque communi contineatur. Ergo objectum; vt operabile, per sensationem etiam internam Bruti proponi non potest ipsius appetitui. *Tum* quia sicut differentia *speculativi* aliena est à sensatione brutorum, quia, hæc non sistit in contemplanda veritate; ita nec *practici*, quæ definitur *cognitio non sistens in veritate*, & cõsequenter illam atringere supponitur. *Tum* quia sensatio non repræsentat brutis suas actiones loco motivas, vt eligibiles, & vtiles, neque vt dirigibiles, & operabiles formaliter, alias operarentur propter vtilitatem vt talem, seu propter finem: sed solum repræsentantur, vt bonũ delectabile; sicut pabulum; tantum illuminativè, sine ordine ad fieri illius, & ex hac illuminatione sympaticè necessario rapitur appetitus ad motum appetendum, sicut ad pabulum; quin ea debeat esse directiva, sed pure propositiva cognitio objecti, vt appetibilis: quod convenit cognitioni cuivis speculativæ boni, vt sic; vt dicam in *Phys.* cum S. Thom. & plerisque DD. negantibus, Bruta operari propter finem.

17 Quæst. 3. *Vtrum Praxis debeat esse opus liberum, tum libertate contradictionis*, ad esse vel non esse; *tum contrarietatis*, ad bene vel malefieri?

Affirmant Thomistæ & Scotistæ, P. Fonseca, 6. *Metaph.* 1. *q.* 5. *s.* 2. P. Suarez 1. p. tr. 1. lib. 3. c. 4. P. Vazq. 1. p. d. 8. n. 19. P. Tanner. disp. 1, q. 4, du. 3. P. Herice d. 9. c. 3. P. Alarc. tr. 2. d. 5, c. 4. n. 2. P. Alphons. hic n. 136. & Spinula d. 1. n. 21. qui tamen variant, in alterutra contingentia.

Nego cum P. Molin. 1. p. q. 1. à 4. d. 1. *s.* ad idvero. & q. 15. à 1 d. 2. *s.* Petes P. Gill. lib. 1 tr. 5 c. 2. n. 5. P. Hurt. sup. *s.* 3. P. Ovied. n. 11. P. Arr. n. 57. P. Compt d. 10. *s.* 4. P. Telez p. 3. tr. 2. n. 4. annot. ad lib. 6. P. Izq. d. 22. n. 89. P. Lync. eo tr. 5. n. 39. P. Quiros *s.* 3. & in 1. p. q. 14. à 16. n. 138. P. Leonardus sup. *s.* 2. à n. 28 &c.

18 Prob. 1. Quoad libertatẽ contrarietatis. Tum quia scientia divina directiva ipsius ad productionẽ creaturarum, & scientia infusa Christi D. directiva ad honestas operationes, practicæ sunt, & consequen-

quenter obiectum earum est praxis, quin sit indifferentia, vt bene vel male fiat. Ergo. Tum quia obiectum quod respicitur vt operabile, non respicitur vt speculabile; sed consequenter, vt praxis; sed potest respici, vt operabile, etiam si sit obiectum necessario bene exequendum, casu quo exequendum sit, ergo, vt praxis.

19 Prob. 2, Quoad necessitatem contradictionis. *Tum* ex multis actionibus artificiosis, quæ à dormiente, vel amente fieri solent; saltando, canendo, scribendo, &c. sine libertate ac deliberatione, & consequenter sine indifferentia ad esse, vel non esse illarum. *Tum* quia, vt optimè docent P. Molina, & P. Quiros citati, necnon P. Amicus tra. 3. d. 2. n. 100. & 34. d. 15. n. 23. Beatus reflectens per visionē supra amorem suum beatificum, vt à se operabilem, per ipsam ad illum dirigere, & inclinare potest; sicut enim lapidi ex se in centrum necessario cadenti potest ab extrinseco addi novus impulsus; cur non & amori beatifico necessario per se, possit per ipsam visionem novus impulsus directionis adjici? *Tum* quia licet Deus per impossibile ex necessitate naturæ ageret ad extra (vt voluit Aristoteles) nihilominus per scientiam suam, necessaria volitione applicatam, dirigeretur: cum etiā tunc omnia opera scienter & sapiēter ageret. *Tum* demum quia Christus D. per scientiam & prudentiā dirigebatur etiam ad opera hic & nunc omnino præcepta, quæ ne peccaret, omittere non poterat; cum sapientissimè & prudentissimè præceptum impleret. Sed id præstitit, aut saltem præstare potuit, sine libertate contradictionis ad omittendum. Ergo sine ea salva esset praxis.

20 Objicitur. 1. Aristoteles. 6. Ethic. c. 3. 4. & 5. dicens *Artem, & prudentiam non esse eorum, quæ natura fiunt.* Unde ideo combustio ignis, motus lapidis in centrum, actio nutritiva, & aliæ naturales actiones, non sunt dirigibiles per artem, vel regulam practicam, quia naturali necessitate fiunt. Ergo praxis excludit necessitatem naturalem.

Resp. imprimis Aristotelem loqui de artibus, quæ de facto pro hominum vtilitate ac necessitate ad præcavendos errores inventæ sunt, quæ nunquam opus omnino necessarium respiciunt; ad illud enim otiosæ sunt; non vero loqui de possibili, nec de constitutivo necessario notitiæ practicæ; qualis est Divina sine vllo erroris periculo, & infusa Christi D. circa opus præceptum ipsique prorsus necessarium. Deinde etiam intelligendus est de operibus naturæ, secundum quod per se necessaria sunt; ipsa enim, vt modo aliquo accidentali contingenter affecta, possunt esse artificiosa, & dirigibilia per artem: v. g. combustio quæ fieri solet per ignes festivos; nutritio etiam modo salubriori per applicationem Medicam cibi delicati; motus in centrum Ponderum librantium

rtium rotas Horologij modulate ordinatus, licet sint actiones, & motus naturales necessarij, sunt tamen ratione modi contingenter adveniẽtis artificiales, & dirigibiles per artem practicam humanam. At vero, vt per artem Divinam dirigantur, non indigent eo artificio accidentaliter adveniẽti, quia Deus etiam vt Auctor naturalis, & rerũ vt naturaliter existentium, est sapientissimus Artifex, & talis etiam esset, licet omnia ex necessitate ageret; ex d. 48. n. 5, 9. & 11.

21 Obij. 2. Praxis moralis, seu rectitudo moralis operum exigit contingentiam & libertatem, sinequa non consistit moralis formalis honestas; ergo pariter artificialis praxis.

Resp. neg. conseq. & paritatem, quia rectitudo moralis formalis involuit laudabilitatem, quæ sine libertate consistere nequit, non ita tamen artificialis.

22 Obij. 3. Ex Scoto praxis debet esse actus immediate regulatus per cognitionem practicam, scilicet actus voluntatis imperans externum opus; sed ille per se semper est liber; ergo praxis per se requirit libertatem. Maior probatur, quia si actio externa esset praxis, etiam illius effectus praxis esset v. g, non solũ proiectio sagittæ, sed etiam effectus proiectionis, v. g. ictus & vulnus &c.

Resp. 1 Data maiori; posse aliquando actũ appetitivum internum etiã esse necessarium & praxim, vt n. 18 & 19. probatũ est, &c. 2. Neg. maiorem: Ad prob. dicam n. 31. qualiter actus, & effectus externi praxis esse possint.

23 Obij 4. Cognio directiva in Patre æterno ad generãrdũ Filiũ implicat, vt essẽtialiter otiosa, quia esset ad praxim omnino necessariã, & sine vllo erroris periculo naturaliter ponendam. Ergo praxis & Scientia practica, per se petit aliquam contingentiam, & erroris periculum.

Resp, neg. ant. Solum enim ad scientiam practicam & praxim requiritur, quod opus sit regulabile; & quod excludat periculum, quod esset, non, quod est; ideſt, conditionatum, non absolutum. Unde sicut vnicitas Dei excludit alium Deum, quin sit periculum existentiæ alterius Dei, sed solum, quia esset illud, si vnicitas Dei non esset; ita scientia practica operis, ex directione illius necessario, & sine errore secuturi, excludere debet periculum & contingentiam erroris, non quæ sit, sed quæ esset, si scientia Dei directiva defuisset. Unde ex hoc capite hinc posset generatio Verbi esse praxis, licet careat erroris periculo; nisi aliunde repugnaret, quia non est regulabilis ob defectum voluntarietatis ex dictis n. 14.

24 Quæst. 5. *Utr. Praxis debeat esse opus immediate physicè operabile à cognoscente?* Affirmant P. Molina 1. *p. q.* 1. *n.* 4. §. *Quare.* P. Arrub. 1. *p. d.* 4 *c.* 2. §. *Pro intelligentia* P. Hurt. *d.* 11. *de Anima s.* 3. P. Arr. *d.* 1. *n.* 56. P. Compt. *d.* 10. *s.* 2. P. Lyceus *tr.* 5. *n.* 38.

d.38. P. Izquierd. *d.* 22. *n.* 86 &c.

N ego cum P. Fonseca 6, *Metaph* q 5. *c.* 5 P. Gillio tr. 5. c. 6. P. Mæratio *d.* 11. *de fide*, P. Quiros *sup. s* 6. P. Leonard *sup. n.* 37. P. Sãtacruz. n. 1222. apud quos, S. Th. S. Bonav. Greg. Mayron, Oña, &c.

25 Prob. 1. Quia certe negari nõ potest esse praxim obiecta regulabilia, quæ per se non sunt physicé operabilia a cognoscente, sed tantũ moraliter, vel virtualiter; v.g. Pura omissio furti voluntarij, quę physicé nihil est, ac proinde nec physicè producibilis, & tamen dirigibilis est à prudentia ad observationem præcepti negativi. Item actus liberi divini ex motivo libero virtutis moralis, qui dirigibiles sunt a divina Scientia, nec tamen ab ipso Deo physicè operabiles, sed tantum virtualiter elicibiles. Ergo ex hac parte á nemine potest negari, quod possint esse praxes nõ operabiles physicè immediaté à cognoscente, ac consequenter de ratione praxis nulla major, quam moralis, vel virtualis operabilitas erit, quæ salvatur sine physico influxu.

26 Prob. 2. Quia cognitio regulativa operis, vt exequendi per alios, media instructione ipsius Artificis cognoscentis, qui illa immediate nõ potest executioni mandare, est practica, & respicens praxim; cum puré contemplativa & stens in contemplatione non sit; & tamẽ respicit opus seu praxim ab ipso cognoscente immediate non operabilem. Ergo salvatur praxis sine ea immediata operabilitate respectu cognoscentis.

Antecedens multis exemplis exponitur. *Tum* Artificis Romani, v.g. per Ideam Templi, vel Fabricæ scripto transmissam, Matritanũ vel Toletanum opus, quod, ipse immediaté exequi non potest dirigẽtis. *Tum* Dei, & Angelorum, vel etiam hominum, v.g. Magistrorũ, tum per internas inspirationes, tũ per externas instructiones, ad vitales aliorum hominum, tum scientificos, tũm virtuosos actus, quos ipsi directores exercere nequeunt, dirigentium. *Tum* Medici practicé & directivé ægrotantium sanitatem procurantis, quam tamen ipse immediaté per se, sed medijs medicaminibus, & pluribus intermedijs agentibus, consequi nequit. Ergo.

27 Prob. 3. Actus supernaturales sunt nobis absolutè physice impossibiles, absque elevatione, non minus quan creatio Angeli; sed nihilominus ablata elevatione, v.g. si Deus noluisset elevare Petrum ad solos actus supernaturales voluntatis, manente elevatione ad intellectuales, in ipso manerent eodem modo actus supernaturales intellectuales fidei, prudentiæ, & quivis alij, dirigendo actus supernaturales volnntatis, tunc Petro impossibiles, non minus quam si elevatus esset ad illos. Ergo obiectum cognoscenti physicè immediatẽ impossibile, potest esse praxis respectu illius.

28 Obij. 1. Si Deo & Angelis esset vere practica Regula lógicalis respectu syllogismi humani; essent vere Logici; vnde & citharis-

ræ & Musici dici possent; atque etiam similiter casti, abstinentes, &c. Sed hoc absonat. Ergo.

Resp, ex d. 39. n. 12. in Deo & Angelis, eos habitus Artium, & virtutũ simpliciter concedi posse, quarum præcipui actus in ipsis non repugnant, vt regulę omnes Dialecticæ ad alios instruendos, quæ sunt præcipui ac proprijssimi Dialecticæ actus. Et tales sunt actus cithastiticæ, qui nõ petunt exercitationem artificis in proprio corpore; è contra vero *saltatoriæ* artis, & fortasse etiam *Musicæ* &c. sicut, & castitatis, abstinentiæ, &c. quæ præcipuè exercentur in proprij corporis passionibus frænandis.

29 Obij. 2. Si non requiritur quod praxis sit opus factibile physicè a cognoscente, cognitio quam nunc habeo de Rosa, v. g. posset esse practica, quia deserviret ad illius productionem, casu quo elevarer à Deo ad eius productionem: sicut prudentia maneret practica ad actus supernaturales, ad quos Deus tolleret elevationẽ. Sed hoc absonat; ergo.

Respond. neg. Sequellam majoris cũ P. Arr. n. 57. contra P. Cõpt. & alios RR. quia cognitio habet ex modo suo tendendi esse practicam, si autem nunc speculativa est Rosæ cognitio, etiam post elevationem speculativa maneret: qualiter autem posset esse practica, si apprehenderet quis esse producibilem, & vt talem directivè respiceret, dicam q. 6.

30 Obij. 3. Si sufficiat ad praxim, obiectum esse mediatè physicè operabile à cognoscente, omnis cognitio de obiecto operabili ab alio, vel à Deo, practica esse posset: cum posset quis, ex illa dirigi, ac petendã à Deo productionem illius non secus ac dirigitur quis ex Regula propria Logicæ, ad dirigendi in alio syllogismos, &c, imo & posset quis dirigi, ad actus ipsos divinos petendos, vel excitandos: v. g. si ponat actum honestum ex fine ponendi in Deo scientiam, & complacentiã de illo. Quæ omnia videntur absurda. Ergo.

Resp. Hic magnam esse segetẽ quæstionũ de nomine. In qua RR. aliqui cum P. Quiros, nolunt effectus externos actus practici, qui naturaliter sequũtur ex praxi, ex sive actione immediata Agẽtis intellectualis fore praxim ipsius; v. g. projectio sagittę est praxis directa à Sagittario, at vero ictus per sagittam inflictus, quia naturaliter ex projectione, praxis non erit. *Verum* hoc modo nec Medicina practica erit circa sanitatem infirmi, quæ naturaliter sequitur ex medicaminibus; neque homicidium machinatũ, & studiosè directum erit praxis respectu suasoris, imo nec respectu projicientis sagittam lethaliter vulnerantem. Alij propterea cum Sap. P. Leonardo, exemplo Medicinæ, ad omnes effectus, vel quasi effectus moraliter secutos ex directione, praxim extendunt, etiam ad pluvias, & messes à Deo exoratas, imo ad ipsos divinos actus á nobis procuratos. Et confirmant ex S. Thoma, S. Bonav. Gregor. & alijs apud P. Ruiz d. 16. de Scientia f. 6.

f.6.n,9. dicentibus, scientiam Christi D. de possibilibus esse practicã, quatenus dirigere potest ipsius voluntatem, ad orandam possibilium productionem à Deo. *Verum* hoc sufficiet, vt Christus D. sit causa moralis seu meritoria possibilium, & etiam vt sit motiuum actus divinæ complacentiæ, &c. non tamen vt sit causa practica directiva volitionis divinæ, vel productionis ipsorum possibilium; quis enim dicat Deum tunc dirigi à Christo D. vel ab eius scientia?

31 Propterea dico cum Magistro meo P. Xauregui, hic nos versari in rede nomine, morali, & prudentis arbitrij. Vnde solũ ille actus vel effectus externus erit praxis respectu agentis mediate directivi, in quo relucet aliquis modus immediatæ effectionis, qui moraliter tribuendus sit directioni Agentis mediati: vt in sanitate respectu Medici, homicidio respectu suasoris, fabrica respectu Artificis, & omnibus illis modis circa motus naturales admixtis n. 20. alijsque similibus. Cum autem in pluvia precibus nostris à Deo exorata, vel in divina scientia, & complacentia, quæ nostros actus consequitur, nullus talis modus appareat, qui nobis vt dirigentibus tribui possit, eodem enim modo pluvia, & divina complacentia sequeretur, sive oranis dirigatur, sive non ex notitia practica, & voluntate ponendi talem pluviam, vel complacentiam; consequenter effectus, vel quasi effectus ille moralis externus non erit praxis respectu Agentis, sed sola petitio, quæ dirigetur ex practica notitia voluntariè applicata.

32 Obij. 4. Causa mediata non est vera causa, v. g. Avus respectu nepotis, quia re ipsa & immediatè non attingit eius generationem. Ergo pariter neque scientia practica Artificis, vel Agentis mediatè in praxim influentis.

Resp. neg. *consq. & paritat.* Quia causa physicè mediata, potest esse moraliter immediata in esse directivo. U.g. qui mediatè suadet, suasori immediato homicidij, est moraliter immediata directiva, vel suasiua causa homicidij, si actio immediatè executiva aliter facta non fuisset, quã interveniente directione illa mediata, seu modo directionis illius observato: quia tunc illa directio mediata, per instructionem Agentis immediati, fit immediate taliter directiva homicidij. Et ita Apostoli eiãdicuntur immediatæ causæ directivæ Ecclesiæ Romanæ, quia ille modus directionis, per instructionẽ communicatus Ecclesiæ Romanæ Præsulibus, eodem modo servatur in Ecclesia, ac si nunc de facto Apostolorum directio immediata esset pro Ecclesiæ regimine & talis de voce.

33 Quæst. 6. *Vtr obiectum non operabile, apprehensum, vt operabile, sit simpliciter praxis?* Negant RR. cum P. Lyn. supra n. 70. Probant, *Tum* quia solum erit praxis falso, sive in falsa apprehensione, sicut in illa solum est operabile. *Tum* quia alias chymæra, & alius Deus simpliciter

praxis esse possent, si operabiles apprehendantur. *Tum* quia actus practicus connectitur vere realiter cũ praxi, sicut causa cum effectu; sed cum effectu realiter impossibili nõ connectitur causa; ergo neque cum praxi realiter impossibili actus practicus.

34 Affirmo cum P. Ripal. *d.* 14. *d. ente sup. s.* 3. P. Quiros. *s.* 6. & 1. p. q. 1. à 4. n. 94. P. Ribas 1. p. d. 3. n. 3. cum Gregor. & alijs Nominalibus apud ipsos.

Prob. 1. Quia ad impossibile, reputatum possibile, potest dari affectus efficax voluntatis; si enim homo apprehendat sibi volatum esse possibilem, potest illum non minus efficaciter appettere, quam si revera possibilis esset. Sed sicut se habet efficacia voluntatis ad obiectum, se habet ad ipsum tendentia practica intellectus; imo affectus efficax erga obiectum vt operabile, sine cognitione practica obiecti, vt operabilis, sive vt praxeos sibi possibilis haberi non potest, vt in exemplo volatus clarè patet. Ergo pariter &c.

35 Prob. 2, Quia casu quo Deus negaret omnem elevationem homini ad actus voluntatis supernaturales, ex num. 27. vel etiam occultè subtraheret suum concursum ad actus ipsos naturales voluntatis, illi esset homini absolute impossibiles; sed nihilominus tunc permanerent ijdem actus directivè actuũ voluntatis, non minus quã sitis possibiles essent, solum quia vt possibiles eodem modo apprehensi fuissent. Ergo

36 Prob. 3. Quia praxis non est operabile, vt cumque sive vt in se re ipsa, sed in ordine ad cognitionẽ, & volitionẽ, sive vt dirigibile, regulabile voluntarie: eo modo quo bonũ respectu voluntatis, nõ est bonũ vt in se tale, sed vt amabile: vide vt tale tam simpliciter bonum & amabile, est chymæricum, quam reale, licet in se simpliciter æquè bonum non sit. Ergo sicut ad hoc vt bonum sit amabile simpliciter efficaciter, sufficit, quod sit bonum apprehensum, ita vt sit simpliciter dirigibile, sive praxis. Confirmatur. Circa verum vt apparens datur cognitio speculativa, licet falsa: ergo pariter practica circa operabile, vt apparens.

37 Ad 1. è n. 31. Sicut ens rationis vere est cognoscibile & amabile, respectivè, in quantum verè cognoscitur & amatur, non tamen in quantum in se absolute vere tale, vel aliquid est; ita praxis falsò apprehensa. Ad 2. concedo chymæram, & alium Deum ita praxim esse posse imo de facto fuisse, apud Idolatras; qui sibi facere Deos putabant, & practicè, & efficaciter eorum effectionem dirigebant, & apperebant. Ad 3. nego *paritat.* ad causam physicam, quæ connectitur cum effectu secundum esse reale; non secundum intentionale, vel apprehensum; quocum actus practicus, & affectus efficax, vt cum praxi intentionaliter regulabili connectuntur.

38 Ex dictis tota disp. Hæc definitio praxis cum P. Suarez ea *sect.*

13.

130 n. 17. colligenda est. *Est actio humana rationalis, sive actio dirigibilis, aut regulabilis per rationem,* Vbi *actio* sumitur non solum pro actione, quæ præcipua praxis est, sed etiam pro opere externo, quod moralis, & humana actio dici solet, vt homicidium, fabrica, &c. Ly *humana, & rationalis* potius est explicatio, quam rigorosa definitio, cum etiam Angelicæ, & divinæ praxes sint, & sumi potest eo sensu, quo *actus humanus* dicitur quivis voluntarius, etiam Angelicus, & divinus. Et quia sumus in re morali, *Actio* sumitur etiam moraliter, non pro pure physica, sed etiam pro intentionali, & morali. Vnde etiam *conflictio entis rationis*, si reguletur, praxis esse potest, imo, & effectio moralitatis, seu formalis peccati, vt regulabilis, praxis est; adhuc respectu Divinæ Scientiæ, vt practicæ permissivæ, juxta S. Th. 1. p. q. 14. a. 16. corp. & DD. ibidem cum P. Quiros n. 182. Brevius etiam definiri potest, est *objectum regulabile*, seu *dirigibile*. Sed post *praxim*, de practico agendum.

DISPVT. LIV.

Quid sint, & qui differant, Practica & speculativa notitia?

1 PRima Sententia Scoti q. 5. & Soncin. 6. *Metaph.* q. 2. apud P. Lync. asserit, notitiã practicam esse, quæ quovis modo extendatur ad praxim, sive ad actum alterius potentiæ ab intellectu, scilicet affectum voluntatis: vt illũ exacte pura Dei contemplatio.

Contra 1. cum P. Suar. n. 52. Quia ita vix vlla cognitio speculativa non erit practica; quævis enim cognitio veri excitat delectationẽ, ex Arist. 10. Ethic. cap. 7. & quævis cognitio bonivt talis cõplacentiã in illo. 2. Quia notitia practica debet esse respectu praxis vt formaliter talis, scilicet vt regulabilis; affectus autem qui ipsius notitiæ objectum non est, neque ab illa regulatus, non est formaliter, sed pure materialiter praxis; sicut productio speciei, vel habitus ex notitia resultans. 3. Quia affectus efficax voluntatis talis non est nisi respectu obiecti sui; sed ratio practici in intellectu se habet sicut efficacia in voluntate circa operabilia; vtraque enim ad operandum suo modo ordinatur. Ergo

2 Secunda sent. putat speculativam notitiam, converti cum evidẽtia: tum quia nullam aliam Scientiam sive evidentiam agnovit Aristoteles ex d. 51. n. 3. Tum quia speculatio veritatis est perfectissima cognitionum, juxta Aristot. 6 *Metaph.* c. 1. & consequenter scientifica. Tum quia Scriptura & SS. PP. speculationis nomine solam evidentiam apellant. Quod multis exornat P. Peñafiel d. 1. q. 2. s. 3.

Contra 1. ex ipsius fratre Sap. P. Leonard. d. 4. l. 4. Quia sæpe in Scriptura sumitur speculatio nõ pro evidentia; vt illud 2. Cor. 3. *Nos vero gloriam Domini speculantes* &c. de speculatione per fidẽ intelligitur apud P. Cornel. & Ezech. 1. 5 & 33.

spe-

speculatorem dedit te domui Israel. Vbi omnes, investigatorem intelligunt. 2. Quia cognitio opinativa, nec nō fides, quæ ad opus non dirigunt, omnino speculativæ sunt. Quod autem dicit, fidei divinæ convenire evidentiam æquivalentem, ratione certitudinis; sunt puræ voces: ea enim æquivalentia non tollit imperfectionem obscuritatis. 3. Quia prohibito hic D. constringitur facere omnem Scientiam practicam simul speculativam ratione evidentiæ. Quod autem inquiritur, est (ne res fiat de nomine) an modus ille tendendi regulativus, & circa verum, vt regulabile, & operabile, correspondeat alteri modo diverso tendendi ipsius intellectus circa verum vt tale, non regulativo per se; & in quo consistat iste modus prout ab illo distinctus? Qui dicitur ab omnibus speculativus; sive sit scientificus, sive non. 4. denique; quia *ex citato* n. 3. vsurpatio illa Aristotelis strictissima fuit; & licet omnem Scientiam, speculativam fecerit; non tamen omnem speculationem fecit scientificam; neque perfectissimam dixit speculationem, vt cumque, sed speculationem scientificam, seu scientiam speculativam. Neque confudit speculationem cum evidentia; quia etiā in Artibus, & in judicio Prudentiæ, seu Synthereſi evidentiam agnovi; quam nolluit appellare Scientiam: quia hæc stricte, sive vt pure sumpta, non est practica, vt eo loco dixi. & satis de voce.

4 Tertia sent. pro qua refertur Algazel apud P. Suarez n. 34. asserit cognitionē quamcumque objecti a cognoscente operabilis, esse practicam, quia ex illa dirigi ac regulari potest Agens ad obiecti ipsius effectionē. Idem re ipsa tenēt P. Molina q. 1. a 4. d. 2. §. *Pro solutione* P. Hurt. §. 27. P. Arr. n. 66. P. Compton s. 3. & 5. P. Ovied. §. 4. & 5. P. Alphons. d. 16. *de Anim* s. 8. Merinero d. 9. c. 3. n. 21. & RR. cōmuniter; qui tantū requirunt, quod sit cognitio propria agentis, potentis praxim, sive obiectum operabile, re ipsa facere; & quod ipsum vt possibile, & non vt existens, seu jam factum repræsentet.

4 Contra 1. quia hoc pacto tota Scientia Animastica de actibus vitalibus a nobis operabilibus, practica erit, vnde a Logica nō distinguetur. 2. Quia Practica cognio non debet solū esse *de re operabili, sed etiā modo operabili*; ideſt regulativo, & ordinativo ad operationem, vt n. 8. constabit. 3. Cum non solum circa naturaliter operabilia, sed etiā circa purè obedientialiter operabilia, possit esse cognitio practica, vt circa actus nostros supernaturales; sufficiet ad cognitionem practicam, quod respiciat obiectum operabile obedientialiter; atque ita cum obedientialiter omnis creatura sit producibilis ab alia; nulla erit cognitio sive Philosophica sive Theologica de re creata, v. g Cælis Elementis. Angelis. &c. præscindens ab eorum existentia actuali, & de ipsorum natura, & proprietatibus secun-

secundum se disputans, quæ non sit practica, vt pote de re a cognoscente obedientialiter operabili, non minus, quam gratia, remissio peccatorum, &c Quod enim in actu secundo non detur eleuatio, non tollit actum primum dirigibilitatis ex disp. præced. n. 27.

5 Quarta sent. tenet, distinctionem practicæ & speculativæ notitiæ desumendam esse a fine, vt ex Aristotele 3. *de Anima c.* 10. & 6. *Ethic, c.* 1. & 5. docet S. Th. 1. *p. q.* 79. *a* 11. *c.* dicens *quod speculativum differt a practico fine. Nam intellectus speculativus quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem; practicus, vero ordinat ad opus.* Vnde etiã q. 14. a 16 c. dixerat. Quod Deus de creaturis quas nunquam producit *non habet Scientiam practicam, secundum quod practica dicitur a fine*; vbi videtur totam vim practicam a fine desumere. Et ita etiam sentiunt Cajet. Ferrara, & alij Thomistæ apud P. Suar. n. 30. & P. Vaz q. ea d. 8. c. 5. &c.

6 Hæc sent. dupliciter intelligi potest. Primo de ordinatione extrinseca voluntatis ad finẽ; & hoc rursum dupliciter; Vel ad finẽ ipsum operis exequendi, quem intrinsecè ipsa Scientia respicit; atque ita optime notat P. Suarez, etiam fieri novo titulo practicam ipsam Scientiam, scilicet in *actu secundo*, sive vt vtentem & exequentem, per eam ordinationem, & applicationem voluntariam ad executionem operis a Scientia directi. Et hoc sensu dicit S. Tom. Scientiam divinam non esse *practicam a fine*, dum in actu secundo nõ ordinatur ad productionem. Vel potest esse ordinatio pure extrinseca ad opus nullo modo intentum, vel quasi intentum a Scientia, quia ipsa ad opus illud directiva non est: & hac ratione solum extrinsecè, & impropriè practica fieret Scientia. Sicut licet Philosophus ordinet Scientiam suam pure contẽplativam, ad finem lucrandi pecunias, vel honores, non ideo Scientia contemplativa fiet proprie lucrativa, vel practica ex fine illo.

Secundo potest & debet intelligi *sent.* illa Arist, & S. Thom, de fine intrinseco ipsius Scientiæ, idest, de motivo in quod vltimo, & quasi finaliter tendit; scilicet speculativa tendit tantum *in considerationem veritatis*; practica vero in *obiecti operabilitatem*, sive dirigendo ipsum, vt operabile. Et ita est verissima sententia, quam statim amplectar, quia finis ille refunditur in modũ tendẽdi actus: idem enim est attingere rem, *vt operabilem sub ratione operabilitatis*, vel dirigibilitatis; ac attingere *modo directivo*. ex d. 43. n. 4. 8.

8 Quinta ergo nostra sententia tenet, Practicum, & speculativum differre, ex modo intrinseco tendendi: quia speculativum per tendentiam suam *sistit in contemplatione veritatis*; Practicum vero extenditur ad opus *tendens modo regulativo, seu directivo, obiecti vt operabilis*. Ita Arist. & S. Th. supra, nec non Thomistæ,

mistæ, & nostri communiter, cum P. Suarez n. 34. 37. 42. P. Gil. lib 1. tr. 5. c. 6. n. 3. 6. & 12. P. Pereyra 1. Phys. c. 3. P. Arrub. d. 4. n. 9. PP. Connimb. q. 4. proæm. a 5. P. Quiros s. 7. P. Lync, n. 71. P. Emelm. Tom. 1, tit. 13. c. 3. a n. 18. P. Leon ea d. 4. n. 59. &c.

9 Prob. 1. ex duplici Proloquio. 1. apud P. Suarez eo n. 42. quod *Practica cognitio non solum debet esse de re operabili, sed modo operabili*; idest, modo tendēdi sub operabilitate, sicut modus tendendi visivus sub visibilitate, &c. 2. ex S. Th, 1. *Eth. l. 3. & 2. Met. l. 2.* quod Scientia speculativa *procedit modo resolutorio* idest, resolvendo veritatem per sua principia; practica vero *modo compositivo*, idest, regulando compositionem artificiosam, modo explicato d. 43. n. 9. Sed vterque hic modus exercetur per modum tendendi specialem, & intrinsecum actus. Ergo modus tendendi vtriusque diversus, est, qui specificat vtrumque actum.

10 Prob. 2. Sicut experimur in actibus intellectus modos diversos tendendi apprehensivos, judicativos, discursivos, ex modo diverso vocum, quibus illos explicamus; ita experimur diversum modum explicandi actus practicos, per modum dictaminis regulativi, in ordine ad opus, sive ad fieri, per voces illas; *Fieri debet, facienda est, Fiat*, &c. V. g. *Definitio constare debet genere, & differentia*; vel *fiat*, vel *constet*, &c. quo pacto speculativos non significamus. Ergo vterque actus ex modo tendendi diversificatur, non minus quam apprehensivus, judicativus; intuitivus, abstractivus; quos similiter per diversas tendentias explicamus.

Confirm. paritate efficaciæ, & inefficaciæ actuum voluntatis ex modo intrinseco tendendi, juxta D D. apud P. Ripald. d, 14. *de supern.* n. 7. & 17. & apprehensionū, quarum aliquas ab intrinseco suassivas, & post se trahentes judicium experimur; alias vero non, ex modo suo tendendi: Ergo pariter vis efficax, & suasiva cognitionis practicæ erit intrinseca ex modo tendendi.

11 Prob. 3. Quia vt ostendam in Physicis influxus directivus, seu moralis actuum, est ipsa intrinseca vis inductiva illorum, ratione cujus se habent *pro priori* ad actum, quē moraliter causant, quin egeant causalitate superaddita, quali indigent causæ physicæ ad eam prioritatem. Ergo, vt actus practicus possit se habere pro priori ad actum, quem dirigit, habere debet aliquem intrinsecum modum tendendi, talis prioritatis exigitivum; & hic est modus regulativus, in actu primo, qui positis omnibus requisitis, transit in actum secundum regulationis, vt ibi probabo.

12 Obij. 1. Si esset essentialis modus tendendi speculativus, & practicus, repugnarent identificari inter se in Deo, quia vterque est invicē cōtradictoriè repugnans; practicus enim est, *qui non sistit in contēplatione veri*; speculativus vero, qui *sistit*, sistere

ſiſtere autem, & non ſiſtere ſibi contradicunt. Sed in Deo identificantur ſcientia practica, & ſpeculativa de creaturis, vt apud omnes eſt certum. Ergo.

Reſp. cum P. Leon n. 59. Ly *Non ſiſtere*, eſt negativum ſecundũ dici, ſive tantum præciſive negatio, non poſitiva, & realis; ideſt, quod ſpeculatio, ex vi ſui modi tendendi, non attingit verum regulative, ſed pure contemplative. Eo modo quo etiam Scientia immediata de creaturis eſt, quæ *non in medio*, ſed in ſe ipſis illas reſpicit, & tamen identificatur in Deo cum mediata, ſive reſpiciente *in medio*; Quia Ly *non in medio*, eſt negatio pure præciſive ex vi illius modi tendendi; non realis, & excluſiva. Et ita etiam DD. conceduat in Deo virtutes morales, quæ debent, *non moveri ex motivo divino*; quia ly *non* ſolum excludit *præciſive* motivum divinum, non *negative*, alias cum virtutibus Theologicis ex motivo divino, quæ in Deo ſunt, identificari non poſſent.

13 Obij. 2. & replic. Ergo poterit eſſe ſimul idem actus practicus & ſpeculativus reſpectu ejuſdem obiecti. Quod videtur abſurdum: Tum quia idem actus eſſet ſiſtens, & non ſiſtens in contemplatione eiuſdem veritatis. Tum quia eſſet ſub duplici ſpecie actus, quod repugnat, non minus, quã quod idẽ color ſit ſub duplici ſpecie albedinis, & nigredinis.

Reſp. conced. conſeq. cum S. Thoma ſupra, P. Suarez à n. 43. P. Vazq d. 7 c. 3. P. Val, 1. p. q. 1 p. 3. §. 4. P. Salas tr. 1 d. 2. P. Lynceo n. 72. P. Præpoſito, & Averſa apud ipſum. *Tum* quia ly *non* ſiſtere eſſet præciſivum, ſicut in Deo, ex ſuper dictis. *Tum* quia ſicut poteſt idem actus eſſe clarus, & confuſus reſpectu eiuſdem obiecti, ex diverſis modis tendendi; v. g. affirmatio definitionis de definito, eſt clarior reſpectu eiuſdem obiecti, vt eſt definitio, & minus clara ipſius, vt definitum: ita poterit vt ſpeculativus eſſe ſiſtens in veritate, & præciſive non ſiſtens, vt regulativus. *Tum* pariter actus qui ſimul ſit fidei, & evidentiæ de exiſtentia Dei; necnon affirmatio & negatio, ex d. 17 n. 5, & d. 18 n. 12. Tum demum, quia ſicut differentiæ, vegetativi, ſenſitivi, & rationalis poſſunt adunari in vnam ſpeciem miſtam, quia non ſunt differentiæ eſſentialiter excluſivæ, & adæquatæ ſecundum ſe, ſicut albedo, & nigredo, niſi ſolum in quantum ſunt differentiæ puræ ita poterunt ſpeculativum & practicum in ſpeciem ex vtroq; miſta m adunari. Et hinc patet, multo melius vnum actum reſpectu diverſorum obiectorum, & vnum habitum ad diverſos actus, practicum & ſpeculativũ eſſe poſſe; quidquid dicant Thomiſtæ aliqui, cum P. Molina, & Spinula n. 28.

14 Obij. 3 Non facile percipi poſſe; quando ſit actus practicus, vel ſpeculativus, ſi proveniat ex modo tendendi; quia non ſolum practici eſſent, quãdo ſonant imperativè. v. g. *Fiat Definitio*; *vel facienda eſt, ex genere, & differentia*: cum non repug-

net, quod actus hic, *definitio constat genere & differentia*, sit tam practicus & directivus, ex modo implicito tendendi, quam explicitus ille imperatiuus, *Facienda est*; & quod æquè ex vtroque reguletur intellectus. Sicut contingit, quod multoties sit efficacior volitio, vel tentatio, vel vocatio etiam divina, explicitè minus inductiva, vt ex effectu secuto comprobatur. Ergo potius dignosci debet ex obiecto operabili ab agente, quam ex modo tendendi, efficacia directionis practicæ.

Resp. eam esse difficultatem communem omnibus actibus purè internis, præsertim, intellectualibus (ex qua omnia dubia, & scrupuli circa illos passim oriuntur) vnde licet cõmuniter distinguamus actus practicos per voces illas imperatiuas, & quasi regulativas explicitas; nõ propterea negamus, posse aliquando implicitè, sine illis expressionibus practicos, & regulativos actus exerceri. Imo probabile est, quod quoties elicitur actus speculativus circa obiectũ apprehensum vt operabile, simul eliciatur alius practicus: quorũ distinctio à nobis vix percipi possit Eo modo quo P. Ripal. *d.* 15. & 20. *de supern. & d.* 19. *contr. Baann. n* 72. P. Leonard. ea d. 4. n. 77, & tr. 6. d. 8. n. 4. cum P. Molina, & P. Arr. & alijs tenent, quod circa omne objectum supernaturale, elicitur semper cum actu supernaturali, alius etiam naturalis, quia putant vtrumque esse possibilem, ex vi eorumdẽ principiorum supernaturalium: & potentia naturalis expedita, operatur, quantum potest. Sicut simul & semel elicimus circa lucem visionem externam, internam sensitivam, & intellectualem apprehensivam, & judicativam, quas vix distinguimus. Pariter ergo cum intellectus practicus, & speculativus, sit duplex virtus intellectualis diversa, ex Aristotele & S. Thom. ea q. 79. à 11. & per eandem speciem vtraque cõpleatur, & expediatur ad suos actus; sicut Anima ad visiones lucis diversas, simul, & semel vtrumque actum suum eliciet, ex modo tendendi intrinseco diversos, licet vix à nobis distinguibiles.

15 Obij. 4. Si ex solo modo tendẽdi, actus sit practicus; duo sequuntur absurda. 1. Quod licet obiectũ attingatur vt operabile, non tamen modo operabili, sivè regulativo, per scientiam, hæc erit speculativa; vnde totum obiectum Logicæ seu modus sciendi, vt operabilis, attingi, poterit per scientiam speculativam. 2. Quod similiter Modus sciendi, vt rectè factus, per scientiam seu Logicam practicam attingi non poterit; quia vt rectè factus non potest regulativè attingi: quomodo enim quod factum, imo rectè factum est à quopiam regulari intendatur? Pro hoc duplici quasi cardine Logicæ simpliciter speculativæ, sit duplex sequens Disputatio.

DISP. LV.

Vtrum circa Modum sciendi, vt obiective operabilem, possit esse scientia speculativa.

Pri-

PRima sentent. negat. cum. P. Arr. P. Cópt. P. Oviedo, P. Alph. & RR. nostris communiter *d. præced. n. 3.* citatis: quorum aliqui licet admittant speculativam, dicunt tamen fore simul practicam.

Secunda nostra & vera sent. affirmat cum S. Tho. 1. q. 14. art. 16. & omnibus Thomistis, Scoto Scotistis, P. Suarez P. Pereyra P. & Gill. P. Arrub. & alijs *d. præced. n.* 8. laudatis, & omnibus qui Logicã aliquo modo speculativam esse volunt, infra d. 57. quibus hac in parte assentior.

2 Probatur 1. Modus sciendi & quodcumque obiectum operabile, vt obiective specificative tale (id est non sub operabilitate, seu sub ratione operabilis, & modo operabili ac dirigibili tactum) gaudet motivo formali cognitionis seu scientiæ purè speculativæ; sed obiectum gaudens motivo formali alicuius scientiæ, vel cognitionis potest per illam attingi; ergo modus sciendi, & quodcumque obiectum, vt obiective operabile, per scientiam purè speculativam attingi potest. Conseq. liquet. Min. est evidens; ideo enim quodcumque ens potest attingi per intellectionem & volitionem, quia gaudet omne ens motivo formali vtriusque actus, scilicet veritate, & bonitate. Item ideo quodcumque coloratum potest attingi per visionem, & quicúque sonus per auditionem, & sic de reliquis sensibilibus; quia illa gaudent motivo formali visionis, auditionis, & reliquarum sensationum. Mai. mihi etiam æque evidens est. Quia motivum, formale notitiæ purè speculativæ est veritas, juxta Arist. & S. Thom. & omnes DD. *d. præc.* laudatos; finis enim speculationis, quà talis, nullus alius est, nisi veritas, in qua contemplanda sistit. Sed quodcumque obiectum operabile, vt obiective tale, est verum, & gaudet veritate omnibus entibus communi; cum sit formalissime ens, etiam in quantum est operabile. Ergo quodcumque obiectum in quantũ obiective operabile (etiã modus sciendi, & quodvis aliud) gaudet motivo formali scientiæ speculativæ. Ergo per illam potest attingi, & tractari. Quæ conclusio semper mihi demonstrativa visa est.

3 Prob. 2. ex S. Thom. *eo art. 16.* quem sequuntur P. Valent q. 14 5. *Tertium veluti* P. Suarez *lib. 3. de Attrib. cap. 4. n.* 12. P. Vazq. 1. p. d. 69. c. 2. n. 3. P. Ruiz d. 16. sect. 4. P. Frãc. Lugo lib. 1. d 34. c. 2. n 9. P. Alarc. Tract. 2. d. 5. c. 4. n. 3. P. Herize d. 9. c. 31. imo & P. Arr. d. 18. n 20. §. hinc constat. Qui omnes asserunt; in Deo scientiam simplicis intelligentiæ de creaturis possibilibus, licet sit practica in quantum idealis; & regulativa circa illas; esse tamen speculativam, in quantũ contemplatur ipsarum essentias, naturas & proprietates. Ratio, & exemplum sumitur ex verbis S. Thomæ, *Quidquid enim in rebus nos speculative cognoscimus, definiendo, & dividendo, hoc totum Deus multo perfectius novit. Sicut Ædificator considerat qualiter possit fieri aliquando*

mus, non ordinans ad suæ operationis, sed ad cognoscendum tantum; & erit speculativa cõsideratio, licet de re operabili. Ratio apriori, quia ipsa operabilitas, obiecti, imo & operatio ipsa, habent imbibitam suam veritatem, cum sit vera, vt pote ens: illa autem est finis, quem vnicè potest inquirere scientia, tam divina, quã creata, & in illo sistere & quiescere adæquatè. Ergo per scientiam purè & adæquatè speculativam.

Confirm. paritate *Boni*, quod est ratio motiva amoris stricti; vnde licet bonum præsens sit obiectũ gaudij, & absens obiectum desiderij; nihilominus tam obiectum præsens, quã absens, amari possunt amore stricto, quia vtrumque participat rationem boni: vt est certum in nobis. Imo & in Deo circa creaturas existentes etiam admittunt DD. amorem strictum, circa illas, vt sunt bonum possibile, ad q. 19. à 2. S. Thoma in 1. p. Ergo cum verum operabile, etiam vt operabile obiectivè, gaudeat veritate, quæ est motivum formale scientiæ purè speculativæ, poterit per hanc attingi; sicut bonum desiderabile per amorem strictum quasi speculativum;

4 Prob. 3 Ex consensu DD. cum Arist. & S. Thom. scientia Physica, & Animastica est omnino purè speculativa. Sed respicit quam plura obiecta vt operabilia, & nominatim ipsas operationes Mentis & Modum sciendi: ergo circa obiectivè operabile datur scientia purè speculativa, Mai, & conseq; liquida sunt. Min. prob. quia scientia physica & animastica agit de actibus vitalibus præsertim intellectus, & voluntatis & inter illos de apprehensione, judicio, & discursu in quibus sciendi Modus consistit: necnon de motu progressivo, eiusque imperio appetitivo, sensitivo, & rationali: & de omnibus his vt operabilibus, de modo, quo fiunt, de principijs, speciebus, habitibus, & potentijs, à quibus eliciuntur, & quidem multo magis, de operabilitate eorum omniũ actuum, atque etiam operationum modi sciendi, quam Logica ipsa agit Ergo omnia illa vt operabilia, & tamen purè speculative attingit, & tractat, quia nõ modi operabili:

5 Obij 1. Ea cognitio est practica; quæ ad operationem dirigit, sed cognitio quævis contemplativa obiecti operabilis, seu modi sciendi adhuc, vt veri, dirigit ad operationem sui obiecti; ergo erit simpliciter practica. Min. prob. quia posita hac cognitione speculativa: *Definitio constat genere & differentia*, tam bene per illam potest dirigi intellectus ad efficiendam definitionem, quam per hanc regulã per nos practicam: *Definitio debet constare genere, & differentia*: Vel hãc: *Definitio constet genere & differentia*. Quod enim dicatur: *constet* potius, quam *constat*, nihil potest iuvare ea vox imperativa, vt potius sit practica & directiva; sive vt habeat vim dirigendi intellectum potius, quam altera.

Confirm. 1. Exemplo cognitionis dirigendi

dirigentis ad amorem. Eodem enim modo dirigitur voluntas ad amandum Deum per cognitionem ipsius bonitatis contemplativam, quam per regulam prudentiæ reflexe regulativam ipsius amoris in Deum; ergo, quomodocúque attingatur etiam contemplative obiectum operabile, practice attingitur, sive directivè.

Confirm. 2. Ab illo actu regulatur Definitio, per cujus conformitatem est recta, & perfecta, in esse talis: sed per conformitatem cum illa cognitione, quæ a nobis dicitur speculativa, scilicet, *Definitio constat genere, & differentia*, est rectissima definitio hæc, *Homo est animal rationale*; ergo ab illa cognitione optimè dirigitur.

6 Resp. ad obj. neg. min. Ad probation. nego maj; quia intellectus dirigi non potest; nisi per regulam præcedentem pro priori ad actum regulatum; influxus enim tam physicus, & activus, quam moralis, & directivus, est ipsa prioritas; hanc autem prioritatem nõ habet actus, ni ĩ, qui intrinsece ex natura sua est regulativus ex n. 11. Vnde licet sonet eodẽ modo ille vterq; actus, ecognoscendo essentiam definitionis, nõ ideo vterque poterit dirigere, & juvare ad illius effectionem, nisi tantum ille, qui ab intrinseco modo cẽdendi regulativus fuerit, & ideo poterit pro priori præcedere. Sicut in sententia probabili DD. non potest ad actum supernaturalem amoris in Deum influere cognitio naturalis, sed solum supernaturalis; pone autem, quod quis duplicem cognitionem de summa bonitate Dei eliciat, aliam supernaturalem aliã naturalem; amor Dei supernaturalis elicitus, minime dirigetur per illam naturalem cognitionem, licet eodem modo cognosceret, & illuminaret circa Dei bonitatẽ, ac cognitio naturalis; quia non habet vim se habendi pro priori ad illum, & consequenter neque ipsum dirigendi. Adde nõ parũ differre illos duos actus, per Ly *Constat, & constet*, licet vna tantum syllaba differant; sicut hi actus: *Petrus est doctus, Petrus esset doctus*, vna vel altera etiam differunt; & nihilominus, quo ad sensum, & modum tendendi, & cognoscendi differunt essentialiter. Ergo cum Ly *constat*, denotet ordinationem imperativam vel directivã, ad opus, quam Ly *constat*, non denotat; diversissimũ modũ tendendi, & attingendi objectũ importabit. Fateor, non semper explicitam debere esse in actibus hãc diversitatem; sicut contingit in actibus naturalibus, & supernaturalibus, ejusdem de eodem, apud P. Ripaldam, vt dixi d. præced. n. 14.

7 Ad 1. Confirm. nega antecedens & suppositum, quod cognitio bonitatis divinæ sit regulativa, vel directiva practicè a nobis in Deum; cum talis cognitio ipsum amorem, vt praxim non respiciat, sed solum ipsum Deum; vt contra Scotum, ita tradunt omnes DD. d. præced. n. 1. Solum ergo dicitur cognitio objecti

jecti influere directivè in obiecti amorem, quatenus influit illuminativè, hoc modo etiam pro priori se habendo; ad modum quo sensationes brutorũ hoc pacto directivè influere dici possunt, de quo n. 12.

8 Ad 2. conf. dist. maj. ab illo actu regulatur definitio, per cujus conformitatem est recta, vt per conformitatem idealem, cum priotirate in genere causæ exemplaris, *concedo*: per conformitatem pure similitudinariam, & concomitanter, *nego*. Hoc enim modo purè similitudinario etiam est recta vna definitio per conformitatem cũ alia, nec ideo vna regulatur per aliam; alias practicæ essent ad invicem omnes definitiones, & modi sciendi consimiles.

9 Obij. 2. omnis modus sciendi scientificus; sive definitio, & divisio essentialis, nec non demonstratio attributorum; circa quodcumque objectum operabile, etiam circa ipsas operationes mentis, versatur in Materia necessaria, seu circa connexionem necessariam prædicatorum, sive veritatem, & possibilitatem eorum, quæ omnia dicuntur ad convertentiam. Ergo omnis Definitio, & demonstratio scientifica circa quodvis obiectum operabile, sistet in veritate obiecti, cum sistat in possibilitate sive connexione, essentiali ipsius; ac proinde necessario erit pure speculativa, nisi sufficiat ad practicã, quod circa operabile obiectum versetur; vnde impossibilis erit Scientia practica, Logica de illis.

Resp. concesso, *anteced.* disting. *conseq.* Ergo omnis Definitio, Divisio &c. sistet in veritate obiecti, si illam ipsam veritatem modo regulativo, non attingat, vt sæpe non attingit *concedo*; si modo regulativo sive operabili attingat, vt omnes Regulæ Logicæ, Ethicæ, & quævis aliæ scientificæ practicæ *nego*. Quia omnes Regulæ Scientiarum practicarũ, licet sint ordinatæ modo scientifico, definitivo, divisivo; & demonstrativo, nihilominus semper, vel implicite, vel etiã explicite, important modũ regulativum ad opus, per Ly *debet fieri* &c. V. g. *Definitio debet constare genere, & differentia.* Quæ est definitio practica definitionis. Item *Omnis recta definitio debet esse manifestatio rei per genus proximum; & differentiam vltimam; sed omnis manifestatio rei &c. converti debet cum definito: ergo omnis definitio cõvertidebet &c.* Quæ est demonstratio practica proprietatis seu attributi definitionis; eius possibilitatem, & veritatem, vt operabilem, modo operabili, & regulativo attingens; & sic de reliquis. Quod si aliquando tam explicita reflexione, non fiat expressio illa modi regulativi, sufficiet implicita; & tunc cum intellectus æquè dispositus, & paratus sit ad vtrumque modum tendendi, eliciet simul definitiones, & demonstrationes practicas, & speculativas, juxta dicta d. præced. n. 14.

10 Obij. 3. Si Sciencia practica deberet respicere non solum rem operabilem, sed modo operabili, deberet modum, quo operabile est, respicere

picere; vnde Logica, & Ethica deberent respicere modum omnem animasticum, quo actus intellectus & voluntatis fiunt; quod est falsum. Ergo

Resp. Nego antec. *Tum* quia ille *modus operabilis*, non est alius quã regulativus. *Tum* quia non omnis modus operabilitatis obiectivæ debet respici ab Arte, vel Scietia practica, & præsertim ille animasticus, qui est naturalis, neque indiget directione: *Tum* quia multiplex partialis operandi modus pertinet ad regulam particularem hic, & nunc applicativam Regulæ generalis; vnde sufficit, quod per hanc talis modus dirigatur, minime vero per Artem, quæ in generali tantum præscribit regulas; vt partialis concausa, cum particulari prudentiali directive seu applicativa concurrens: de quo vide P. Quiros. l. 7.

11 Obij. 4. Ex ea cognitione speculativa circa praxim, sive definitionem specificativè factibilem, potest excitari cognitio, practica regulativa circa eandem, vt reduplicative dirigibilem: sed eo ipso erit mediate directiva, ad definitionem; & proinde simpliciter practica: sicut Magister excitans cognitionem regulativam discipuli est mediate, & tamen simpliciter regulativa definitionis a discipulo factæ. Ergo ea cognitio simul erit practica, ratione mediatæ directionis; quam sufficere ad praxim contra P. Leonard. n. 38 constat ex d. 53. *tota* q. 5.

Resp. neg. min. Quia ea cognitio neque mediate directiva est modo practico, & regulativo, sed solum ad summum, quasi physicè excitativa cognitionis regulativæ. Vnde sicut Pater physicè producens Artificem directivum, & regulativum fabricæ, non dicitur causa regulativa adhuc mediate ipsius, quia non est causa immediati regulantis in eodẽ genere regulativo, sed in genere physico; ac proinde non componit moraliter vnam causam regulativã cum Artifice, sicut eam componere solent regulativi mediati cum immediatis, vt Apostoli cum Pontifice ex eorum regulis Ecclesiam regente. &c. Ita neque ea cognitio speculativa excitans, quæ solum esset causa excitativa, quasi physicè ad summum, respectu practicæ regulativæ, cum hac per modum vnius regulæ adhuc mediate concurret. Dixi *ad summum*; quia neque ea excitatio concedenda est cognitioni speculativæ respectu practicæ, cum huius excitatio fiat per speciem obiecti factibilis, per quam simul vtraq; tam speculativa, quam practica cognitio excitantur, & simul producentur ex dictis nuper, & cit. n. 14.

12 Obij. 5. Quod sicut ex cognitione pure speculativa bonitatis divinæ, potest voluntas determinari ad amandum Deum efficaciter: poterit similiter ex speculativa cognitione definitionis operabilis, ad hãc efficaciter volendam determinari. Ergo ex hoc capite erit simul directiva, & practica ea cognitio, vt puta illuminativa ad praxim ponendam.

Resp.

Resp. neg. conseq. & paritatem. Quia aliud est regulari ad opus, vt tale formaliter; aliud illuminari ad illud, vt tale materialiter. Pro quo distinguendus est duplex modus illuminativus cognitionis, respectu voluntatis, vel appetitus. *Primus* est pure illuminativus, vel propositiuus objecti boni, sive amabilis, qui omnino speculativus est. Sed sufficiens vt voluntas pro suo libito illud objectum amplecti possit; imo, vt appetitus sensitivus necessariò illud amplectatur; vt contingit in Brutis, qui indeliberate, & non propter finem, ac proinde nec practice, & regulative operantur: vt cum Aristot. & S. Th. dixi d. 53. n. 16. & supponunt P. Salas. PP. Conimb. & fere omnes apud P. Lync. n. 73. Et licet dici soleat, quod ejusmodi cognitio directive influat in amorem, ibi *directive* sonat pro, *illuminative*, sive pro vt influxus directivus appellatur quicumque oppositus effectivo; quo etiam modo voluntas dici solet, quod directive influat in motum, sive actionem potentiæ loco motivæ. *Alius* ergo modus proprie directivus est, qui dicitur regulativus seu practicus, & est quasi reflexus supra actiones ipsas voluntarias tum elicitas, vt est amor, tum imperatas, qualis est operatio non necessaria intellectus, & cujusvis alterius potentiæ. Et per huiusmodi actus regulativos quasi ideales actionis faciendæ, voluntarie applicatos, tantum modo dicitur proprie dirigi, & regulari actus, Hoc autem fit dupliciter: Tum moraliter per Ethicam, & Prudentiam; Tum idealiter per quascumq; Artes, & regulas. Vnde licet dirigeretur amor Dei ex illo speculativo dictamine; *Deus est summe bonus, & amabilis*; non ideo amor Dei esset rectus, formaliter nec moraliter honestus; nisi per actum regulativum prudentiæ hic, & nunc dirigeretur, vt honestus; quia posset hic, & nunc saltem per accidens esse prohibitus. Pariter ergo ad Regulam Logicam, vel quamcumque aliam practicam, non sufficit illa representatio artificij materialiter operabilis, ex qua voluntas moveri possit ad illud imperandum efficaciter: sed requiritur modus ille tendendi, velut prudentialiter regulativus, repræsentativus operis modo operabili, sive sub formali ratione operabilis, & dirigibilis; vt ex vi illius voluntas possit intendere imitationem huius regulæ, quasi Ideæ, cum qua opus conformari possit; ad hoc, vt recte artificioseque operetur eo modo quo imitari intendit Ideã, seu regulã particularem Prudentiæ, ad honestè operandũ. Propterea v. g. loquutio recta patrij idiomatis hispani, solũ est recta materialiter; non formaliter in nobis; quia fit ex vsu, nõ ex Arte, nec reflexè applicãdo, aut reddendo rationem rectitudinis formalis, ex regula Artis: sic etiam qui naturaliter, vel ex vsu recte syllogizant &c.

15 Replicas Per nos Logica, & quævis Ars non intendit illam rectitudinem

tudinem reflexam deſumptam ex ipſa regula, ſicut Prudentia illam intendit: ex d.43.n.12. Ergo ſalvatur ratio regulæ practicæ, ſine eo modo directivo, vt imitabili per modum Ideæ reflexæ.

Reſp. licet ea reflexio non ſit neceſſaria ex parte regulæ, vt actus ſecundum ſe rectus evadat, requiritur tamen, vt actus in actu ſecundo regulatus ſit, ſeu factus ex regula, ex parte applicationis voluntariæ regularum. Vnde Regula taliter debet in actu primo tendere in praxim ſive obiectum vt operabile, vt ex vi ſuæ directionis poſsibilis, ſit hic actus ſecundus reflexæ applicationis ex fine imitandi regulam. hæc autẽ locum non haberet, niſi reſpiceret regula obiectum ſuum, ſub ratione & modo operabili, ex dirigibili: licet ex ſe non reflectat ſupra ipſam dirigibilitatem; quia hæc reflexio non eſt neceſſaria ex parte regulæ artificioſæ, ſicut neceſſaria eſt in Regula morali, propter ibi dicta.

DISPVT. LVI.

Vtrum circa opus, vel Modum ſciendi, vt abſolutè factum, ſcientia practica eſſe poſsit?

1 PRima ſententia affirmat cũ P. Leonardo ex d. 4. n. 46. P. Herize d. 10. c. 1. n. 6. P. Thom. Polono *d 2. diff. 4. ad obij. 1.* & doctis RR. noſtris, qui in hac parte ſequuntur Thomiſtas aſſerentes, ſcientiam Dei viſionis de creaturis exiſtentibus, ſive abſolutè factis eſſe practicam, & cauſam rerum.

2 Secunda noſtra ſententia negat cum P. Hurt. d. 11. §. 36. P. Arriaga d. 1. n. 66. 76. 78. & d. 3. n. 24. P. Oviedo. c. 2. n. 5. n. 12. P. Compt d. 9. ſ. 6 n. 5. P. Lync. lib, 2. tr. 3. n. 42. & re ipſa eſt omnium DD. Societatis, qui propterea in Deo negant ſcientiam viſionis de exiſtentibus, eſſe practicam ſeu cauſam rerum, quia eſt de exiſtentibus, ſive jam factis, qua talibus, cum & apud P. Leonardũ T. 1. tr. 8. n. 28. ſ. 2.

3 Prob. 1. Cognitio practica debet repræſentare obiectum, ad cujus effectionem voluntas moveri poſit, & applicari ad vſum per media executiva. Sed per repræſentationem obiecti vt facti, nequit voluntas ad ipſius obiecti effectionem moveri, & ad vſum applicari: quis enim ſeriò intendat facere, quod factum videt? Cum *actum agere* ſit axioma, ad ſignificandum, aliquem nihil agere. Ergo cognitio practica non poteſt repræſentare obiectum, vt factum.

4 Prob. 2. Omnis regula dictat, quid faciendum ſit, vt inductione etiam Regularum & legum politicarum cõſtat; vnde eſſet imprudens, & irrationalis lex, quæ actionem factam vt talem, & non vt faciendã, præciperet. Sed cognitio practica nihil eſt aliud, quam Regula rationalis de ſuo obiecto, ergo requit eſſe facti, vt facti; ſed ſolum faciendi, vel factibilis, vt talis.

5 Reſp. 1. RR. Quod licet cogni-

tio syllogismi jam facti non possit dirigere ad ipsum, vt primo factum, cum ita eum supponat; bene tamen ad ipsũ vt conservandum, vel secundo reproducendum.

Contra 1. Quia hæc conservatio vel reproductio locum non habet in nostris actibus transeuntibus, respectu scientiæ vel potentiæ nostræ practicæ; quia non est in manu nostra illos conservare citra, vel vltra instantaneam durationem suam naturalem; & multo minus illos reproducere, cum reproductio rerum sit naturaliter impossibilis, vt dicam, *in Phys.* 2. Data possibilitate, solũ directio practica esset, circa reproductionem, vel conservationem syllogismi facti, quæ de novo ponerentur; non vero circa syllogismum ipsum, vt factum, qui supponeretur per illã cognitionem, quasi approbativam. Si enim, v.g. Rex in devastatione Vrbis juberet conservari Palatium, vel Templum; non diceretur ad illud arte factum practicè concurrere, sicut Artifex qui ad primò faciendum direxerat; sed solum ad illud conservandum. 3. Sicut dicunt Adversarij ipsi nobiscum, contra P. Hurt. ex d. 45. n. 6. illam reduplicationem, *Logica dirigit conceptus obiectivos, vt definitos*; cadere supra solam definitionem: ita reduplicatio hæc, *cognitio dirigit syllogismum factum, vt cõservandũ, vel secundo reproducendum*, cadit, solum supra conservationem, vel reproductionem. Ergo solum circa hanc erit practica, non vero circa syllogismum factum, vt factum.

6 Resp. 2. RR. Illam reflexionẽ circa syllogismum factum, ipsum proponere vt prototypum imitandum, per alios syllogismos, juxta ipsius rectitudinem faciendos; atque ita esse practicam, prout illum ordinat ad imitationem idealem aliorum; & non sistit in ejus contemplatione.

Contra 1. Quia vt dicã in Phys. contemplatio Prototypi, vnde Artifex desumit, & formar Ideam operis faciendi, non est idealis nec directiva; quia Idea dirigens obiectiva est ipsum met opus faciendum, mente præconceptum; formalis vero est repræsentatio ipsius; sicut in Deo Idea huius mundi, est ipsa scientia de hoc numero Mundo artificiose ordinato, non vero alterius Mundi huic similis. 2. Quia praxis debet esse opus dirigibile & operabile ex vi ipsius cognitionis regulativæ, per quam respicitur & dirigitur ex d. 54 n. 1. sed prototypus, ex quo desumitur Idea immediata syllogismi faciendi, scilicet syllogismus factus, non fit nec fieri potest, ex vi cognitionis, ipsum vt prototypum contemplantis, & factum supponentis, cum ab ipsa supponatur; nulla autem causa supponat effectum. Ergo non potest esse praxis respectu talis cognitionis contemplativæ, & consequẽter nec ipsa cognitio practica esse poterit respectu ipsius prototypi.

7 Obij. 1. Illa cognitio syllogismi facti, vt prototypi, non sistit in cõtemplatione; cũ sit idealis, ergo erit practica respectu prototypi facti.

Resp.

Reſp. diſt. antece. Non ſiſtit in contemplatione reſpectu ſyllogiſmi facti, *nego*, reſpectu alterius faciẽdi, ad quem ordinat facti contẽplationem, *conced.* Vnde illa cognitio erit ſpeculativa reſpectu prototypi, erit tamen practica reſpectu ideati.

8 Obij. 2. Licet cognitio artificioſa ſupponat factam & exiſtentem materiam, v.g. ligna, vel lapides, nihilominus eſt practica reſpectu illius, vt inducentis aliquẽ modum artificioſum, circa figuram, ordinationem, vel motum. Ergo licet ſupponat factum ſyllogiſmum, vt tamen reſpicit modum artificioſum imitationis, per alios ad illius ſimilitudinem factos; vel conſervationis, aut reproductionis, &c. poterit reſpicere ſyllogiſmum factum practicè.

Reſp. dato *ante*, neg. conſeq. & parit. Quia materia artefacti recipit modum ſpecialem ordinationis quoadſitum vel figuram, tatione cuius totum illud in ratione artificioſi denuo ponitur ab Artifice, vt Domus, horologium, &c. At ſyllogiſmus factus, ratione imitationis, vel conſervationis, non ita ponitur: alias dum Pictor imitaretur horologium per picturam, poſſet dici Horologij imitati Artifex: & Princeps conſeruans Palatium artifex Palatij conſervati. De reproductione fateor (ſi ea fieri poſsit vt à Deo in Euchariſtia fit) ſufficere ad praxim novam; ſed tunc non erit factum vt facti, & producti, ſed vt reproducibilis; ac proinde per ſciẽtiam reproducibilitatis, non vero, vt facti antecedenter abſoluté, vt jam dicam.

9 Obij. 3. Regula converſionis ſive Reductionis ſyllogiſmi facti in Barocco ad Barbara, eſt practica in Logica; ſed talis eſt reſpectu ſyllogiſmi vt facti, quia ſolum vt factus converti poteſt ergo.

Reſp. diſt. min. Practica eſt reſpectu ſyllogiſmi facti, vt facti abſolutè, *nego*; vt conditionatè facti *concedo*. Regula enim non reſpicit illum abſolutè factum, ſed ſi fiat, regulat qualiter ſit ſub ea conditione convertendus; conditio autem *nihil ponit in eſſe*, ſeu in facto, vt eſt axioma Philoſophicum. Sicut ſciẽtia Dei de omnibus eventibus conditionatis non videt conditiones factas, ſed eas relinquit poſsibiles, licet eventus conditionati ſecuturi non ſint, niſi facta & poſita conditione: v.g. *Si Antichriſtus agat pœnitentiam, ſalvabitur*; hæc veritas nõ conſiſtet, niſi poſita defacto pœnitentia; non tamen eam ſupponit factam abſolutè, ſed ſolum conditionatè poſsibiliter. Pariter ergo ſciẽtia de converſione ſyllogiſmi facti, illum factum ſolum conditionatè, & poſsibiliter ſupponet: ſicut etiam ſcientia divina de reproductione poſsibili ſupponit productum.

10 Obij. 4. Exiſtens vt exiſtens per nos in *Metaphyſica* eſt fórmaliſsimè ipſum poſsibile; cum exiſtens, vt exiſtens, ſit eſſentialiter poſsibile: ſed poſsibile, vt poſsibile, eſt obiectum ſcientiæ practicæ; ergo & exiſtens, vt exiſtens, quod formaliſsimè eſt factũ vt factum,

erit eius obiectum.

Confirm. Idea practica nõ est ni si de re producenda, vt producenda; sed nihil producendum est, nisi vt existens; ergo idea practica est de existenti vt existenti, & consequẽter vt facto.

11 Resp. disting. totum syllogismum: quia licet existens, & possibile, sint obiective idem ipsissimus conceptũs; attamen pro vt existens, significatur nomine, & verbo adjectivo absoluto connotativo temporis, v. g. *existit*, est *existens factum est, &c.* At vero vt possibile, significatur per nomen & verbum substantivum, non connotativum temporis, & tantum conditionatè significativũ non repugnantiæ prædicatorum ipsius existentiæ; v. g. *Non repugnat, operabile est; possibile est; ens &c.* de quo d. 4 à n 9. aliquid innuo. Cum ergo sit obiectum practicæ notitiæ, solum vt significatur *substantivè & possibiliter*; v. g. per Ly *operabile est*; non poterit esse obiectum illius, vt significatur *adjectivè existentialiter*, per Ly *existit*: quia esset mutare in actu modum essentialem significandi, licet non mutet obiectum, quia existens & possibile est idem. Hinc patet,

12 Ad confirm. sub eadem distinctione, quod idea practica licet sit de re producenda, vt tali obiectivè, illam non debet significare adiectivè existentialiter per Ly *existit*, seu tanquam actu existentem; sed substantivè possibiliter, & per Ly *operabile*, tanquam possibilem: quia alias non posset movere voluntatem ad dandum esse obiecto, quod adjectivè factum, sive existens rèpræsentaret.

DISPVT. LVIII.

Vtrum Logica sit simpliciter, purè & adæquate practica?

1 PRima sententia negativa asserit, neque practicam, neque speculativam esse, sed pure organicam. Ita Zarabella, Petrus Niger, P. Pereyra, P. Aleman, P. Dandinus. P. Uallius. P. Smiglesius, apud citand.

Secunda sent. neg. Asserit, esse simpliciter adæquatè & purè speculativam. Ita Iubt Scotus, & Scotistæ omnes, quos laudat Poncius d. 2. q 8. à n 82.

2 Tertia sent. neg. Docet esse adæquatè simpliciter speculativã, sed secundum quid & analogicè practicam. Ita Thomistæ omnes, quos referunt & sequuntur Complut. *hic q. 6. à 2. n. 65.* & M. Ioan. Thom. *q. 1. art. 4.* & ex nostris P. Suarez *d. 44. sect. 13. n. 54.* Cardin Tolet. q 4. P. Salas. 1, 2. *tr. 10. d. 7. s. 2. n. 19.* P. Fasol. 1 *p. q. 1. art. 4. du. 2.* P. Rub. q 4. n. 25. P. Peñaf. d. 1. q. 4 s. 2. P. Oleina n. 421.

3 Quarta sent. docet, ex æquo esse simpliciter practicam. & speculativam, quia non minus principaliter per actus practicos, quam speculativos exercetur. Ita P. Vazquez. 1 *p. d. 4 n. 2. & d. 8. c. 5. & d. 9. c. 3. &* 1. 2. *d. 85 c. 1* P. Hurt, *d. 2. Log s. 2.* P. Comp. *d. 10 s. 6. n. 4.* P. Peyn *d. 1, s. 3. n 49.* P. Maurus. q. 22. & 23. P. Chabronius s. 2

P.

P. Galtruch. c. 1. & 2. P. Lynceus lib. 2. tr. 2. c 5, P. Quiros d. 13. s. 8. & 9. P. Alphonsus, d. 1. n. 155. P. Santacruz n. 1220. & 1224.

Quinta sent. non solum Logicam collectivam, sed vnumquemque habitum, & actum partialem Logicæ, simpliciter practicum simul & speculativum esse dicit Ita Doctiss. meus in Theologia Magister P. Gregorius Lopez in M. S. ex fundamẽto n. 29.

Sect. 1. Conclusio affirmans.

4 Sexta nostra, & inter nostros hodie communior, sententia affirmat, Logicam simpliciter purè & adæquatè practicam; nulloque modo speculativam esse. Ita P. Fonseca 1. *Metaph. c. 2. q. 2. s. 4.* PP. Conimbrif. *q. 4. proœm. n. 5.* P. Gill. lib. 1. tr. 5. c. 1. n. 3. nost. P. Leonard. ead. d. 4. n. 20. P. Arriaga d. 3. n. 26. P. Ovied. c. 2 p. 5. P. Yzq. d. 23. n. 25. P. Rhod d. 1. q. 2. s. 3. P. Thom. Pol. d 2. diff. 4. P. Suar. Lusit. tr. 1. d 2. n. 126. Spinula d. 1 n. 63, Bonesp tr. 11 n. 268 Caramuel in Log. voc. n. 407, apud quos Albert. M. Nominales, cum Ochamo, Aureolo & Gabriele, Iandun. Murcia & alij, imo & Scotus 6. *Metaph. q.* 1. *ad.* 2. nostrique RR. fere omnes, & ex parte P. Quiros n, 60. quatenus saltem ex fine Institutorum simpliciter practicam appellandam dicit.

5 Prob. 1. apriori. Quia illa est scientia totaliter adæquate, pure & simpliciter practica, quæ iuxta sapientum institutionem collectivè componitur ex actibvs & habitibus pure practicis, seu regulativis. Sed Logica juxta sapientum institutionem ex actibus, & habitibus pure practicis, & regulativis collectivè cõponitur. Ergo Logica totaliter adæquate, pure & simpliciter est practica. *Mai.* est evidens ex d. 41. & 42. de vnitate & specificatione scientiarum, sumpta ab institutione sapientum. *Min.* solum constare potest authoritate sapientum, Logicam instituentium, scilicet Arist. & S. Thomæ. Et probatur.

Primo ex Arist. 6. *Metha.* c. 1, vbi dividens scientias speculativas, tantum Physicam, Mathematicam, & Methaphysicam enumerat. ex d. 38, n. 5. Vnde manifeste convincitur, Logicam cum Ethica inter practicas scientias reservasse. Itẽ 1. *Top. cap.* 9. Logicam vocat instrumentariam, sive administrantẽ reliquis scientijs instrumenta sciendi. Sed non aliter administrare, & præparare potest instrumenta, seu modos sciendi, nisi illos regulando & dirigendo: qui enim pure contemplatur, instrumenta alicuius Artis, vel Artificis non ipsi illa ministraret, vt patet. Præterea 6. *Metaph. c.* 1. inquit: *omnis scientia, vel est activa, vel factiva, vel speculativa.* Vbi contraponit speculativæ, *Activum* seu Ethicam, quæ de actione morali agit; necnon *Factivam* seu Logicam quæ de factione artificiosa tractat; juxta vsurpationem ipsius Philosophi & S. Thomæ circa actionem & factionem, sæpius repetitam ex.

d.

d. 51. Ergo juxta Aristot. æquè Logica & Ethica nihil de speculativa participant. Demum ex ipso Philosopho laudato a S. Thom. 1. p. q. 14. à 16. & q. 79. à 11. Scientia est practica vel speculativa *ex fine*: sed juxta ipsos, finis instituendi Logicam non fuit contemplatio Physica, aut Metaphysica actuum mentis, sed practica regulatio illorum in Modum sciendi. Ergo ex fine Institutorum practica est.

6 Secundo prob. Min. ex S. Thoma. Tum *Op. sc. 70. in Boetium*, apud P. Arr & reliq. vbi inquit: *Ad secundum dicendum, quod scientiæ speculativæ sunt de illis, quorum cognitio quæritur propter se ipsa. Res autem, de quibus est Logica, non quæruntur ad cognoscendum propter se ipsas, sed vt adminiculum ad alias Scientias; & ideo Logica non continetur sub scientia speculativa.* Quid clarius? Tú, 1. *Poster. lect* 1; ibi: *Sicut ad inventa est Ars ædificandi, per quam homo faciliter & ordinatè hujus actus exercere potest; eadem ratione Ars quædam necessaria est quæ sit directiva ipsius actus rationis; & hæc Ars est Logica.* Ergo juxta S. Thomam præcipuum nostræ Logicæ cum Aristotele Institutorem, Logica collectivá institutа est, vt Ars purè regulativa; & nullo modo cõtenta sub speculativa scientia, non minus quam Ars ædificativa; ac proinde vt omnino practica.

7 Confirm. Logica vt ab Aristotele tradita in suis primarijs Partibus & Tractatibus, scilicet in lib. de *Paiori & Poster.* Pro Analytica; in lib. *Topicor.* pro Topica, in lib. *Elenchor.* [pro sophistica, secundum eam partem quæ actus mentis Demonstrativos respicit ex d. 50. n. 11. & 17.] tota insumitur legibus & regulis; tum pro Definitione, & Divisione; tum præcipuè pro Argumentatione, & hujus gratia de oppositione, conversione & æquipollentia Propositionum, vnde legitimæ Argumentationes colliguntur. Quas omnes Regulas post S. Thomam, Scotum, & Nominalium aliquos, Petrus Hispanus in summulas purè regulativas ordinavit. Ergo tota Logica, vt ab Institutoribus collecta est, purè regulativa, & consequenter pure practica est.

8 Prob. 2. Logica eò esset aliquomodo speculativa, in quantum aliquos actus proprios & primarios scientificos, purè speculativos, & ex ijs habitus similes, circa suum obiectum, scilicet Tres mentis operationes, contineret. Sed nullos ejusmodi actus continet: ergo nullo modo est speculativa. Minor prob. Quia omnis & quicumque actus scientificus purè speculativus, circa Mentis operationes est Animasticus. Animastica enim, vt Pars Physicæ, speculativè tractat specialiter de triplici mentis operatione, secundum vtrumque earum specificativum, tã n intrinsecum ex modo tendendi, quã extrinsecum sive ex obiecto, & consequenter secundum omnes ipsarum species, sicut vniversaliter de omnibus potentijs & actibus vitalibus, & obiectis ipsorum. Sed totus Modus

dus ſciendi, qui eſt obiectum adæquatum Logicæ, nihil aliud eſt quã multiplex ſpecies operationum Mẽtis (vt eſt evidens, & conſtat, ex d. 1. q. 4. & d. 44. &c.) ſecundum quod per varios ſpecificos modos tendendi, præciſivos, ſcientificos ſub obiecta manifeſtant. Ergo tota tractatio ſpeculativa de Modo ſciendi eſt Phyſica Animaſtica.

9 Confirm. Quia ex d. 43 non eſt aſſignabilis alia ratio *ſub qua*, ſpecificativa Dialecticæ, prout ab omni alia ſcientia, & præſertim ab Animaſtica differt, niſi dirigibilitas actuum mentis. Abſtractio enim ſpeculativa ſub materia ſenſibili & experimentali ad Phyſicam ſpectat; ſub materia vero pure poſsibili ad Metaphyſicam, vt ibidem n. 9. & 10. oſtendi. Vnde ſolum dirigibilitas ſupereſt, per quam ab ijs ſcientijs Logica poſsit differre. Sed dirigibilitas actuum mentis correſpondet eſſentialiter modo tendendi directivo ſcientiæ, vt ibidem monſtravi. Ergo totus & adequatus modus tendendi Logicæ debet eſſe directivus, ſeu purè practicus.

10 Quod ſi dicas 1. Animaſticam ſolum ſpeculari Mentis operationes ſecundum eſſe naturale, non vero ſecundum artificiale in eſſe definitionis, diviſionis, &c. *Contra* 1. Quia vt oſtenſum eſt d. 47. & 48 non eſt aliud artificium Logicæ, quam ipſa naturalis repræſentatio actus, per ſpecificum ſuum tendendi modum, præciſivum, definitivum, diviſivum, illativum, &c. 2. Quia ipſum artificium reſultans ſecundum reale quod habet, & dignum tractari per ſcientiam, nihil eſt aliud, quam quod obiectum rectè & ſcientificè ſit definitum, demonſtratum, &c. Hoc autem ſpeculari pertinet ad ipſam Animaſticam, vt agentem de obiecto vt tali. Ergo.

11 Quod ſi dicas. 2. Animaſticã ſolum ſpeculari intellectiones ſub abſtractione, intrà materiam ſenſibilem, & experimentalem: *quoad an eſt, exiſtentiale*; non verò quoad *quid eſt, eſſentiale*, & abſtractiſsimũ poſsibilitatis, & veritatis, per definitiones quidditativas, vt præſtat Logica per Definitionem Demonſtrationis, &c. *Contra* 1. Quia adhuc eæ definitiones eſſentiales, quarenus ad illas pervenit Phyſica per experientias ſenſibiles pertinent ad Animaſticam, vt d. 41. n. 23. diximus. 2. Quia ex ibidem dictis etiam pertinebunt ad Metaphyſicam, vt pote Scientiam omnibus ſubalternantem: Vnde juxta P. Suarez ibi d 1. ſ. 2. Metaphyſica agit de omnibus prædicamentis, de quibus omnes Scientiæ agunt, & agere poſſunt, ſecundum definitiones Metaphyſicas eorũ, & vt de ipſis Principijs, & cauſis, de quibus Phyſica, & de Prædicamentis eiſdem, de quibus Logica, & inter ea, de qualitate, & ſub hac de qualitate vitali, ſeu vitali actu intellectus, & voluntatis abſtractiſsimè agere poteſt, per definitiones eſſentiales. Quæ proinde ad Logicã non pertinebunt.

12 Prob. 3. Concl. pariter Ethicæ

thicæ, de qua Aristott 2 *Ethic. c. 2. quoniam præsens Tractatio non speculationis causa*, &c. Vbi S. Th. & DD. omnes Ethicam Scientiam omnino practicam esse dicunt, alias nulla maneret Scientia, quæ simpliciter practica esset; nec divisio Scientiæ in *practicam, & speculativam* subsisteret; vnde omnes speculationes circa honestatem moralem, non ad Ethicam, sed ad aliam Scientiam, vel ad vim contemplativam Intellectus speculativi sunt rejiciendæ. Sed Logica se habet respectu actus intellectus, sicut Ethica respectu actum moralium virtutis, ex *S. Th. 1. Eth. l. 1.* Quia cum possibile sit; & dignum æquè institutione sapientũ, quod instituatur Facultas pure regulativa circa actus scientificos rectè faciendos, quam circa actus honestos; multo magis, quam Ars purè Regulativa circa voces grammaticales, poeticas, &c. non est, cur ita factum non fuerit. Ergo ita Logica purè Practica, & regulativa instituta est: & quæcumque scientificæ speculationes sui obiecti ad alias Scientias, vel ad vim intellectus sunt rejiciendæ.

Sect. 2. Objectiones.

13 Obij. 1. *pro 1. sent.* Logica ab Arist. & S. Th. dicitur *organũ Scientiarum*; vnde non potest esse speculativa, quia est directiva. Sed neq; practica esse potest; quia est regulativa solum in communi; ac proinde non regular praxim, quia praxis debet esse singularis, nihil enim operabile est nisi singulare, vnde nec practicum nisi de singularibus, vt Idea; & Prudentia; juxta Arist. 6. Ethic. quem laudat S. Th. 3. p. q. 11. a 1. ad 3. Ergo Logica solum erit organica, neque speculativa, neque practica.

Resp. neg. min. Quia licet praxis solũ sit operabile physice in singulari; potest hoc ipsum singulare regulari in communi; quia ratio cõmunis nihil est aliud, quam ipsa singularia inadæquate concepta: alias nulla Ars esset practica, cum omnes regulativæ sint in communi. Solum autem infertur, quod regula in communi non possit esse regula adæquata, & quod Idea indigeat alia regula particulari, quæ opus vt hic & nunc in singulari factibile attingat, per Prudentiam, per quã regula cõmunis compleatur & applicetur, ex d. 51. n. 6. Et hinc optime dixit S. Th. ibi ad 3. Quod practica *non perficitur sine cognitione singularium, in quibus est opus*; non vero quod debeat esse cognitio singulariũ, secundum quod est regula vniversalis, & inadæquata; & propterea cõcurrens cum alia particulari; sicut causa vniversalis physica concurrit inadæquate cum alijs, v. g. Deus cũ creaturis: cælestis cum sublunaribus.

14. Obij. 2. pro 2, *Sent.* Actus intellectus solum sunt praxis, pro vt imperati per actum voluntatis, sive vt volntarij; sed a Logica non respiciuntur, vt ita imperati, alias respiceret imperium voluntatis; sicut ab Ethica, & Prudentia respi-

respicitur, & regulatur; ergo.

Resp. nego maj. quia solum sunt praxis actus intellectus, vt imperabiles connotativè, & in actu primo: & disting. min. Sed á Logica non respiciuntur; vt imperabiles, tamquam ratio *quæ*, seu cognita, concedo; tanquam ratio *sub qua*, quæ non debet cognosci, ac proinde nec regulari per actum, *ex d. 43. n. 7.* nego: & ita cessat æquivocatio illius reduplicationis, *vt imperabiles*; quæ respectu Ethicæ sit etiam vt supra rationem *quæ*; respectu vero Logicæ solum vt *subqua*; sicut respectu cujusvis Artis etiam fabrilis.

15 Obij. 3. Scientia pure speculativa est cujus totus finis est *scire vt sciamus*, ex Comment. 2. *Metaph. c. 2.* Sed totus finis Dialecticæ est modus sciendi, sive omnis scientia; ac proinde scire tantum vt sciamus: ergo.

Resp. dist. maj. Scientia pure speculativa est; cujus finis est scire vt sciamus, si ipsum scire quæratur & intendatur tantum contemplativè, & sistendo in illius veritate; *concedo* si intendatur directivè, regulative, & inclinando ad operationem ipsius scire, seu scientiæ, vt se habet Logica; *nego*.

Obij. 4 pro 3. *sent.* S. Thom. 1. 2. q. 57. a 3. ad 2. inquiens: *etiam in speculabilibus est aliquid per modũ operis, puta, constructio syllogismi.* & 2. 2. q. 51 a 2. ad 3. *Etiam in speculativis alia rationalis scientia est Dialectica.* Ergo.

Resp. S. Th. ijs, & alijs in Locis vsurpare Scientiam in acceptione Aristotelis ex d. 51 n. 3. in qua Scientia, & evidentia cum speculatione convertitur; & eo ipso quod Scientia sit, speculativa esse debet: quo sensu omnis Scientia pure practica tam divina, quam creata est speculativa, idest vt evidenter cognoscitiva veritatis, non vero, vt sistens in contemplatione.

17 Obij. 5. Eo quod Logica Scientia sit, procedit modo resolutorio, & inquisitivo veritatis sui obiecti; sed cum hoc modo procedendi, vt pote speculativo veritatis, non compatitur alius modus, compositivus, & regulativus: ergo nec practicus.

Resp. nego. min. alias nulla esset Scientia practica, adhuc divina; cum omnis intendat veritatem, secundum quod Scientia est: potest ergo vterque modus conjungi, vt in Ethica, ex Aristot. n. 12. & in divina, nec non in infusa practica Christi D. vt ex posito est d. 55. n. 9.

18 Obij. 6. Licet Matemathica ostendat quomodo Triangulus sit faciendus, & ex ea possit quis regulari ad ejus effectionem, non ideo est practica, quia finis illius est demóstratio veritatis circa mensuras. Ergo pariter &c.

Resp. Illas cognitiones practicas & regulativas Matemathicæ non pertinere ad ipsam, provt est Pars Philosophiæ, quia Philosophi solũ speculativas contemplationes numeri, & mensuræ ad illam pertinere voluerunt: vnde practicæ rejicientur ad Artes subalternatas illius; quæ

quã plurimæ sunt ex d. 52. n. 5. At è contrario pro Logica, vt pote Arte, solũ regulativas cognitiones Philosophi segregarunt; speculativis ad Animasticam reservatis, ex dictis an. 8.

19 Obij. 7. ex Arist. 6, *Metaph.* c. 1. & 6. *Ethic.* c. 10. Scientia practica, vel est activa, & de agibili, sive eligibili, cuius principium est electio voluntatis; vel factiua & de factibili externo: sed Logicæ neutrum convenit; Ergo.

Resp. Cum P. Vazq. neg. maj. Tum quia Logica est activa, cum sit de actibus intellectus, voluntarié ex regula factis ex d. 53. n. 5. Tum quia est factiva, quatenus omnis actus à voluntate imperatus extra se, dicitus externus; licet non quatenus factio dicit actionem externam, corpoream, & permanentem; juxta varias acceptiones Aristotelis.

20 Replicant Complutens. esse indignam Philosopho hanc respon. P. Vazq. Quia ita etiã quævis scientia speculativa versaretur circa actus eligibiles, id est suos, vt a voluntate imperabiles *Contra.* Vel dialectico enim indignum est dicere, quod sciẽtiæ speculativæ versentur circa suos actus; sed per suos actus, circa sua obiecta.

21 Obij. 8. pro 4. *sent.* Multos esse in Logica actus speculativos 1. circa principia, *Quæ sunt eadem: Dici de omni, &c.* Quæ secundum se pure speculativa sunt. 2. Circa essentiam metaphysicam, & consequenter circa puram veritatem prædicatorum: Definitionis, divi Dunsionis, &c. eorumque connexionem cum attributis, & proprietatibus Modi sciendi; Ergo ex hac parte erit speculativa.

Resp. neg. antecedens. Ad 1. Principia illa non attinguntur à Logica, nisi vt præmissæ ad suas conclusiones, regulativas actuum mentis, demonstrandas; eo autem ipso in præmissis debet poni aliquis modus & terminus ordinatiuus eorum principiorum ad ipsos actus mentis vt regulabiles; alias non esset idem obiectum motivum in conclusione ac in præmissis. Ergo principia illa à Logica attinguntur per actus regulativos & practicos, vt ad praxim ordinata scilicet in hunc modum. *Discursus nixus principio*, Quæ sunt eadem *recte concludit*; *sed syllogismus factibilis in prima figura nititur principio*, quæ sunt eadem: *ergo syllogismus factibilis in prima figura recte concludit.* Vbi expresse attingitur Principium *Quæ sunt eadem*, sub factibilitate & praxi syllogismi; & sic de alijs principijs. Ad 2. concedo multas esse speculativas cognitiones circa veritates illas Modi sciendi, imo totidẽ, quot practicæ simul eliuntur, ex d. 55. n. 14. sed nego illas ad Logicã spectare, sed ad Animasticam vt n. 8. ostensum est.

22 Obij. 9. & repl. Animastica minime novit, vel audit figuras, & modos syllogismorum; nec nomina Prædicabilium, Genus, speciem, &c ergo speculatio circa illa non est Animastica.

Resp. Licet eæ voces, & modi explicandi sint proprij Dialecticæ, &

sub

sub illis actus practici tantum solum eam exerceri: attamen quoad rem significatam, totum quod obiectivè important, ab Animastica cognitũ præcessit: quia ipsa experimentaliter secundum materiam sensibilem, prius contemplata fuit omnes modos syllogizandi, & sciendi, quos Intellectus noster sine vlla arte directiva naturaliter exercebat. Vnde ex hac reflexa observatione principium habuit ex cogitatio regularũ Dialecticæ, vt cum Magno Alberto d. 38. n. 11. tradidimus Ergo Dialectica regulativa supponit Animasticam contemplativam, circa omnes actus mentis, quos dirigit.

23 Obij. 10. & replic. Mancam futuram Logicam, si intra se non habeat principia speculativa scientifica, in quibus tota eius tendentia practica & regulativa fundatur, & sine quibus scientia esse non posset, ergo.

Resp. Sicut voluntas non est manca ex eo, quod non habeat intra se cognitionẽ, & vim cognoscitivam, à quâ depẽdet essentialiter, quia sufficit, quod vtramque habeat in eadẽ anima, sibi coniunctam; ita sufficiet quod Logica habeat sua principia speculativa per scientias Animasticam, & Metaphysicam, licet distinctas, sibi valde intimas in eodem intellectu; nec non collectivè permistas, sicut alias non sibi proprias, ex d. 51. n. 18.

24 Obij. 11. Reflexio supra syllogismum factum per nos *d. præced.* est speculativa: sed non potest non esse Logica, quia per illam examinamus, num syllogismus sit rectus, & conformis regulis Logicæ, quod à sola Logica cognosci potest. Ergo.

Resp. neg. *min.* Cum DD. laudatis d. præced. n. 2. sicut enim reflexio supra picturam, vel fabricam factam, non pertinet ad eas Artes, sed ad visionem & cognitionem experimentalem, ita & circa syllogismum factum. Fateor collationem illam cum Regulis Logicæ petere præmissam logicalem, ex qua intellectus inferat conclusionem discursivam conformitatis, ad nullam scientiam specialiter pertinentem, de rectitudine syllogismi; sicut & cuius cumque artefacti: v. g. *Syllogismus rectus ita fieri debet. Sed hic syllogismus ita factus est. Ergo est rectus.* Major est Logica practica. Minor experimentalis speculativa. Conclusio discursiua, & nullius scientiæ particularis.

25 Obij. 12. Demonstratio proprietatum Modi sciendi est logicalis; imo per illam fit scientia, sed nõ potest esse practica; tum quia est circa effectũ necessario se quarum, qui voluntati non subditur, vt exigit praxis; tum quia ex vi illius non potest poni Modus sciendi, cum solum regulet ad vnam formalitatem, seu proprietatem illius. Ergo.

Resp. neg. min. Tum quia vt aliquid sit praxis sufficit, quod mediate subdatur voluntati, licet immediatè & in se sit necessarium; sicut actus externus necessarius est, posito interno, & conclusio positis præmissis, & apprehensio ponta ordina-

tione specierum. Sicut autem conclusio, & apprehensio dirigibiles sunt in causa, ex qua resultat, ex d. 44.n.8. & saltatio externa in interno imperio voluntatis; ita proprietates in ipso sciendi modo, ex quo fluent. Tum quia licet regula illa, se sola non possit praxim ponere, inde tantum infertur, esse causam, & practicam in adæquatè & partialer, indigereque alijs concausis, seu regulis simul directivis; sicut indigent omnes Regulæ communes Artium, ex n. 13.

26 Obij. 13. In Logica sunt Regulæ seu præcepta negativa, ne fiat syllogismus *quadrupes, ophisticus, &c.* Sed hi actus non attingunt praxim, nec opus; sed potius ejus omissionẽ & destructionem. Ergo.

Resp. 1. omissionem operis etiam esse praxim, quia licet nõ sit physicè est tamen moraliter operabilis, ex d. 53. n. 25. Vnde Prudentia est practica & directiva, respectu omissionis peccati. Imo Theologiã, vt agit de peccatis, etiam practicã putat P. Arr. 1. p. d. 2. n. 35. Necnon scientiam Dei de peccato, secundum malitiam formalem, practicam in directè permissivè, dicunt DD. cum S. Th, laudato ea d. 53. n. vlt. Sic ergo respectu syllogismi nõ rectiquẽ prohibet, paterit esse Logica indirecte practica; quatenus illum non respicit sistendo in eius contemplatione, sed dirigendo ad aliquam moralem praxim circa illum, scilicet omissivam, vel destructivam. Sicut in Mæchanicis, Artifex dirigendo destructionem fabricæ ordinatè, non se habet pure speculativè circa illam: & multo magis circa figuram, quæ ex destructione seu subtractione partium, in ligno, vel lapide, per sculpturam resultat.

27 Resp. 2. Logicam positivè & directè non agere de syllogismo pravo; sed solum indirecte, quatenus regulando bonum, prohibet pravũ. Quia esset infinitum dirigere omissionem errorum, cum modus errandi non habeat finem. Vnde nulla Ars docet, quomodo non sit faciendum erroneum artefactũ, quia esset processus infinitus; & docendo rectum, illa infinitudo errorum removetur; sicut docendo viam, quà eundum est Romam, removentur omnes aliæ viæ errandi; quas positivè docere, nõ tã esset doctrina, quã doctrinæ confusio, & destructio. Et hinc rursum judico, quod Pars sophistica Logicæ, non solum non sit propria Logicæ secundum voces, vt dixi d. 46 n. 18 & 19. Sed neque secundum quod dedocet, sive prohibet syllogismos sophisticos intellectuales, vocibus respõdẽtes; sed solũ secũdũ quod ex detectione horũ errorum; perficit suas leges & regulas pro recta Argumentatione; imo demonstratione eformãda. Vnde Aristoteles concludit libros elenchorũ, dicens, se in illis *de demonstratione disputasse*: quia scilicet directe hanc precipuè ibi Dialecticæ Regulæ regulare intendunt, inter sophismatum tractationes, à Logico; non à Logica ibidem admistas: ex d. 50. n 10.

28. Obij.

28 Obij. 14. In omni Arte practica etiam Mæchanica, sunt aliquæ speculationes, saltem circa proprietates, & aptitudinem materiæ, cum ipsam non faciant, sed solum, vt existentem contemplentur Ergo pariter

Resp. 1. ex d. præc. n. 8. neg. anteced. cum P. Fōseca ea s, 4. quia Artes non considerant Materiam, in eius contemplatione sistendo, sed ordinando ligna v. g. secundum aptitudinem suam ad hoc vel illud artificium: sicut etiam ex n. 21. Logica ordinat prima principia ad praxim. 2. neg. conseq. & paritatem quia aliæ Artes non faciunt materiam suam, econtra vero Logica, quæ actus mentis directive causat.

29 Obij. 15. pro 5. Sent. Logica per suas regulas solum respicit Modum sciendi in communi, sed eo ipso per singulas simul speculative, & practice illud attingit. Ergo singulæ simul erunt speculativæ, & practicæ. Minor prob. Quia per singulas regulas respicit Syllogismos factibiles a subjecto, in quo ipsa regula inest, v. g. Petro; & ita in illis respicit praxim, quia ab eo cui inest factibiles illi sunt: prout vero respicit syllogismos Pauli, non respicit praxim factibilem ab ipso Petro naturaliter, & fortasse nec divinitus, justa varias *sent.* ac proinde neque vt dirigibiles ab ipsa Regula, quæ vt actus vitalis Petri, in Paulo esse aut dirigere non potest; ergo vnaquæque Regula respicit simul syllogismos sui subjecti proprios practice, & alienos speculative.

Resp. 1. Hoc argumento probari omnem Artem circa actiones v. g. saltationem, musicam &c. esse simul speculativam; quia actio saltativa Petri nec divinitus potest esse, vel dirigi in Paulo, &c.

30 Resp. 2. cum eæ regulæ respiciant actiones, sive vitales Logicales sive externas artificiosas, vt factibiles; solum respicient eas, quæ vi regularū ipsarum factibiles sunt, scilicet proprias sui subiecti. Vnde licet regulæ in actu signato sonent vniversaliter. *Omnis definitio* &c. sicut dum dicitur, *cognitio vt sic respicit obiectum vt sic*; exercite tamen vnaquæque Regula respiciet sphæram minus vniversalem definitionum proprij subjecti, ab ipsa dirigibilium; sicut vnaquæque cognitio, nō respicit exercitè *obiectum vt sic*, sed suum particulare obiectum.

13 Resp. 3. saltem moraliter, media instructione vocali, posse dirigere Regulam Petri ad syllogismos Pauli; quod ad praxim sufficiet ex d. 53. q. 3. tunc autem observandum quod vocalis instructio pertinebit ad regulam particularem applicativam, vtentem etiam Grammatica, sicut aliæ circumstantiæ medi operationis. ex d. 55. n. 10.

32 Resp. 4. ex d. 53. q. 6. Quod cum ad praxim sufficiat factibilitas intentionalis, seu apprehensa; similiter sufficiet præcisiva, id est præcisiva non repugnantia obiecti in cōmuni, vt a subiecto, cui inest regula directiva, fiat. Eo modo quo sufficit honestas in comuni contritionis,

nis, & bonitas ac felicitas visionis beatæ in communi, vt eam possit voluntas Petri efficaciter appetere; licet involvat multas contritiones & visiones alienas, ab ipso non factibiles; quia sufficit præscisiva factibilitas in contritione, & visione secundum se, & in communi apprehensa; vt intentionaliter moveat efficaciam Voluntatis. Pariter ergo movere poterit efficaciam seu vim practicam intellectus.

33 Vrgetur speciali instantia. Regula reflexa v.g. Definitio definitionis, regulativa ipsius, est practica respectu sui, cum sit factibilis a proprio subiecto, cui inest. Sed nõ est dirigibilis seu factibilis a se ipsa positivè (nihil enim a se ipso fieri positivè potest) nisi tantum præcisivè, secundum inadæquatum conceptum communem *definitionis*, secundum quem præcisive non dicit repugnãtiam, sive, præscindit a repugnantia terminandi directionem, & effectionem cujuscumque regulæ particularis; licet materialiter realiter eam repugnantiã dicat secũdũ quod talis definitio sui est: quæ præscisiva factibilitas est purè intentionalis, & apprehensa ex modo concipiendi. Ergo ea sufficit ad praxim.

Quod si dicas, cognitiones reflexivas non respicere se ipsas, cum sint practicæ, quia respiciunt suum obiectum vt praxim, & sub operabilitate, quæ respectu sui ipsius nulli convenire potest. *Contra*. Quia similiter nec respiciet practica alienos modos sciendi, quia similiter nõ sunt factibiles per se, & ex directione sua, sub qua factibilitate respicit suum obiectum; atque ita recidet in 2. Responsionem nostram, si tertia non placeat.

Rogari hic solet, an Logica sit practica, vt docens, vel vt vtens? Sed cum ipsa Logica docens sit, & fiat vtens, vt statim dicam per applicationem ad vsum in actu secundo; vtroque modo practica erit; in actu primo vt docens, & in actu secundo, vt vtens. Pro quo sit

DISP. LVIIJ.

Quid sint Logica Docens, & vtens, vt ve discriminentur inter se?

1 SUpponunt Dialectici omnes ex Angelico, & subtili Doct. laudatis d. 39. n. 5. Logicam docentem esse eam, quæ in communi dictat, quomodo sit faciendus Modus sciendi; quasi ordine intentionis, abstractè a rebus obiectivis, sive ab vsu, & Materia particulari Scientiarũ; quæ propterea dicta est Logica *Avalsa* a rebus; & vniversalis, ab antiquis, & Græcis Commentatoribus. Logica vero vtens (quæ ab ijsdem *Concreta* rebus, & particularis dicitur) est quæ ad vsum, & materiam particularem Scientiarũ, quasi ordine executionis applicatur. Vix tamen vnus cum alio, aut sensit, aut loquitur, circa modum quo vtens a docente, & vtriusque munera distinguuntur Pro quo,

Sect. 1. Certa ad rem præmittuntur.

2 Præmittendum 1. cum S. Th.

1. 2.

1. 2. q. 16. a. 1. 2. & 3. *corp.* Vnum definiti *applicationem alicuius principij ad aliquam operationem.* Ex quo tria inferuntur a S. D. *Primũ* quod ſit actio propria operantis propter finem, quia *applicatio alicujus ad aliquid*, dicit ordinationem vnius ad aliud, ſeu medij ad finem. *Secundũ*, Quod quatuor importantur in vſu 1 Cauſa applicans, 2. Cauſa applicata, 3. Applicatio, 4. Effectus ſeu operatio, quæ eſt finis; & dicitur vſus paſsivus, ſicut cauſæ pertinent ad vſum activũ, & dicuntur vtentes. *Tertium* quod cauſæ vtentes ſunt in triplici differentia; *intentiva* ſeu voluntas, *directiva, ſeu ratio*, *executiva* ſeu potentiæ, & habitus exequentes: quod S. D. his verbis concludit: *Vti primo principaliter eſt voluntatis, tanquam primi moventis; rationis tanquam dirigentis; & aliarum potentiarum tanquam exequentium.*

3 Hinc fit, quod in vſu Regularũ Dialecticæ, ipſa regula tanquam ratio dirigens, ſive idealis, dicitur vtens, prout per voluntatem applicata in materia Scientiarum ad vſum, v.g. ad ſyllogiſmum, juxta Ideam regulæ efformandum. Similiter aliæ Scientiæ, vt concurrunt, tum per habitus, tum per principia ſua ad ipſum ſyllogiſmum, dicuntur vtentes Logica in ablativo: imo etiam ipſum vſum paſsivum ſeu ſyllogiſmum factum, ſimiliter vtentem Logica appellant; eo modo quo actio vrendi gladio, vtens gladio quaſi paſsivè dici poteſt. Intellectus autem qui medijs ijs ſuis habitibus, & actibus applicatur ad vſum, multo principalius gaudebit denominatione *vtentis Logica*: cum ſit cauſa præcipuè applicata ad vtendũ illa.

4 Præmitt. 2. Quod applicatio eſt duplex. 1. Voluntatis, quæ per imperium ſuum applicat intellectũ, ſicut alias potentias ſibi ſubditas, illius ſpecies ideales, & regulativas excitando. 2. per intellectũ, qui per regulã particularẽ prudentiæ idealis hic, & nunc conſultantis, & cõferentis regulã communem cum materia particulari, ex principijs illius, ſive Scientiarum, ad quas ipſa pertinet, in Logica complet, & determinat Ideam Artis regulantis in cõmuni, faciendo per diſcurſum Ideã, completam particularem artificioſi operis, ſeu ſyllogiſmi in ſingulari faciendi; juxta dicta d. 51. n. 6: & licet RR. aliqui cum P. Alphonſo *in proœm. d n.* 23 judicent, ſufficere Regulam communem, docentem, v.g. *Definitio debet conſtare genere, & differentia*; cum altera præmiſſa ſpeculativa: *ſed Animal eſt genus, & rationale differentia hominis*: quin ſit neceſſaria concluſsio prudentialis regulativa in particulari, *Ergo Definitio hominis debet eſſe animal rationale*. Nihilominus ſtandum eſt *ibi* dictis ex S. Th. cum P. Quiros d. 8. ſ. 2. & P. Lyoc. infra. Tum quia ea concluſsio, poſitis præmiſſis eſt per ſe neceſſaria. Tum pariſate Ethicæ. ibi adducta. Tum quia Idea practica, quantum poteſt in ſingulari delineat opus faciendum; cum ipſum vt in ſingulari faciendum, ſit Idea

objec-

obiectiva, siue exemplar regulativum. Ergo.

5 Notandum tamen 1. Quod non semper debeat hic discursus idealis per formalia judicta eformari; aliquando enim sufficiunt apprehensiones suasivæ regularũ; præsertim quando habitus vsu adquisitus est valde intensus: vnde passim dexteri Artifices ita citharizant, & saltant &c. nos etiam ita latine loquimur, quasi prorsus immemores Artis Grãmaticæ; quia levissima apprehensione, & applicatione regulæ dirigimur: quod in Amente, & dormiẽte carentibus judicio, & optimè loquentibus, citharizantibus, &c. clarius patet. 2. Quod quando Idea artificiosa non fit per Regulas in communi, vt quæ ad Artes vniversales spectant, sed per particularem ordinationem, & directionem operis; tunc non est necessaria specialis applicatio per intellectũ. Licet Thomistæ judicent, semper esse necessarium, quoddam imperium monasticum intellectus dicentis, voluntati, & mediatis illa, potentijs subditis, *Fac hoc* (quod qualiter possibile sit, dicam in *lib. de Anima*) hoc tamen superfluit, quando regula directiva id ipsum suasive proponit in particulari.

6 Ex dictis infertur, hanc divisionem Regulæ docentis, & vtentis, non esse solius Logicæ, vt RR. aliqui cum P. Maça contendunt; sed cuiuscumque Artis, vt per Regulas suas in communi docentis; & deinde per ipsas vt in particulari applicatas vtentis; vt observant P. Fonseca 2. *Metaph. c. 3. q. 1. s.* 6. PP. Cõnimbr. *hic q. 4. a* 2. *initio.* P. Lync. l. 2. tr. 3. n. 15. P. Compt. d. 3. s. 2 & cum Thomistis, Complutenses d. 1. n. 36. Quia eodem prorsus modo quoad vsum, & applicationem, se habent regulæ cuiuscumque alterius Artis, ac Logicæ; vt ex generali doctrina S. Thomæ explicata convincitur; & appositis exemplis Caram. in *Metalog.* n. 32. exornat.

7 Præmitt. 3. quod Logica tam docens, quam vtens; vel est actualis secundum actus siue Regulas, vel habitualis, secundum habitus ex illis. Vnde æque secundum vtrumque, vt abstracta ab vsu, est docens; vt cõtracta, & applicata, erit vtens. Cum hac solum differentia; quod habitus solum facilitat per se ad docendum, sive ad alios actus similes Regulis, a quibus fuit productus. At vero actus seu Regula facilitat ad ipsum vsum, seu actum regulatum, alio genere facilitatis actuali, vitali, permodum consilij, vel suasionis; non habituali per modum inclinationis, & expeditionis non vitalis. His præmissis:

Sect. 2. Aliorum Sentẽtiæ rejectæ.

8 Prima Sentẽtia Thomistarum est, eundem quidem habitum, & Regulativum actum Logicæ, prout abstractum ab vsu esse docentem, & prout vsui applicatum vtentem. Sed in Materia demonstrativa seu necessaria, negant Logicam vtentem; quia totus vsus est proprius Sciẽtiæ, illius in cuius materia

terſia exercentur. Demonſtratio enim de Deo non poteſt dici vſus Logicæ, ſed Theologiæ, licet fiat ſyllogiſtice. Imo neque in propria Materia Logicæ neceſſaria vſum concedunt, quia ea debet eſſe aliqua regula, ac proinde docens; & conſequenter non vtens. Solum ergo in parte Topica dicunt eſſe vtentem, quia omnes argumentationes Topicæ, cum puræ probabiles ſint, nullius Scientiæ proprius vſus eſſe poſſunt: vnde ſolius Logicæ vſus erunt, ſecundum formam rectæ Argumentationis, quæ ſcientifica eſt. Ita Complut. d. 1. q. 4. & M. Joan. Th. q. 1. a 5. nituntur que modo loquendi S. T. 4. *Meth.* l. 4.

9 Contra 1. Quia non minus dirigit Logica Argumentationem demonſtrativam ſecundum formam, quam probabilem; ergo non minus vna quam alia erit vſus proprius Logicæ ſecundum formam. 2 Si totus vſus probabilis Scientiarum eſſet proprius Logicæ, ad illam pertineret agere de materia probabili objectiva, & particulari omnium Scientiarum; quæ major earum pars eſt, cum vix centeſsima pars vnius cujuſque Scientiæ ſit evidens; vnde vagabitur Logica per objecta particularia omnium Scientiarum, ſub diverſiſsimis abſtractionibus; & ampliorem ſcientijs omnibus ſphæram obiectivam realem habebit: & ita numquam aliquis perfectè Logicus evadere poterit. 3. Quia etiã in materia Topica dantur habitus opinativi, ſicut ſcientifici in neceſſaria vnde ab illis, eorumque principijs poterunt elici tanquã vſus proprius, ſecundum materiam, Topicæ argumentationes; ſicut ſcienti ficæ a ſciẽtificis habitibus. 4. S. Thom. ſolũ docere voluit; quod Logica non eſt *reflexè* vtens, *vt dicam n.* 20 licet ſit docens in materia propria: itẽ quod in aliena probabili, ſola ſit vtens, ecundũ quod materia probabilis habet aliquid proprium Scientiæ, ſcilicet formam; quia hæc ad nullam aliam Scientiam pertinere poteſt. Et in hoc ſenſu S. Thom. vtrobique ſequimur, cum P. Fonſeca, & PP. Conimb. & P. Rubio.

10 Secunda ſent, Scotiſtarum eũ, & apud Poncium d. 2. q. 6. a 59. docet, eundem quidem eſſe habitũ Logicæ docentis, & vtentis; quia idem habitus regularum Definitionis, v. g. inclinat ad cognoſcendum quid ſit definitio, & ad operandum ipſo vſu actum quemcumque particularem definitionis. Non vero eſſe eundem actum docentis, & vtentis: quia actus docẽtis eſt regula; actus vero vtentis, eſt definitio &c. facta in quavis materia. Et quoad 1. partem favent P. Rub. q. 3. & P. Thom. Polonus d. 2. q. 4. diff. 2.

Contra licet fateamur, eſſe eundem habitum docentis, & vtentis, quia ex eodem actu, n. 18. non tamen quia habitus regulæ ſit idem cum habitu actus regulati. Tum quia idem habitus ex actibus diverſis non eritur, vt habitus cantandi non facilitat ad ſaltandum; regula autem, & regulatus diverſi ſpecie

sunt. Tum ab experientia quod passim videmus plures versatissimos, & facillimos in regulis, v.g. Poeseos qui vel vnum carmen facere nequeunt. Quod addunt de actuali vtente statim rejicietur.

12 Tertia sent. P. Vazq. 1. p. d. 8. n. 19. P. Ovied. c. 2. p. 2. P. Cōpt d. 8. s. 3, & ex parte P. Hurt. d. 2. §. 4. constituit Logicam vtentem in ipso vsu sive actu regulato, v.g. definitione &c. qui est actus Scientiarū docente directus, realiter q distinctus, quia ille vtitur Logica, atque ita erit vtens Logica.

13 Contra 1. Quia hoc solum probat, aliarum Scientiarum actus, & habitus esse vtentes Logica, in obliquo, non vero in recto Logicam vtentem; sicut qui vtitur gladio dici potest vtens gladio, non vero gladius vtens. 2. Quia Logica dividitur in Docentem, & vtentem; vnde quodlibet membrum dividens debet participare simpliciter rationē Logicæ; sicut brutum, & homo, in quæ dividitur animal, participant rationem animalis. Sed actus aliarum Scientiarum non sunt propriè, & simpliciter Logica; ergo neque Logica vtens. 3. ex S. Th. n. 2. causæ vtentes distinguuntur ab vsu, vt ab effectu: sed Logica, vt pote ratio dirigens est causa vtens, ergo distincta ab vsu, seu actu regulato. 4. In reliquis Artibus distinguitur Ars vtens ab Artefacto. Ergo pariter.

14 Quarta sent. Card. Tolet. 1q. 2. *Log. §. sit secundum*, pro qua citantur & nost. P. Leon *in log.* Sed re ipsa pro nobis est, vt ipse se explicat T. 1. in 1. p. tr. 9. d. 3. n. 41. Logicam docentem ponit in Dictamine directo Logicæ regulante modum sciendi; vtentem vero in reflexa cognitione supra ipsam Regulā, tanquam supra Ideam imitabilem per actum regulatum. Nituntur quæ sententia asserente, cum P. Suarez d. 25. *Metaph.* s. 1. Quod causa exemplar, sive Idea debet ita reflexè cognosci, vt ad vsum applicari possit.

Contra: permissa ea reflexione, quam tamen ipse P. Suarez non semper necessariam esse fatetur: ex illa solum probatur, quod sicut ad vsum Regulæ Logicæ est necessaria reflexio voluntati applicantis Regulam, esset etiā necessaria illa reflexio intellectus. Ergo sicut reflexio voluntatis non est Logica vtens, sed tantum est applicativa, per quam ipsa Logica constituitur in esse applicatæ ad vsum, sive vtentis; ita, & illa reflexio intellectus. Nec amplius docet P. Leon *supra*.

15 Quinta sententia est, quod Logica Docens consistit in Regula generali, v. g. *Definitio constat genere & differentia*, quæ vt pote vniversalis abstracta est a rebus, & materia particulari: vtens vero est Regula particularis, [quam vocamus n. 4. conclusionem prudentialem] deducta ex ipsa Regula communi, & præmissa alia seu principio particulari Scientiæ, in cujus materia, fit vsus: quia isti optime convenit nomen Logicæ rebus concretæ,

seu particularis. Ita P. Quiros d. 12. s. 1. n. 6. P. Lynceus proble maticus hic l. 2. tr. 3. n, 12. citans Averrorem; quibus favet Lalemand. d. 3. p. 2.

Contra 1. Quia cum Regula illa particularis sit discursiva ex vna præmissa Logicę, & alia, Sciëntiæ de materia circa quam; ad nullam earum dertinere debet, sed ad mistam discursivam; sicut conclusio Theologica, ex dictis d. 46. n. 21. & d. 51. n. 6. neque ad fidem neque ad Philosophiam, ex quibus deducitur, spectat. 2 Quia Regula illa attingit in particulari objecta omnium Scientiarum, circa quæ dirigit, & exercetur: Logica autē solum in communi secundum rationes *definibilis, scibiles*, &c. illa secundario potest attingere, alias Logica esset Scientia de omni scibili in particulari; neque alia Sciē tia esset necessaria. 3 Quia Regula applicativa argumentationis v. g. descendit etiam ad quævis singularia, circa quę passim scientificē arguimus: sed nulla Scientia vel Ars vniversalis, qualis est Logica agit de quibus vis singularibus: ergo ea Regula non est simpliciter Logica. 4. quia aliquando in artificijs non datur, nisi vna Regula particularis; ex dictis n. 5. vt ergo tunc eadem est docens, & vtēs, ita cum fuerit duplex.

16 Sexta sent. perdocti R. ipsū intellectum esse dicit Logicam vtentem, quia ipse re vera vtitur Regulis Logicæ, alias autem ipse est propriè Logica naturalis, ex d. 39 n. 3. Ergó.

Contra 1. Quia hoc sensu etiam voluntas imo præcipue, nec non alię Scientię, seu habitus earum, quæ cum sint causæ applicatæ ad vsum, Regulis vtentes appellantur cum S. Th. ex n. 2. possent dici Logica vtens. 2. Cum sit res de nomine, nemini licet a semet ipso loqui. 3. Quidquid de voce sit, dere supereſt, an Regula docens, cum applicatur ad munus vtendi, aliquid de novo habeat, ratione cujus dici possit specialiter vti, sive vtens: sicut alia quævis Ars?

17 Septima sent. doctiss. P. Maça hic d. 1. s. 3. florida eruditione ex Orig. *prolog. in Cant.* Pierio Valer. l. 38. c. 12. Laert. *lib. 7. de vit. Philos.* & alijs, probat, Dialecticā olim duobus modis fuisse traditā, vno separatim ab alijs Scientijs, & hanc dici docentem; alio conjunctim, & concretam cum illis, & ita fuisse vtentem.

Contra 1. Quia hęc non esset divisio Logicæ, sed modi illam tradèndi; qui ad Logicam per accidens se habet: vnde sicut non recte in Latinam, & Græcam, dividiretur; quia Græcè, vel Latine traditur; ita &c. 3. Quia hæc est divisio Logicæ, quæ fuit, non quæ est, vel quæ erat, cum a S. Th. & Scoto præcipuè admissa. 4. Quia præter has voces, supereſt quæstio de re, vt nuper dixi.

Sect. 3. Communis sent. defenditur.

18 Octava nostra sententia tenet, distingui Logicam docentem ab vtente, vt causam productivam *in actu primo*, a se ipsa vt *in actu se*

cundo, applicata ad productionem. Vnde ipsamet Regula vniversalis Logicæ (idē esto de quavis Arte) quæ vt dictans secundum se, quomodo sit faciendus syllogismus in *Barbara*, dicitur docens; prout per voluntatem, & regulam particularem prudentialem, cum alijs requisitis applicata ad vsum syllogismi efficiendi, dicitur vtens. Vnde erit divisio subjecti in accidentia, sicut divisio causæ v.g. Ignis, vt in actu primo, & secundo; sive quasi causa applicabilis, & applicata: quia accidentale est Logicæ, sicut causæ; quod sit præcisa, & separata ab applicatione, vel cum illa conjuncta. Ita Thomistæ cum M. Soto q. 2. & M. Ioann. Th. supra, qui hac in parte consentiunt; Nostri etiam cum P. Fons. Card. Tol. P. Leonard. PP. Conimb. citatis P. Arr. d. 3. n. 2. P. Peñafiel d. 1. q. vlt. f. 2. n. 38. P. Lynceo eo c. 1 n. 4. P. Santacruz n. 17. P. Rhodes d. 1. q. 2. f. 1. P. Peynad. d. 1. f. 1. n. 8. P. Olcina n. 355. P. Thom Pol. diff. 2. ad object. 3 cū limitatione ex n. 11. Caramuel *Metalog.* n. 43. Spinula d. 1. f. 5. & RR. cōmuniter.

19 Prob. 1. Quia juxta S. Th. n. 2. Ratio dirigens, vt applicata ad vsum dicitur vtens: Ergo Logica docens, quæ est ratio dirigens, vt in quavis materia ad vsum applicata, erit vtens. 2. Ipsa Logica docens, vt ita applicata fit concreta rebus, sed Logica vtens est quæ a Græcis dicebatur concreta, sicut docens avulsa, uxta DD. Ergo. 3. Non aliter in omnibus Artibus potest ac debet distingui Regula docens ab vtente, nisi vt non applicata ab applicata. Ergo pariter Logica. 4. a priori. Quia non sunt multiplicandę entitates sine necessitate, nulla autem necessitas est, multiplicandi has Logicas: cum eadem regula docens, tanquam causa dirigens vniversalis; applicata per particularem discursivam prudentialem, possit cum hac, vt cū concausa particulari ad vsum simul dirigere, & concurrere, tanquam vtens. Ergo.

20 Obij. 1. *pro 1. sent.* Si Logica docens esset etiam vtens in Materia propria, hęc Regula, *Definitio constat genere, & differentia*, esset etiam vtens respectu sui, cum sit docens etiá respectu sui, vt Definitionis factę in materia propria; sed implicat quod sit vtens respectu sui, esset enim applicabilis ad physicum vsum, & productionem sui, tanquām regula directiva pro priori ad se ipsam. Ergo.

Resp. posse negari, quod Regula practica sit reflexa sub ratione operabilis, adhuc vt docens respectu sui, ex *d. præced. n. vlt.* Sed concesso; non ideo posset esse vtens, quia vsus connotat physicam productionem actus regulati, ad quam regula præcedere debet pro priori; implicat autem quod præcedat pro priori ad physicam productionem sui, atque adeo quod respectu sui sit regula vtens. At docens, vt talis, contenta est pure intentionali efficacia respectu regulati, ad quā sufficit intentionalis factibilitas, scilicet vel apprehensa, vel prescriva

siva. Et hinc est quod licet in caussis physicis impossibilis sit actus primus, sine actu secundo: in directiuis potest concipi regula docens, quæ sehabet *quasi* causa in actu primo, licet sit impossibilis actus secundus, per quem constituitur vtens: quia actus primus est in genere intentionali, secundus vero in genere etiam physico; vnde transit de vno genere ad aliud; & ideo non se habent vt proprius actus primus & secundus, sed *quasi*: vt advertenter dixi, quia similitudo non tenet in omnibus. Iã ex eo quod vna Regula Logicæ, vt reflexa in materia propria, vtens esse non possit, non bene infertur, quod vbi non est reflexio, neque inconveniens, repugnet esse vtens.

21 Obij. 2. pro 2. *sent*. Actus regulatus est similis Logicæ regulanti, seu docenti, cum ipsi regulæ conformetur; sed idem habitus sufficit ad actus similes, ergo idem habitus sufficit pro Regula docente, & actu regulato.

Resp. dict. maj. Actus regulatus est similis Logicæ regulanti; similitudine specifica, quam habere debent actus vt ab eodem habitu proveniat, *nego*; similitudine intentionali conformitatis, *concedo*: sic cognitio reflexa supra amorem habet similitudinem intentionalẽ conformitatis cum amore vt obiecto suo, nec ideo habitus adquisitus ad cognoscendũ est habitus ad amandum, cum sint habitus diversarum potentiarum. Si autem ea similitudo sufficeret ad identitatem habitus, qui facilis est ad regulas Logicæ, vel Poeticæ, facilis etiam esset ad vsum syllogisticum & poeticum: quod est contra experientiam.

22 Obij. 3. Ex repetitione actus regulati, v. g. argumentationis in Materia physica, adquirimus habitum seu facilitatem ad argumentandum in materia Theologica, & quavis alia: sed habitus ad argumentandum in quavis materia, non potest esse nisi Logicæ, quæ sola ad omnẽ materiam extenditur, secundum formam omnibus communem. Ergo ex actu regulato adquiritur habitus Logicæ, &c.

Resp: nego maj. Quia ex actu regulato in Materia physica, solum habitus, & facilitas ad actus eiusdem materiæ compararur per se: concomitanter vero, quia ad actum regulatum simul concurrunt, tum regulæ communes Logicæ, tum applicatio earum, tam intellectualis, quã volitiva; quæ licet particularis sit, multa tamen motiva ac principia communia, aut supponit, aut importat; cõsequẽter ex his actibus adjunctis habitus communis ad formam dialecticam, in quavis materia exercenda n comparatur, simul cum habitu particulari ex actu regulato, facilitãte solum pro ipsius materia.

23 Obij. 4. pro 3. *sent*. optimè Argumentationes Definitiones &c. aliarum scientiarum dici posse Logicam vtentem, cum vtantur Logica, per quam diriguntur 1. Quia Christus D, & S. Paulus dicti sunt Dialectici à S. August. eo quod vsi-

fus

fuerint illæ; ergo pariter aliæ scientiæ Dialecticæ erunt, cum illa vtantur. 2. Actus virtutum dicuntur Prudentia, quia ab illa diriguntur, vnde passim dicimus, fuisse magnam prudentiam actum aliquem patientiæ, &c. 3. Externa humilitas vel Religio tales dicuntur, quia ab interna propria humilitate, & Religione imperantur. Ergo pariter 4. Logica respectu actuum scientiæ solum est vsa ideſt vsitata per illos; ergo non est vtens activè respectu eorum, sed potius è converso.

24 Resp. neg. *antec.* Ad 1. prob. Christus D. & S. Paulus, solum dicuntur Dialectici adjectivè, seu vtentes dialectica in obliquo, & ablativo, non vero Logica vtens in recto; pariter ergo. Ad 2. nego *parit*. Quia Prudentia respicit eandem met obiectivam honestatem vniuscujusque virtutis in particulari; vnde juxta P. Arr. 1. 2. d. 34. de virtut. n. 31. cũ Scotistis & Nominalibus, multiplicãtur virtutes prudentiæ, alia justitiæ alia temperantiæ, &c. & ita non mirum, quod insingulis actibus virtutum prudentiæ in recto multiplicentur. At Logica non attingit in particulari, sed solum in communi singularum scientiarum rectitudinem obiectivam, vnde non potest cum illis confundi. Adde neque etiam propriè & substantivè eos dici prudentiam, sed solum prudentes adjectivè, vel vsus & actus prudentiæ, aliarum virtutum actus: quia hi sunt actus voluntatis, prudentia vero substantiuè in recto est regula intellectus: licet aliquando figuratè prudentia in abstracto dicantur; quia hæc maximè in actus directione resplendet; eo modo quo obedientia Abraham dicitur fides *Hebr.* 12.

25 Ad 3. Actus externus solum sunt humilitas & Religio obiectiva, non formalis moralis, quia hæc tantum residet in actu interno formaliter libero & honesto: & similiter actus Scientiarũ erunt Logica vtens passiva & obiectiva, sive vsus Logicæ: non vero activa, quod proprium est actus dirigentis.

Ad 4. Licet ad invicẽ dici possint aliæ scientiæ vtentes Logica, & Logica vtens ipsis, quatenus omnes sunt causæ applicatæ ad vsum, & ita vsæ vel vsitatæ ad invicem sint, & omnes simul respectu voluntatis & intellectus, vt vtentium; vt ex S. Thom. n. 2. præmissi. At cum vsus activus sit maximè proprius rationis dirigentis, seu regulæ, inducentis formam; passivus vero materiæ illã recipientis; Logica, quæ eius modi regula est, activè vtens erit; Scientiæ vero, quarum est materia, erunt vtentes passivè.

26 Obj. 5. pro 4 *sent.* Per nos d. 55. n. 13. vt Regula docens applicetur ad vsum tanquã vtens, requiritur reflexa voluntas imitandi regulam; sed nihil est volitum quin præcognitũ, ergo requiritur reflexa cognitio supra ipsam regulam, per quam regula fiat vtens.

Resp. 1. ea reflexa voluntas solum esse debet circa regulam, & ideam objectivam, non supra formam

lem; obiectiva autem regula per ipsam formalem repræsentatur voluntati, quin requirat aliam reflexionem Dicitur autem reflexa ea voluntas, quia est circa Ideam vt repræsentatam; sicut cognitio cognoscibilitatis, & cognoscentis, reflexa dicitur; licet non sit immediate supra cognitionem 2. Toto concello, solum sequitur, quod ea reflexio pertineat ad applicationem constitutivam Logicæ vr vtentis; non quod sit Logica vtens.

27 Obij. 6. *pro 5. sent.* Regulam particularem esse propriè Logicam, ergo illa erit Logica vtens. Anteced. prob. 1. exemplo Regularũ cõmunium & particularium circa honestatem moralem, quas æque ad Ethicam, & Prudentiam pertinere, putat P. Arr. 1.2. *d.* 34. *de virt. n.* 49. quia respiciunt eandem rectitudinẽ virtutis, sicut hæ erndem scientificam. 2. Quia ex illa applicativa regula adquirimus facilitatem, ad regulandos similes modos sciendi in omni materia, qui est habitus Logicæ formaliter. 3. Quia non bene tribuimus prudentiæ illam regulam applicativam, solum enim propriũ est prudentiæ, regulare ad bonum, vel malum morale, juxta S. Thom. 1.2. q. 57, c. ajentem: *& ideo ad prudentiam requiritur moralis virtus.* sed non ita ars: *& inde est, quod laudatur magis Artifex, qui volens peccat, quam qui peccat nollens.*

28 Resp. neg. *antec.* Ad 1. prob. permissa sent. P. Arriagæ, ideo, quia tam Ethica, quam Prudentia, respiciunt honestatem moralem actus virtutis; quæ non nisi hic & nunc & in particulari consistit, ac proinde per Regulam particularẽ vtriusque. Nego paritatem ad Scientias, quæ diviſæ sunt à Philosophis; vt Logica solum rectitudinem formæ, seu modi sciendi in communi respiciat, relicta alijs scientijs materia: ac proinde cũ vtriusque applicatio nulli speciali Scientiæ sit commissa, erit propria intellectus, & prudentiæ ipsius; sicut applicatio Regularum in Moralibus; & in Medicina, &c.

29 Ad 3. Licet frequentius Prudentia accipiatur pro Regula moralitatis ex S. Thom. ibi; attamen etiã sumitur pro regula ideali artis applicativa, vt ea d. 51. n. 6. & 7. notavi, ex S. Thom. Qui expressius id docet 2.2. *q.* 47. *a* 1. *ad* 3. *& a* 3. *c.* ibi *Ad prudentiã pertinet consideratio rationis, & applicatio ad opus* vnde *q.* 48. *a* 1. *& q.* 49. *a* 4. inter partes prudẽtiæ *solertiam* enumerat, quã *sagacitatem*, ex Aristot. apellamus ibi cũ P. Arr. Et hæc est prudẽtia, quæ etiã in malefactis moralibus locũ habet vt exponunt illũ Lucæ SS. PP. & DD. ad *c.* 16, v. 8. *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset.* Quæ etiã, *astutiæ*, nomine cõmendatur *Prou.* 1. v. 4. deservitque omni *applicationi universalium ad particularia*, ex S. Thom. ea q. 49. a 5. ac proinde in Artificiosis.

30 Obij. 7. Ignis non est vtens virtute sua, nisi vsu ipso comburens; ergo pariter cõstituetur Logica vtens per ipsum vsum, seu actum regulatum

tum Scientiarum.

Resp. dupliciter potest considerari Logica ut vtens; sicut causa physica; Tum in actu primo, prout est proxime applicata ad vsum, & ita concipitur pro priori ad ipsum vsũ constituta, vi solius applicationis. Tum vt in *actu secundo* exercite vtens, & ita constituitur per ipsum vsum exercitum, sive per actum regulatum in esse vtentis; non quia ipse actus sit vtens, sed quia est vsus, quo Logica exercite redditur vtẽs, sive causa practica in exercito.

31 Obij. 8. ipsa regula docens, vt applicata dirigit & docet; ergo nõ est vtens; quia docens, & vtens vtens distingui debent.

Resp. cone. *antec.* nego *cõseq.* Quia solum dicitur docens, opposita vtenti, quæ purè docens est, vel separata ab vsu: cum autem concreta est vsui, licet doceat, non dicitur eo sensu docens, ideſt purè.

DISPVT. LIX.

Vtrũ Logica effectivè influat in actus regulatos Scientiarum?

1 AFfirmant Bacchon, Baranzan & alij apud P. Santa cruz; accedunt que quoad Logicam habitualem Scotistæ cum Poncio, P. Rubio & Polono d. præced. n. 10.

Nego, tam de actuali, quam de habituali Logica, cum reliquis DD. cum & apud P. Hurt. d. 2. s. 3. P. Arr. d. 3. s. 5. P. Compt. d. 12. P. Lynceo sup. n. 66. P. Santacruz n. 145. P. Quiros d. 8. s. 1. &c. ex quibus duplex conclusio est etuenda.

2 Prima Concl. Logica actualis seu regula Logicæ non effective sive elicitiuè, sed tantum directivè influit in actus regulatos. Vbi supponitur, dari influxum pure directivum intentionalem; vel per modum illuminationis, v. g. cognitionis in amorem, præmissarum in conclusionem, aprehensionis in judicium &c. vel per modum affectivæ inclinationis, v. g. actus imperantis in imperatum, volitionis internæ in externam actionem locomoviam. &c. Qui modus influendi diversus est ab effectivo, v. g. ignis in calorem, habitus in actum vitalem. Quo posito,

3 Prob. 1. Quia regula concurrit ad actum regulatum illuminativè, qui est modus cõcurrẽdi directivus; ergo non indiget alio concursu, ac proinde sine necessitate non est multiplicandus. 2. Quia concurrit eodem modo ideali, quo reliquæ Artes ad sua regulata concurrunt, v. g. saltatrix ad motus, Musica ad cantus, &c. Sed eæ artes non concurrunt effectivè, sed solum idealiter illuminativè; saltatio enim materialis solũ à potentie externà effectivè procedit. Ergo. 3. Quia Regula Logicæ non magis influit in regulatum, quam imperium voluntaris regulæ applicativum ad actum regulatum determinans; sed hoc purè directivè influit, ergo. 4. Adhuc Scientia Dei directiva ex S. Tham. 1. p. q. 25. à 1. ad 4. & nostris DD. communiter, non influit effectivè in creaturas, quia solius est Omnipotentiæ,

vt

vt causæ physicæ. Ergo pariter &c.

4 Secunda concl. Logica habitualis, nec directivè, nec effectivè concurrit ad actus regulato s immediatè & per se.

Prob. *Non directivè*: quia habitus, cum non sit actus vitalis, vel illuminans, vel inclinans: vt apud omnes est certum, directivè concurrere nequit per se licet mediatè, & per regulas ipsas, quas producit, dici posit causa directionis. Ergo. *Non effectivè*: quia habitus solum physicè & elicitivè producit actus specificé similes ijs, à quibus est productus; non vero solum similes tantum per conformabilitatem regulæ & regulati; vt constat ex d. præced. n. 11. & 21. Sed actus Scientiarum regulati, non sunt specificé similes regulis, à quibus habitus Logicæ productus est, cum ipsi regulæ Logicæ nō sint. Ergo.

5 Obij. 1. Habitus concurrit effectivé ad actum suæ speciei, quia facilitat ad illum. Sed regula facilitat ad actum regulatum. Ergo.

Resp. dist. maj. Quia facilitat, præcisè, *nego*, & quia non habet alium modum concurrendi, *concedo*. Cum ergo regula habeat alium facilitandi modum, scilicet vitalem directivum, non est cur multiplicetur effectivus. Similiter species impressa, quia determinat ad actum, & non habet modum vitalem determinandi, debet physice concurrere ad illum: è contra actus imperans licet determinet ad imperatū, quia tamen habet modum determinandi vitalem affectivum, non gaudet physice effectivo.

6 Obij. 2. Actus scientiarum producunt habitum logicalem, quia ex illis facilitamur ad regulas Modi sciendi; ergo & habitus logicalis producet actus ipsos elicitive; habitus enim producit actus similes illis à quibus est productus.

Resp. neg. anteced. Qui enim naturaliter rectè syllogizant in jurisprudentia, v.g. numquam inde vel ad vnam regulam Logicæ facilitantur. Solum ergo concomitanter illi qui ex Arte syllogizant, & dirigūntur, eam facilitatem augent, ex dictis d. præc. n. 22.

7 Obij. 3. In actibus aliarum scientiarum, datur specialis formalitas rectitudinis formalis modi sciendi, quæ expetit specialem influxū physicum habitus circa illam; sed hic alius non est nisi Logicus, qui solum de ea rectitudine curat: habitus enim scientiarum solum curant de materia obiectiva. Ergo. Maj. prob. exemplo virtutum, si enim eligamus actum temperantiæ ex motivo formali Religionis, non solum concurret physicè virtus temperantiæ, ratione obiecti quasi materialis, sed etiā Religionis, ratione formalis. Ergo pariter, &c.

Resp. 1. neg. maj. Quia ex d. 43. rectitudo, quam Logica intendit, nō est specialis aliqua formalis, sed ipsa repræsentatio intrinseca, & specifica actus, quæ naturaliter haberi posset, ex vi solius habitus scientiarum;

sine vlla reflexa directione, vel intentione ipsius rectitudinis. At honestas virtutum est specialis formalitas actus, quæ non nisi vt intenta reflexe, ex formali motivo virtutis haberi potest, vt ibi n. 12 vidimus: atque adeo exigit specialem influxum habitus virtutis.

8 Resp. 2. Licet specialis rectitudo modi sciendi pertineat ad Logicæ habitum, pertinet ad illam solum vt obiectum dirigibile, non vero vt actus illius; & id eo non requirit specialem influxum effectivum ab illo; qualem petit specialis honestas actuum à virtutibus; quia hæc à virtutibus respicitur non solum vt obiectum, sed vt ipsarum actus. Vnde illam respiciunt virtutes habituales voluntatis, non tamen intellectales effectivè (non enim regulæ intellectuales effectivè influunt in actus voluntatis) quia eam honestatem respiciunt vt pure obiectivam & regulativè; & non per modum actus eliciti. Quod clarius patet, in artificio externo, quod non provenit ab Artibus effectivè, licet illis respondeat, quia ab illis respicitur purè objective, sive regulativè. Pariter ergo artificium Logicæ.

9 Obij. 4, non posse explicari quid sit determinatio illa in actu secundo, qua actus scientiarū sunt regulatiā Logica, nisi per modum alicuius superadditum, ac proinde per physicam actionem. Ergo.

Resp. ex ea d. 48. n. 20. Quod licet admittatur modus superadditus illo esset per modum influxus purè directivi, vt tenet P. Lynceus, & alij de quo *in Phys.*

DISP. LX.

An & quomodo Logica Artificialis sit necessaria ad alias Scientias comparandas?

1 SUpponenda est duplex necessitas. Alia *simpliciter, seu physica*, quando finis sine medio necessario physice, & simpliciter obtineri non potest, vt vita sine cibo. Alia *moralis*, & secundum quid, quando physice & simpliciter obtineri potest, sed cum magna difficultate, vt longum iter sine equo. Hæc autem dificultas, quæ dicitur moralis impossibilitas: vel est levis, & appellatur etiam *moralis secundum quid*; vel est magna & gravis, & appellatur *moralis simpliciter*. Rursum hæc moralis simpliciter, vel est summa & Theologica, ad res adeo difficiles, vt licet possibile sit physice euinci, numquam tamen à Deo ita de facto contingere videatur: qualis est impotentia hominis ad vitanda omnia venialia, sine speciali gratia. Vel est tantum impotentia moralis philosophica; quam aliquando in hypothesi vincendam, à Deo videri putamus, licet numquam de facto videamus. Vt quod homo absque Arte recte cytharizet, vel quod semper projiciat talos cum numero pari.

Sect. 1. Sententiæ contrariæ.

2 Prima sent. asserit: Logicam Artificialē esse simpliciter necessariā, nece-

necessitate physica, ad alias scientias, præsertim integre comparandas. Ita Antiquiores Thomistæ apud Ortiz tr. 1, conf. 1, §. 2.

Contra 1. & imprimis de Logica habituali certum est, simpliciter non requiri, quia habitus solum requiritur ad facile posse, cum id, quod difficulter potest fieri, simpliciter fieri possit: si ergo habitus Logicæ ad proprios actus nō requiritur simpliciter, multo minus ad alienos, ad quos solum medijs proprijs actibus seu regulis, influit, ex disp. præced. 2. Primi actus scientifici tum ipsius Logicæ, tum aliarum scientiarum ante inventam Logicam, facti sunt sine ipsa Logica dirigente: ergo pariter reliqui simpliter fieri possent. 3. Quia Regulæ artis non aliter requiruntur, quam habitus, scilicet ad facilitandos actus modo directivo: sed habitus vel facilitas quævis numquam est simpliciter necessaria ad vllos actus. Ergo. 4. Exemplo omniū Artiū, quarū arte facta possēt simpliciter fieri naturaliter, licet cū difficultate & periculo errandi, sine artibus, simpliciter. 5. Quia de facto multæ demonstrationes, & argumentationes fiunt circa singularia, & circa jurisprudentiam, alias que Artes, absque vlla notitia Logicæ; neque propterea minus evidentes, & scientificæ sunt, quam quæ exercentur in scientijs: ergo pariter. 6. Et á priori. Quia solo lumine naturæ possunt à nobis cognosci principia per se nota scientiarum, & eodem etiam lumine cognoscuntur conclusiones, quæ per evidentem connexionem ex illis principijs, seu præmissis deducuntur: sed in his duobus consistit tota demonstratio scientifica; ergo tota illa solo lumine, naturæ (quod Logica naturalis appellatur ex d. 29. n. 3.) simpliciter potest obtineri.

3 Secunda sententia RR. Thomistarum cum M. Joan. Thom. *quæst.* 1 *a* 1. Complut. d. 1. q. 3. P. Suarez. *d.* 1. *Met. s.* 4. *n.* 26. Card. Tol. P. Amic. P. Rubio, P. Tellez apud citandos, P. Quiros d. 7. s. 4. P. Rhod. d. 1. q. 1. s. 4. &c. docent, Logicam solum esse physice simpliciter necessariam ad alias scientias perfecte comparandas. Quia iuxta Arist. 1 Post. Tex. 5. Nemo habet perfectam Scientiam, *nisi sciat se scire*; quia alias aliquam formidinem habere posset. Ea autem reflexio non fit, nisi per Logicam, per quam scimus, an recta sit Demonstratio scientifica.

4 Contra 1. Et imprimis, quod reflexio supra Demonstrationem factam non pertineat ad Logicam, cōstat ex d. 57. n. 24. Dato tamen, si ea requireretur, etiam necessaria esset reflexio ipsius scientiæ, in qua fit Demonstratio, circa materiam illius particularem. Quia vt quis sciat se scire, non sufficit, quod sciat rectitudinem formæ, quæ etiam in materia probabili perfecte servatur sed præcipue requiritur certitudo materiæ, & principiorū illius. Atqui nullus hactenus ad perfectā scientiā requisiuit eam vnius cuiusque scien-

tiæ reflexionem ex parte materiæ. Ergo pariter nec circa formam.

5 Contra 2. Quia Scientia per se ipsam potest exercite certificare intellectum per suam evidentiam, vt *sciat se scire* per illam, juxta Aristotelem: vt ex S. Thom. 1. 2. q. 16. à 4. ad 3 tradit. P. Suarez *d.* 8. *Metaph. s.* 5. *n.* 18. & patet, tum in Scientia experimentali, quam habet quis de sua existentia & vita; Tum in evidētia de per se notis, & de existentia Dei, &c. imo de luce, & alijs sensibilibus, qua exercitè scimus, ea à nobis sciri. Tum in ipsa reflexione Logicæ, quæ non indiget alia, vt intellectum certificet. Ergo pariter non requiritur ea reflexio, quoties Scientia ipsa certificat.

6 Contra 3. Si reflexio aliqua ad perfectissimam Scientiam requireretur, sufficeret, quæ ab ipso intellectu naturali lumine de omnibus evidentibus haberi potest; vt contingit in Iuristis, & alijs evidenter circa plurima, & perfectissimè discurrentibus. Ergo

7 Tertia sent. solum adstruit moralem necessitatem Logicæ ad Scientias omnes integrè assequendas; ita vt licet singulos actus Scientiarum possit quis simpliciter sine Logica comparare, non tamen omnes; sicut licet possit quis singula venialia sine speciali gratia vitare, non tamen omnia; quia ad omnia vitanda necessaria est moraliter simpliciter gratia specialis, juxta Tridentinum. Ita docti RR. cum P. Maça hic d. 3. s. 1.

Contra 1. Quia pro re facili ad iuuenit paritatē summe difficilem, ex impossibilitate, & necessitate morali summa, & Theologica, in superanda collectione venialium, cum libertate morali superandi singula. Quia ibi, & hic contra RR. fit insuperabile argumentum. Quod omnes actus collective, sunt ipsimet actus divisive; non enim tota collectio actuum à nobis aliter superatur, quam divisim per singulos; ergo qui potest superare singulas difficultates, v.g. venialium sine gratia, & scientiarum sine Logica, distributivè, aut divisim; potest omnes collective. Quod argumentum vix solvi potest in venialibus: nisi in aliquo peccato post plurium victorias, vel ponatur specialis difficultas ex tædio, & fatigatione: vel necessitas consequens, ex Scientia Dei de infallibili lapsu, nunc sequuturo; quæ nobis per Tridentinū revelata est: de quo videatur P. Rip. Tom. 2. suppern. d. 117. Ergo cum pro collectione difficultatum Scientiarū non superandā sine Logica, deficiat hæc revelatio; dicendum erit, quod aliqui sunt Scientiarum actus difficiliores, quos distributivè nō possit quis sine Logica superare; minime vero quod possit singulos, non tamen collective omnes; quia implicat.

8 Contra 2. Quia quod non possit quis omnes veritates Scientiarum collective assequi moraliter, non oritur ex carentia, vel præsentia Logicæ: sed quia iuxta omnes Theologos apud P. Ripal. d. 114. n. 58. & P. Grant. *Tract.* 1. *de gratia d.* 1. nullus

nullus, sine speciali Dei gratia, potest omnes naturales veritates Scientiarum collective consequi: vnde si habeat eam gratiam ad reliquas præter Logicam, sine hac omnes illas consequetur; qui vero gratia ca reat, neque cum mille Logicis eam collectionem obtinebit. Ergo per accidens se habet Logica ad eam impotentiam, vel potentiam moralem.

Sect. 2. pro necessitate morali.

9 Quarta ergo communis, & nostra sent. solam Philosophicam moralem necessitatem Logicæ statuit, non solum pro omnibus Scientijs, sed, & pro singulis, plene, & perfecte comparandis; imo, & pro aliquibus veritatibus earum obtentu difficilioribus. Ita S. Thom. 1. Post. Lect. 1. asserens Logicam necessariam esse, vt ordinate, & faciliter actus dirigantur: Quæ est sola moralis necessitas ad cómode, & facile. Et hoc sensu loquuntur Antiquiores omnes, quos seqũtur Scotistæ cum, & apud *Ponc. d. 2. n. 120.* nostri P. Fõseca, PP. Conimb. P. Hurt. P. Arr. P. Ovied. P. Alph. P. Compt. quos laudant PP. Santacruz *præfic. 7.* P. Lync. *tr. 3. n. 71.* P. Peñaf. q. 9. n. 57. P. Peyn. d. 1. s. 5. Bonesp. d. vlt. sect. 4. Spinula d. 1. n. 103. Ioan. tr. 1. d. 3. c. 2. Caramuel in *Metalog.* a n. 68. multis SS. Patrum, & Philosophorum, testimonijs Logicæ necessitatem, sive magnam vtilitatem comprobans.

10 Prob. 1. Illud est medium moraliter simpliciter necessarium ad aliquem finem, sine quo finis non nisi cum magno labore, & periculo errandi obineretur, imo sine quo nunquam de facto vidimus perfecte obtentum: quod enim nunquam fit, præ difficultate, moraliter impossibile est; propterea enim omnes aliæ Artes ita necessariæ ad suos fines reputantur, vt Grammatica, Orthographia, Arithmetica supputativa, &c. Atqui finis obtinendi perfecte integram aliquã Scientiã, v. g. Physicam, vel Metaphysicam; non nisi cum magno labore, & periculo errandi obineretur, sine regulis Logicæ: quomodo enim sine illis facile quis definire, aut dividere posset prædicamenta? Imo nunquam factum vidimus, vt quis perfecte Physicus, aut Metaphysicus, *Mathematicus aut Theologus* euaserit, sine Logica artificiali, vt comprobant nostri Cõimbr. & Caramuel nuper laudati. Ergo ad Scientias, etiam singulas plenè, & perfecte comparandas, Logica artificialis est medium simpliciter moraliter necessarium.

11 Prob. 2. Licet pro aliquibus actibus Scientiæ facilioribus Logica simpliciter moraliter necessaria non sit, quia evidentia demonstrationis statim innotescit; attamen multæ sunt in Scientijs, de quibus dubitatur, an demonstrationes sint? Vt circa existentiam Materiæ primæ in Physicis, & aliæ similes. Unde hæ indigebunt reflexa examinatione sui, per conformitatem cum regulis Logicæ, ad hoc vt scientifice securi

simus

jmus de veritate: licet enim per ipsam Logicam naturalem, seu lumen rationis physicè, & simpliciter, posset intellectus reflectendo procurare firmitatem sui assensus; id tamen non nisi magno labore assequi posset; eo modo quo quis se solo, & sine præceptore, legere addisceret. Ergo ad has difficultates in vnaquaque Scientia vincēdas, erit moraliter simpliciter necessaria Logica artificialis; & consequenter ad omnes illas plene, & perfectè comparandas. Sicut propterea dicitur a Theologis necessaria simpliciter moraliter gratia specialis, ad totam legem naturalem plene seruandam; quia licet in illa multa sint præcepta facilia, quæ tali auxilio non indigent: at aliqua sunt aliquando valde difficilia, quæ sine eo moraliter seruari non possunt.

12 Obij. 1. Vt quis perfectè eliciat aliquod artefactum, debet scire de illo rationem reddere: alias cæco modo intenderet finem. Ergo pariter rationem reddere debet de ipsa Scientia per regulas Logicæ.

Resp. 1. non esse necessariā ram ā perfectionem, vt Scientia perfectè in suo genere comparetur; sicut, vt perfectè calceus fiat, nō requiritur, quod sutor debeat reddere rationē scientificā de artificio. 2. Cum Scientiæ ipsæ exercité intellectum certificent, & de se rationem reddant, non indigent alia reflexa ratione; sicut artefacta alia, quæ nō tūt Scientiæ nec artificia formaliter rationalitet.

13 Obij. 2. Si quis reflexè putaret, Demonstrationem aliquam Metaphysicam esse tantum probabilē, non haberet Scientiam perfectam; cum haberet formidinem ratione illius probabilitatis; ergo signum est, quod simpliciter requiritur reflexio reddens securum intellectum de demonstratione scientifica, vt sit perfectè Scientia.

Resp. concedendo, quod quando datur dubium reflexum de ipsa demonstratione, requiritur reflexio, ad hoc dubium excludendum; vt detur Scientia perfecta: sed nego hanc reflexionem fieri debere simpliciter per Logicam artificialem. Tum quia potius debet fieri reflexio per ipsam Scientiam, in cujus materia fit demonstratio, per majorem penetrationem, & explicationem terminorum. Tum quia circa formam sufficit reflexio Logicæ naturalis; per principium Luminis naturæ, *Quæ sunt eadem* &c. Fateor, hæc difficulter præstari sine Logica regulativa, & artificiali; vnde hæc ad difficultatem illam vincendā erit necessaria, non vero ad impossibilitatē naturalem, & physicā: & ideo solum ad facile, non ad posse simpliciter.

14 Obij. 3. Ideo Logica non est necessaria physicè, quia ad primum actum scientificum ipsius Logicæ, non fuit necessaria physicè, & naturaliter: sed neque ad primum actum sumum fuit necessaria moraliter, alias fuisset moraliter necessaria ad se ipsam. Ergo neque moraliter necessaria est.

Resp. 1 neg. conseq. quia ex eo quod

quod effectus fiat sine causa aliqua, sequitur quod hæc nõ sit necessaria physice simpliciter ad illum, sive ad posse illius; nõ tamen sequitur quod non sit necessaria moraliter, & ad facile posse; sicut habitus necessarius moraliter, est ad facile posse primi actus, licet hic fiat sine illo; quia eo ipso quod primus sit, difficulter, & sine habitu fieri debet. Et ita etiã primus actus Logicæ fieri debet sine facilitate regulæ, licet hæc ipsi sit necessaria. 2 neg. min. Quod ideo debeat esse necessaria sibi ipsi, sed cum distributione accommoda secundum actus distinctos ejusdem Scientiæ: sicut etiam habitus necessarius est ad facile posse actus, & hic econverso ad existentiam habitus; sed non idem respectu ejusdem numero, sed cum distributione.

15 Obij. 4. Sine directione Prudentiæ actus virtutum perfecti esse non possunt; ergo nec sine directione Logicæ Actus Scientiarum.

Resp. nego. conseq. & parit. Quia tota honestas virtutum ex regulatione prudẽtiæ, vt a forma provenit, nec sine illa consistit. At rectitudo Scientiæ consistit in sola intrinseca sua repræsentatione naturali, ex d. 48. n. 12.

16 Obij. 5. Logica potius est inutilis, & noxia ex Tertullian. & alijs PP. apud Connimb. nec non ratione reflexionis difficiliorem reddit nostros conceptus, ex S. Aug. c. 37. de Doctr. Christian. Ergo non est vtilis, & necessaria moraliter.

Resp. neg. anteced. Tum quia Tertullianus, & alij PP. solum reprehendunt Logicam sophisticam directam: scilicet sophismatibus vtentem; non nostram, adhuc sophisticam reflexam, ipsorum sophismatum falsitatẽ reflexè de docentẽ, & expugnantem. Tum quia licet reflexio regularum aliquid afferat laboris; at hoc ipso facilior fit, assecutio veritatis, idest minus periculosa; quæ est facilitas, quam in Scientijs comparandis inquirimus; non vero ea, quæ minuat studij applicationẽ.

17 Obj. 6. aliqui de facto Scientias percalluere perfectè, omnino imperiti Dialecticæ: vt de Hypocratè novo Medicinæ Esculapio, referunt; & in Mathematica, & Iurisprudentia sæpe videmus. Ergo assecutio Scientiarum sine Dialectica, non est de impossibilibus moralibus, quæ numquam facta, licet factibilia, videamus.

Resp. cum PP. Connimbr. eos qui Medicinam vel Mathematicas, sine Dialectica assecuti feruntur, nõ eas scientifice seu Dialecticè; ac proinde nec perfecte, fuisse assecutos; sed Artium pure præceptivarũ more, sine investigatione essẽtiarũ, & attributorum obiecti. Et eodem modo Iurisprudentia vulgo tradi solet: nisi tantum a Theologis; qui eam scientifice tractant, essentias Legis, juris, Dominij, &c. Metaphysicè, & Dialecticè examinantes; qui propterea sine Logica eam perfectè pro suo numere non assequerentur. Et pro nostro, de hoc Tractatu satis.

TRACT.

TRACTATVS TERTIVS
DE ENTE RATIONIS

ENS RATIONIS non ſolum Dialecticam, ſed totam Philoſophiã, imo & Theologiam pervagatur (vt hic optimé P. Suarez, & Caramuel *infra* proæmiantur.) Quia cum illud fiat concipiendo *rem aliter ac eſt*, noſter autem concipiendi modus circa rerum eſſentias, & conceptus, necnon Vniverſalia, de quibus Sciẽtiæ omnes agunt, ſemper ſit præciſivus, inadæquatus; & majori ex parte per alienas ſpecies; fere omnia aliter ac in ſe ſunt quodam modo repræſentat, per Tractationes ſcientificas, imo per plerasque humanas, de rebus ſupra ſenſum excogitabilibus. Unde vbique ſcientiarum occurrere neceſſe eſt entia rationis, & ideo inter proæmiales & Iſagogicos Dialecticæ in Philoſophiam Tractatus, hic maximè præmitti debuit. Agetur ergo prius de eius exiſtentia & eſſentia, deinde de cauſis, ſive actibus & potentijs, per quas efformatur.

DISPVT. LXI.
Quid, quotuplex, & quale ſit ens rationis?

1 QVæſt. 1. *Quid ſit: quid nominis, & quid rei?* Reſp. 1. Nomen ſumi dupliciter. 1. Pro Ente rationis ſubjectivo, quod habet eſſe ab intellectu, ſeu ratione, in qua ſubjectatur; vt actus intellectus, ſeu rationis, & denominationes quæ ab illis proveniunt, quæ entia rationis, & demoninationes rationis paſsim nuncupantur; vt eſſe cognitum, præciſum; &c. 2; Pro objectivo, ſeu quod ſolum habet eſſe objectivè ab intellectu, ſive à potentia concipiẽte, ipſum que eformante, v. g. Chymæra; quæ nullibi niſi in fictione habet eſſe, & hoc eſt propriũ Ens *rationis*; de quo agimus.

2. Reſp. 2. Ens rationis ita propriè vſurpatum, definiri, aut deſcribi a S. Th 1. p. q. 16. a 3. ad 2. *Quod cum in re nihil ponat, & in ſe non ſit ens, formatur tamen ſeu concipitur, vt ens in ratione.* & 2. 2. q. 8. a 1. ad 3. *Quod non eſt in ſe & accipitur, vt ens ratione.* Vnde paſsim DD. cum P. Suarez d. 54. ſ. 1. n. 6. varias colligunt definitiones, in eumdem fere ſenſum. 1. *Quod habet totum ſuum eſſe obiectivè in potentia fingente*; vel concipiente, aut attingente. 2. Quod concipitur, *vel repræſentatur, aut attingitur, aliter, ac in ſe eſt*. 3. *Quod non eſt, & apprehenditur qua ſi ens.* Quas DD. omnes juxta ſuas ſententias accommodãt, ex Auerroe Durando, Caietano, Sonſin. & alijs.

Patet que

Paterque accomodatior, & communior sensus; tũ ex simili alia definitione, quam cũ PP. Connimb. P. Fons. P. Hurt. P. Valle P. Smiglet. M. Ioan. S. Th. & Murcia, nominatim pro intellectu tradit P. Yzq. d. 12. n. 2. est *Ens quod solũ habet esse obiectivum in intellectu.* Tum vulgari exemplo Chimæræ, quam specie tergeminã & ignivomam finxere Poetæ: Lucretius: *Prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimæra:* Virgilius: *Flammisque armata Chimæra:* item Hircocerui, Tragellaphi, *Centaurique biformis*, ex Virg. Quæ monstra, cum realiter in se nõ sint, neque esse possint, solum in Intellectu poeticè fingente, obiectivum, seu repræsentativũ esse habent; quatenus apprehenduntur *quasi vnum reale ens*, cum tale re ipsa non sint, ac proinde *aliter ac in se sunt.*

3 Quæstio 2. *Quotuplex sit ens rationis?* Resp. dupliciter dividi ex S. Thoma, apud citatos & P. Alph. d. 12. s. 2.

Prima divisio S. Thom. *in 1. D. 2. q. 1. art. 3. & D. 19. q. 5. art. 1.* in *Ens rationis ratiocinantis*; idest fictitiũ, sive sine fundamento: quando falso & absque vero fundamento concipitur, v. g. Chimæra: & in *Ens rationis ratiocinatæ*, sive cum fundamento vero, seu *non fictitium*; quod dicitur *Logicum*; quando vnum instar alterius, sine falsitate concipitur, v. g. vniuersale, vt *animal*, quod cum fundamento veræ conuenientiæ plurium, concipitur, quasi vnum commune pluribus, Petro, Bucephalo &c. cum vnum tale re ipsa non sit; vnde quodam modo concipitur aliter ac est. Et tales etiam sunt denominationes extrinsecæ, *cogniti, dextri* &c. conceptæ permodum vnius concreti, ex fundamento alicuius extrinsecæ vnitatis, cum tamen physicé vnum concretum simpliciter non sint; quod ideo solet appellari ens rationis *purè logicum* de quo d. 64.

4 Fictitium subdiuidi solet, in *Chymæricum*, quod est repugnans & impossibile, vt Chymæra, vnde nomen desumptum est, & in *Non Chymæricum*, quod pure falsum, seu fictum est, quoad existentiam, vel modum existendi; licet in se sit ens reale possibile, vt colores Iridis, qui possibiles sunt, inibi tamen non existunt; licet aliqui cum P. Smiglesio nolint, hoc esse ens rationis propriũ, contra quos d. 64. n. 39.

5 Chymæricum subdividitur a RR. cum P. Ovied. Cont. 12. Meth. p. 4. n. 8. & P. Compt. hic d. 17. s. 3. in omnia prædicamẽta Entis, quia per singula confingi possunt, tam substantiæ, quam accidentia, mille repugnantibus prædicatis conflata. Vnde optime addunt P. Hurt. d. 19 *Metaph.* §. 87. & P. Arriag. d. 7. n. 57. etiam mixta ex eisdem prædicamentis ad invicem, & ex positivis, & negativis, fere in infinitum, prolibito humanæ phantasiæ combinabilia.

6 Non fictitium, seu *Logicum*, subdividi etiam potest, in *Attributiuũ secundum dici*, quale est vniuersale

& denominario extrinseca; cui licet secundum esse non attribuamus vnitatem, alias esset Chymæricum, & fictitium; secundum dici tamen quasi tribuere videmur, dũ ita illud concipimus, & exprimimus, quasi esset realiter vnum: & in *Non attributivum* adhuc secundum dici; sed tantũ *Similitudinariũ*, quando non exprimitur, adhuc secundũ vocẽ, attributio, aliter, ac res est; sed solum similitudo quædam, instar alterius, in modo repræsemandi per alienas species; v. g. quando concipimus Angelum instar iuvenis, Deum instar senis; excludendo potius, quam attribuendo per ipsam similitudinariam significationem, tum iuventutem Angeli, tum senectutem Dei, vt explicabo d. 65. Et hoc vocatur a P. Yzq. ens rationis *pure suppositicium*, propter ibi dicenda.

7. Secunda diuisio ex S. Thoma q. 21. *de veritate art.* 1. & Arist. 4. *Metaph. c.* 2. *& lib.* 5. c. 7. & 15. est in Negationem, Privationem, & Relationem. Negatio est: *Carentia formæ in subiecto inepto*, v. g. vitæ in lapide. Privatio *carentia formæ in subiecto apto*, vg. tenebræ aeris, cæcitas hominis, quæ sunt carentia Lucis, & visus ipsis possibiliũ. Relatio est *ordinatio vnius ad aliud*. Et hinc probatur diuisio. Quia omne ens rationis triplex esse, aut fieri potest. Vel *Chymæricum*, quod non potest esse, & tũc fundatur in negatione, seu carentia tam existentiæ, quam potentiæ, sive aptitudinis ad existendũ, & essendum. Vel *non Chymæricum*, quando obiectum potest esse, sed tamen non est, neque existit, sicut per actum repræsentatur; & tunc fundatur in privatione, seu carentia existentiæ, non vero potentiæ ad illam; cum sit ens rationis pure fictum, non chymæricum, ideſt carens existentia, non tamen possibilitate, & aptitudine ad existendum. Vel demum obiectum, non fictum, concipitur tantum per modum alterius distincti, & consequenter aliter ac est, sive attributive secundum dici, sive pure similitudinarie, vt nuper explicabam: & tunc fit ens rationis per relationem vnius ad aliud, ad cuius instar concipitur, sive attributivam, sive similitudinariam. Ergo optime & adæquate Ens rationis in tres illas species dividitur, cũ ad illas omne ens rationis, quod tripliciter tantũ eo modo fieri potest, reducatur. Et ita diuisionem hanc merito amplectuntur Thomistæ omnes, plerique NN. cum P. Suar. P. Vazq. PP. Conimb. P. Rubio apud P. Yzq. n. 52. quibus ipse tandem n. 58. assentitur.

8. Contra hanc diuisionem RR. nostri passim insurgunt cũ P. Hurt. §. 72. P. Arr. n. 57. P. Ovied. p. 4. Poncio d. 1. n. 101. Tum quia diuisio hæc non est entis rationis formalis, sed solum fundamentalis; quatenus negatio, seu privatio, v. g. *cæcitas*, & *tenebræ* fundamentum præbent, vt à nobis per modum, cuiusdam formæ, seu qualitatis, vel nigredinis aeri, vel oculo inhærentis fictitie concipiantur. *Tum* quia ne-

ga-

gationes, & privationes realiter negative aparte rei inveniuntur; vere enim & realiter ante omnem fictionem homo est cæcus, & aer tenebrosus. Ergo perperam inter entia rationis numerantur.

9 Verum, cum meà sent. in *Metaph.* nulla entia negativa, neque negationes, aut privationes formales, nisi in modo nostro concipiendi consistant, & similiter relatio omnis similitudinis, & æqualitatis formalis, à modo etiam concipiendi relativo proveniat, supposito tantum fundamento entis positivi negabilis, vel referibilis; iure optimo S. Tho, inter entia rationis, quæ à modo nostro concipiendi proveniunt, eas negationes, privationes, & relationes omnino percensuit. Quod clarius constabit d. 63. dum entia rationis indistincta esse ab entibus realibus (quæ solent vocari entia rationis fundamentalia) necnon à cognitione nostra obiecti aliter ac est, probabitur efficaciter.

10 Quæstio 3. *Quale sit ens rationis, quoad Attributa sua?* Resp. habere Attributa realia entis, sive entium realium, ex quibus resultat; vt d. 63. n. 10. patebit. *Tum* quia vere & realiter est cognoscibile, & intelligibile secundum esse fictitiũ, quod habet; cum re ipsa vere cognoscatur: ergo habet veritatem, sive intelligibilitatem. *Tum* quia similiter amatur, & proinde est amabile secundum bonitatem apprehensam, non minus, quam verum bonum secundum realem bonitatem. *Tum* quia vnum ens rationis est realiter distinctũ ab alio, v. g. Hirco cervus à Chimæra; necnon ab entibus realibus possibilibus, v. g. ab homine, & lapide; cũ realiter nõ identificentur cum illis; ergo habent vnitatem realis distinctionis. *Tum* demum, quia habet realem similitudinem, & dissimilitudinem (quæ per nos ad rationem intelligibilis, seu cognoscibilis modo relativo pertinent) tum inter se; tum etiam cum Possibilibus: ergo habet realia attributa.

Mirum est, quam varias evasiones excogiten. RR. dum entia rationis ab omnibus realibus distincta, cum his attributis realibus, quæ negari nequeunt, componunt. Sed d. 63. atque etiam in Metaph. dicã de his, alijsque supertranscendentibus attributis, enti, & non enti communibus; nunc circa existentiam, & essentiam disputabimus.

DISPVT. LXIJ.

Vtrum detur Ens rationis Chimæra tum?

1 PRima sent. negat, non tantum quoad existentiam realem (de qua non est dubium) sed quoad intelligibilem, quia impossibile putat ab intellectu concipi vt vnum ens, quod contradictionem implicat; vnde Chimæras non *entia rationis*, aut cognitionis, sed solius linguæ *entia*, dicendas asserit. Ita Caramuel toto *lib. 2. Metalog. a n. 115. ad 177.* laudans. n. 125. & 169. Mayron. Vallesium, Odervvolstium, & Bernard. Mirandulanũ.

... liber, nec ... ad peccandum

duro

quibus accedit noſter Cardinal Pallauicin. *lib.* 5. *aſſert. Theolog. n.* 5. referuntur que antiquiores alij apud Arauxum *lib.* 3. *Metaph. q.* 1. *a* 2. qui tamen, vt & RR. noſtri cum Spinula ſolum illud negant, indiſtinctum ab entibus realibus, & cognitione ipſa fingente, quod nos etiam infra negabimus; non tamen inconcepti-bile ab intellectu.

2 Secunda noſtra ſent. affirmans rationis Chimæricũ dari in cognitione fingente, ſeu componente vnũ aliquod ens obiectivè ex terminis in terſe repugnantibus, vt Hyppocentaurum; Tragdaphum, Hircoceruum, alium Deum, equum rationalem, &c. Ita cum Ariſtot. S. Th. Scoto, Durando, & Nominalibus, Scholaſtici fere omnes, P. Suarez, P. Uazq. P. Fonſeca, PP. Conimbr. &c. quos laudant ſupra P. Hurt. P. Arr. P. Ovied. P. Compt. P. Alph. P. Lync. 4. *Metaph tr.* 1. *c.* 1. P. Quiros *d.* 107. *Metaph. n.* 19. P. Yzq. ea d. 12. q. 1. P. Rhodes d. 2. q. 1. ſ. 1. P. Thom. Polon. *d.* 5. *Metaph. q.* 1. *diff.* 3. P. Olcina n. 497. & alij d. ſeq. citandi.

3 Prob. 1. ab experientia, qua paſſim concipimus, alium Deum, equũ rationalem, &c. per modum vnius entis impoſsibilis, & *Chimærici*, dum ipſum ita poſsibile eſſe negamus: ſed dum ita ipſum impoſsibile, vt vnum quid eſſe poſſe negamus, obiectivè ipſum vt vnum quid cognoſcimus & concipimus, negare enim, cognoſcere & concipere eſt: ergo tunc datur illud ens chimæricum obiectivè in noſtro conceptu, ſecundum eſſe quod in ſe realiter habere non poteſt: ac proinde ita datur intelligibiliter.

4 Prob. 2. Quia licet intellectus noſter non poſsit per judicium ſimul duplici explicito contradictorio aſſentiri (quia falſo, vt evidenter ſive explicitè falſo, aſſentiri non poteſt; duplex autem contradictoriũ vt ſimultaneum ſivè identificatũ eſt explicitè falſum:) attamen poteſt ita vtrũque apprehendere; quia apprehẽſio etiã ad falſa vt talia ſe extẽdit vt cum ipſa quis audit, vel profert, antequam neget: vel etiam poteſt vtique contradictorio non explicitè cognito aſſentiri, vt multi aſſentiuntur *ſubſtantiæ ſuperuaturali*, cum P. Molina; *lapidi per eleuationem diſcurſiuo*, cum Boneſp. & hæretici ſecundæ Perſonæ Trinitatis creatæ, cũ Ario; & Deo carenti libertate, cum Ariſtotele; vel neceſsitanti ad peccã dũ cũ Luthero, &c. Quia ſcilicet in ijs Chimæricis obiectis explicitè contradictionem non agnoſcebant, quam Catholici cognoſcimus. Ergo in ijs obiectis contradictoria concipiunt, ac proinde entia rationis Chimærica.

5 Obij. 1. ex Caram. eſſent prorſus poſsibilia realia ea, quæ à nobis pro Chimæris afferuntur, nimirũ leo qui ſimul ſit Draco, Hircocervus, equus humanus, ſivè rationalis, &c. ſi enim Deus potuit fieri homo hypoſtaticè, cur non & homo Equus, Hircus cervus, Leo Draco fieri queant? Et ita novus Bellerophon Caramuel to-

tam

tam Chimærarum phalangem debellauit.

Resp. a nullo D. admittente, personam creatam posse assumere naturam alienam, negari, quod hypostaticè Equus, humanus seu rationalis fieri possit, secundum distinctas naturas vnitas, & sic de reliquis. Solũ ergo Chimærica reputatur identitas vtriusque, secundum vnam naturam; ita vt eadem sit rationalis, & irrationalis, sive humana & equina, &c. Sed quidquid de hoc sit, quomodo Caramuel possibilem faciet *alium Deum, &c.*

6 Obij 2. & replic. ex eodem. Adhuc nullam esse repugnantiã, quod possibilis sit aliquia natura Equina quadrupes & hinnibilis, quæ simul rationalis & discursiva sit per identitatem; quæ enim in eo contradictio? Ergo.

Resp. (supposita replica de *alio Deo; quarta Persona Diuina*, &c. vbi possibilitatem non inveniet Caramuel) quod licet alius Equus ab eo, quem de facto cognoscimus, ita rationalis sit possibilis; hunc tamen quem de facto purè Equum, sive irrationalem esse definimus, concipimus vt essentialiter exclusiuum rationis; ac proinde vt incompossibilem cum rationalitate; & de hoc saltem, vt simul rationali concepto, optimè dicitur esse Chimæricum, sive implicare contradictionem. Imo, licet cum Bonesp. 1. *p. d.* 4. *de vis du.* 5. dicatur, Equum existentem divinitus posse ratiocinari, & videre Deum, &c. saltem connaturaliter id fieri posse, ipse & omnes negant: vnde saltem Equus existens vt connaturaliter rationalis, erit omnino & apud omnes Chimæricus; & vt talis solũ in conceptu fingente existens.

7 Obij. 3. & replic. adhuc esse impossibile, quod ab intellectu irrationali concipiatur, vnum quid irrationale adeo, scilicet Equus, vt excludens vnitatem cum rationali, quod simul sit vnum cum rationali; hoc enim est imperceptibile & inconceptibile rationaliter, nisi in nobis ipsa ratio concipiens irrationalis fiat. Ergo intellectus non potest concipere tale vnum ens, ita Chimæricum, quod sit homo hic ipse Equus, qui essentialiter est non homo, ideſt, quod sit *homo non homo*.

Resp. quod licet explicitè ita cõcipi ab intellectu irrationale videatur, præsertim per allensum; non tamen implicitè & sine expressione ipsius implicationis, vt a pluribus concipitur *substantia supernaturalis*, & à Bonesp. *Lapis diuinitus discursiuus*; quia ea ipsa contradictio, quæ in obiecto implicitè attingitur, ab ipsis negatur, ob non penetratam satis terminorum essentiam. Imo etiã explicite ea concipi potest per apprehensionem, quæ falsum vt falsum apprehendere potest, vt ipsum neget, quia ita non est irrationale, sed valde rationale falsa vt talia concipere. Sed quidquid de hoc sit, negare non potest Caramuel, quod ab infidelibus concipitur *aries, Deus*, vel *Deus non liber, necessitans ad peccan-*

duro

dum, Verbum Diuinum creatum, &c. quæ licet implicationem contradictoriam importent, ab ipsis tamen ea explicite non cognoscitur. Dum autem Caramuel a n. 174. asserit in his Chymæris totum obiectum componi ex Deo, & alicrate, possibilibus; ex Uerbo similiter, & creatura realibus, alijsque terminis realiter repugnantibus; suam primam sententiam deserit de *inintelligibilitate obiecti Chymærici*, & transitiad nostram de ipsius indistinctione ab entibus realibus, quæ pro præsenti quæstione impertinens est: aliud enim est esse inintelligibile (de quo nunc) aliud esse a realibus indistinguibile, de quo d. seq.

8 Obij. 4. Si daretur ens rationis adhuc in conceptu mentis, illud esset possibile; quia quidquid datur possibile est; quidquid autem est possibile, est non repugnans; sed quod est non repugnans est ens reale. Ergo ens rationis Chymericum, erit ens reale.

Resp. Dist. mai. Ens rationis esset possibile intelligibiliter, idest, possibile seu potens intelligi per modũ vnius; concedo: est possibile realiter, seu potens esse vnum ens reale, nego. Itaque possibilitas realis entis rationis idem est, ac intelligibilitas realis ipsius; sive multiplicis entis realis, ex quo Logicum componitur, quod per modum vnius intelligi potest. Eo modo, quo possibilitas entis per accidens v.g. *numeri*, vel *cumuli lapidum*, non est possibilitas alicuius entis realis, quod sit physice, vel metaphysice vnum, sed multiplex possibilitas multiplicis entis, secundum quod est conceptibile per modum vnius Logice & extrinsece ad vnari; quæ non arguit possibilitatẽ vnius entis realis simpliciter.

9 Obij. 5. ex Card. Palau. Eo ipso quod daretur realiter vnum contradictorium, necessario excluderetur aliud; sed intellectus conciperet cõtradictoria, vt realia; ergo eo ipso quod concipiat vnum esse, debet cõcipere, aliud non esse; ac proinde vtrumque nequit simul concipere, vt petit ens Chymæricum, vt detur inelligibiliter.

Resp. *neg. min.* quia licet explicitè ab intellectu nõ posset cõcipi vt verum & reale vnum contradictorium vt simul cum alio; quia hoc esset vtrique assentiri; quod implicat; attamen implicite, vel simplici repræsentatione, bene posset vtrumque cõcipi, quia ita non concipitur ab intellectu, vt vere realiter vtrumque coexistens, sed tantum vt intelligibiliter repræsentabile, ex representabilitate autem vnius contradictorij adhuc explicita, non sequitur, quod aliud representabile simul non sit, etiam explicite, multo autem minus implicite, licet cum vnius existentia, & veritate quæ vt talis solum per assensum repræsentantur, alterius coexistentia & veritas coniungibilis non sit.

10 Obij. 6. *Nihil est impossibile apud Deum omne verbum* Lucæ 1. vbi S. Thom. 1. p. q. 25. a 3. c. *Id enim, quod contradictionem implicat, Verbũ esse*

esse non potest, quia nullus intellectus potest illud concipere. Ergo non est conceptibile ab intellectu, nec potest habere esse obiectiuum in intellectu, quod est impossibile & Chymæricum.

Resp. Verba Archangeli Gabrielis, & Doctoris Angelici sic intelligi, quod impossibile non potest intelligi esse vnum verbum simplex & simpliciter, ita vt obiectivè sit vnũ conceptibile simpliciter, quia obiectivè realiter non est vnum verbũ, seu vnũ cõceptibile vel vnum ens; sed plura verba, seu plura concepti bilia; eo quod resultet ex pluribus entibus obiectiuis simpliciter, licet logicè & extrinsecè sit vnum verbũ secundum dici, seu expimatur per modum vnius verbi & conceptibilis, vt disp. seq. declarabitur.

DISP. LXIII.

Vtrum Ens rationis consistat in esse obiectivo intrinsece fictitio?

1 PRima sent. affirmat adæquatè adeo esse fictitium obiectivè intrinsece ens rationis, vt nihil obiectiuum importet ab ente reali positivo indistintum; vt ita verificetur habere totum esse obiectivè in potentia fingente. Ita P. Smigleſius *d.* 1. *Log. q.* 1. P. Amic. *tra.* 3. *q.* 2. *d.* 2. 3. P. Maurus *q.* 48. P. Suarez Luſ. *Tra.* 2. *d.* 1. *ſ.* 1. P. Quiros *d.* 107. *Metaph. a n.* 22. P. Rhodes *hic d.* 2. *q.* 1. *ſ.* 2 P. Thom. Pol. *d.* 5. *q.* 2. *diff.* 3 noſt. P. Leon *d.* 2. *Log. q.* 2. & *tr.* 1. *de Deo d.* 19. *a n.* 22 ejuſq; frater P. Alph. Peñaf. *Tom.* 2. *Metaph. diſp. vlt q.* 1 *ſ.* 1. *n.* 21. & 28. quos ſequuti ſunt RR. noſtri omnes, qui ante me in hac Provincia Philoſophiam docuerunt, cum P. Maça *hic d.* 1 *ſ.* 2.

2 Secunda ſent. temperatior affirmat, ſaltem inadæquate importare aliquid intrinsecè omnino fictitiũ, præſertim vnionem, vt ſcilicet, quãdo concipimus *Equum rationalem*, licet Equus & rationale extrema realia eſſe poſsint, identitas ſaltẽ eorũ extra omnẽ entium realium ſphærã eſſe debeat. Ita P. Hur. *d.* 19. *Metaph. §.* 68 P. Arr. *d.* 7 *ſ.* 2. P. Alphon. *ſ. d.* 12. *Log. à n.* 7. P. Ovied. *t.* 12. *Metaph. p.* 2. *a n.* 5. P. Compt. *d.* 13. *ſ.* 2. 3. & 4. cum limitatione videnda n. 38. P. Santactuz a n. 1065. P. Yzquierdo *d.* 11. *q.* 2. & *d.* 12. *q.* 2. Iuramuz *d.* 8. *Metaphic.* 1. apud quos Antiquiores aliqui ſubobſcurè loquuti; omnibus tamẽ obſcurius, vt videt P. Olcina a n. 502. ex Thomiſtis ſavent expreſsius Complutens. *d.* 2. *q.* 2. *a* n. 10. & M. Joan. Thom. *q.* 2. *a* 1.

Sect. 1. *Conclusio omnino negans, probatur a priori.*

3 Tertia noſtra ſent. negat omnino talia figmenta, ſive idola obiectiva intrinsecè fictitia, & ab omni ente reali poſitivo, vllo ex capite diſtincta; componens proinde omnia entia rationis, quaſi quædam entia obiectiva per accidens; ex entibus poſitivis, ſecundum ſe veris & poſsibilibus, non eo modo, quo in ſe ſunt, per actum fingentem repræ-

ſen-

sentatis, sed modo intentionali diverso & disconvenienti, seu non cõformi modis realibus essendi entiũ objectivorum, vnde per hunc modũ disconvenientem seu fictitium denominatur, & constituitur obiectum in esse ficti, seu habentis illum modum essendi objectivum in fictione: & consequenter ex ipso obiecto reali, & hoc modo fictivo extrinseco intentionali, resultat extrinsece; sivè per denominationem extrinsecam *entis rationis*: eo modo quo ex obiectis realibus, & modo cognoscendi præscisivo, resultant denominationes *generis, speciei*, &c. Ita post Nominales cum Mayrone & Aureolo, Gabrielem, Durandum, Paulum Venetum. Bern. Mirandul Gandavens. Jandunum; Vallesium. Odervvolst. Sernam, & alios, nostri P. Herice 1. p. d. 8. c. 1. Emin. Pallauicin. l. 5. assert. Theol. n. 5. & 18. P. Antoni, Perez 1. Phis. c. 6. P. Derchen d. 3. n. 5. & 26. & d. 8. n. 25. P. Hemelm. Tom. 2 tit. 10. d. 2. c. 2. n. 3. P. Lync. 4. Metaph. tr. 1. n. 4. & tr. 2. n. 1. & quod caput est, dignissimum nostræ Societatis caput, clarissimus Salmantinus Doctor; & Primarius Professor, R. P. N. Generalis Thirsus, in suis selectissimis selectis Tom. 1. d. 90. a sect. 2. Pro nobis etiam citari possunt Cajet. Soncinas, & alij antiquiores Thomistæ, quos laudat P. Suarez ea d. 54 s. 1. n. 6 P. Vazq. 1. p. d. 118. c. 4. P. Arrub. d. 34. c. 7 PP. Conimb. ea Pra. f. Porphyri q. 5. & 6. P. Fonsca ca 5. Metaph. c. 7. q. 6 P. Hurtad. ca d. 68. n. 13. qui totum esse entis rationis solum in modo extrinseco res cognoscendi fictitivè sitũ supponunt: quod etiã acriter defendit Spinula d. 4 Log. a n. 33. & d. 4. de Anim. a n. 23. Accedunt ingenio clari RR. nostri mihi fauentes, & quod magni facio, ipse P. Maça supra, problematicus post scripta mea, in suis prælo paratis, sect. 3. append. Sed præ omnibus fuse & fe stivé conclusionem nostram tuetur Caramuel toro *lib. 2. Metalog. cit. disp. præced.*

4 Prob. 1. ex Ethymologia fictionis, quæ nihil aliud est, quam compositio rerum inter se intrinsece nõ cohærentium, ex illo S. Greg. *Hom. 23. in Evang. Fingere namque componere dicimus, vnde compositores luti figulos vocamus.* Cui consonat S. Damasc. c. 14 Log. vnde sicut figulus ex partibus realibus luti, quæ inter se veram realem physicam seu naturalem compositionem non habent, componit statuam cuiusdã *Chymæræ & Fauni, Pelsatyri*, quæ vnum reale non sunt simpliciter: ita pariter intellectus ex realibus possibilibus, sua fictione conceptis, poterit similia figmenta componere. Ergo

5 Confirmatur 1. Impossibile nihil aliud est, quam incompossibile, seu ex incompossibilibus prædicatis resultans; sed ipsa realia positiva possibilia, sunt inter se incompossibilia, vt homo, & equus reales, non compossibiles, neque identificabiles inter se; ergo ex ipsis realibus possibilibus conceptis, vt compossibilibus, potest fingi, & componi per intelle-

tellectum vnum impossibile. Nulla est implicatio, vt intellectus ita valeat ex ipsi possibilibus incompossibilibus, vnum quid impossibile suo conceptu repræsentare per modum vnius, sicut Figulus luto, Pictor penicillo. Ergo ita potest concipere, ac proinde ens rationis effingere. 3, Exemplo characterum, vel syllabarum alphabeti, quà vocaliũ quà scriptarum, qua typographicarum; eædem enim omnino componi interse possunt, vel ad veritates possibiles, vel ad falsitates impossibiles consignificandas. Ergo pariter &c,

6 Prob. 2 a priori ex definitione receptissima entis rationis d. 61. n. 2. *Quod repræsentatur aliter ac est*: vnde apud DD. passim cognitio factiva entis rationis definitur, *cognitio rei aliter ac est*, ex P. Suarez ea d. 54. s. 2. n. 20. Ergo ens rationis in se est aliter, ac per cognitionem repræsentatur: & consequenter in se realiter diverso modo est, ac est intentionaliter in cognitione; scilicet quia intrinsece inse realiter est multiplex, incompossibile in esse vnius, & in modo repræsentandi puré intentionali extrinseco, quasi vnum est, seu componitur. Ergo tota essentia entis rationis consistit in eo duplici modo essendi, intrinseco reali obiectivo, & extrinseco intentionali fictitio, vt interse disconformi, & vnum quid extrinsece componenti.

7 Prob. 3, ex alia definitione entis rationis eo n. 2. Quod *habeat tantum suum esse obiective in potentia fingente*: sed habere esse obiective in potentia, nihil aliud est, quã objici illius cognitioni, sive esse obiectum potentiæ; sicut Cæsarem esse depictum in tabula nihil est aliud, quam depingi, & exprimi per ipsam picturam tabulæ; totum autem hoc est pura denominatio extrinseca a cognitione fingente, seu pingẽte, ideſt, afiectione potentiæ. Ergo totum esse entis rationis in ea extrinseca denominatione cognitionis fingentis, denominantis fictum ipsum obiectum omnino consistit.

8 Prob. 4. ex Principio Metaphysico de transcendentia entis, quæ licet ab Scoto negetur respectu differentiarum, a nemine negari potest respectu generum, & specierũ v.g. substantiæ, viventis, animalis, &c. Ea autem transcendentia consistit in eo, quod eius modi genera non possunt concipi sine suis prædicatis essentialibus, vt interse non repugnantibus; eo autem ipso singula concipiuntur vt ens; quia ens nihil est aliud, quam *quod concipitur vt non repugnans in suis prædicatis*: eo enim ipso quid reale, & possibile est, & concipitur. Atqui singula prædicata quæ cõstituunt ens rationis ex parte obiecti, secundum se, & prout ab invicem præcisa, sunt non repugnantia in suis constitutivis, v.g. in *Equo rationali*; Equus secundum se, & rationale secundum se, minime repugnant, vt patet. Ergo sunt essentialiter, & transcendentaliter ens secundum se; & conse-

quenter illud obiectivum ens rationis, ex entibus secundum se realibus coalescit.

9 Si dicas, illa prædicata constitutiva entis rationis, vt præcisive concepta, non considerari, vt ens positivum secundū se, quia ita præcisiue se habent ab ente, & non ente, sed debere considerari equum, vt cōtractū ad rationale, & ita erit positive repugnans, seu non ens. *Contra.* Quia hoc pacto numquam ens erit transcendens, seu transcendentale respectu generum, & specierum secundum se, v.g. *animalis, substantiæ*, &c. Sed tantum respectu individui, vt vltimo contracti, & completi; imo neque respectu hujus, quia adhuc Petrus, vt talis v.g. posset concipi vt identificatus cum Paulo, & vt repugnans, seu non ens, ratione huius conceptibilitatis; vnde nulla ratio secundum se erit ens, quia nulla secundum se concipitur cum exclusione differentiarum interse repugnantium, ratione quarū posset fieri non ens: ergo ens respectu nullius conceptus, erit transcendens.

10 Prob. 5. Ex alio principio Metaphysico, quod omne ens, sive aggregatum entium, cui conveniunt proprietates, & attributa alicuius essentiæ, convenit simpliciter ipsa essentia; ideo enim cumulo lapidū convenit essentia multiplex lapidū; quia eius propietates conveniunt; essentia enim, & attributa sunt mutuo inseparabilia, & dicuntur ad convertentiam; sicut ignis cum calido in summo, homo cum risibili. Atqui aggregato obiectivo prædicatorū ex quibus obiectivè cōponitur ens rationis, conveniunt attributa entis realis, propriè, & simpliciter, scilicet esse cognoscibile, seu verum, esse amabile seu bonum, esse vnum seu distinctum ab alio: vt patet ex disp. 6 n. q. 3. Ergo convenit ratio entis realis, sive entium realium.

11 Si dicas, ens rationis proprie cognosci, amari, &c. proprietate cognitionis ex parte cognoscentis, non ex parte cognoscibilis. *Contra.* Quia hoc tam implicatorium est, quā si diceres, effectum proprie produci proprietate productionis ex parte producentis, non vero ex parte producibilis: implicat enim vnum relativum proprium respectu correlativi improprij, sicut Pater proprius respectu filij improprij, &c. De quo *in Metaph.* Ergo.

12 Prob. 6. a priori negativè, destruendo principium solemne sententiæ contrariæ. Quod per conceptum expressum vnius non potest obiectivè importari significatio alterius, v.g. per conceptum Petri significari Paulus: vnde per conceptuum obiecti impossibilis non potest obiectivè importari possibile. Sed hoc principium dupliciter fallit. 1. Quando oppositio conceptuum est, vt inter partem, & totum, quia tunc in conceptu totius v. g. *hominis*, involvitur conceptus partis, v.g. *rationale*. 2. Quando conceptus signatus involvit oppositum exercitè v.g. ratio *æquari*, quæ exercitè est vnivoca;

&

ratio *inintelligibilis*, quæ exercite est intelligibilis, cum verè intelligatur. Ergo pariter cum impossibile fiat *totum*, vt in compossibile ex ipsis possibilibus partibus per rationem conceptum; & exercite involvat ipsa possibilia, licet signate sonet exclusionem possibilis; in ipso impossibili, poterit importari possibile, seu possibilia incompossibilia: de quo n. 50.

13 Prob. 7. ex Principio Philosophico de specificativo vniusc ujusque potentiæ, quod debet esse vna aliqua ratio communis proprie, & vnivoce conveniens omnibus obiectis potentiæ, vt huic vnitatem specificam tribuat. Quod inductione omnium potentiarum, & habituum, tam Scientiarum, quã virtutum, probant DD. omnes cũ Aristotele, & S. Th. 1. p. q. 77. a 3 & q 58. a 2. c. quos laudavi d. 40. n. 2. 6. 12. & d. 41. n. 16. &, d. 42. n. 8. 20. &. 22. & d. 49, n. 19. vbi præter paritatem potentiæ visivæ, quæ respicit coloratum, auditivę quæ sonum; &c. Virtutũ que, quæ suam vnaquæque specialem honestatem; & Scientiarum, quæ suam vnaquæque scibilitatem; rationem a priori desumpsi ex S. Aug. & S. Thoma, ab innata inclinatione totius naturæ, ad vnitatem, vt ad vnum principium, & finem suum. Iam vero pro intellectu nulla alia designari potest ratio formalis specificans, quæ, vt vna ab ipso in omnibus suis obiectis respiciatur, nisi ratio entis; vt multis probat Arist. 4. *Metaph. á tex.* 9. Vnde 1. *post. c.* 2. propterea etiam statuit, quod *fieri nequit quod id quod non est fiat.* Quia esse, seu ens est primum scibile. & 3. *de Anim. tx.* 26. inquit *obiectum intellectus esse, quod quid est rei*; ideſt, esse rei, vt explicat S. Th. 2. 2. q. 8, a 1. c. & ideo intellectus nihil potest cognoscere nisi per modum entis; neque enuntiare nisi per Ly *est*, quod ens, vel esse designat, & ita passim repetit. S. Th. 1. 2. q 94. a. 2. c. inquiens: *Ens est primum quod cadit in apprehensionem simpliciter* Et 1. p. q. 79, a. 7, c. cõparat intellectum cum visiva, vt sicut hæc vnam rationem colorati respicit, ita ille vnam rationem entis, his verbis: *Sicut potentia visiva respicit suum obiectum, secundum rationem colorati: intellectus respicit obiectum suum, secundum communem rationem entis.* Neque enim est alia vna ratio, quæ pro intellectus vnitate possit designari, vt *quod.*

Tum sic. Sed nisi omnia obiecta negativa, & fictitia rationis, sint proprie, & simpliciter entia, sive a realibus entibus indistincta, non poterunt participare rationem entis proprie, & simpliciter, vt patet. Ergo neque possent esse obiecta nostri intellectus. Ergo cum talia sint, & vere, & realiter intelligibilia, ab entibus realibus debent esse obiective indistincta.

Sect. 2. Probatio a Contradictorijs.

14 Prob. 8 Et efficaciter. Hæ propositiones; *Homo non est equus*: *Homo est animal*; vt pote veræ representant obiectum verum, & reale, non solum possibile, sed etiam

necessarium, quia sunt necessariq, & æternæ veritatis. Ergo etiam earum contradictorię falsæ, entis rationis factivæ, *Homo est equus*, *Homo non est animal*, idem ipsum objectum reale omnino repræsentare debent; cũ tamen repręsentent, & faciant ens rationis; ac proinde ens rationis obiective, & adæquate erit reale. Conseq. prob. Tum quia alias contradictoriæ non essent *eiusdem de eodem*, circa idẽ omnino obiectum. Tum quia multo magis diversa sunt *ens reale*, & fictum intrinsece, quam Pẽtrus, & Paulus; si autem vna contradictoria respiceret Petrum, & alia Paulum, minime sibi contradicerent; multò ergo minus controdictoriæ essent, si vna de obiecto reali, & altera de obiecto intrinsece fictitio enuntiaret. Ergo vtraque tam falsa, quam vera contradictoria idẽ omnino obiectum habere debet. Sed obiectum contradictoriæ veræ est omnino reale. Ergo etiam obiectum contradictorię falsæ, & factivę entis rationis omnino reale erit; & consequenter ipsum ens rationis, quod facit, nihil non reale obiective importabit.

15 Confirm. Quia ipsemet apprehensiones, v. g. *homo*, & *equus* quæ præcedunt iudiciũ negativũ verũ, *homo non est equus*; præcedũt, similiter, & disponunt ad iudiciũ affirmativum, & fictivum entis rationis, vg. *homo est equus*: quia positis illis duabus apprehensionibus tantum, omnino simplicibus, indifferens est intellectus, vt determinetur, ad alterutram enuntiationem, sive affirmativã, sive negativam; vnde ad vtramque; cædẽ apprehensiones deserviunt. Sed illę apprehensiones repręsentant terminos omnino reales, & positivos, vt patet. Ergo vtraque contradictoria tam factiva entis rationis, seu falsa, quam non factiva, seu vera terminos omnino reales, & positivos repræsentat; atque adeo nullo modo intrinsece obiective fictitios. Conseq. ostenditur; quia per iudicium nullum aliud objectum repręsentari potest, quam quod prę cedit apprehensum, nihil enim est iudicatũ, quin fuerit apprehensum; sicut nihil volitum quin præcognitum: ergo si in his apprehensionibus, *homo & equus*, totum obiectivum est intrinsece reale positivũ ita erit, & in vtroque iudicio contradictorio, pro quo disponunt.

16 Vrgetur hinc aliter Concl. Quia id quod tantum ablato, manentibus omnibus alijs constitutivis, saltem per impossibile, nõ manet constitutum, est illius essentiale constitutivum, ex d. 48. n. 6. & sępius. Sed manentibus omnibus obiectivis constitutivis intrinsecis entis rationis, ablata tantum cognitione falsa, seu fingente, non manet ens rationis obiectivũ, ergo illud essentialiter per ipsum fingentem cognitionem cõstituitur. Min. prob. quia omnina obiectiva constitutiva intrinseca entis rationis manẽt in obiecto propositionis veræ contradictoriæ, rationis entis nõ factivæ, alias vtraq; contradicto-

ria

ria non esset eiusdem de eodem, sive de eodem prorsus obiecto; sed tamen in obiecto contradictoriæ veræ non manet ens rationis, solum quia deficit cognitio, seu propositio fingens, & falsa; ergo hac tantum ablata non manet ens rationis.

17 Resp. 1. RR. in propositionibus contradictorijs solum esse idẽ subiectum, & prædicatum signate, & hoc sufficere; vt sint eiusdem de eodem, scilicet de eodem equo, & homine reali; exercite tamen eiusdem de eodem non esse, quia exercite & per modum effectus intentionalis resultat diversus Equus & homo fictitius, in quo consistit ens rationis: quod materialiter se habet ad contradictiocem.

Contra 1. Quia cognitio vt repræsentativa obiecti nullum aliud habet exercitium, nisi signate significandi, sive repræsentãdi, alias etiã cum repræsentat vere sua obiecta, posse mus confingere alium Petrum signatum v.g. & alium Petrum exercite tactum. Atqui propositio illa: *Equus est homo* habet pro obiecto signato Equum realem possibilem, non minus quam eius contradictoria; ergo eundem habebit pro obiecto exercito, seu fictitio.

18 Contra 2. Quia obiectũ, quod tã signate, quam exercite per judicium attingitur, est idem quod per prævia apprehensionem concipitur, & de quo rogatus intellectus, quid, & de quo enuntiet? Ab ipso designaretur. Sed obiectum, quod præcedit apprehensum ante propositionem *homo est Equus*, est ipse homo realis positivus, qui vnice per apprehensionem *Homo* repræsentatur, & similiter *Equus*, realis eo modo apprehensus; & si intellectus rogetur, de quo affirmet? se per dicet, se de homine vero affirmare, quia circa falsum vt falsum assensum præbere non potest; & similiter si hæreticus rogetur, de quo dicat, *Deum esse causam peccati*, semper de Deo vero tam signate, quam exercite se loqui dicet, ergo.

19 Contra 3. Quia inexplicabilis est illa resultantia, sive exercitiũ & modus effectionis intentionalis, quo obiectivum illud idolũ ex cognitione falsa resultaret, nisi sit ipse modus signatus cognitionis, & repræsẽtationis. Si enim alius modus cõcipiatur, quasi effectivus, iam erit effectio realis; omnis enim dependẽtia à causa effectiua, etiã moralis, nisi purè intentionalis, & extrinseca denominativa sit in esse obiecti, solum physica effectiva esse potest, vt dependentia moralis præmij à merito, quæ saltem mediatè physica & effectiva est. Vel assignetur quænam sit, quod numquam ab Adversarijs præstabitur. Ergo.

Urgetur, *Vel* illa attingentia exercita est enũciativa: & ita erit etiã signata prædicando prædicatũ fictitiũ de subiecto; vnde jã duplex prædicatio erit in propositione falsa; & secũdum hanc exercitam non erit contradictoria veræ, quæ nihil fictitiũ attingit. Deinde illa esset vera vt dicam

cam num. 29. Erit etiam omnino otiosa, imo contra experientiam, hæc secunda enuntiatio; cum per primam signatam optime exprimatur, quicquid intendit propositio dicere de suo subiecto. Demum cũ prima signata enuntiatio falsa sit, & tamen nihil fictitium intrinsecè ob iectivè attingat; eodem modo exercita, licet falsa seu fictiva, se habere potest; & consequenter vtraque circa obiectum purè reale fictiva erit entis rationis. *Vel* attingentia exercita non est enuntiativa; & ita nulla erit; cum propositio circa subiectum & prædicatum sum aliã habere non possit, ab ea enim subjectum & prædicatum talia sunt, vt constat ex d. 2. n. 8. & d. 5. n. 17.

20 Resp. 2. RR. ex Card. Lugo *d. 2. de penit. a n.* 17. Quod omnis propositio est simul explicitè enuntiativa vnius contradictorij, & negativa implicite alterius, vnde dum per accessum affirmat *Hominem esse rationalem* per recessum negat *esse non rationalem*. Similiter dicunt, propositionem factivam entis rationis, v. g. *Equus est homo*, per recessum attingere Equum & hominem realem, quia recedit à veritate distinctionis vtriusque, in quo adversatur suæ cõtradictoriæ veræ, & per accessum attingit Equum & hominem fictitium amplectendo vtriusque identitatem falsam, in quo etiam contradicet veræ illam neganti, & hoc modo temperant duos illos modos signatum, & exercitum, attingendi complex obiectum reale, & falsum, per contradictorium fingentem ens rationis.

Contra 1. Quia vt dicam in *lib. de Anima* cum P. Arr. d. 3. de pœnit. a n. 21. tam contra experientiam actuum nostrorum intellectus est, Quod nullus sit purus assensus, quam quod nullus in voluntate sit purus amor, aut nulla sit negativa propositio, vt volebat Caramuel d. 57. n. 2. Vnde sicut hic ab omnibus rejicitur, rejici debet illa duplicatio affirmativa & negativa omnium actuum, quam nullo modo experimur.

Contra 2. Quia in hoc ipso recessu à veritate reali, sive a reali distinctione Equi & hominis, redit difficultas; hic enim recessus nihil aliud est, quam implicita negatio distinctionis inter Equum & hominem; imbibita in illa affirmatione identitatis, *Equus est homo*: sed illa negatio est falsa, & consequenter factiva entis rationis, vt patet; tam enim falsum est dicere, *Equus non est distinctus ab homine*, quam dicere *Equus est homo*: ergo si ille implicitus recessus per negationem, solum attingit Equum & hominem realem actus fictivus entis rationis solum obiectum reale attinget.

22 Contra 3. Quia si ille accessus per affirmationem *Equus est homo*, solum amplecteretur, identitatem fictitiam Equi & hominis ficti; esset omnino verus; solum enim affirmaret quod Equus fictitius esset idem fictitiè cum homine similiter fictitio; hoc autem omnino verum est: vt dicam a n. 29. Ergo ille actus, vt

est

est accessus, non attingit objectum fictitium, alias erit verus, & non finget ens rationis.

23 Contra 4. Ille actus *Equus est homo*, vt est accessus sive affirmatio sui obiecti, debet attingere idem ipsum obiectum, quod eius contradictoria, vt est recessus ab illo seu negatio illius, quia contractotiæ vt tales debent esse affirmatio & negatio ejusdem de eodem. Sed contradictoria, *Equus non est homo*, vt est recessus seu negatio, respicit obiectum omnino reale, cum vt talis sit vera, & consequenter de obiecto vero & reali: ergo illa, *Equus est homo* vt accessus, seu affirmatio, & consequenter vt fictiva seu factiva entis rationis, respicit obiectum omnino reale.

24 Resp. 3. RR. sufficere, vt cõtradictoriæ sint ejusdem de eodẽ; quod tales sint æquivalenter, licet objecta realiter formaliter sint distincta; sic enim omnis contradictoria negativa, v.g. *Petrus non currit*, respicit obiectivam *carentiam* seu negationem cursus; & tamen contradicit affirmativæ, quæ respicit prædicatum positivum; v.g. cursum. Ens autem reale & rationis sibi invicem similiter æquivalent ad contradictionem, sicut ens positivum, & negativum.

Contra 1. Quia ex hoc ipso capite dicam *in Metaphys.* non dari negationes obiectivas, neque contradictoriæ negativæ correspondere ex parte obiecti, tales negationes: alias dum dico, *Deus non peccat*, negarem negationem peccati divini, & consequenter falso; ex d. 6. n. 6. Ergo in cõtradictorijs tota negatio se habet ex parte actus; obiectivé verò ipsum prædicatum positivum negatur in vna, quod affirmatur in alia; atque ita etiam debet idem prædicatum reale, quod affirmatur in vera, negari in falsa, & factiva entis rationis.

25 Cõtra 2. Quæ *conventio lucis ad tenebras?* Nõ enim apparet quæ æquivalentia esse possit inter prædicatũ reale & rationis, vt affirmatio vnius, & negatio alterius possit ad contradictionem sufficere: cum multo magis differant, quam Petrus & Paulus, de quibus affirmatio, & negatio non posset esse contradictoria circa idem, v.g. *Petrus currit, Paulus non currit*. Et declaratur: quia si implicite ea sibi æquivalerent quoad contradictionem, hæc valeret, etiam si explicitè exprimeretur, saltem quoad pugnã vtriusque qualitatis: sicut definitio & definitum, v.g. *Homo est vivens*, *Animal rationale non est vivens*, æquè pugnant, quia implicitè sunt idem: *Homo*, & *animal rationale*, & sibi æquivalent quoad veritatem contradictionis. Ergo si ens rationis, & reale ita sibi æquivalent, valebit hæc contradictio: *Equus realis nõ est homo realis*: *Equus fictitius est homo fictitius*. Quod nemo dicet, quia vtraque propositio verissima est.

26 Resp. 4 P. Maza: quod quando contradictoriæ versantur circa materiam sive identitatem impossibilem; affir-

affirmando, & negando illam; tunc vtraque contradictoria tã falsa, quã vera respicit ens rationis, v. g. *homo est Equus, homo non est Equus*, quia vtraque respicit identitatem impossibilem, & chymæricam hominis, & Equi. At vero quando contradictio est in materia, sive identitate necessaria, sive possibili; v. g. *homo est animal: homo non est animal*; neutra propositio respicit ens rationis, quia vtraque repræsentat identitatẽ realem & possibilem, inter terminos reales & possibiles; ac proinde nihil chymæricum, sive intrinsece objective fictitium respicere potest.

27 Contra 1. numquã enim percipere potui, quod propositio, *homo nõ est animal*, seu *non est rationalis*, non faciat, & fingat ens rationis, æque chymæricum, ac altera *Equus est rationalis*. Tum quia iuxta ipsos etiam Adversarios apprehensio complexa *homo non rationalis*, sive *irrationalis*, nec non propositio, *Homo est irrationalis*, repræsentat obiectum impossibile chymæricum; sed non minus repræsentat identitatẽ objectivam hominis cum irrationali, propositio negativa, *Homo non est rationalis*, ergo æquè chymericũ, & fictitium ens rationis repræsentat. Min. prob. Tũ quia quãdo duæ veritates identicè per mutuam consequentiam inferuntur, eandem met objectivam realem veritatem, vel falsitatem terminorum important, vt est evidens patitate definitionis & definiti &c. Sed ita valet cõsequentia, *Homo non est rationalis, ergo necessarius est homo non rationalis, sive irrationalis*: & econverso. Ergo. *Tum* quia vt dicam in *Metaph.* cum ipso P. Maza, non dantur reales objectivæ negationes, sed ipsi met termini vt negabiles per mentem, negationẽ constituunt: sed æquè negatur rationalitas hominis per Propositionem negativam, *Homo non est rationalis*, ac per terminos negativos, *Homo non rationalis*, vel *Homo est irrationalis*; ergo eadem veritas realis objectiva, sive potius objectiva falsitas negativa, attingitur per vtrumque actum: ac proinde vtrobique chymærica. Sed nihilominus debet esse adæquatè reale positivum, vt sit ejusdem de eodem cum sua contradictoria vera, *Homo est rationalis*; ergo ens rationis Chymæricum, est adæquate reale positivum objectivé.

28 Contra 2. Quia similiter mihi est imperceptibile, Quod per propositionem omino veram, *Homo non est Equus*, ens rationis Chymæricum fingatur, quale per ejus contradictoriam falsam [licet fatear ens rationis non fictitium formari posse, quale explicui d. 61. n. 6. per Ly *non est*, eo quod per alienas species vnionis quam removeret, objectum tali vnione sive identitate carens repræsentet, de quo d. 65. n.] *Tum* quia ea propositio eosdem terminos reales, quos prævia apprehensiones repræsentabant, tantum modo attingit, vt n. 14. dicebam. *Tum* quia veritatem eandem objectivam realem attingit, ac terminus complexus, *Equus*

non

non rationalis, cum ad invicem valeat mutua consequentia: *Homo non est Equus, ergo necessarius est homo nō Equus*; & e converso. *Tum*, quia veritas obiectiva *Homo non est Equus*, est necessaria, & æterna, non minus quam, *homo est rationalis*; ergo æquè repugnat esse *Chymerica*, & fictitia intrinceſe obiectivé.

Sect. 3. Probatio a falsitate Propositionum.

29 Prob. 9. a falsitate propositionis, falso factivæ entis rationis, quæ de medio omnino tollitur in propositione, *Equus est rationalis*, v. g. in qua juxta DD. 1 sent. omnes termini sunt fictitij, & à realibus positiuis distincti; quia, vt putāt, propositio illa non affirmat de hoc *Equo* reali, qui existit, & rationalis nō est, sed de alio in mente concepto, qui est obiectivè rationalis; & similiter non affirmat *rationale*, quod existit, repugnans cum Equo, sed aliud omnino distinctum; ita enim respondere, ſe apprehendere, & velle dicere, qui ita affirmaret. Sed ex hoc sequitur, eam & similes propositiones, factivas entis Chimærici, esse veras. Probatur. Quia ille Equus Chymæricus, per vos, non est hic realis, sed alius qui obiectivè est rationalis: ergo si affirmatur de ipso esse rationale, similiter Chimæricum, vt obiectivè est; affirmatur de ipso quod vere & obiectivè ita est; ac proinde non cognoscitur aliter ac est, nec falso, sed omnino vere, & consequenter affirmatio illa, *Equus est rationalis*, erit omnino vera.

30 Confirm. Quia si explicite dicerem; *Equus rationalis fictitius, est rationale Equinum fictitium*, esset propositio non solū vera, sed æternæ veritatis; cum enuntiet prædicatum, essentiale subiecto ad convertentiā. Sed per vos implicite ita attingitur ea ipsa obiectiva veritas in propositione, *Equus est rationalis*; ergo eodem modo erit vera, imo æternæ veritatis: atque ita omnis propositio similiter falsa, erit necessario vera, & veritatis æternæ.

31 Viget. Hæc propositio, *Equus non est ens reale*, vt pote falsa est, factivà entis rationis; ergo eo ipso est vera; quia eo ipso quod ille Equus sit ens rationis, per vos, vere dicitur de illo, quod *non sit ens reale*.

32 Resp. 1. RR. Ideo esse falsas illas propositiones, quia licet enuntientur prædicata Chimærica de subiecto etiam Chimærico, cui conveniunt, per illas tamen intenditur affirmare prædicata realia de subiectis realibus; quibus vere non conveniunt.

Contra 1. Id enim intenditur, quod rogatus intellectus enuntians, se dicit concipere, & enuntiare; sed per vos rogatus, an dicat, esse Equū rationalem, de hoc ipso, qui rationalis non est, dicet, se minime de illo loqui, neque affirmare rationalitatem: ergo non intendit loqui de reali equo, cum hic rationalis non sit. 2. Quia licet quis intendat de Abele dicere, quod *sit primus parens*,

si tamen præter intentionem immutaret terminum, & de Adamo id affirmaret; non ideo re ipsa falsum diceret, licet falsum dicere intendisset; quia præter intentionem verum enuntiavit. Ergo pariter, præter intentionem enuntiabit verum omnis propositio falsa, quia licet intendat affirmare de subiecto reali prædicatũ disconveniens, præter intentionẽ tamen concepit conceptum Chimæricum, cui prædicatum disconveniens non erat.

33 Respond. 2. Ideo propositiones de obiecto Chimærico esse falsas, quia debent repræsentare prædicatum & subiectum reale, de quibus falsificarentur.

Contra 1. quia patienter ferri nõ potest, quod propositio teneatur repræsentare subiectum, de quo falsificetur; potius enim omnes tenemur ad verum, quam ad falsum. 2. Cur propositio *homo est rationalis*, non teneatur repræsentare subiectum, de quo falsificetur, è contra vero infelicior sit propositio *Equus non est eus reale*, vt teneatur ad se falsificandam, sive ad mentiendum, contra ipsum Decalogom? 3 Nemo tenetur ad impossibile, sed impossibile est propositioni de obiecto Chimærico repræsentare terminos reales, de quibus falsificetur, quia nequit obiectum mutare, ergo ad id non tenetur. 4. Teneri, & debere est moralitas orta ex obligatione legis, cuius incapax est propositio, maximè in tendentia essentiali. 5. Data mirabili hac obligatione repræsentandi subiectum reale; si tamen propositio illud non repræsentat, licet sit inobediens, non tamen erit falsa: sicut licet Superior mihi præciperet, affirmare de equo, *esse hominem*, si tamen solum de Petro, esse hominem affirmarem, inobedienter quidem, sed veram affirmationem elicerem Ergo.

34 Respond. 3. DD. 2. sent. se propterea non dicere, quod totum obiectum propositionis falsæ, *Equus est rationalis*, sit Chimæricum, sed solum vnionem, sive identitatem; ac proinde, verum, & reale rationale de vero equo tunc affirmari, & ideo falsò, & per identitatem fictitiam & falsam.

Contra 1. Quia hi DD. multo inconsequentius loquuntur, dum *solam* identitatem Chymæricam faciunt, vt n. 36. patebit. 2. Quia sufficit, quod identitas sit fictitia, & Chimærica, vt propositio falsa, reddatur vera; quia de homine vero & reali dici potest, *quod est fictitie Equus sive per identitatem Chimæricam & fictitiam*. Quia hoc idem est, ac dicere: *quod homo fingitur esse Equus* & hæc fictio vere & realiter datur in propositione ita fingente. Ergo. 3. Declaratur. Quia verum est dicere, *quod Deus fictitie est causa peccati*: quod *Verbum Divinum fictitie est creatura*, quia per has propositiones solum affirmatur, identitatem illius prædicati cum subiecto esse confictam ab hæreticis, & re ipsa Chimæricam. Sed per vos per omnem propositionem falsam de obiecto Chimæri-

mærico solum affirmatur fictitia & Chimærica identitas prædicati disconvenientis subiecto; ergo omnino vere illa affirmatur.

Sect. 4. Aliæ probationes, ad hominem.

35 Prob. 10. contra DD. 1 sent. Quia negare non possunt, quod hæretici negantes Deo Trinitatem, vel libertatem, aut impeccabilitatem, sive affirmantes de ipso prædicata disconvenientia hæreticalia; omnia illa enuntiant de hoc ipso Deo vivo & vero, de quo per fidem opposita prædicata affirmamus, alias non essent infideles, nec fidei contradicerent, si de alio Deo fictitio, de quo fides prædicata revelata non affirmat, ipsi contradictoria affirmarent; vt patet. Neque esset, cur Theologi cum Hæreticis digladiarentur pro illo Deo fictitio, si de nostro vero Deo non affirmarent, neque affirmare possent Hæretici. Ergo cum hæc omnia sint absurda, dicendum est, quod per eas falsas hæreticas propositiones, per quas figmenta & entia rationis Hæretici efformant, verum Deum vt subjectum respiciunt; non vero intrinsecè obiectivè fictitium. Circa prædicatum vero redit eadem retorsio, quia similiter nõ esset erroneum negare Deo *fictitiam Trinitatem, libertatem*, &c. imo vere negaretur; nec Theologi de illa essent soliciti, cum illam non statuat, sed potius detestetur fides. Ergo pariter &c. Denique somno simile videtur, quod viri docti asserant, neminẽ posse falsõ negare de eo ipso reali subjecto, & idem ipsum reale prædicatum, de quo, & quod alter verè affirmat, dũ inter se disputant Vt quid ergo tantæ Disputationum voces, & contradictiones, si alter negare non potest, idem, & de eodem, de quo alter affirmat?

36 Prob. 11. contra DD. 2. sent. qui factam retorsionem minimè effugiunt, vt n. 34. ostẽdi. Aliunde vero minus cõsequenter procedunt. Quia si identitatem sive vnionem entis rationis intrinsecè fictitiam efficiunt, deberent etiam ipsa extrema intrinsece fictitia conficere. Ideo enim Equi & hominis, vnio sive identitas est fictitia intrinsece, quia nulla idẽtitas possibilis esse potest hominis, & Equi; sicut per actum *Equus ist homo* repræsentatur. Atqui similiter nullus homo possibilis, neque vllus Equus possibilis talis est, sicut per eum actum repræsentatur. Patet ad hominem. Quia per eum actum non repræsentatur Equus vt cumque, sed qui homini identificatus est, nec homo vt cumque, sed identificatus Equo; sed homo & Equus, vt taliter identificati, non sunt possibiles, non minus quam vnio & identitas vtriusque. Ergo si hæc propterea est diversa & distincta ab omni possibili, ita & ipsi Homo & Equus, fictitiè repræsentati, distincti erunt ab omni possibili. Vel si hi nihilominus possunt esse realiter possibiles in se, licet in eo modo extrinseco cõcipiendi sint impossibiles, ita pariter & ipsa iden-

tas conficta in se á possibilibus indistincta esse poterit.

37 Prob. 12. ad hominem contra P. Arr. qui ea d. 3. de pœnit. a n. 21. vt ipsum d. 6. cum laude sum secutus, optimè statuit, in propositione non debere correspondere identitatem specialem, objectivè superadditam terminis, sicut non correspondet propositioni disjunctivæ specialis obiectiva disjunctio, nec copulativæ specialis obiectiva copulatio, secundum illas expressiones, *&, vel*; sed eos omnes modos sufficienter salvari in speciali modo tendendi actus extrinseco, denominativè refuso in obiectum. Unde infertur evidenter, quod dùm affirmat quis, *Equum esse rationalem*, non requiritur, quod attingat identitatem superadditam, & distinctam objectivè ab ipsis terminis realibus. Atqui secundum ipsum P. Arr. ea d. 7. n. 12. non aliter fit tunc Ens rationis fictitium intrinsecè, & à terminis realibus condistinctum, nisi ratione identitatis superadditæ fictæ. Ergo si hæc per te superaddi non debet, cessat tota cõfictio Entis rationis, à realibus objectivè cõdistincti.

Vrgetur ex ibi dictis. Tum quia identitas est eadem entitas terminorum per te, ergo si Termini illius propositionis, *Equus est rationalis*, sunt reales, eorum identitas, erit vtraque ipsorum entitas realis. Tum quia alias ea propositio non affirmaret eandem identitatem, quam negat eius contradictoria vera *Equus non est rationalis*, ac proinde non essent contradictoriæ; cum negativa vt pote vera, & consequenter non factiva entis rationis, identitatem realem respicere debeat. Tum quia non esset falsa prædositio, *Equus est rationalis*, si solum attingeret, ac proinde affirmaret, identiratem fictitiam, quæ vere datur, ex n. 34.

38 Prob. 13. ad hom. contra P. Compt. qui d. 13. tota s. 3. asserit, aliqua entia rationis a realibus omnino indistincta esse debere; v. g. si quis simul & semel apprehendat simultatem duarum formarum incompossibilium, in subiecto capaci earũ divisive, vt gratiæ & peccati, assensus, & dissensus, amoris, & odij circa idẽ obiectũ. Quia hæc simultas nihil est aliud, quam reales vniones vtriusque formæ oppositæ in eodem instanti reali, cum eodẽ subiecto reali: ergo nihil concipitur in eo obiecto impossibili, sive simultate incompossibili, nisi termini reales possibiles. Tunc sic. Illi termini oppositi & repugnantes possibiles, apprehenduntur cũ prædicato Chimærico, quo realiter obiective carent, scilicet cum capacitate simultatis inter se, non minus quam cum apprehenditur *Equus rationalis*, concipiuntur cum capacitate identitatis Chimæricæ inter se. Ergo sicut apprehensio illa simultatis Chimæricæ nihil obiectivum superaddit terminis realibus inter se repugnantibus, per te: ita nec apprehensio identitatis Chimæricæ aliquid superaddet obiectivum terminis realibus, quoad identitatem repug-

nantis-

mantibus, sed tota additio, & fictio æque in modo concipiendi extrinseco consistet vtrobique.

39. Prob. 14. ad hom. contra P. P. Hurt. n. 80. P. Arr. n. 28. P. Yzq. n. 12. & alios RR. qui communiter & optime asserunt, propositiones falsas in materia contingenti, & possibili, facere ens rationis fictitiũ v.g. *Alius mundus existit*; *Antichristus salvabitur*, &c. Et idem dicunt de cognitione falsa sensuum, v. g. circa colores iridis, vt existentes, qui tamen sunt possibiles Cuius ratio est, Primo quod eius modi cognitio falsa repræsentat obiectum aliter, ac est, & falso tribuit prædicatum disconveniens; non minus, quã propositio affirmans in materia impossibili; ergo æque erit fictiva. 2. Quia obiectum illud, vt existens absolute, solum habet esse obiectivũ in potentia fingente; cum in se tam absolute non existat, quam impossibile ipsum. 3. Quia non est ratio, nisi petendo principium, vt attribuere possibilitatem impossibili, sit ens rationis; non vero attribuere existentiam non existenti, cũ æque vtrobique fingatur, & quod non est quasi tale esset, concipiatur: quidquid dicant P. Compt. d. 16. sect. 4. P. Ovied. p. 2. P. Alph. n. 10. & P. Quiros supra, cum P. Smigles.

Tunc sic. Sed obiectum falsum, seu fictitium in materia contingenti, & possibili, est omnino reale positivum, vt pote possibile reale, seu realiter non repugnans; qualis est exístentia alterius mundi, & ipsa futuritio salvationis Antichristi, absolute possibilis. Ergo ens rationis fictitium à reali, & possibili est indistinctum.

40 Resp. RR. propositionem falsam repræsentare existentiam alterius mũdi ex suppositione, quod nõ sit, & ita esse impossibilem.

Contra 1. quia ita non esset propositio falsa in materia contingenti: si enim eam suppositionem repræsentaret, esset in materia impossibili, qualis est simultas existentiæ, & non existentiæ. 2, Illa propositio *alius mundus existit*, explicite non exprimit carentiam existentiæ, vt patet, sed neque implicite; cum in obiecto explicito, scilicet in existentia, non involvatur carentia cõtradictoria existentiæ, vt est notum ergo. 3. Quia in cognitione sensitiva colorum iridis, non datur locus huic repræsentationi duplicis contradictorij, vt patet.

41 Prob. 15. ad hom. contra P. Ovid. P. Alph &c. qui licet negent obiectum possibile secundum se esse posse Entis rationis, judicant tamen, quatenus ex suppositione aliqua fit impossibile, posse vt constituũ cũ ipsa reali suppositione, in esse Entis fictitij constitui; v. g. Si quis audiat ab vno, *Petrum currere in instanti A*, & simul ab altero *Petrũ nõ currere in instanti A*, eo ipso quod simul audiat vtrumq; cõtradictoriũ, simul vtrumque concipiet, vt obiectũ vtriusque propositionis auditæ; sed vt obiectum propositionis auditæ, vnumquodque contradictoriũ

est

est possibile; & tamen vt simul audirum componit vnum obiectum chimæricum impossibile; Ergo pariter in vniversum ex duplici obiecto reali possibili, sed tamen incompossibili, poterit concipi ab intellectu vnum Ens rationis chimæricum, a realibus possibilibus indistinctum.

Vrgetur, & declaratur. *Petrum currere, ex suppositione quod non currat*, tã impossibile, & chimæricũ ens rationis esset, quã chimæram existere, quia non minus implicat, seu involvit contradictionem, sed nihilominus, cursus Petri est absolutè realis possibilis, & solum ex suppositione impossibilis. Ergo ens rationis chimæricum potest esse absolutè reale possibile.

42 Prob. 16. ad hom. contra RR nostros, qui cum P. Compt. P. Peñaf. P. Santacruz, & alijs, quos *in Metaph.* rejiciam, asserunt, entia realia negativa dari, non minus realiter suo modo negativo, quam positiva suo; quia verè, & realiter impossibilis est alius Deus; Tobias est cæcus &c. Sicut vere realiter est vnus Deus; Tobias visum recuperauit &c. Tum fic: illud idolum objectivum fictitiũ intrinsece; vel est realiter & vere impossibile; vel realiter, vere possibile? Item, vel est realiter producibile a Deo; vel realiter ab ipso non producibile? Si impossibile, & improducibile realiter; erit per vos negativum reale. Si realiter possibile, & producibile, erit reale positivum. Ergo nunquam ab ente reali distinctum.

43 Tandem imponat coronidem Probatio *Animastica*, vt efficax, ita specialis, & speciosa, ab speciebus impressis, quas intellectus solum accipere potest ab obiectis realibus, & consequenter de ipsis solum, vt obiectis; cum nihil possit cognoscere, nisi de quo habet speciem. Sed quia hæc ratio a R. P. N. Generali *supra* a n. 19. sapienter adeo tractatur, vt nihil sit quod addere, vel demere possim, videnda erit apud ipsum. Et insinuasse sufficiat, vt sententia nostra valide, adeo probata, quæ ante me perdoctæ nostræ Provinciæ non fuit visa probabilis; doctæ jam a Sapientiss. nostro Magistro Generali, vnice probanda videatur.

Sect. 5. Obiectiones aliquæ.

44 Obij. 1. S Th. supra d. 61. n. 2. inquiens, Ens rationis esse, *Quod in re, & in se non est ens, & concipitur vt ens.* Ergo nihil involvit objectivum, quod realiter in se ens sit.

Resp. dist. antece. & mentem S. Th. Ens rationis est quod in re & in se non est ens, idest, non est vnum ens simpliciter obiective, *concedo*: non est ens per accidens, seu multiplex ens obiectivum, ex quibus quasi vnum quid conceptis, *concipitur vt ens*, extrinsece ex modo concipiendi, *nego*. Et hinc neg. consequent. Sicut enim acervus lapidũ, & quodvis ens per accidens extrinsecum, per modum vnius conceptũ, vt Domus, Religio, exercitus, &c. non est ens, sed tamen est entia realia, seu multiplex ens reale Logicæ,

&

& extrinecse adunantũ, per modũ collectivum; ita pariter ens rationis: hoc tamen erit etiam fictitium, quia ex entibus disconvenientibus in modo essendi cum modo repræsentandi, vt dicam n. 58.

45 Obij. 2. Ex con. 2. Ens rationis definitur, *quod habet totum suum esse obiectiue in potẽtia fingente.* Ergo nihil sui esse habet realiter, & in se, sive indistinctũ ab entibus realibus.

Resp. distinguendo similiter anteced. & definitionem: Ens rationi est, quod habet totum suum esse in potentia fingente, totum in ratione v*nius esse totalis*, concedo: totum totaliter, secundum singulas partes obiectivas nego: quia hoc modo sicut ens per accidens totas suas partes obiectivas reales importat, ita & ens rationis suas. Sicut autem dicitur, totus homo esse genitus; seu habere totum suum esse a Patre generante, quia ab illo per generatio nẽ accipit totalitatem, sive vnionẽ, qua fit vnum totum genitum, licet nõ omnes illius partes generentur; quia nec anima, nec materia hominis genitæ sunt, sed a Deo creatæ: ita, vt dicatur ens rationis habere totũ suum esse à potenta fingente, sufficit quod ab illa accipiat totalitatem, sive vnitatem, & vnionem quæ fit, & constituitur ipsa fictione. Et hoc ipsum in omni Ente per accidens evidentius contingit; Religio enim totum suum esse habet a fundatore, quia licet constituatur ex Religiosis, qui ab illo esse non habent, tamen ab illo accipiunt eam moralem vnionem, & ordinationẽ, qua extrinsecè moraliter, in vnum morale, vel sacro politicum ens adunantur. Et sic de alijs.

46 Obij. 3. Ens rationis, saltem eo modo morali, habet totum suum esse obiectivum infictione; ergo per ipsam fictionem nõ constituitur; alias fictio haberet obiectivum esse in se ipsa.

Resp. distinguendo duplex Ens rationis, aliud concretivum, aliud, subiectivum, vel obiectivum reale, sicut duplex cognitum, & in vniversum pro omni denominatione distinguitur denominatũ; tum subjectivũ, tum concretivum. Subjectivum est cui tribuitur denominatio, vt pariet denominatio visi, vel cogniti: cõcretivum est ipsa denominatio, vt in concreto resultans, v. g. visum, cognitum. &c. Dum ergo dicimus, Quod visum tale est formaliter, & essentialiter a visione, vt obiectum illius, non ideo dicimus quod ipsa visio sit obiectum sui, vt pote, qua visum ipsum, quod est obiectum, constituitur; quia tunc denominatio visi, tanquam supra subiectum, cadit solum supra parietem, connotando visionem, vt formam denominantem. Si vero sumatur concretive visum, ita formam etiam denominantem, sive visionem involvet, quia visum concretive non est quod videtur, sed quod resultat ex visione, & pariete viso. Patet ergo dum dicimus, ens rationis habere esse obiectivũ in fictione, loquimur de ente rationis subiective, & ob-

jective

jectivo reali, sive de objecto, & subjecto, quod ens rationis, seu fictum & fictitie cognitum denominatur; & ita ipsa fictio, & cognitio de connotato se habet, atque adeo ipsa nō dicitur in recto habere suum esse obiectivè in fictione. Quādo vero loquimur de Ente rationis, vt concreto, quod resultat ex obiecto, & fictione; vt sic non dicimus habere esse obiectivum in fictione, sed constitui ex obiecto reali, & ipsa fictione, vt præbente terminis obiectivis modum essendi in mente, aliter ac sunt in se.

47 Obij. 4. Hic modus essendi obiectivè in fictione, seu cognitione, nihil aliud, est, quam ratio ficti seu cogniti; omnino distincta a modo essendi reali obiectorum, quæ nihil aliud esse potest, quam ipsa cognitio: sed Ens rationis consistit solum in modo essendi obiectivo; ergo consister adæquatè in sola cognitione, vt ab obiectis realibus distincta.

Resp. propter hoc argumentū, ab Spinula, citato n. 3. constitui modum obiectivum in sola cognitione nostra, seu in verbo mentis; in quo quasi in pictura quadam intelligimus, sive intus legimus obiecta realia, quin ipsa immediatè, & formaliter attingamus. Similiter a P. Yzquierdo d. 1, *Phar.* q. 3. hoc esse obiectivum constituitur in phantasmate substituto, seu in actu phantasiæ nostræ, in quo quasi in imagine omnia obiecta non sensibilia cognoscimus, vt d. 65. videbimus. Sed cum vtramque in *libris de Anima* rejiciamus, quia tollunt veram, & propriam obiectorum cognitionem: facilius *dist. maj.* Modus essendi obiectivè, seu ratio ficti, & cogniti, nihil est aliud, quam ipsa cognitio; secundum formam, sive, quod dicit de formali, *vtquo*, concedo; secundum subjectum, sive quod dicit de materiali, *vtquo*, & vt materiam circa quam actus versatur, nego. Sicut enim ratio Cæsaris depicti, seu repræsentati per picturā, dicit deformali picturam ipsam, qua repræsentatur, & de materiali sive obiectivo; & obiectivo ipsum Cæsarem: ita obiectum cognitum, atque etiam fictum, dicit *vt quo*, & deformali fictionem, & de materiali sive, vt *quod*, obiectum fictum; & in vtroque consistit esse obiectivū. Quoniam vero ille modus obiectivus formalis, quo est, & quasi depingitur Ens rationis in cognitione fingente, non conformatur cum esse obiectivo materiali, quo ipsum est in se realiter; ideo dicitur Ens rationis habere illud esse solum obiectivè in cognitione, seu in modo obiectivo formali cognitionis, quia eo modo ficto solum se habet in modo extrinseco cognitionis, nō in se, quia ita aliter est, ac in illa.

48 Obij. 5. Ens rationis chimæricum, si actu realiter poneretur vt ab intellectu fingitur, esset quid actu novum, realiter distinctū ab omni ente possibili reali, sed quod fingitur, & attingitur nunc ab intellectu obiective, est obiectum, quod in

in ea hypothesi poneretur: ergo nunc fingitur, & obiective attingitur ab intellectu, objectum novum & ab omni ente reali possibili distinctum. Minor & conseq. liquidæ sunt. Maj. ostenditur, quia si poneretur *alius Deus*, vt à Polithæis asseritur, & fingitur, certè ille non esset hic Deus, cum alius esset ab ipso; nec item esset vlla creatura possibilis, cum creatura non sit Deus, ille autem Deus esset, ergo aliquid & a Deo vero, & ab omni creatura, ac proinde ab omni ente reali possibili distinctum. Quæ antiqua objectio, sub aljs terminis impossibilibus, *alius Gabriel*, *Alius Petrus*, *Alius Ego*, decantata; a P. Quiros recusa sub termino, *substantia supernaturalis*, quæ communiter reputatur impossibilis, & si de novo poneretur, esset aliquid novum ab omni possibili admisso distinctum, demonstratio ab ipso compellatur.

Resp. tamen perfacile, *neg. maj.* Ad exēpla probationis dico, quod si actu poneretur alius Deus, vt fingitur, hic esset vnum aliquod ens possibile à Deo distinctum, v. g. Angelus, vel homo &c. quia cum esset tunc aliquod possibile, nec aliud possibile sit à vero Deo distinctum, sive aliud ab hoc Deo, quam vna aliqua creatura de possibilibus; ille alius Deus vna de illis esse deberet. Neque refert, quod fingatur nunc, non esse creaturam illum alium Deum, vnde si poneretur vt fingitur, deberet poni, vt a creatura distinctus. Quia ex hoc solum sequitur, quod deberet vtrumque contradictorium per se *& indistinctus, & distinctus a creatura*; quia vtrumque involvit ipsa fictio, vt pote implicatoria. Cum enim concipitur *alius Deus possibilis*, vt concipitur esse Deus, esset distinctus a creaturis; vt vero concipitur aliud a Deo vnico vero, deberet esse creatura, quia nihil aliud concipi potest, vt ens obiectivum a Deo vnico distinctum, nisi creatura: vnde vtrumque contradictorium in obiecto vt ficto & concepto involuitur, & vtrumque ponere tur, si poneretur actu talis obiectivus conceptus. Quod melius declaratur in illo impossibili *Alius Ego*, quod si poneretur, vt concipitur, & esset Ego, & esset *alius ame*; quia vtrumque in illo conceptu obiectivo implicatorio importatur. Et idē esset de substantia supernaturali, & reliquis chimæris; quę proindefem peri ipsa obiecta realia vt inter se repugnantia, per modum vnius extrinseca solum fictione copulata, vnice important, ac proinde contradictorie copulata ponerentur ipsa, & nō ipsa, quia extrinsece alia.

49 Obij. 6. Per terminum *Non homo*, significatur obiectum ab omni homine distinctū, quia ita à nobis significari dicemus, si rogemur, quid ea voce significetur? Sed similiter per vocem *impossibile*, seu *Non possibile* significatur obiectum ab omni reali possibili distinctum. Ergo datur talis obiectivus conceptus ab omni possibili distinctus.

Confirm. Qui apprehendit vt

posibilem vocem *Hirco cervus*, dicet non Hircum quemcumque, sed qui identificetur cum cervo significari, & ita etiam mutuo de *cervo*; sed termini, qui ita mutuo identificentur, posibiles non sunt; quia hi sunt inter se distincti; ergo non significantur termini posibiles, scilicet Hircus, & cervus distincti.

50 Resp. dist. maj. per terminum *Non homo*, significatur obiectum ab omni homine distinctum, quia ita a nobis significari, dicemus, tantũ, *nego*; & quia re ipsa in se habet esse reale obiectivum, seu posibile est, tale obiectum, *concedo* Alias, per Terminum *Inintellegibile*, vel. *Obiectum distinctum ab omni posibili, & fictitio tam intrinsecè quam extrinsecè*, dicendum esset, quod tale obiectum detur obiectivé, quia eo modo a nobis apprehenditur: vnde contra ipsos Adverſ. daretur ens rationis; quod neque intrinsece, neque extrinsece esset fictitium, & quod intelligibile non esset, cum tamen eo ipso quod apprehendatur jam intelligitur. Sicut ergo dicimus, quod in his Terminis, ita implicatoriè conceptis, non datur exercitè obiective intrinsecè talis implicatio, sed solum signate extrinsecè in modo concipiendi, sive in sono vocis, seu signi; quia in se conceptibile non est, vt habens esse obiectivũ exercitum re ipsa, sive intrinsecè. Ita cum S. Thom. d. 11. præced. n. 10. laudato, dicimus de omni quocumque obiecto implicatorio, quale est illud, *Non posibile, sive impossibile*, solum in modo extrinseco cõcipiendi, sive in sono vocis designati Impossibile, signatè seu signanter, ab omni posibili distinctum; non tamen, quod exercite, seu in se obiectivè tale sit; cum realiter tale esse non possit, solum enim quod realiter, seu posibiliter aliquid est, in se obiectivé tale est. Quod bene explicatur n 12. exemplo æquivoci signatè, non exercitè talis: & passim alijs rationibus, *differentiæ*, & *individui*, & *speciei subijcibilis*, vt sic, quæ (vt dicam suis locis) exercitè tales nõ sunt, sed solum signate, & quoad sonũ vocis & signi. Hinc nego, conseq. & paritatem a termino posibili, vt tali etiam exercite conceptibili, ad impossibilem, solũ conceptibilem signate vt talem.

Ad confirm. similiter dist. maj. per *Hirco ceruum* significari dicet, hircum identificatum cum cervo. exercitè & in obiecto ipso, *nego*, signatè & insono vocis, *concedo*. Vnde propterea dicitur a Caram. *Ens linguæ*, nõ verò rationis, seu mentis, licet nos etiam in voce mẽtali eam expressionem signi fateamur.

Sect 6. Obiectiones reliquæ.

51 Obij. 7. cum affirmat quis, *Equus est rationalis*, non affirmat idẽtatem puré signatam, seu vocalem, vtriusque termini, alias vere affirmaret, sed identitatem realem obiectivam, vt in obiecto repertam objectivè; atqui non realem posibilem, quia ea posibilis non est: ergo distinctam ab omni posibili, sive intrinsecè fictitiam.

Resp. neg. suppositum, quod sit vel

vel attingatur per actum aliqua specialis identitas, superaddita obiecti vè ipsis entitatibus realibus terminorum, ex dictis n. 37. Vnde solum affirmatur entitas prædicati de entitate subiecti; & quia modus affirmativus est modus proprius cognoscẽdi rem vt possibilem, cum tamen ea identitas sive entitas prædicati, sit impossibilis & repugnans subiecto; ideo dicitur ea identitas impossibilis repræsentari vt possibilis, non quia possibilitas sit afficta ex parte obiecti, sed quia est modus repræsentandi rem vt possibilem ex parte actus, cum tamen sit impossibilitas ex parte obiecti; ex qua disconformitate vtriusque modi, formalis cũ obiectivo, oritur falsitas & fictio. Obiectivè ergo solum est vtraque entitas, & identitas vtriusque termini, quæ prout vna dicitur de alia, repræsentatur quasi identitas vnius termini cum alio.

52 Replicas 1. entitas *Equi* solum potest esse identitas sui ipsius, quia est suitas, seu ipseitas entis: vnde non potest esse identitas cum *rationali* a se distincto; & ita etiam è converso: sed quod affirmatur non est identitas Equi secum ipso, nec etiã rationalis secum; ergo non affirmatur identitas, vt est eadem entitas realis terminorum, sed prout alia impossibilis distincta ab illis, & idẽtificabilis mutuo.

Resp. dist. maj. entitas Equi solum est identitas sui, prout est in se realiter, concedo; prout est in modo concipiendi fictitio, nego. Quia vt sic eadem entitas, vt affirmabilis falso de alia, sive vt conceptibilis per modum vnius cum ipsa, est identitas conceptibiliter cum illa, & cũ quavis alia, cum qua vt vnum quid conciperetur. Sicut ipsa, vt negabilis de alia, dicitur negatio illius, vt sæpe dixi.

53 Replic. 2. Identitas non est prædicatum conceptibilitatis secundariæ entis, sed primarium & essentiale, pertinens ad modum essendi ipsius; ergo dum affirmatur identitas *Equi & rationalis*; non affirmatur secundum eas conceptibilitates, sed secundum esse entitatis.

Resp. dist. *antec.* Identitas non est prædicatum conceptibilitatis; identitas vera, & realis, quæ est in obiecto re ipsa, *concedo*; identitas solum ficta, quæ solum est in obiecto ex modo extrinseco concipiendi fictitio, nego. Vnde nego consq. vel dist: dum affirmatur identitas Equi rationalis, affirmatur secundum esse entitatis exercite, & secundum esse obiectivum, vt condistinctum à modo concipiendi, nego; signate, & in sono vocis, & expressionis, *concedo*: & hinc est falsitas actus, quòd modus signatus expressionis, & vocis non conformetur, cum modo essendi obiecti exercite: quia repræsentatur, vt identitas realis, ex modo concipiendi affirmativo, cum solum identitas conceptibilis ex modo essendi rei in se, seu obiectivo reali, esse possit.

54 Ubi nota, quod cum dicitur, entitates obiectivas esse identitates

sui cum alijs secundum conceptibilitates suas, non intelligi, quod secundum eas conceptibilitates attingantur ab actibus *vtquod*, sive vt objectum quod affirmatur, quia si solum ea conceptibilitas affirmaretur, vere affirmaretur omnino, sed solum se habeat *vtquo*, sive vt ratio motiva *sub qua*, quæ neque] attingi debet simpliciter ab actu, ex dictis d. 40. n 8. & d. 45. n. 7. adhuc implicite, multo autem minus explicitè, vnde propterea non reflectit actus supra se vt commotatum talis conceptibilitatis, ex n. 22. ibi.

55 Repl. 3. in hac propositione, *Identitas Equi & hominis, non est possibilis*; per Ly *identitas* non potest attingi enitas vtriusque, quæ possibilis est tam secundum se, quã vt conceptibilis per modum vnius, quia hæc etiam conceptibilitas est possibilis: vnde falsa esset propositio. Ergo attingitur objectivus conceptus ab omni entitate, & conceptibilitate possibili distinctus.

Resp. nego antec. Quia ipsa vtraque entitas Equi, & hominis, vt per modum vnius concepta, est interse repugnans, & incompossibilis; & hac ratione concipitur sub voce *identitas*, quæ est eadem entitas identificatorum, & consequenter vt impossibilis, sive incompossibis. Et licet ipsa conceptibilitas sit etiam possibilis, vt ratio *quæ*, attamen vt ratio *sub qua*, facit quod sit impossibilis ea vtraque entita, svt concepta per modum vnius, vt nuper dicebam; licet attingatur, vt possibilis ex modo attingendi affirmativo ex n. 51. de quo d. 66.

56 Obij. 8. In hypothesi *quod Spiritus S. non procederet a filio*, & ideo a filio non distingueretur, non esset hic ipse verus Spiritus S. cum his sit personaliter distinctus, vt tradũt P. Valent, P. Suarez. P. Zuniga. P. Torres, & alij apud P. Ortega, d. 9. *de Trin. q.* 3. *sect.* 1. & *P. Arr.* d. 58 *n.* 20. Ergo ille Spiritus S. impossibilis fictitius ab existenti, & possibili omnino distinguitur.

Resp. dato supposito [quod negant P. Vázq. P. Alarcon, & alij cum & apud ipsum P. Orteg. quia alias non contradiceremus Græcis, qui de hoc ipso vero Spiritu S. negabant processionem) dico, quod sicut homo est distinctus inclusive a corpore, quia habet aliam compartem ab illo distinctam, non vero exclusive quia illud ipsum includit: sic ille Spiritus S, impossibilis, seu *non procedens*, includeret Spiritum S. verum, & ex hac parte circa idem subjectum, contradiceremus Græcis; sed simul esset distinctus ab Spiritu S. vero, ratione prædicati realis, alias possibilis scilicet in Patre; repugnantis vero, & impossibilis Spiritui Sancto, quod est ratio *non procedentis*. Vnde dist anteced. esset alius Spiritus S. secundum aliud prædicatum reale ipsi repugnans, in modo concipiendi, & fingendi, extrinseco, ipsi superadditum, concedo: secundum esse objectivum in se *Spiritus Sancti*, nego; quia objective in se ex Spiritu Sancto rea-

li, & ex reali prædicato communi *non procedentis a filio* quod convenit tam ipsi filio, quam Patri, componeretur fictione Græcorum, vnum objectum extrinsecè fictitium, quod signate, & in modo extrinseco concipiendi, quasi objective esset aliud ab Spiritu Sancto existente, quia cõcipitur identificatus cum prædicato repugnante, & distincto ab ipso Spiritu Sancto: vnde obiectum illud in se esse inadæquatè Spiritus S. ex modo tamen ipsum concipiendi falsò, esset aliud ab Spiritu Sancto; vt pote conceptus cum identitate alterius prædicati ab ipso distincti, scilicet cum *non procedente a filio*. Quæ implicatio communis est omni impossibili, si hypotheticè supponatur, vt possibile, vel vt factum, ex dictis n. 48. Vnde sicut de homine ipso possibili, sub hypothesi quod esset hinnibilis, diceremus esse Equum, a quo absolute distinguitur, ita de Spiritu Sancto vero, sub hypothesi, quod esset non procedens a filio, dicere debemus esse ipsum filiũ, quia quicquid nõ procedit ab vna persona divina, cum ipsa identificatur.

57 Obij. 9. Illud constitutum realiter existit, cujus omnia constitutiva realia existunt realiter; sed per nos omnia constitutiva entis rationis, v.g. *alteritas Dei*, realiter existunt, scilicet ipse Deus verus, & alteritas realis ab eo; quæ cum ipso per mentem conjungitur, atque etiam ipsa cognitio conjungens. Ergo realiter existet alius Deus.

Vrgetur, exemplo entis per accidens, v.g. cumuli lapidum, Religionis, civitatis, quæ vere, & realiter existunt, quia cõstitutiva existunt realiter. Sed ens rationis nihil est aliud quam quoddam ens per accidens obiectivum per nos. Ergo.

58 Resp. dist. maj. Illud constitutum realiter existit, cujus omnia cõstitutiva existunt realiter, si existãt eo modo quo constitutiva sunt, concedo; si alio modo, nego. Constitutiva alterius Dei, & cujusvis fictitij impossibilis realia sunt, vt per modum vnius entis intrinsecè simpliciter talis illud cõstituentia, quo modo in se intrinsecè non existunt, quia hoc habent a modo extrinseco disconvenienti fictionis, illa quasi modo in se intrinseco constituentia concipientis. Sic licet constitutiva hominis v.g. materia, & anima S. Petri existant, & vtriusque etiam vnio possibilis realiter sit, non tamen existit homo per illa constitutus, quia nec existunt vt actu vnita, absolute, & intrinsecè, quo tantum modo sunt constitutiva hominis, vt absolute existentis.

59 Ad vrg. patet hinc disparitas ad entia per accidens, quæ per simplices terminos collectivos, Cumulus, Civitas &c. repræsentantur, vt entia resultantia tantum per vnionem collectivam moralis extrinsecæ adunationis, sive per aggregationem, sive per ordinationem, &c. Non vero per vnitatem substantiã & intrinsecam, qualiter repræsentantur entia rationis, & eorum cõ-

stitu-

stitutiva. Vnde entia per accidens eo modo quo repræsentantur eorũ constitutiva, scilicet collective extrinsecè adunata, dantur vere & realiter; nisi aliquando per judicium falsum, v.g. *Civitas est vna entitas*, substantiva vnitas obiective tribuatur, de quo d seq.n.18.& 19.

60. Replicas 1. Ille modus objectivus, quo entia rationis falsò constituta repræsentantur, non datur, ergo erit aliquis modus objectivus, a realibus extremis distinctus.

Resp. eum modum alium non esse, quam ipsum modum realis entitatis, & identitatis extremorũ, quæ in se diverso modo est, a modo extrinseco, & disconvenienti, quo per actum repræsentatur; vnde ipse modus realis obiectivus extremorum, pro vt est aliter in se, quam in cognitione fingente, dicitur, non esse eo modo quo per fictionem concipitur; non quia addatur, vel deficiat aliquis modus obiectivus; sed quia deficiat conformitas vtriusque modi, scilicet repræsentãdi in actu, & essendi in obiecto. Quod non ita evenit in repræsentatione entium per accidens; repræsentantur enim vt vna collective, & extrinsece, & ita sunt extrinsece vna; e x vi termini collectivi.

61 Repl.2. Vniversale, v. g. animal, vere, & realiter datur à parte rei, cum sit ens reale; sed tamen ejus constitutiva obiectiva non habent a parte rei, eum modum vnitatis, quo repræsentatur v.g. omnia animalia sub illo termino communi vt illum constituentia non sunt vnũ Ergo pariter.

Resp. neg. min. ex Tract. seq. Quia omnia animalia habent virtualem,& præcisivam fundamentalem vnitatem conuenientiæ, quæ solum repræsentatur per terminos vniversales præscisivos; si enim repræsentaretur vnitas positiva obiectivè, etiã vniversale esset ens rationis chymæricum, quale fuit Platonicum, vt ibi dicam.

62 Repl.3. Etiam impossibile v. g. *Hircocervus*, habet fundamentalem conceptibilitatem realem, per modum vnius *incompossibilis* extrinsece adunati in suis prædicatis. Ergo sicut vniversale, & ens per accidens, non sunt ens rationis fictum, quia solum repræsentantur secundũ obiectivam conceptibilitatem vnitatis extrinsecæ, tum præscisivæ, tũ collectivæ; ita, & impossibile ens reale erit secundum conceptibilitatem extrinsecæ adunationis.

Resp. propter hunc modum concipiendi verificari de impossibili tot prædicationes reales, v.g. quod realiter repugnet, quod vere, & realiter sit cognoscibile, & omnia alia prædicata necessaria illius, quæ vnitatem substantivam, & intrinsecam obiecti in esse vnius entis non exprimant; se solam extrinsecam vnius conceptibilitatis Logicæ; sicut de ente per accidens, denominatione extrinseca, vniversali &c. Quia, vt sic non concipiuntur Impossibilia, vt fictitia; & vt entia rationis, modo disconvenienti simpiciter, scilicet

licet simpliciter falso: vt dicam d. 66.

63 Obij. 10. Quãdo negamus ali quod obiectũ, illud ipsum concipimus, & cognoscimus, negare enim cognoscere est; & similiter quãdo de illo dubitamus: dubitãdo ipsũ vere cognoscimus, Ergo dũ negamus ens rationis intrinsece fictitium, vel de illo dubitamus, ipsum obiective attingimus, secundum illud ipsum esse intrinsece fictitium obiectivum.

Resp solum signate, & in sono, vel expressione vocis vel Termini formalis, sive secundum dici, & in modo concipiendi per illam dubitationem, vel negationem attingi obiectam intrinsece fictitium, non tamen obiective secundum esse, seu secundum esse obiectivũ exercitũ, quod habet obiectum ipsum, pro vt a cognitione fingente distinctũ. Sicut quando concipimus *Ens non intelligibile*, seu. *Obiectum ab omni reali, & rationis, vero, & fict. cõdistinctum*; quod adhuc secundũ Adversarios obiective in se nõ potest esse exercité, sed solum signate in modo extrinseco concipiendi. Vnde dum ens rationis intrinsece fictitium negamus, obiective exercite solum attingimus fictionem nostram extrinsecam, & obiecta realia ipsius, ex quibus ens rationis resultat; negando quod ea fictio, seu modus concipiendi, quasi substantivè vnum, obiecta realia interse repugnantia, sit quid intrinsecum obiecto; vt ipse modus significandi designare videtur, quia est modus significandi res, quæ interse sunt obiective implicite vnum, & ideo est modus discon formis modo essendi obiecti multiplicis, & propterea falsus. Cum vero dubitamus, similiter concipimus, an ille modus extrinsecus fictionis se habeat, non solum ex parte actus concipientis, sed etiam ex parte obiecti terminantis? Unde numquam aliquid distinctum ab entibus realibus, quod sit modus obiectivus intrinsecè fictitius apprehendimus exercite, licet ita appareat signatè.

64 Obij. 11. vnicitas Dei excludit obiectivè per se alium Deum; sed non excludit se ipsum, adhuc vt aliter ac est conceptum, sed alium omnino obiective realiter cõdistinctũ, cum sit exclusio realis. Ergo alius Deus, vt ens rationis chimæricum, non est a reali Deo indistinctus.

Resp. dist. maj. Unicitas Dei excludit alium Deum, secundum adæquatum, quod obiective dicit alius Deus, nego: secundum inadæquatum, scilicet, Ly *alium*, concedo. Sicut juxta DD. constituentes relationem prædicamentalem filij, per Patrem, & é conuerso, Pater refertur ad filium, non secundum adæquatum quod dicit filius, vt talis, aliàs referretur ad se ipsum, sed secundum inadæquatum: pariter ergo, cum alius Deus quasi relative resultet per fictionem mentis, ex Deo, & alio ente reali a Deo, in communi concepto, quod mens per modum vnius cum Deo conjungit; Deus excludendo ab identitate secum, omne aliud ens a se distinctũ, exclu-

excludit alium Deum, ideſt, excludit quod aliud quodvis ens ab illo, ſive quod creatura quævis ſit Deus; vnde ſolum realiter excludit creaturam, quæ eſt terminus relativus realis vnicitatis Dei, vt excludentis identitatem ſui cũ alio. Deinde vero per mentem ea entitas, vt identitas cum Deo excluſa, concipitur per modum vnius, ſive vnitatis inter Deum, & aliud ens; & ex hoc modo concipiendi reſultat chimærica cõpoſitio alterius Dei excluſi.

65 Obij. 12. Hæc propoſitio eſt vera, *ſi daretur ens rationis diſtinctũ ab omni ente reali, daretur eſſe obiectivum diſtinctum ab omni ente reali*: ſed nunc cognoſcimus, quod tunc in ea hypotheſi daretur; ergo nunc cognoſcimus illud eſſe obiectivum, diſtinctum ab omni ente reali, in ente rationis.

Reſp. Quod ſicut juxta Adverſarios in ſimili propoſitione, *ſi daretur ens diſtinctum ab omni intelligibili, vel ab omni eſſe obiectivo reali & rationis; non eſſet intelligibile, nec reale nec rationis*; hæc implicatoria hypotheſis non ponit ex parte obiecti, vt ab ipſa propoſitione diſtincti, tales obiectivos conceptus, qui per formales exprimuntur: ſed totum illud obiectivum quoad modum implicatoriæ & fictitiæ conditionis manet & conſiſtit, in ſolo extrinſeco modo cõcipiendi, ſeu fignandi, diverſo à modo quem in ſe habet obiectum; alias daretur nunc obiectum, quod non eſſet *intelligibile*, nec itẽ *reale nec rationis* obiecti; cõ, quod nullus dicere vel concipere poteſt. Ita pariter in propoſitione hypothetica obiectionis evenit, juxta dicta n. 63. vnde diſt. maj. ſignatè conced. exercitè neg. Ad minorem dico, quod in ea hypotheſi, daretur, & non daretur eventus conditionatus, quia ſequeretur vtrumque contradictionem, modo explicato n. 48. Videatur noſter Sapientiſsimus Generalis ſect. 4. & id ſatis.

DISP. LXIV.

Vtr. Denominatio omnis extrinſeca ſit entis rationis?

1 PRima Sent. vniverſaliter affirmat de omni extrinſeca denominatione, tam primo intentionali, v. g. *dextrum, ſiniſtrum, Creator, Dominus, ſervus, &c.* quã ſecundo intentionali, vt *genus ſpecies, cognitum &c.* Ita expreſſe S. Thom. 1. p. q. 13. a 7. & 4. Metaph. lect 4 & paſſim Scotus in 1. d. 45. n. 4. & d. 36. q. 1. & ſæpius; Durand. in 1. d. 19 q. 5. Thomiſtæ & Scotiſtæ plerique cum M. Joanne Thom. q. 2. à 1. & Smiſing. 1. p. tr. 3. d. 2. q. 6. n. 183. noſtri P. Vazq. 1. p. d. 115. c. 2. & 7. 195. n. 19. & 12. d. 95. c. 10. P. Val. 1. p. d. 1. q. 15. p. 3. P. Fonſeca 5. Metaph. c. 7. q. 6. P. Alarcon tr. 2. d. 3. c. 6. n. 1. & tr. 4. d. 1. c. 8. n. 20. & antiquiores plerique apud citatos, qui paſſim denominationes, & relationis rationis appellant omnia extrinſeca, & moralia prædicata, ſive moralitates quaſcumque; vt eſſe *Ducem, Iudicem, &c. Dominum, ſervum*

Prio-

Priorem, posteriorem, dextrum sinistrum, &c.

2 Secunda sent. temperat', solas denominationes, secundo intentionales, sub ente rationis comprehendens; Pro qua refertur Soncinas 6. *Metaph. q.* 18. Viguen, *de Anima rat.* 5. 2. Complutens. *disp.* 2. *q.* 2. & 5. nostri Card. Toler, *q.* 3. *concl.* 4. P. Rub. *tr. de Enter. q. vel* 5. 2. P. Conninb. ea q. 6. a 2. &c.

3 Tertia sent, Universaliter negat, vllam denominaionē extrinsecā, ni si reflexe pro libitò falso fingatur, esse ens rationis. Ita plerique nostri cum Exim. D. d, 54. s. 2. n. 12. P. Hurt. supra s. 1. & 2. P, Arriaga s. 1. P. Ovied. p. 5, P. Compt. d. 14. s. 1. P Santacruz n. 1062. P. Lync. lib. 2. Log. tr. 2. c. 6. & 7. P. Quiros d. 10. s. 5. a n. 23. P. Rhodes supra sect. 2. concl. 2. Joannis tr. 3. Metaph c. 2. Poncius d. 1. q. 4. & 5. pro se explicans Scotum; acceduntque RR. nostri omnes.

Sect. 1. Conciliantur sententiæ.

4 Quarta nostra sententia cum P. Vzquierdo d. 12. q 3. n. 45. P. Alph. d. 12. n. 39. & 43. Poncio nuper cit. a n. 55. Spinula d 4. a n 73. primam & tertiam, triplici conclusione conciliat.

Prima Conclusio. Denominatio quævis extrinseca est obiectivè, sivè secundum omnia, quæ obiectivè repræsentat, omnino realis. Ita DD. 3. sent. neque dissentiunt DD. 1. sent. qui totum fundamentum obiectivū denominationis extrinsecæ reale esse fatentur.

5 Prob. 1. Quia etiam supposita sent. de ente rationis intrinsecè obiectivè fictitio (in nostra enim illud negante, non est dubium) nihil fictitium obiectivè in illis denominationibus intercedit; posita enim tantum visione nostra reali parietis, absque vlla fictione, paries verè, & realiter est visus: & posita sola reali creatione cœli tantū, Deus est creator illius; & sic quævis alia extrinseca denominatio, posito solum fundamento reali, ablato quocumque alio fictitio, vere concipitur subiectum denominari, in esse dextri, finistri, cogniti, voliti, Domini, servi, &c. Ergo obiective nihil aliud importat denominatio extrinseca, nisi fundamentum suum reale.

6 Prob. 2. Parietem v.g. videri seu esse visum a Petro, nihil aliud obiectivè importat, quam Petrum videre parietem; cū vna veritas ab alia sit impræscindibilis: sed Petrum videre parietem, nihil importat obiectivum non reale; ergo & parietē videri, seu esse visum a Petro, nihil non reale importabit obiective.

Vrgetur, in denominatione *generis, speciei, &c.* Quæ obiectivé nihil aliud important, quam conveniētiam plurium præscisivè cognosci, seu esse cognitam, per terminum, v.g. *Animal, Homo*; sed hoc nihil plus dicit, quam quod ita cognitio præscisiva realis, realiter eam conveniētiam per eum Terminum cognoscat; quod est omnino reale. Ergo

talis erit & denominatio generis obiectivé,&c.

7. Prob 3. Quia prædicationes reales non fiunt nisi de obiecto reali; sed circa denominationes extrinsecas,tam physicas, quam morales, & intentionales fiunt prædicationes reales; v.g Paries realiter est visus, Animal realiter est cognitum præcisivè, Iustus realiter est charus Deo, Emptor realiter est Dominus &c.Ergo.

Confirmatur paritate entis per accidens,v.g. Civitatis,Religionis, exercitus, cumuli lapidum,&c.quæ licet per modum vnius entis simpliciter non dentur; non tamen dicitur quod civitas sit ens rationis, sed collectio realis, vel quid obiectivè reale collectivum; quod certe realiter datur; quia entia ex quibus obiectivè componitur realia sunt, & ea aggregatio seu ordinatio extrinseca, quæ velut vnio obiectiva se habet, realiter etiam existit. Sed in quavis denominatione extrinseca subiectum, & forma existunt realiter, v.g. Paries, & visio: & ea obiectiva extrinseca habitudo, vnio, sive terminatio actus vitalis ad obiectum, quæ vt vnio obiectiva extrinseca significatur per terminum, *Paries visus*, realiter datur. Ergo licet non sit vnum ens reale simpliciter, erit tamen multiplex reale extrinsecè & collective vnum.

8 Secunda Conclusio. Denominatio extrinseca in modo quo repræsentatur ab intellectu,addit aliquod ens rationis formale, modi concretivi, vel relativi, quo significatur obiectum,per terminos denominativos, *visum, cognitum &c.* Hæc est tota mens Primæ sent. neque eatenus Tertia refragatur; quin potius suffragantur expresse P.Suarez ea s. 2.n.6. laudans *communem consensum* P.Arr. n.5.& plerique.

9 Prob. 1. Quia tunc fit ens rationis, quando concipitur obiectum ex parte actus aliter, ac est in se seu in suo esse reali: sed per Denominationes extrinsecas, *visi, cogniti, dextri, sinistri, &c.* concipitur obiectum aliter ac est in suo esse reali. Ergo fit ens rationis per illas M n.prob. Quia concipitur obiectum, per modum vnius concreti, seu compositi, resultantis ex subiecto denominato & forma denominante; v. g. ex pariete & visione, &c. item per modum vnius entis intrinsece talis; eodem enim modo concipiuntur concreta extrinseca, *visum, dextrum &c.* ac concreata intrinseca *album, nigrum, animatum, &c.* Sed ex parte obiecti ita non se habent, neque enim realiter sunt vnum ens, vel concretum simpliciter & intrinsecè, sed plura entia, inter se disiuncta. Ergo aliter concipiuntur ac in se sunt.

10 Prob 2. Quia in re de nomine, & modo loquendi, seu concipiendi res, primum locum habet auctoritas; sed juxta Scholas; earumque Principes, S. Thomam,& Scotum, & Antiquiores ex n. 1. ejusmodi concreta & denominationes extrinsecæ vt tales, concipiuntur, vt relationes & intentiones rationis. Sic enim S.

Thom.

Thom. toto eo art. 7. denominationes *Creatoris* & *Domini*, in Deo; *visi & cogniti* in obiecto; *dextri & sinistri* in columna respectu hominis; & sic alias recenset inter *relationes rationis*: & similiter ea *lect.* 4. inquit: *Ens rationis dicitur propriè de ijs intentionibus; quas ratio adinvenit in rebus, generis, speciei, &c.* Ergo quia modus noster eas vel relativè, vel concretivè concipiendi, aliter ac sunt, ipsas facit *ens rationis*.

11 Tertia Conclusio. Hoc Ens rationis per se formaliter constituens denominationem extrinsecam, non est fictitium aut falsum; sed purè Logicum, secundum dici, & quasi similitudinarium. In hac etiam *concl.* convenire judico plerosque DD. utriusque sent. cum nostra. Dixi, *per se* quia per accidens si adjungatur cognitio fingens, fictitia fiet denominatio.

Prob. Quia hoc ens rationis consistit in eo quod concipiatur unum instar alterius, scilicet plura per modum unius, attributive non secundum esse, sed solum apparenter secundum dici, & quasi similitudinarié, quatenus plura componentia extrinsecè denominationem extrinsecã, concipiuntur, instar subjecti & formæ, constituentium unum concretũ intrinsece, v. g. Uisum, &c. Sed quando modus cognoscendi rem aliter ac est, solum est quasi similitudinarius, & non attributivus secundũ esse, sed solum apparenter secundũ dici, non fit ens rationis fictitium & falsum, sed purè Logicum, scientijs accommodatum. Ergo tale est ens rationis in denominatione extrinseca repertum. Minor probatur dupliciter.

12 Primo, paritate, & inductione quadruplicis entis rationis logici quæ sunt, *unitas, distinctio, cõpositio, & relatio Rationis*: quæ omnia sub nomine *relationis* merito a S. Th. comprehenduntur, ex d. 61. q. 1. *Unitas* autem concipitur in convenientia plurium secundum unam rationem universalem, v. g. animalis. *Distinctio* inter formalitates identificatas, ut genus & differentiam, prædicatum & subiectum, &c. *Compositio*, inter constitutiva indistincta; & *Relatio* inter ea omnia, & plura alia; sub qua propterea tres aliæ species cõprehenduntur. Sed illæ omnes scientijs deserviunt, & admittuntur, absque ulla fictione, & falsitate, quia cum hac repugnat scientia. Ergo eius modi rationis entia pure Logica sine fictione & falsitate formantur.

13 Secundo a priori. Quia fictio, & falsitas solum invenitur in attributione prædicati disconvenientis subiecto secundum esse, & non esse, sed per eiusmodi repræsentationes unius obiecti instar alterius, non fit attributio prædicati disconvenientis subiecto secundum esse, & non esse: quando enim concipio universale, instar unius; formalitates, instar pluriũ; constitutiva, instar partium; & absoluta, instar relativorũ, minime attribuo eam unitatem, pluralitatem, compositionem, & relationem in esse obiectis, sed solum prædicata

dicata alia realia, quæ præbent fundamentum, vt ad instar illarum similitudinarie concipiamus; non minus quam cum concipimus Deum instar senis, Angelum instar iuvenis, nec senectutem, nec iuventutẽ secundum esse attribuimus; Deo & Angelo, sed per earum species similitudinarias, vera Dei, & Angeli prædicata exprimere nitimur. Ergo fictio, & falsitas in ijs concipiendi modis minime intervenit; ac proinde dum exprimimus parietem videri, per denominationem concretivam; *Paries est visus*, nullum ens rationis fictitium seu falsò attributivum secundum esse formatur. Vide disp, seq a.n. 2.

Sect. 2. objectiones.

14 Obj. 1. *cont.* 1. *concl.* Paries visus est opus rationis per nos, concl. 3. Ergo non datur realiter & ante opus rationis, secundum, totum objectivum illius denominationis.

Resp. dist. anteced. Paries visus est opus rationis, prout eo nomine cõcretivo significatur, concedo; prout alijs nominibus, significabilis, secũdum esse reale obiectivum, nego: & ideo secundum hoc esse reale significatur per terminos, *Paries videtur* &c. ex quibus repræsentatur habitudo extrinseca visionis exirinsecé termi nata ad obiectum; non concretivé nec aliter ac res ipsa existit. Sicut propterea dicetur *Tract. seq.* vniversale v.g. *animal*, dari aparte rei, secundum esse obiectiuum, vt significabile per nomina individua, Petrus, Bucephalus, &c. non tamen vt significabile, instar vnius communis pluribus, per Ly *animal*, quia vt sic jam est opus rationis.

15 Obj. 2. Parietem videri, idẽ est, ac esse visum; sed per nos parietem esse visum dicit opus rationis; ergo, & videri.

Resp. dist. maj. idem est quoad esse obiectivũ sive rem significatã, concedo; quoad modum significandi, nego. Vnde sicut *animal* & quodvis vniversale est opus rationis, licet res significata in singularibus, v. g. Petrus, Bucephalus, &c. sit realis, propter modum diversum significationis; ita pariter, &c.

16 Obij. 3. Denominatio extrinseca non est ens simpliciter, cum nõ sit simpliciter vnum sed plura; ergo nec est realis obiective, quia quod est reale, est ens simpliciter.

Resp. Fatendo, denominationem extrinsecam non esse ens reale simpliciter; est tamen multiplex ens reale, & hoc sensu dicitur esse *quid reale*. Sumpto Ly *Quid*, pro ente Logico, sive conceptibili, & obiective conceptibiliter, & Logice uno; quod supertranscendens est enti, & non enti simpliciter, ex d 9. n. 12. & 13. Quo pacto, omnia entia collective, & moralia, realia dicuntur, secundum esse obiectivum; v. g. Realis civitas, Religio, Dominus, &c.

17 Obij. 4 *Contra* 2. *Concl.* Si Denominatio extrinseca esset ens rationis, Civitas, Religio, Cumulus, & quicumque Termini collectivi, ens rationis essent, quia æque exprimun

tur

tur per modum vnius entis seu Termini, cum tales simpliciter non sint. similiter denominationes morales *Peccatoris*, *Debitoris*, &c. Ens rationis essent. Sed hoc absonat. Ergo.

Resp. 1, maj. concedi à DD. qui omnia entia moralia, pro formali sub ente rationis cõstituunt; de quo sapienter P. Raynaudus *lib. 1. de Morali. d. 4. q. 11. & lib. 3. de virtut. f. 1. c. 2.* Quod non magis inconvenit, quam quod *meritum*, *demeritum*, *jus*, *obligatio* &c. suppositio reali fundamento obiectivo, quoad formale, & expressiones nominum sint opus rationis; vt saltem de ipsis, vt in communi sunt terminis præscisivi, & vniversales, omnes fatentur. Qualiter vero repugnet ens diminutum, medium inter reale, & rationis, prohis moralitatibus, vt cũ Scotist. P. Lync. a n. 73. tuetur, dicã in Metap.

18 Resp. 2. Nomina collectiva, *Civitas*, *exercitus*, &c. in ipso significandi modo, exprimere formalem collectionem; vnde non significant per modum extrinsecæ vnitatis compositionem sui obiecti, sed per modũ extrinsecæ collectionis, tam in modo expressionis formalis, quam in modo obiectivo. Sicut nomen plurale, *Cives*, *Milites*, licet sit vnus terminus, pluraliter tamen suũ obiectum designat, & non per modum vnius, vnde non designat vnitatem adhuc in expressione, seu rationis: Pariter, &c.

19 Obij. 5. & replic. Si Denominatio extrinseca collectiva non faceret ens rationis, quia solum exprimeret, & repræsentaret, vnitatem collectionis; nulla alia denominatio extrinseca illud faceret; quia de omni illa poterit dici, quod tantum repræsentet & exprimat vnitatem illam extrinsecam fundamentalem, quæ datur in obiecto, & fundat modum nostrum concipiendi illud per modum vnius. V. g. denominationes Logicæ, *Vniversalis*, expriment vnitatem solum convenientæ; *distinctionis*, pluralitatem tantum virtualis cõceptibilitatis præcisivæ; & sic reliquæ. Denominationes item morales *Domini*, *servi*, &c. solum expriment vnitatem proprietatis juris & obligationis, vt moraliter seu juxta dictamen prudentiæ adhærentium Domino, & servo. Denominationes demum *cogniti*, *amati*, & reliquæ, solam vnitatem habitudinis extrinsecæ fundamẽtalis exprimerent atque ita nulla erit, quæ vnitatem aliam, neque aliter, quam, vt vere fundamentaliter est repræsentet, ac proinde neque ens rationis, adhuc Logicum, efficiat. Ergo.

Resp. concedo, quod omnes hæ denominationes, vt pote veræ nihil aliud repræsentent, quam fundamentum obiectivum realis extrinsecæ vnitatis; nego tamen quod hãc tantũ exprimant in modo significationis, seu secundũ dici; licet illam tantũ enuntient secundũ esse. In quo differunt a denominatione collectiva, quæ in ipso modo repræsentandi, adhuc secundum dici, exprimit solam vnitatem collectionis; & ideo adhuc secundum dici non repræsen-

tat

rat obiectum aliter ac est; vt requiritur ad eius rationis Logicum. Primũ patet in denominationibus ipsis *cogniti, & amati*, quæ aliquando sunt intrinsecæ, vt quãdo quis se ipsum cognoscit, & amat, & tamẽ tunc eodem modo, atque eodem termino significantur ac si essent extrinsecæ. Et similiter denominatio *servi*, quæ in nobis intrinseca imo, essentialis est respectu Dei, & denominatio amici, filij adoptivi, & hæredis, quæ similiter in homine justo respectu ipsius Dei est intrinseca; & tamen eodem termino, ac similes denominationes extrinsecæ humanæ designantur. Idem contingit in denominatione Sacerdotis, quæ intrinseca est per caracterem in lege gratiæ, & extrinseca cerimonialis in lege veteri, & naturali, & eodem modo significatur vtraque a nobis. Ergo signum est, quod modus significandi in his extrinsecis denominationibus idem est, ac si sint intrinsecæ, ac proinde aliter ac res sunt in se, secundum expressionum; & secundum dici. E contra termini collectivi, *Civitas*, &c adhuc secundum expressionem sonant collectionem & vnitatem aggregativam extrinsecam, vt dictum est.

20 Obij. 6. *Contra 3. Concl.* Eo ipso quod modus repræsentandi sit aliter secundum dici, ac res obiectivæ sunt secundum esse; vterque modus formalis, & obiectivus non convenit interse. Sed falsitas entis rationis fictitij in hac disconvenientia consistit. Ergo si hanc important denominationes extrinsecæ, erunt falsæ, & fictitiæ.

Resp. dist. maj. est aliter secundum dici, & apparenter; concedo, vere, nego, & nego conseq. omnis enim repræsentatio metaphorica, figurata, seu rhetorica obiectorũ, est aliter apparenter secundum dici, ac res est secundum esse; cum enim dicitur, *Pratum ridet, Rosas loquitur*, & similia, non convenit modus loquendi cum obiecto secundũ esse, vt patet; sed solum similitudinarie; nec ideo datur falsitas in modo illo loquendi. Quod late probat S. Aug. *l. 1. de mendacio c.* 10, ostendens, nõ fuisse mendacium Iacobi, quod mystice, & figurate se simulaverit esse fratrem suum Esau inquiens: *Quæsi mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ, quæ non ad proprietatẽ accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio sit intelligendum; dicentur esse mendacia: quod absit omnino. Nam qui hoc putat tropicis etiam locutionibus omnibus potest hanc importare calumniam, vt hæc ipsa, quæ appellatur Metaphora*, &c. Cum ergo per eos concipiendi modos, quibus Denominationes extrinsecæ, & vniversalia per modum vnius, & per modum relativi, solum similitudinarie instar alterius, obiecta repræsententur; quasi *metaphorice* mentaliter, non vero affirmentur, ita se habere secundum esse obiectivum; consequenter non erit falsitas, nec fictio. Quia re vera ita se habet obiectum; secundum prædicata, per quæ fundat modum illum concipiendi, vt re

re si similitudinarie se habeat instar alterius, v.g. convenientia instar vnitatis, ad metaphoram vniversalis, &c. licet secundum esse simpliciter tale non sit. Eo etiam modo, quo representatio per alienas species, v.g. Angeli instar juvenis &c. falsa non est; quia etiam est mentaliter metaphorica, pure similitudinaria, & ad instar. sed de hoc sit.

DISPVT. LXV.

Vtrum per omnem cognitionem vnius instar alterius, fiat Ens rationis.

1 PRima sent affirmat. cum P Alph. ead. 12. n. 28. & d. 12. *de Anima* n. 92. & P. Rhod. d. 2. q. 1. l. 3. §. 3. non solum ens rationis Logicum, sed falsum, & fictitium fieri, per omnem ejusmodi cognitionem vnius instar alterius, v.g. Angeli instar juvenis, & tenebrarū instar nigredinis; quia objectivè vtramque terminū vnit, non minus quam apprehendens. *Equum rationalem.* Favent etiam Thomistæ, qui vnitatē vniversalis, qua pluta concipiuntur vt vnum, per Ly *animal* v.g. ens rationis fictum esse dicunt. Sed ex dictis d. præced. a n. 11. sit.

2 Contra 1. Quia hoc pacto omnes Scientiæ falsitatibus, & illusionibus entium rationis repleburtur; cum omnes versentur circa objecta vniversalia, quidditativa, & abstracta á sensibus, ac proinde ea instar alterius, sive instar sensibilium representare debeant; cum illa potius alienas species, scilicet propias sensibilium representent, non minus quam Angelum per speciem juvenis, & instar juvenis. Sed hoc absonat, quomodo enim fallendo nos met ipsos, scire possimus? Ergo.

3 Contra 2. Quia qui affirmat vnum esse instar alteris, affirmat esse tantum similitudinarie, seu apparenter instar illius sed qui affirmat esse tantū apparenter instar alterius, eo ipso negat virtualiter, vnum esse vere, & realiter aliud secundum esse, vt pater. Ergo dum cognosco vnum per speciem alterius, sive instar alterius, nego vnum esse, alterum secundum esse; & consequenter nihil falsum concipio secundum esse, sed potius falsitatem excludo, ac proinde ens rationis falsum, & fictitium minimè eformo.

4 Contra 3. ex dictis nuper n. 20 ex S. August. quod loquutiones tropicæ, & figuratæ vnius instar alterius, nullam falsitatem important; sed cognitio ejusmodi per alienas species, est quidam mentalis tropus, seu metaphora: quæ fundatur in aliqua vera similitudine objectiva, quæ vere datur; v.g. quod Angelus instar juvenis alati, sit pulcher nunquam senescat, velocissime moveatur, &c. Ergo.

5 Contra 4. ex S. Th. 1. p. d. 85. a. 1. ad 1. Vbi sapienter explicans, quomodo præscisio vnius formalitatis ab alia falsa nō sit, licet vnam videatur ab alia separare; v.g. *animal à rationali*; cum tamen falsa esset, si positivè affirmaret separationem, scilicet

cer

cet, quia cum solum præscindit, separatio se habeat tantum ex parte modi cognoscendi, sive *secundum cognosci*; cum vero affirmaret separationem, hæc obiectivè attribueretur, sive *secundum esse*, inquit: *Cum ergo dicitur; quod intellectus est falsus qui intelligit rem aliter, quam sit; verum est; si ly* aliter *referatur ad rem intellectam; non est autem verum, si accipiatur ex parte intelligentis.* Atqui per se in simplici cognitione vnius instar alterius, ex eo præscisè, quod talis sit per species alienas, non fit attributio prædicati disconvenientis, secundum *rem intellectam*, sive secundum esse; sed solum secundum dici similitudinariè, & apparenter *ex parte intelligentis*, seu modi intelligendi. Ergo sine falsitate &c.

6 Secunda propterea sent. negat omne ens rationis vniversaliter ex eo præcisè cognoscendi modo, cum P. Arr. ea d. 7. n. 20. & 21. P. Cópt. d. 14. s. 3. n. 8. Poncio d. 1. n. 19 & M. Ioan de S. Th. q. 2. a 1. §. *Dices* & RR. communiter.

Contra 1 Quia absque dubio ea cognitio est rei aliter ac est, & propterea Deo repugnans, ergo aliquo modo ens rationis faciet. 2. Quia non alio ex capite Denominationes extrinsecæ sũt ens rationis, nisi quia concipiuntur instar alterius, sive instar concreti intrinseci; ergo pariter. 3. Quia re vera facit intellectus Idolum aliquod concipiens Angelum juvenilem, seu juvenem Angelicum, sicut concipiendo *Hircocervum*.

7 Tertia sent. P. Y 2 quierdi *d. 1. Pbari q. 3. per totum, præsertim n. 73 & n. 176. & d. 12. n. 4. 18. 50.* est, quoties vnum obiectum instar alterius, seu per alienas species cognoscitur, æque fieri ens rationis *suppositium*; vt in omni denominatione extrinseca, *vnitate, distinctione, relatione, & negatione*, rationis; & in omni cognitione obiecti insensibilis, per species sensibilium; v. g. Angeli per speciem juvenis alati &c. Vocat autem ens rationis suppositicium, quia tunc obiectum non cognoscitur immediate nec proprie in se, sed solũ in phantasmate substituto, & supposito per internã phantasiã nostrã; vt in illo, quasi in speculo, aut simulacro, obiectũ respiciamus, quia juxta Arist, omnis humana intellectio fit *per conversionem ad phantasmata* & sicut de Cæsare in statua sua, quã solum videmus, dicimus, *hic est Cæsar &c.* Ita de Angelo, in juvene phantastico substituto, dicimus, *hic est Gabriel*, &c. & similiter de pluribus animalibus in vno phantasmate consideratis, quasi de vno loquimur, per ly *Animal*; & e contra de vna entitate indivisibili, in pluribus phantasmatibus considerata, dividimus plures formalitates, v. g. Dei æternitatem, immensitatẽ &c. Quæ omnia sunt entia rationis suppositicij phantasmatis.

8 Contra 1. Quia totam hanc doctrinam in *lib. de Anima* rejiciam, destruit enim in nobis propriam obiectorum insensibilium notitiam, si hæc sola phantasmata attingat. Et

corte

certe; si vnum instar alterius, seu instar phantasmatis cognoscimus; ergo vnum & alterum, non vero solum phantasma, cognoscere debemus. Expecta locum, vbi etiam *esse obiectivum* a P. Quiros, & Spinula inventum, ab entibus realibus, eorumque veritate distinctum, refutabimus.

Contra 2. Quia licet assentiar P. Yzquierdo, in ente rationis non ficto, seu purè Logico adstruendo, pro modo nostro cognoscendi instar alterius (quidquid sit de nomine *supposititij*:) non tamen in adæquando hoc genere entis rationis, cũ denominationibus extrinsecis, & alijs relationibus rationis. Quia per se minus de fictione, seu discõvenientia modi cognoscendi cum modo essendi obiectivo participat. Vnde pro distinctione huius duplicis modi cognoscendi, sit

10 Quarta nostra sententia, ex d. 61. n. 6. statuens, ex vi cognoscendi vnum instar alterius, fieri tantum ens rationis similitudinarium, per quandam mentalem metaphoram, quia insensibilia per modum sensibilium cognoscimus, sicut, in vocibus figuratis amœnitatem prati per speciem, & modum *risus*: & hoc dupliciter. Pro cuius probatione, sive expositione,

1 Noto 1. Intellectum nostrum, vt ab Angelico diuersum, solum convertendo se ad phantasmata, sive per sensibilia obiecta, & eorum species sensibiles, ad insensibilia cognoscenda peruenire. Vnde pollet vi quadam faciendi sibi species intellegibiles ex sensibilibus, ipsas abstrahendo & desumendo a sensibilibus ipsis, & intelligibili insensibili appropriando. Et hæc vis dicitur *Intellectus agens*, quia sibi active facit species obiectorum; sicut alia cognoscendi vis, dicitur, *Intellectus patiens*, seu passibilis, quia potius recipit, quam agit. Ea vero virtus agens propria est solius intellectus, inter potentias cognoscitivas; reliquæ enim suas species non agunt, sed ab obiectis accipiunt.

11 Noto 2. Quod Intellectus dupliciter species insensibilium â sensibus, seu phantasmatibus abstrahit. Aliquando enim species ita imbibit in se, & communicat etiã intellectioni improprium modũ, quo phantasma repræsentat imaginem sensibilem insensibilium, vt ipsum modum improprium attribuere videatur intellectus obiecto, per expressionem actus explicitã, metaphorice tamen, & translatitiè: & ita contingit in quadruplici celebri ente rationis Logico, *vnitat. distinctione, compositione, & relatione rationis, ex disp. præc.* quæ in ipsis actibus exprimunt improprietatẽ metaphoricã vt vnitatẽ in vniversalis, v. g. *animal*; & sic in alijs extrinsecis denominationibus. Aliquãdo vero adeo perfecte abstrahit intellectus speciem suam intelligibilem a sensibus, per mille ambages discursuũ & negationum, illam depurando a phantãsmatibus, vt licet obiectivé ab illis non possit, vt pote medio naturaliter necessario intelligendi, præscindere; tamen ab illo prorsus

abstrahit modum cognoscendi, excludendo vi illius potius, quam attribuendo obiecto improprietates phantasticas. Sic licet phantasia nobis repræsentet Angelum, quasi juvenem corporeum alatum, &c. intellectus illum negative, incorporeum, immortalem, præ omni homine intellectivum, præ omni volatili velocissimum, &c. per nomen *Angelus* sive *intelligentia*, abstractissimè exprimit. Licet semper ad phantasmata obiective convertatur actus, similitudinarie; eo modo quo quando aliquid per se satis non intelligimus, per exempla nitimur explicare (vt eleganter docet S. Th. 1. p. q. 84 a 7.) præcavendo quod similitudo non tenet in omnibus.

12 Ex quo patet, hunc secundū modum cognoscendi vnum instar alterius, esse purè *similitudinarium*, ac methaphoricum mentaliter implicite; priorem vero etiam esse, saltem secundū dici, *attributivum* explicite prædicati improprij, & disconvenientis; & ideo hunc magis accedere ad fictionem, & falsitatē entis rationis, quam primum, licet neuter simpliciter falsus, & fictitius sit, quia attributio solū est similitudinaria. Quo me judice, P. Suar. ea d. 54. s. 2. á n. 22. respexit, rediges omnem modum cognoscendi per alienas species, sive vnum instar alterius, ad ens rationis.

13 Obij. 1 *pro* 1. *sent.* Dum cognosco Angelum per modum juvenis, Angelo juventutem conjungo, & attribuo; ergo fingo.

Resp *dist anteced.* attribuo secundum esse, sive *secundùm rem intellectam* (vt loquitur S. Th.) dicendo Angelum esse *juvenem*; *nego*: secundū dici, seu modū intelligendi metaphoricum, & similitudinarium, excludendo potius juventutem ab Angelo, secundum esse, *concedo*: eo modo, quo dum dico: *Pratum ridet*: solum secundū dici, similitudinarie attribuo Pratori sum, & ideo secundū esse potius ipsum excludo, juxta n. 3.

14 Obij. 2. Non alia ratione fictitium est impossibile, v. g. *Hircocervus*; nisi quia instar alterius, siue instar vnius entis concipitur: ergo pariter, &c.

Resp. dist. antec. præcisè quia instar alterius concipitur, nego; si vnitas enuntiative ei tribuatur, sive attributive secundum esse, & rem intellectam, concedo. Modus ergo concipiendi vnum instar alterius communis est omni cognitioni per alienas species, ac proinde cuivis enti rationis, tam ficto, quam non ficto: fictum vero addit attributionem secundum esse, explicandam d. seq.

15 Obi. 3. *pro* 2. *sent.* Cognoscere vnum instar alterius, solū est vnum in altero, sive per alterius speciem cognoscere; sed hoc non sufficit ad ens rationis, alioqui Deus, qui vnam creaturam in alia, vt connexā, & omnes in se ipso cognoscit ens rationis efficeret, Ergo.

Resp. neg. maj. Quia vltra requiritur improprietas aliqua metaphorica cognitionis, sive explicite, sive implicite, similitudinarie ordinans vnum ad aliud, modo quo in re ordinatum non est, quod alie

unum

jam est a modo cognoscendi divino in alio, sive in medio, propter infinitam perfectionem quæ omnia, vt sunt, comprehendit; vt optimè P. Suarez supra expendit; de quo d. 70

16 Obij. 4. *pro 3. sent.* multiplex excogitatio P. Yzquierdi, vt assignerut esse obiectivum intellectionis humanæ, præsertim pro entibus rationis, solú in phantasmate. Ergo.

Resp. ab Spinula, ea d. 4. *Log. & de Anima, supra*, negari aliud esse obiectivum quam ipsum cognosci, seu cognitionem, quod tamen amplexus est P. Maça *supra sect.* 3. dicens, cognitionem factivam entis rationis ideo obiecto carere. A nobis verò facilius designari ipsam realem veritatem obiectorum possibilium; quæ vt conceptibilis sicut est in se; est esse obiectivum reale; vt verò aliter ac est in se, est esse obiectivum rationis; licet nó negemus phãtasma obiectivum pro insensibilibus esse medium similitudinariú. Quod in lib de An, & in Metaph. fusè explicabo.

DISP. LXVI.

Vtrum per simplicem apprehensionem intellectus fiat ens rationis?

1 PRima sent. neg. per vllam sive incomplexã apprehensionem sive complexam (de qua d. 2. n. 5.] ens rationis fieri posse, quia solum potest fieri per actum falsum; falsitas autem non est in apprehensione, Ita P. Vazq, 1. p. d. 16. c. 2. & d. 73. n. 7. & d. 76. n. 6. P. Hurt. d. 19. Metaph. n. 82. P. Alarc. Tr. 2. d. 5. *et* 7. n. 7. P, Quiros d. 107. s. 5. n. 43. Joaniz d. 8. c. 3 n. 35. & alij apud ipsos.

2 Secunda sententia affirmat, quia apprehensiones obiecti chimærici, v. g, *Chimæra, Alius Deus*, ea obiecta repræsentant quasi vera essent, & illis præsentiam intrinsecam, sive esse obiectivum communicant. Ita Thomistæ communiter cum Complurens d. 2. n. 24. & M. Ioan. Th. art 4 q. 2. Scotistæ cum Poncio q. 8 n. 82. P. Arr. d. 71 a n. 39. P. Cópt, d. 17. s. 3. P. Ovied. c. 12. p. 6. P. Yzq. d. 12, n. 20. P. Alph. d. 12, n. 47, & alij communiter.

Sect. 1. Media sententia probata.

3 Tertia nostra sententia, *Negat* cum Prima, per apprehensionem omnino simplicem fieri ens rationis fictitium; *Affirmat*. vero cum Secunda sent. fieri Logicum seu similitudinarium. Ita S. Th. P. Suarez, P. Fonseca, & alij statim citandi: & plerique citati. Dixi *omnino simplicem*, propter dicenda n. 6.

Negativa pars *Probatur* 1. supponendo ex Arist. 3. Metaph. c. 12. S. Th, ibi & 1. p. q. 17. a 3. c. P. Fons. 4. Metaph. c. 2. q. 6. s. 5. P. Suarez d. 8. Metaph. s. 3. & d. 9. s. 1. n. 14 P. Uazq. 1. p. d. 75. c. 3, PP. Cõimb 1. de interpret. c. 1. q. 5. a 3. P. Hurt. d. 9. de an. s. 2. P. Ovied. c. 7. p. 4, P. Arr. hic d. 14. s. 2. P. Santacruz n. 1125, P. Compt. d. 44. s. 2. & reliquis DD, apud ipsos, quod nulla apprehensio pure simplex potest esse

falsa simpliciter, sed ad summum metaphorice. vt loquitur P. Suarez.

4 Assumptum hoc ostenditur *Tum* quia apprehensio quævis ita simplex, sive complexa, sive incomplexa se habet per modum naturalis picturæ, & imaginis sui objecti, vnde si cum illo non conformetur (in quo falsitas consistit) illius imago esse desinit. *Tum* quia suum obiectum, etiam chimæricum repræsentat, secundum esse quod habet in se, alias jam non illud sed aliud repræsentaret, cumque quodvis obiectum etiam impossibile vere, & realiter tale sit; *chimæra* enim & *equus rationalis* vere, & realiter sunt *quid impossibile*; illud vt tale vere repræsentabit apprehensio, non minus quam hominem secundum esse realiter possibile. *Tũ* quia si quæ esset apprehensio falsa maxime objecti chimærici, v. g. *Equus rationalis* Sicut autem repræsentat apprehensio, *homo*, vel *Animal rationale*, objecti sui prædicata, vt implicitè non repugnantia realiter interse, & ideo repræsentat hominem, vt possibilem; ita necessario repræsentat Ly *Chimæra*, vel *Equus rationalis*, prædicata sui obiecti, vt obiectivè interse repugnantia, quia talia essentialiter sunt, vnde repræsentabit necessario suum obiectum, vt impossibile, & repugnans realiter, vt vere in se est. Sed cognitio necessario repræsentans, vt impossibile reali ei, quod vere tale est, est necessario vera: ergo apprehensio sive incomplexa, sive complexa obiecti impossibilis, cum illud necessario, vt impossibile implicite repræsentet, necessario vera erit. *Tum* quia si Termini chimærici, *Equus rationalis*, *Hircocervus*, *chimæra*, &c. essent falsi, numquam possent constituere propositionem veram; quia licet ex terminis veris possit fieri propositio falsa, non tamen ex falsis vera; sicut bonũ morale potest reddi malum, malũ tamen nunquã fieri potest bonum. Sed ij termini simplices veram propositionem constituunt, v. g. *Chimæra, equus rationalis est impossibilis.* Ergo. *Tum* demum quia vt ex Arist. 3. de Anima asserit S. Th. eo a 3. c. *In cognoscẽdo quidditates simplices nõ potest esse intellectus falsus, sed vel est verus, vel totaliter nihil intelligit*; quia per apprehensionem simplicẽ solum intelligit, seu repræsentat quidditates: si autem quidditas objectiva repræsentata per illam facerit possibilis, conformabitur cum reali possibilitate obiecti; si vero sit impossibilis, cum reali impossibilitate illius. Ergo semper conformatur apprehensio cum veritate reali obiecti, ac proinde semper vera, & nunquam falsa esse poterit.

Tum sic. Sed ens rationis falsum & fictitium solum fieri potest per actum falsum, seu falso tribuentem subjecto prædicatum ipsi disconveniens. Ergo si hoc præstare non potest vlla apprehensio purè, & omnino simplex, non potest facere ens rationis falsum, & fictitium.

5 Prob. 2. Quia non alia ratione posset facere ens rationis falsum ap-

pre-

præhensio simplex, niti attribuendo prædicatum disconveniens secundũ esse, v.g. *Equo rationalitatem*, per Iy *Equus rationalis*; vel Draconi naturam Leoninam, per Ly *Chymæra*. Sed Apprehensio simplex ita attribuere nequit Ergo.

Minor prob. 1. Quia potius repræsentando simpliciter illa prædicata *equus rationalis*, repræsentantur vt repugnantia interse per apprehensionem, cum repræsentari debeant implicitè secundũ sua prædicata essentialia, quæ eam repugnantiam essentialiter includunt. 2. Quia ad minus non repræsentat rationale, vt explicitè conveniens Equo, cũ indifferens sit, vt conjungatur cum explicita affirmatione repugnantiæ, per propositionẽ, *Equus rationalis repugnat*. 3. Quia juxta Arist. & S Th supra, solum in *compositione* datur falsitas sicut fictio adhuc materialis solum incompositione, & conjunctione vnius cum alio ex S. Greg d 63. n. 4 intentionaliter autem solum componit, siue attribuit operatio composita seu judicium, non vero simplex seu apprehensio. 4. Et apriori, quia ejusmodi attributio solum fieri potest per explicitam compositionem, vel enuntiationem; quæ quadruplicitèr attribuit; ex parte modi formalis, quia si disconveniens sit cum modo essendi objectivo, redditur falsus: scilicet 1. affirmatio subtãtiva *est* attribuit prædicatum, vt possibile. 2. adjectiva *existit* &c. vt actuale, 3. negativa substantiva *non est*, vt impossibile 4. negativa adjectiva *nõ existit* &c. vt non actuale. Sed nulla harum compositionum convenit apprehensioni purè, & omnino simplici, quæ carei omni enuntiatione, ergo nulla attributio prædicati disconvenientis ipsi convenit.

6 Ex quo infertur, quod soli apprehensioni, non pure simplici, sed virtualiter, & imperfectè enuntiativæ ex d. 16. n. 3. qualis sine affirmatione solet vocaliter proferri, v. g. *Deus non est trinus* &c. potest concedi effectio entis rationis falsi, saltem imperfecti. Tum quia illa hæretica enuntiatio, etiam a me sine affirmatione prolata, falsum, & fictum objectum respicit, alias verum diceret. Tum quia saltem imperfectè attribuit prædicatum disconveniens. Tum, quia ex duabus contradictorijs earum, vna est vera, & altera falsa, ergo falsæ obiectum fictũ respondet. Tum quia obiectum illius non est realiter sicut enuntiatur. Tũ demum quia ejusmodi apprehensio enuntiativa est virtuale judicium, vt inquit P. Suarez ea d. 4. n 6. & 7 & vocatur suasiva a DD. cum & apud R.P.N. Gen. ea d. 9 n. 18. Vnde aliquam judicialem falsitatẽ contrahit, per enuntiationem suam; & de hac intelligendus est S. Th. eo art. 3. apprehensioni, vt componenti, falsitatem fictionemque tribuens.

7. Affirmativa pars de ente rationis Logico, seu non ficto manifeste probatur. Tum quia apprehensio objecti chimerici, v. g. *Hirocervus*, &c. illud repræsentat per modum

vnius

vnius explicitè, nō minus quā quod vīs aliud ens simpliciter vnum. Tū quia si Terminus vniversalis, *Animal.* &c. & quævis denominatio extrinseca, per apprehensionem simpliceem repræsentata, important ens rationis Logicum, sive secundum dici attributivum, quia explicitè, vt vtrum repræsentantur, cum quid vnū simpliciter obiectivè non sint, vt d. 54. & 55. dictū est. Ergo multo magis Apprehensio simplex entis chimærici, sive complexi sive incomplexi, ipsum ens rationis importabit, cum eandem imo majorem vnitatem secundum dici attribuat, & instar vnius entis repræsenter extrema, multo magis repugnantia ad vnitàtem, ex quibus impossibile resultat.

Sect. 2. Objectiones.

§ Obij. 1. S. Thom. opusc. 42. c. 2. inquiens, tunc efici en rationis, *quando intellectus nititur apprehendere, quod non est, quasi esset ens.* Ergo intellectus apprehendendo facit ens rationis.

Resp. a S. Thom. Ly *apprehendere* eodem sensu sumi, ac *cognoscere*; quod commune est tam iudicio, quam apprehensioni; sicut dici solet, quod Angelus *immobiliter apprehendit* in ijs, quæ iudicat, ex ipso *S. Th.* 1. p q. 64. a 2. c.

9 Obij. 2. per apprehensiones simplices *chimæra*, vel *equus rationalis*, vel *identitas*, aut *vnitas equi humani* &c. cognoscitur obiectum aliter ac est, etiam secundum esse, & attribuendo prædicatum discouveniens; ergo fit ens rationis fictitium. Ant. tec. prob. quia per apprehensiones illas attribuitur extremis constitutivis illius obiecti chimærici, vnitas identitatis, & compositionis obiectivæ, & facientis vnum quid obiectivum; quia in illis, vt vnū diverso modo cognoscitur, ac vnitas extrinseca convenientiæ in vniversali, v.g. *Animal*, vel collectionis in termino collectivo, *civitas, exercitus* &c. Ergo.

10 Resp. Neg. antec. Ad prob. licet concedatur attributio quædam virtualis, & simplex apprehensioni respectu terminorum, quos, vt vnum quid obiective concipit, ea tamen attributio est solum secundum essentialem vnitatem, quam in se obiective involvunt ipsi termini; scilicet secundum vnitatem repugnantem, & incompossibilem ipsorum inter se; quando termini sunt incompossibiles & repugnantes identificari. Cum enim vnusquisque terminus constituens impossibile habeat vnitatem incompossibilem, seu repugnantem identificationi, & conveniant inter se in ea ratione vnitatis, & incompossibilitatis; intellectus per apprehensionem cognoscit, illā rationem communem *vnitatis incompossibilis, sive vnitatis repugnantis*, in constitutivis *equi rationalis*, & consequenter in ipso equo rationali eandem vnitatem Logicæ cuiusdam convenientiæ concipiet. Quæ cum vere, & realiter sit, licet non provideo nomine significatur, sicut vniversale; cognoscet per eam apprē-

prehensionem, illam vnitatem impossibilis, secundum quod vere est realiter impossibilis, atque incõpossibilis obiectivé; ac proinde cum attributione prædicati, vt conuenientis. Quia solum attribuit vnitatem, quæ vere & realiter conuenit, scilicet extrinsecæ conuenientiæ in ipsa ratione intrinsecæ vnitatis incompossibilis, atque adeo eodem modo, quo per vniversale attribuitur vnitas conuenientiæ; & per terminum collectivum vnitas collectionis, obiectis suis.

11 Fateor quod illa ratio vnitatis intrinsecæ, vt repugnantis cum alio ad invicem incompossibili, apparet speciali modo intrinseca vnitas obiectiua, quã in alijs terminis, in quibus vnitas intrinseca obiectiva non repræsentatur. Et ideo falluntur Aduersarij, quasi aliqua specialis vnitas intrinseca, a terminis possibilibus condistincta, tot obiectivo impossibili per apprehensionem, aut etiam per iudicium, attribueretur; cum solum vtraque possibilis, quasi incompossibilis attribuatur. Quando autem negamus apprehensioni attributionem prædicati subiecto, solam explicitam, per enuntiationem, modo possibili, vel impossibili, substantivo, vel adiectivo, n. 5 explicatam, negamus, inquantum tantum falsitas disconvenientiæ actus cum obiecto reperiri potest; non vero negamus attributionem implicitã, & virtualem prædicatorum, essentialium, quæ in ipsis terminis obiectivè reperiuntur, hæc enim in terminis ipsis concipi debent, & implicite attribui, eo ipso quod termini ipsi apprehenduntur cũ suis prædicatis essentialibus. Et ex hac necessaria attributione implicita evadit apprehensio necessario vera proinde per se repugnans, falsificari, & ens rationis fallum seu fictitium effingere.

12 Obij. 3. Idemmet obiectum reale respicitur per apprehensionẽ, *equus rationalis*; & per iudicium *Equus est rationalis*, per nos d. 63. n. 28. sed per hæc respicitur obiectũ chimæricum fictitium; ergo, & per illam.

Resp. dist. maj. idem obiectũ, eodẽ modo nego, diverso cõcipiendi modo; concedo: cum autem ens rationis cõsistat in modo concipiendi, disconvenienti modo essendi obiecti; apprehensio autem respiciat obiectũ modo vero, secundum esse reale incompossibile, quod habet ipsũ ens rationis chimæricum obiective, è contra vero iudiciũ modo falso disconvenienti; quia respicit illud explicite vt possibile, seu modo possibili; ex parte actus, (idest modo affirmativo substantivo in quo consistit modus possibilis formalis, & ex parte actus, juxta n. 5. & d. 63. n. 5 ideo iudicium illud efficiet ens rationis chimæricum fictitium; è contra apprehensio ipsum, vt est impossibile reale, repræsentabit. Et hinc patet, in quo impossibile reale differat ab ente rationis, illud enim est, vt vere cognoscibile secundum realem incompossibilitatem motum extre-

mum

morum, hoc vero vt cognoscibile falso, tanquam possibile, seu modo disconveniente suæ impossibilitati reali obiectivæ: de quo in Metaph.

13 Obij. 4 in apprehensione, *chimæra* vel *equus rationalis*, obiectum per modum vnius habet præsentiã intentionalem, sive esse obiectivum in intellectu; qualem inse nõ habet: ergo vt ens rationis simpliciter.

Resp. dist. ant. ec. habet præsentiã, & esse obiectivũ conformẽ suo esse reali, in esse realiter incopossibilis, & cõsequenter, vt in se habet esse vnũ per convenientiã in esse vnius in compossibilis, realem fundamentalem, concedo: disconformem, nego. Vnde nego conseq. quia similiter, quævis denominatio extrinseca, & ens rationis Logicum, habet eam vnitatem extrinsecam in modo concipiendi, per modum alterius sive vnius, sed quia est conformis vnitati extrinsecæ convenientiæ, vel habitudinis fundamentalis obiectivæ, non est ens rationis fictitium, & sine fundamento, seu falsum: sed solum metaphoricum ex d. præc.

14 Obij. 5. Omne ens rationis chimæricum est fictitium, & oppositum Logico, ex divisione d. 61. n. 3. Ergo non erit pure Logicum.

Resp. dist. antec. Si concipiatur secundum fundamentum, & rationem realem, quam habet, quo pacto ipsum ens rationis, vt fictum, & falsum reflexe cognitum a Deo, non est exercite ens rationis; nego: si cognoscatur modo disconvenienti, & ratione ratiocinantis sine fundamento, concedo. Unde priori modo etiam ens rationis Logicum, dividi potest in impossibile, & possibile &c.

15 Obij. 6. Apprehensio enuntiativa hæretica v. g. *Deus nõ est trinus*, est falsa, licet per illam simpliciter non fallamur ergo pariter purè sim plex falsa esse poterit, & ficti va, licet non fallamur per illam.

Resp. neg. conseq. Quia vt quis fallatur absolutè, non sufficit enuntiatio falsa purè apprehensiva, sed quod per enuntiationem adhæreat intellectus falsitati obiectivæ, quod non fit nisi per judicium; ut vero fallatur ipse actus, sive falsus sit, sufficit quod ipse modo disconuenienti adhereat obiecto, quod repræsentat, licet per ipsum actum nõ adhæreat intellectus obiecto; potest enim actus esse adhæsio sui, non vero subiecti, quia non est fixa, & firma resolutio illius: sicut potest esse inhæsio sui intrinseca respectu intellectus, quin sit inhæsio intrinseca obiecti respectu ipsius intellectus, & ita etiam quivis modus extrinsecus est inhæsio intrinseca sui, & subjecti sui, non tamen termini modificati.

DISP. LXVI.

Vtrum per judicium fiat ens rationis? Vbi de discursu.

1 PRima sent. negat, eo quod præcedat factum, per apprehensionem, vnde actum ageret judicium, Ita RR. aliqui secuti P. Compt. d. 16 s. 3. n. 8. P. Yzq.

Yzq. d. 12. n. 21. & alios apud P. Alph. n. 51.

Secunda nostra sent. affirmat cũ S. Th. P. Suarez, P. Arr. P. Hurt & reliquis DD. quos laudant P. Santa-cruz supra, P. Tellez d. 3 s. 4. P. Olcina n. 651.

2 Prob. 1. euertendo fundamentũ Adversi. Tum quia licet actio physica non detur ad factum, contra tamen actio intentionalis, quæ consistit in cognosci, vnde sicut semel cognitum potest iterum atque iterum cognosci; ita semel fictum, sive fictitie factum. *Tum* quia licet cognitio apprehensiva præcederet primo faciendo ens rationis, judicium subsequens, potest per secundam actionem illud, transeunte apprehensione, conservare. *Tum* quia judicium faceret novo modo, scilicet enuntiativo, ens rationis, quod solum modo simplici faceret apprehensio; quando autem novo modo actio terminari potest ad effectum; si alias illa existat, non est cur ad illum non terminetur; vnde si aliunde posibilis esset secunda actio, quæ nos produceret in pluribus locis, sicut actio Eucharistica producit Christum D. non esset, cur cum prima actione nos producente in vno loco circumscriptive, posterior repugnaret, aut superflueret. *Tum* quia apprehensio non facit ens rationis fictitium; ex *d. præc.* ergo saltem pro hoc faciendo requiritur judicium.

3 Prob. 2. Paritate. *Tum* quia juxta Adversi ens rationis fit per sensus præcedentes apprehensionem; & tamen per hanc etiam formatur. *Tum* paritate *universalis*, quod juxta ipsos, licet fiat per apprehensionem, conservatur per judicium, per quod vniversale, vt tale prædicatur; de quo *Tract. seq.* Ergo pariter.

4 Prob. 3. a priori. *Tum* quia judicium cognoscit rem aliter ac est, 1. secundũ dici, modo methaphorico instar alterius; 2. secundum esse, quadruplici modo disconvenienti, ex *d. præc.* n. 5. scilicet modo posibili, imposibili, actuali, & non actuali, nempe per affirmationem, & negationem talis modi expresivam. Sed cognitio factiva entis rationis nulla alia est, quam cognoscitiva rei disconvenienter seu aliter ac est; ergo. *Tum* quia per judicium disconveniens obiecto imposibili, hoc accipit in entionalẽ præsentiam in intellectu, qualem non habet inse, v.g. dum dico: *Equus est rationalis*: quod est fieri ens rationis. Ergo.

5 Obij. 1. Ideo Deus ens rationis non facit, quia illud respicit, vt factum ab intellectu creato; & similiter voluntas, quia vt factum respicit à prævia cognitione. Ergo pariter neque iudicium illud faciet quia supponit factum ab apprehensione.

Resp. neg. antec. vt d. 70, & 71, constabit. Deinde ideo Deus ens rationis non faceret, ex illa suppositione; quia respiceret illud reflexe, vt factum, sive reflectendo supra cognitionem facientem; judicium vero non reflectit supra apprehensionẽ:

perse: quamvis neque reflexio efficiat rationem vitaret, vt postea dicam.

6 Obij. 2. Si judicium faceret ens rationis, quia obiectum possibile respiceret modo impossibili: ergo superadderet obiective aliquē modū impossibilem, ab omni possibili distinctum, contra totam disp. 63.

Resp. neg. conf. Quia respicere obiectum, vt possibile *modo possibili*, non est aliquis modus obiectivus, sed solum modus formalis, sive affirmativus per verbum *est*, vt substantivum; quia talis affirmatio est modus proprius significandi vere rem vt possibilem, ex d. 4. n. 9. d. 15 n. 23. & sæpius. Unde similiter repræsentare modo impossibili, sive ipse modus impossibilis repræsentandi, est negatio per verbum *non est*, substantivum, quia est proprius ad vere significandum impossibile, vt tale; sicut etiam verbum adjectivum, *existis* &c. est modus significandi rem vt actualem, vt ibidem dixi: quin aliquis modus specialis objectivus superaddatur per eas significationes. Vnde quando dicitur, quod per judicium falsum, *Equus est rationalis*, identitas eorum terminorum significatur modo possibili, non est quia obiectivè aliquis modus specialis respondeat, sed quia per modum extrinsecum affirmativum substantivè significatur, vt sæpius dixi supra, & specialiter d. 63. n. 5. t. 60. &c.

7 Obij. 3. Conclusio vera ex duplici præmissa falsa: v. g. Lapis est *homo, sed Petrus est lapis, ergo Petrus est homo*, vt pote vera ens rationis non facit, licet debeat attingere objectum præmissarum, vt intrinsecum motivum, quod est ens rationis: nō alia ratione, nisi quia supponit ipsū factum per præmissas. Ergo pariter judicium non faciet; quod supponit factum per apprehensionem.

Resp. per conclusionem seu discursum duplex ens rationis efformari posse: alterum ratione materiæ, alterum ratione formæ. Quando fuerit mala consequētia, v. g, *Petrus est animal, ergo est homo*, fictitiam illationem efformabit, quia per Ly *ergo*, falsam connexionem affirmat, etiam si materia sit vera: quando materia falsa fuerit, sive in suo obiecto præmissarum, quod etiam attingit motivé (ex quo juxta plures DD. falsificatur, de quo *tr. 7. & 36. n. 7.*) faciet ens rationis materiale; aliquando vero vtrumque potest conjungi: v g. *Petrus est Lapis, ergo est equus*. Atque ita discursus præter ens rationis attributivum, facere potest speciale illativum.

DISPVT. LXVIII.

Vtrum per omnem, & solum actum falsum; & per quos alios fiat ens rationis?

1 Quæstio 1. Vtrum *per omnem actum falsum intellectus ens rationis formetur?* Negant DD. citati d. 63. n. 26. & 39. quia per actum falsum in materia contingenti v. g. *Antichristus salvabitur*, & etiam in materia necessaria, v. g. *homo non est animal*, dicunt

minime

minime ens rationis fieri, quia objectum non est chimæricum.

Affirmo cum DD. ibidem & n. 3 *ea disp.* laudatis. *Tum* quia licet objectum chymæricum non sit, eo ipso quod falso enuntietur, concipitur aliter ac est, seu non habet esse in se eo modo, quo concipitur. Tum quia ens rationis consistit omnino in extrinseca disconvenientia modi concipiendi cum modo essendi objecti; sed talis disconvenientia necessaria est inter actum falsum, & objectum. Ergo.

2 Quæst. 2. *Vtrum per actum verum ens rationis fieri possit?* Negant P. Vazq 1. p. d. 76. n. 6. P. Hurt. sup. s. 5. &c. P. Recupit. *lib. 6. de attrib. q. 8.* & plerique RR. *Affirmant* P. Arr. n. 45. P. Ovied p. 6. n. 11. P. Compt. d. 16. s. 4. & omnes qui a Deo ens rationis fieri d. seq. defendent.

Distinguo pro vtraque sent. *Nego* ens rationis fictitium, sive falsum, sine actu falso fieri posse; vt nemo potest dubitare: *affirmo* tamen, fieri ens rationis Logicum etiam chymæricum, sive impossibile per actū verum: vt etiam tenet P. Suarez s. 3. n. 4.

3 Prob. 1; ex dictis d. 66. de apprehensione simplici, quæ vera est necessario, & tamen facit ens rationis chymæricum. 2. Ex omnibus denominationibus extrinsecis, & relationibus, distinctionibus que rationis, tum præcisivis, tum constitutivis inter formalitates, v. g. *animal, rationale*; quæ saepius per actus veros, & scientificos fiunt. 3. Quia hæc propositio verissima, *Chymæra est impossibilis*, non potest non attingere chymæram, vt objectivè impossibilem per modū vnius, cum ipsa, vt talē neget, negare autē est attingere seu cognoscere formalissimè per actum. Sed actus attingens impossibile chymæricum, vt tale, & per modum vnius, facit ens rationis; vt amplius de divina cognitione virgebitur sect. seq. Ergo. 4. Quia etiam cognitio vera entis rationis dat illi præsentiam intentionalem, in esse vnius, quam in se realiter eo modo non habet. Ergo.

4 Obj. 1. Cognitio faciens ens rationis debet esse objecti aliter ac est; sed cognitio objecti aliter ac est, falsa esse debet, cum *ab eo quod est*, vel *non est*, vt repræsentatur, cognitio sit vera vel falsa, juxta Aristotelem; ergo cognitio factiva entis rationis debet esse falsa.

Resp. duplicem esse cognitionē rei aliter ac est, aliam impropriam, aliam falsam. Ad ens autem rationis Logicum quale est impossibile, qua tale cognitum, perme cognitū sufficit cognitio rei aliter ac est impropria, ex parte actus, sive ex parte modi cognoscēdi vnū instar alterius metaphorice, qualis est cognitio Angeli instar juvenis. Vnde non requiritur cognitio rei aliter ac est, ex parte objecti, vel rei intellecta, vt a S. Th. appellatum falsa ex d. 65. n. 5.

5 Resp. 2 Adhuc juxta DD. Ideo falsus, per entes id est in intrinsece

fictitium, pro hoc sufficere actum verum illum scilicet, qui vera enuntiat de impossibili, v.g. *chimæram pugnare*; quia dat illi existentiam seu præsentiam intentionalem intrinsecè objectivam in mente, quam non habet positivè a parte rei. Nos verò contenti tuutus extrinseca objectiva præsentia, metaphorica, ad quam multo minus requiritur actus falsus, vt patet.

6 Obij. 2. Si sola hæc præsentia intentionalis sufficeret, ad dandam existentiam objectivam chimæræ, per actum verum, per hunc *Chimæra non potest, vel repugnat, existere*, acciperet existentiam objectivam in essentis rationis: Sed hoc implicat, cum per ipsum actum illi negetur, & tollatur existentia Ergo.

Resp. Conced. maj. & neg. min. Quia licet signatè, & secundum explicitam enunciationem, judicium illud destruat seu removeat existentiam realem obiecti, exercitè tamē extrinsecè constituit, & facit intentionalem existentiam ex parte subjecti *Chimæra*, quatenus ad eam ipsam removendam, & negandam, necessario debet apprehendi, & attingi ex modo cognoscendi, quasi esset objectivè vnum subjectum existens quod negatur; ac proinde chimæra accipit exercitè existentiam ipsam intentionalem in mente, ex modo simplici, secundum dici compositivo *Chimæra*; licet ex signato explicito, & judicativo, existentia secundum esse removeatur. Eo modo quo per prædicationem vniversalis, v.g. *Omnis homo est animal*, licet *animal* multiplicetur signatè, & enuntiativè, eo quod prædicetur de pluribus, exercitè tamen ex parte termini prædicati non amittit vnitatem vniversalis, qua per modum vnius secundum dici ipsum *animal* repræsentatur, & præsens fit intentionaliter in mente.

7 Obij. 3. Et replic. hoc pacto etiam per propositionem veram negativam materiæ impossibilis, v.g. *Equus non est homo*; per Ly *non est*, accipit intentionalem præsentiam identitas impossibilis equi, & hominis, quæ negatur, fiet que ens rationis chymæricum, sicut per prædicationem falsam contradictoriā, *equus est homo*. Ergo facilius negabitur de omni judicio, ne id dicatur.

Resp. conced. antec. fieri scilicet ens rationis purè Logicum, secundum dici, per eas verissimas propositiones, quale in omnibus illis necessarium est, quoties quodvis objectū per alienas species attingunt. Cum autem ea identitas duplicis entitatis incompossibilis, etiam cum vere negatur, non possit aliter attingi, quam per species quodammodo alienas, vti iusque entitatis interse repugnantis, quæ alienæ omnino sunt ab vnitate simplici, cuius instar cōcipiuntur: nil mirum, quod illam vnitatem seu identitatem signatè, & secundum dici repræsentando, efformet ens rationis metphoricum, ipse actus vere negans, dum per modum vnius identitatis, vnam de alia negat.

8 Quæst. 3. *Vtrum ens rationis necessario fiat per actum reflexum?* Affirmant aliqui cum P. Suarez d. 54. s. 2. n. 16. quibus favent DD. qui vniversale per similem reflexionem intellectus comparatis fieri volunt: quia modus ille cognoscendi instar vnius reflectit supra ipsam vnitatem a ratione provenientem.

Nego cum P. Alf. n. 59. Tum quia licet appareat quodam modo reflectere judicium supra apprehensam vnitatem chimæræ, dum illam per modum vnius negat, aut affirmat, re tamen ipsa superfluit reflexio, sicut enim apprehensio ipsa sine reflexione supra alium actum repræsentat chimæram, vt vnam, ita, & judicium, & idem dico de vnitate, vniversalis. Tum quia reflexio actuũ intellectus supra phantasmata, sive obiectiva sive formalia, quæ ab omnibus supponitur, sufficit pro his quasi metaphoricis denominationibus, in obiectum intellectus instar alterius repræsentatum, refundendis.

9 Quæst. 4. *Vtrum per actus intellectus Angelici fiat ens rationis.* Affirmant DD. omnes cum P. Suarez s. 2. n. 25. P. Arr. n. 35. P. Suar. Lusit. n. 84 P. Rub. & alijs, circa illa objecta, de quibus immediatas quidditativas species non habet; quia in ijs componendo, & dividendo, nec non similitudinarie instar medij, in quo obiecta ipsa cognoscit, illa repræsentando procedit, non minus quam intellectus humanus: econtra vero circa immediate, & quidditative vt cognita in se sunt.

10 Utrum vero possit dari intellectus creatus, a quo ens rationis effici nequeat? Pendet ab alijs dubijs, alibi que tractandis: an possibilis sit creatura infallibilis, quæ proinde fictitiũ ens rationis facere nequeat? quã possibilẽ putat P. Ripal. d. 23. de supern. n. 52. Quia possibilem etiam putat impeccabilem. Facilius P. Arr. d. 3. *de Anim.* n. 133. quia possibilem judicat, quæ purè sit apprehensiva intellectualiter, ac proinde ad verum necessitata, ex d. 66. E hoc etiam pacto possibilis erit, quæ solum per proprias immediatas, species, & non per modum alterius apprehendere possit, atque ita nec Logicum ens rationis facere queat.

11 Circa actus Divinos, non defuerunt RR. apud P. Oried. p. 7. n. 15. quibus favet P. Yzq. d. 12. n. 87. asserentes, a solo Deo fieri entia rationis; quia Creaturæ, quod jam ab illo factum est, facere nequeunt. Contra quos satis sicut dicta de judicio d. præc. maxime cum ens rationis a Deo factum per accidens, sit, & intentionaliter distinctum a nostro. Sed his omissis, vt otiosis, sit.

DISPUT. LXIX.

Vtrum Deus cognoscat entia rationis?

1 PRima sent. negat proprie, & simpliciter a Deo rationis entia cognosci. Ita P. Vaz. 1. p. d. 118. c. 4. P. Turri. *in seleo. opusc.*

opusc.7. d.4. dub. 4. & 8. P. Alarc. *Tract. 2. d. 3. c. 6.* P. Quir. *1. p. d. 59. s. 3. & d. 107. Meth. s. 5.* P. Lync. *tract. 1. n. 20.* problematicus, & ex parte P. Yzq. *ea d. 12. q. 5.* audiendus *n. 111.* quibus accedit Caramuel *in Metalog. n. 122.* laudans pro se Cajet. Capreol. & P. Rub. sed immerito.

2 Secunda nostra sententia affirmat cum S. Th. *1. p. q. 4. art. 9.* & Thomistis omnibus, ibi cum, & apud M. Ioan Thom. *quæ 2. Log. art. 5.* Scotistis cum Poncio *q. 9. l. Mol. ad eum art. 9.* P. Suar. *ea d. 54. s. 2. n. 23.* P. Ruis *d. 17. Scient.* P. Rub. *q. 5. concl. 1.* P. Hurt, Tasol P. Tan. P. Gram. P. Arr. P. Compt. P. Ovied & alijs, *d seq.* referendis.

3 Conclusio Theologicè sumitur ex S. Scripturæ Locis, vbi Deus de entibus rationis, morte, tenebris cæcitate, vniversalibus, atq etiã impossibilibus loquitur, vt de alio Deo Deuteron. *32. Non est alius Deus præter me.* Quæ intelligi debent in sensu proprio, juxta regulam SS. Patrum, si possunt. Quod autem possint, a ratione [illegible]

4 Prob. *1.* Quia ens rationis resultat adæquatè ex entibus realibus, ex *d. 63.* sed omnia entia realia sunt a Deo propriè cognoscibilia. Ergo & ens rationis. Confir. Quia de esse rationis sunt multæ veritates vere realiter, & certo scibiles: v. g. Quod *Chimæra sit impossibilis, fictum, repugnet vere,* & realiter. Sed Scientia Dei, vt pote infinita, & omnisciu cognoscit, & scit omnem certo scibilem veritatem Ergo.

5 Prob. *2.* Ideo Deus non cognosceret proprie ens rationis, quia illud solum cognoscibile est aliter, ac est, sed Deus potest illud cognoscere, non cognoscendo illud ex parte actus Divini, aliter ac est. Ergo potest illud absolute cognoscere. Prob. min. Non minus sensibile petit cognosci sensibiliter, probabile probabiliter, discurribile discursive, credibile per fidem obscure; quia falsum obiectum falso; chimaricum, & fictitium fictitie & aliter ac est. Sed nihilominus Deus, *juxta omnes,* cognoscit proprie sensibile, non tamen sensibiliter; item probabile nõ tamen probabiliter, atque etiam discurribile, non tamen discursive; & demum credibile, non tamen creditivè ex parte sui actus. Ergo pariter poterit cognoscere proprie falsum, seu fingibile, non tamen fictive ex parte actus sui; sed solum vt tale est respectu actus creati, & vt certo scibile reflexe respectu actus Divini.

6 Prob *3.* Quia Deus comprehensive & evidenter cognoscit actum humani intellectus, fictivum, & factivum entis rationis, vt est evidens simulque de fide. Sed eo ipso cognoscere debet obiectũ ipsius actus, cum dicat essentialem connexionẽ actus cum obiecto, nequeat autem res connexa quidditative, & comprehensivè cognosci sine termino connexionis, vt causa sine effectu, vel econverso, imago sine imaginato, & vicissim. Ergo eo ipso quod

Deus

Deus certo, & cõprehẽsive cognoscat actum creatum fictivũ, repræsentativum entis rationis, hoc ipsum debet certo cognoscere.

7 Confir. quia insipiens esset, & insanum asseriere, Deum nostræ disputationi de ente rationis attendere, & tamen nescire, de quo sit disputatio; item à nobis identidem audire, quod *alius Deus est impossibilis*, & non percipere obiectum impossibile, sive alium Deum de quo loquimur, & modum quo de illo loquimur. Ergo.

8 Resp. 1. P. Vazq. *sup. n. 15. §. obijcies iterum*, hos actus tolũ connecti cum obiectis realibus, vnde illa solum a Deo cognosci.

O bene! Ergo iuxta P. Vazq. nil aliud obiectiue ens rationis importat, nisi entia realia, merito ergo pro nostra sententia d. 65. n. 3. laudatur. Deinde cum ea entia realia cognoscantur a Deo, & etiam modus, quo per actus nostros sunt cognita, aliter ac sunt, scilicet instar alterius, sive, vt conficta. Ergo cognoscuntur a Deo, vt sunt formalissime entia rationis.

9 Resp. 2. P. Quir. & P. Line. cognosci quidem a Deo ens rationis objectivũ, sed non cognosci, vt tale formaliter, sed solum æquivalenter; quia vt formaliter cognoscatur debet cognosci modo fictivo, quia solum illo modo, vt formaliter fingibile cognoscitur: sicut peccatum, vt tale formaliter, non fit a Deo, quia solum fit ab eo materialiter physice, secundum entitatem, non vero modo morali, & defectivo, quo solum fit formaliter peccatum, & secundum formale peccati seu defectus, vt talis.

Contra 1. Quia ita posset dici: Tũa Deo non cognosci probabile, credibile, discursibile, sensibile, vt tale formaliter, quia non cognoscuntur a Deo modo formali, optiativo, creditivo, discursivo, proprie illarum cognoscibili tatum. Tum etiã dici sic posset cognosci proprie formaliter relativum, v. g. *Pater*, non ita cognito termino *filio*, sicut cognoscitur a Deo fictio proprie formaliter, non ita cognito obiecto ficto. Quæ absonant.

10 Contra 2. Nihil magis formaliter, & proprie cognoscitur, quam quod secundum propriam formalẽ definitionem, & essentiam cognoscitur, sed ita Deus cognoscit ens rationis, scilicet secundum *Quod est obiectum actus fingentis, quod est aliter in se, ac cognoscitur per actũ, quod solum est obiectivè in fictione* &c. Has enim æternas veritates, non potest non evidenter scire, vt ipse P. Quiros cum omnibus fatetur. Ergo.

11 Contra 3. quia ipse etiam fatetur ea d. 55. n. 2. manifestum esse, quod a Deo cognoscuntur proprie, & formaliter omnes denominationes extrinsecæ, non minus, quam intrinsecæ, & consequenter etiam ratio obiecti cogniti confuse, *generis speciei* &c. v. g. *animalis* vt præcisi, &c. licet neseta n, vt sibi constet n. 14] Sed non minus ratio cognoscibilis confuse, seu præscisive,

cisivè, petit ad sui propriam cognitionem, vt talis exercite, cognosci per cognitionem præscisivam, & confusam, quam ratio fictitie, vel improprie cognoscibilis, cognitionem fingentem, vel metaphoricam. Ergo sicut ea præcisio, & confusio solum requiritur in actu cognoscente præscindibile, vt tale exercite, sive exercente præcisionem, non vero in cognoscente, vt tale proprie signare formaliter *vt quod*; ita fingibile, seu ens rationis, solum vt cognoscatur vt exercite fingibile (quo pacto a Deo non cognoscitur) requiret actum fingentem; non vero, vt cognoscatur proprie formaliter signatè, vt fingibile *quod*.

11 Contra 4. Quia similiter peccatum solum fit formaliter ab eo, a quo fit moraliter exercitè defective, quia moralitas, & formale peccati in eo modo exercite cōcurrendi consistit. At quod formaliter cognoscatur ens fictitium seu fingibile (nisi fiat quæstio de nomine, contra S. Thom. & omnes fere DD.) non consistit in modo exercito cognoscendi sub ratione fingibilis: sicut neque quod cognoscatur formaliter probabile, sensibile &c. vt tale in modo exercito cognoscendi sub ijs rationibus scilicet probabiliter, sensibiliter &c. consistit; Ergo.

13 Resp. 3. P. Yzq. n. 71. fatendo entia rationis, quæ sunt in se cognoscibilia, vt impossibilitas alterius Dei, actualitas alterius Mundi &c. cognosci a Deo in actu fingente, quia, & in se: ea vero, quæ non sunt cognoscibilia, nisi impropriè per alienas species, & instar alterius, non posse cognosci a Deo alias ipse vnum instar alterius cognosceret.

Contra 1. Quia omnia impossibilia per species possibilium, ex antibus vel constituuntur, vel resultant, cognoscuntur: nec scio cur jux sta P. Yzq. non sit cognossibilis in se *identitas hominis & leonis*, cum nonminus realiter sit impossibilis ea identitas, quam *alius Deus*. Ergo æquè vtrumque erit in se cognoscibile a Deo, 2. Nullum est ens rationis, de quo obiectivè non verificetur, quod sine *esse* verè, & realiter sit, vel *impossibile*, vel *possibile*; ergo omnia secundum has veritates erunt a Deo cognoscibilia in se. 3. aliud est, quod vt fiant, sive vt exercite impropriè cognoscibilia attingantur, ea objecta fictitia, petant cognitionem impropriam, & instar alterius; aliud vero, quod vt formaliter signate cognoscantur, vt quod, & vt fictitiè improprie cognita ab alio (vt solum a Deo cognoscuntur, sicut *probabile, sensibile*, &c. de quo d. seq.) Ergo licet Deus non possit exercitè cognoscere, v.g. Angelum instar juvenis, poterit tamen illum, vt ita cognitum a nobis, cognoscere signate, cognoscendo modum metaphoricum cognitionis nostræ circa Angelum; sicut, vt cognoscamus illū esse depictum, non requiritur, quod ipsum exercitè pingamus, sed quod picturam ejus cognoscamus.

14 Resp. 4. P. Turrian, & P. Quir.

Quiros, Deum solum cognoscere ens rationis per dissensum, non vero per assensum, atque adeo non cognoscere ipsam formaliter, vt est in se, sed potius, vt non est.

Contra 1. Quia cognoscere per dissensum, seu per negationem, est proprie & formaliter cognoscere, cum sit propria & formalis species cognitionis non minus quam assensus. 2. Quia etiam possibilia realia cognoscit Deus per dissensum, vt dū negat actualem existentiam alterius Mundi, & tamen propriè & formaliter illa Deus cognoscit; ergo pariter. 3. Quia eodem modo cognoscit Deus prædicata negativa sua, & cujus vis entis positini, vt immensitatem, infinitatem suam, &c. Bruti irrationalitatē, &c. & tamen formaliter illa cognoscit. 4 Quia prædicata essentialia entis rationis per assensum & affirmativè cognoscit Deus, vt quod sit fictum, obiectum actus fingentis, &c. Ergo.

15 Obij. 1. Ens rationis in se essentialiter est obiectum cognitum aliter ac est in se: sed Deus cognosceret ens rationis, vt in se essentialiter est, sicut cognoscit omne cognoscibile: Ergo cognosceret illud aliter ac est in se, & consequenter falso, & fictivè: quod implicat.

Resp. dist. maj. & definitionem, quia æquivocè in min. applicatam: Ens rationis est obiectum cognitum aliter ac est; exercitè & respectu cognitionis exercitè illud cognoscentis, sivè exercentis fictionem, concedo; respectu cognitionis, non exercitè illud cognoscentis, vt factum a se, sed signatè reflexe, id est, illud vt factum & fictum exercite a cognitione creata, repræsentantis; qualiter illud cognoscit Deus; *nego*. Constat ex n. 5. 11. & 12. paritate sensibilis quod solum respectu exercitè illud vt tale cognoscentis, debet se haberi vt cognitum sensibiliter, non respectu illud vt tale signate cognoscentis.

16 Obij. 2 & repl. Ens rationis vt tale formaliter non cognoscitur, nisi vt exercitè cognitum. Ergo si Deus illud cognosceret, illud faceret, & fingeret. Pro quo sit.

DISP. LXX.

Vtrum Divinus intellectus faciat, Ens rationis?

1 PRima sent. affirmat cum P. Fons. P. Valent. P. Smigles, P. Albert. P. Gil. P. Arr. ea d. 7. sect. 4 n. 49. & 1. p. d. 29. n. 43. P. Arrub. d. 3. art. 2. P. Raynaud. in Theolog. nat. d 8. q. 1. a 3. P. Ribas tr. 4 d. 7. c. P. Amic, 1. p. d. 12. n. 235. P. Franc. Lugo lib. 1. d. 54. c. 2. P. Suarez Log. d. 2 n. 92. P. Thom. Polen d. 5. q. 2. dif. 2. quibus favent Scotistæ communiter cum & apud Poncium ea d. 1. q. 8. a n. 89. & q. 9. n. 95. problematicum, aut hypotheticum,

Sett. 1. Conclusio negans.

2 Secunda nostra sententia probabilius negat cum S. Thom a & Thomistis d. præced. laudatis, P. Suarez

ea d. 54. f. 2. n. 20. P. Vazq. ea d. 118. c. 4. P. Hurt. d. 19. f. 6. P. Ruiz cit. d. 17. f. 2. P. Tanner. 1. p. d. 2. q. 9. dub. 3. P. Herice d. 8. c. 1. P. Fasol. ad q. 14. a 9. P. Aldrete d. 20. de Scient. f. 4. noſt. P. Leon ibi tract. 8. d. 19. f. 2. & in Logica, P. Quiros cit. d. 55. & 107. n. 44. P. Tellez d. 3. f. 2. P. Rub. q. 5. concl. 2. P. Rhodes, P. Gaitruch. P. Olcina & plerique noſtri in præſenti; nec non ad *Tract. de Scient.* P. Recup. P. Alarc. P. Martius, P. Hemelm. P. Martinon, &c. ſub præclaro Duce Sapientiſſ. R. P. N. Generali, ea d. 9. f. 7. n. 93.

3 Probant communiter RR. quia ens rationis ſolum fieri poteſt per actum falſum. *Verum* hæc probatio quæſtionem limitat ad ſenſum Theologo indignum, eſſet enim hæreticum, Deo tribuere ens rationis falſum & fictitium. Suppoſita ergo ex d. præc. n. 3. entis rationis efformatione per actum verum; quod ſatē de ente rationis logico, vt ſunt vniverſalia, relationes rationis, denominationes extrinſecæ, &c. quæ omnia pariter a Deo effici poſſe, ac entia rationis chimerica, negamus: aliū de vniverſalius probari debet concluſio, &

4 Prob. 1. Quia effectio cuiuſcumque entis rationis, etiam per actum verum, importat impropriam cognitionem vnius rei inſtar alterius. Sed repugnat Diuino intellectui ita vnā rem inſtar alterius cognoſcere, v. g. tenebras inſtar nigredinis, cæcitatem inſtar nebulæ, Angelum inſtar aſyeuis, chimæram inſtar vnius entis, rationes communes conveniendi inſtar vnius termini, formalitates identificatas inſtar pluriu n, &c. Ergo repugnat Diuinæ ſcientiæ effectio cuiuſcumque entis rationis, etiā Logici, & per actum verum.

Min. prob. *Tum* quia cognitio vnius inſtar alterius, eſt cognitio rei aliter, ac eſt; & licet falſitatem non importet, multum tamen ad illam accedit; vnde ex illo modo cognoſcendi, paſsim fallitur intellectus humanus; & iuxta noſtram ſent. d. 63. inde falluntur DD. omnes, qui ex eo modo cognoſcendi *idolum* illud intrinſece fictitiū reſultare contendunt; ergo imperfectionem aliquam falſitatis diſpoſitivæ, hic concipiendi modus importat, ac proinde Deo prorſus indignam. *Tum* quia ſaltem negari nō poteſt improprietas illius modi cognoſcendi, per modum methaphoræ, quælicet in homine locū habeat, & quamdam pulchritudinē loquutionis, id oritur ex defectu propriæ cognitionis immediatæ & intuitivæ rerum, quas cum in ſe ipſis perfecte cognoſcere non poſsimus, vt propriè ſunt in ſe, vtimur quaſi exemplis per ſpecies alienas alterius rei, ad cuius inſtar illas explicemus. Ergo modus hic cognoſcendi inſtar alterius arguit mendicitatem, & improprietatem cognitionis, indignam Deo proprijſsime, & vt ſunt in ſe, omnia comprehendente.

5 Prob. 2. paritate cognitionis opinativæ, & ex motivo probabili, quæ locum non habet in Deo; quia moti-

vum

vum illius est solum apparens, & instar motivi certi vere conexi, nõ vero ita reipsa conexum. V.g. auctoritas Petri dicentis aliquod nuntium, quæ motivum probabile est, & nobis sufficiens ad assensum, quia veritatem nuntij in se ipsa, propria certitudine cognoscere non possumus, & ideo cogimur ijs motivis prudenter apparentibus ad assensum vti. At vero Deus, qui veritates omnes in se ipsis, & secundum propriam earum scibilitatem comprehendit, non potest ex eiusmodi motivis impropijs, & apparentibus ad assensum induci. Ergo pariter non poterit Deus cognoscere veritatem obiecti, secundum impropriam apparentiam, instar alterius, cum illud debeat cognoscere secundum propriam quidditativam veritatem sui ipsius, vt petit quidditativa, & cõprehensiva scientia, debita Deo, absque vlla imperfectione infinite sapienti, & omniscio.

6 Prob. 3. Quia in re de nomine, sive de taxatione perfectionis, vel imperfectionis alicuius prædicati, stare debemus iudicio prudenti sapientum. Sed hunc modum cognoscendi rem aliter ac est, per metaphoricã comparationẽ rationis, reputata est a S. Thom. imperfectissima præsertim *quæst. 7. de potent. art 6. & in 1. dist. 2. q. 1. a 2.* vt proveniens ex infirmitate intellectus cognoscentis per ænigma, quæ per se & in se, vt proprie sunt, cognoscere nequit: cum quo sentiunt plerique Antiquiores Theologi apud citatos. Ergo, Vrgetur paritate enũtiationis compositivæ prædicati cũ subiecto, quæ ideo a S. Thom. 1. p. q. 14. a 14. & Theologis ibi, negatur Deo; quia vtrumque terminum instar distinctorum, & eorum idẽtitatem, instar vnionis, atque adeo improprie repræsentat. Ergo pariter, &c.

Sect. 2, Obiectiones.

7 Obij. 1. S. Thom. 1. p. q. 15. a 2. ad 3. inquiens: *Respectus, quibus multiplicãtur Ideæ, non causantur a rebus, sed a Diuino intellectu comparante essentiam suam ad res.* Sed hi respectus sunt rationis. Ergo ens rationis a Divino intellectu causatur.

Resp. Loqui S. D. de respectu fundamentali, scilicet de tendentia representativa Divini intellectus, quasi virtualiter causata & elicita ab illo, circa plura creabilia; quam vt multiplicem Ideam formaliter intellectus noster repręsentat; eo quod multiplex sit virtualiter, & eminenter, præstans scilicet per vnam tendentiam indivisibilem, quod intellectus creatus solum per multas realiter distinctas ideas repræsentare posset.

8 Obij. 2. Dum intellectus Divinus affirmat, naturam suam communicari Filio, illam præscisive attingit sine Paternitate, alias etiã de Paternitate affirmaret, *Communicari Filio.* Sed præscisiva cognitio facit distinctionem rationis. Ergo.

Resp. neg. suppositũ *major.* quod Deus affirmet, illo inadæquato & compositivo modo, sicut nos: nunquam

quam enim concipit formalitatem aliquam in adæquate; vt pote indivisibiliter comprehendens totam rei entitatem. Vnde ipsa formalissima simplex affirmatio, quâ asserit naturam suam communicari, est formalissime negatio communicationis in Paternitate, & similiter enuntiatio omnis cuiuscumque prædicati Divini, iuxta suam veritatē affirmabilis vel negabilis, imo etiā cuiuscumque termini creati, per connexionem cum Divino cognoscibilis, & necessario cognoscendi, vt exigit ratio comprehensionis. Neque repugnat quod idem actus possit esse simul affirmativus, & negativus, ex dict. d. 17. n. 5. & d. 18. n. 12.

9 Obij. 3. Christus, in quantum homo, *prædestinatus est a Deo in Filium Dei naturalem*, iuxta Apost. Rom. 1. Ergo cognoscit Deus distinctionem inter Christum vt hominem, & vt Filium Dei naturalem, tamquam inter subiectum & terminum prædestinationis, nemo enim prædestinatur, vt sit quod est. Sed hæc distinctio solum esse potest rationis; quia Christus vt homo involuit personam, quæ est Filius naturalis Dei: vnde ex parte subiecti datur ipse terminus prædestinationis, qui vt distinctus a subiecto concipitur, atque adeo per rationis distinctionem. Ergo.

Resp. omissa sent, DD. quæ sub ea reduplicatione negat, Christum, vt hominem, prædestinatum esse, vt sit Filius Dei naturalis: de quo videantur P. Alderet. q. 88. de Inc. s. 1. P. Hurt. d. 84. & P. Arr. d. 45. quod facile explicatur ea reduplicatio ex S. Th. in 4. dist. 10. q. 3. & P. Suarez d. 50. sect. 4. ita vt cadat ly *in quantum homo*, supra solam humanitatem in recto, connotando personam in obliquo, ita vt humanitas prædestinata sit ad vnionem Verbi, & filiationis naturalis Dei, per quā fiat totus homo, Christus, filius Dei naturalis. Eo modo, quo paries *inquantū visus*, dicitur terminare visionem, licet in quantum visus videatur importare visionem, quæ se ipsam non terminat; quia per hanc reduplicationem solum attingitur paries in recto, vt explicatum est d. 63. n. 46.

10 Obij. 4. Deus se cognoscit præcisive increaturis, vt terminum connexionis earum, scilicet vt vnū; quia cum ipso vt Trino creaturæ non connectuntur; ergo cognoscit suam vnitatem, vt ratione præcisam a Trinitate.

Confir. quia se etiam per amorem strictum prosequitur, vt bonum, præcindens ab existentia, quia vt existentē, se amat solū per gaudium, ab amore diversum. Ergo præscindit bonitatem suam ab existentia.

Resp. a multis DD. vtrum que antec. negari, propter eam præcisionem Logicam seu rationis. Sed vtroque concesso, ex dictis 1. p. neg. connexionem creaturarum, realem & physicam, esse posse cū sola Dei vnitate, sed etiam cum ipsius Trinitate; vnde Deus se in creatura cognoscens ex vi connexionis medij, se

non

non solum vt vnum, sed etiam vt Trinum comprehenderet absque vlla præcisione. Videatur alia sapiens solutio apud N. P. Leon. *Tract. de Scient. d. 12. s. 4.* ab specie adæquata comprehensiva sui, excitata in divino intellectu, etiam vi medij per se inadæquati.

Ad Conf. Amor strictus Dei circa se ipsum, vt bonum, non præscinderet a sua existencia, vt ab obiecto *quod*, neque ab illa boniratem per rationem distingueret; sed solũ præscinderet ex modo tendendi actus, vt a motivo *quo*. Sicut cum intellectus Divinus attingit ipsam suam bonitatem, sub ratione & motivo veritatis, & intelligibilitatis, ab ipsa bonitate, vt a motivo ex modo suo tendendi præscindit, quia bonitas non est motivum modi tendendi cognitionis, sive quo formalissime cognitio ab amore distinguitur; licet ipsa bonitas indistincte omnino, & formaliter attingatur per actum Divinum intellectus. Vid. *P. Quiros 1 p. d. 68. s. 3.*

11 Obij. 5. Deus independenter ab omni intellectu creato cognoscit in se infinitas, & innumerabiles perfectiones; & cõsequenter in illis respicit aliquam multitudinem, & numerum rationis; cum non sit realis: item videt in se communicabilitatem naturæ, & incommunicabilitatem personalem, vnde vtrãque distincte, aliquo rationis modo repræsentare debet, cum sint contradictoriæ. Ergo facit distinctionẽ rationis.

Resp. *neg. antec.* quia Deus indivisibiliter tantum cognoscit suam infinitatem perfectionis, vnico intuitu vt indivisibilem entitatẽ, imo formalitatẽ, respectu sui intellectus, vnde ille modus pluralitatis solum cognoscitur a Deo, quatenus comparat (vt vult S. Th. n. 7.) cum nostris conceptibus eminentialem virtualitatẽ suæ infinitudinis, quæ a creatis mentibus, vt pote limitatis, percipi nequit, niti per distinctionem rationis ratiocinatæ, multiplicantis & numerantis singulos illius infinitæ perfectionis conceptus, vt sunt participabiles & imitabiles in infinitum a creaturis, solum per distinctas realiter perfectiones; & vt sunt etiam imparticipabiles, per earum limitationes infinitas. Et eodem etiã modo cognoscet communicabilitatem suam identificatam incommunicabilitati per virtualitatẽ etiã eminentialem, quam nos vocamus distinctionem virtualem. Vnde omnis distinguibilitas rationis semper attingitur a Deo, connotando rationem nostram, sive vt est conceptibilitas per nostram rationem, neque aliter potest ab ipso cognosci, non minus quam vniversalia, & impossibilia, qua formaliter talia, quia æque hæc omnia a modo concipiendi nostro formaliter fiunt, & constituuntur: vt amplius iam declaro.

Sect. 3. Obiectio præcipua.

12 Obij. 6. ab ente Chimærico, & impossibili. Eo enim ipso, quod Deus illud v. g. *Chimæram*, vel *Aliũ*

Deus

Deum, cognoscat, negando illius possibilitatem, facit ens rationis: sed Deus illud ita cognoscit, dum negat *alium Deum esse*. Deuteron. 32. Ergo. Major prob. 1. Quia per illum actum dat esse objectivum, seu præsentiam intentionalem in mente sua illi obiecto impossibili, in quo consistit effictio entis rationis, quia dū possibilitatem negat, eam cognoscit, & esse intentionali objectivo donat. 2. Paritate judicij nostri veri, & veræ apprehensionis nostræ, quæ faciunt ens rationi, licet vere attingant ens chimæricum, ex d. 68. n 6. & d. 66. n. 7. solum quia eiusmodi præsentiā intentionalē tribuunt objecto. 3. Quia eo quod ens chimæricum a Deo obiective attingatur, attingitur, vt est essentialiter; sed est essentialiter objectum aliter ac est in se; & actus vel potentia attingens objectum aliter ac est in se facit ens rationis. Ergo Deo illud formalissimè facit. 4. Totum fieri entis rationis est objici potentiæ, aliter ac est in se realiter: sed chimæra eo ipso quod cognoscatur, vt chimæra, & vt vnum quid objectivum, objicitur menti, etiam divinæ, aliter ac est in se realiter, quia chimæra vt quid vnum realiter non est. Ergo. Hoc argument. merito judicat insolubile R N.P. Gen. eo. n. 93. suppositō Idolo objectivo a realibus distincto; cum illud Idolum attingatur a Deo, & accipiat esse objectivum, seu objici, non minus, quā respectu nostræ cognitionis.

15 Resp. 1. RR. Idolitæ, a Deo cognosci illud ens chimæricum, solum vt factum ab intellectu creato, vnde per divinam cognitionem fieri non potest, quia effectus non potest accipere existentiam, per actū, ad quem essentialiter supponitur factum.

Contra 1. Quia licet necessariū sit, ne Deus ens rationis faciat, quod illud respiciat, vt factum, vel factibile ab intellectu creato, vt de distinctione rationis dixi n. 11, Id tamen non sufficit, vt omnino non efficiat, ex d. 68. cit. Tum quia judiciū etiam supponit ipsum factum ab apprehensione, & tamen de novo facit, aut conservat. *Tum* quia cum hoc *fieri* tantū consistat in *cognosci*, cum possit iterum, atque iterum objectum fictitie cognosci, poterit sæpius fieri. *Tum* quia ex eo quod hodie Lutherani supponant, a Lutheto factum ens rationis de *Deo auctore peccati*; imo vt taliter factum credant, & renovent, non ideo non facient ens rationis chimæricum, cum illud repetunt, quia eodem modo factivo, scilicet exercite falso, & fictivo, obiectum attingunt, ac Lutherus; licet in medio cognitionis, & fictionis alienæ. *Tum* quia adhuc per cognitionem veram reflectentem super illud judicum falsum Lutheri, potest fieri ens rationis Logicum, licet non fictū, dicendo *Deus auctor peccati a Luthero confictus est*: Quia licet non attingatur fictitie attributive, & enuntiative secundum esse, *Deus vt auctor peccati*, per illud judicium; attingitur tamen per modum

dum vnius concreti, & entis simpliciter, modo simplici apprehensivo ex parte termini, quo tamen modo in se non est, quod sufficit ad ens rationis Logicum ex d. 66.

14 Resp. 2. alij, a Deo non attingi practicè chimæram, quia non attingitur affirmando illius existentiam; sed speculative, quia illam negando, & destruendo per dissensum illum, *Chimæra repugnat*.

Contra, quia si obiectivè attingitur chimæra, vt vnum saltem modo simplici, licet ipsi negetur existentia, debet attingi practice, & dando illi exercite existentiam obiectivam intentionalem, disconuenientem, licet signatè, & secundum dici actus enuntiative negat existentiam realem, vt fit per judicium verum *homo non est equus*, vel, *equus humanus repugnat*, ex d. 68. n. 6. & 7.

15 Resp. 3. alij, ens rationis seu chimæram attingi a Deo, secundũ esse reale impossibile, quod habet vere, & realiter, cum affirmat esse impossibilem, repugnare, &c.

Contra 1. quia adhuc cognoscendo impossibile secundum esse reale quod habet, si cognoscatur vt *vnum quid*, sicut cognoscitur per apprehensionem, & enuntiationem verã ex dictis ex d. 66. & 68. fit ens rationis Logicum; ergo saltem hoc fiet a Deo, si cognoscat, velut vnum quid obiectivum, ipsam chymerã. 2 quia si cognoscitur a Deo ens rationis in nostra fictione, sive vt a nobis est fictum & fictitium, implicat cognosci vt ens reale, nisi ens rationis fictitium consistat in entibus realibus obiectivis, vt patet. Vnde non possum non mirari, quod hæc, & sequenti etiam Responsione DD. Idolistæ sæpius vrantur.

16 Respondeo itaque ad argumẽtum negando mai, quia quãdo Deus cognoscit chymæram, vel aliũ Deũ esse impossibilem, dupliciter potest attingere illam veritatem. *Primo* in se ipsa, Et ita non potest illam attingere concipiendo terminum *aliũ Deum* &c. per modum vnius, quia hic est modus improprius cognitionis nostræ, non minus quam dum concipimus *animal*, tanquam vnam rationem conveniendi omnium animalium. Vnde sicut Deus veritatem animalis nõ cognoscit in se per modum vnius in communi, prout eo nomine significatur; sed per modum plurium, comprehendendo omnia animalia in singulari simplici instituto, vt sunt principia sensationum, sine confusione illa præcisionis. Ita cognoscendo in se *alium Deum esse impossibilem*, cognoscit omnia possibilia à se distincta, hominem Angelum &c. idest Michaelem, Gabrielem, Petrum, Paulum &c. in particulari, vt talia, nõ esse ipsum Deũ, sive a se ipso distingui; & ita nullũ aliquod possibile à se distinctum Deum esse posse. Vnde negandum est suppositum, quod Deus cognoscat *alium Deum*, vel *chimæram*, vel *impossibilitatem*, aut *possibilitatem possibilem* eorum, provt his nominibus significatur (sicut, & alias denominationes rationis, vt *vniversa*

lia, concreta extrinseca, negationes, & privationes, pro vt à nobis per terminos Logicos concipiuntur;] sed prout a nobis significantur distinctis terminis, singula entia realia, vt distincta incomposibilia; ex quibus per modum vnius copulata, a nobis concipiuntur fictitie..

17 Secundo modo ea veritates cognoscuntur a Deo, non praecisse in se ipsis, sed vt sunt, vel esse possunt in fictione nostra, sive in impropria cognitione vnius per modum alterius. Tunc autem cognoscit Deus illud ipsum multiplex ens reale secundum esse reale obiectivũ, quod habet, vt extrinsece vestitum, per esse intentionale ipsi disconveniens & affictum, ex modo nostro concipiendi falso, vel improprio. Sicut nos cognoscimus comædum repræsentatorem, vestitum indumentis regis, vt Regem apparentem, ab ipso tamen Regem distinguentes. Unde cum Deus exercite suo modo cognoscendi non tribuat obiecto reali, illud esse apparens extrinsecũ, quod suo modo tendendi attribui videt a cognitione creata fingente, non faciet ens rationis; cum illud esse sive existentiam illam intentionalem, suo modo cognoscendi exercitè nõ tribuat. Sicut dum videmus rusticos attribuentes regiam maiestatem histrioni regie vestito; non ideo tribuimus, sed potius ridemus, eandẽ maiestatem, licet ipsam vt ab alio extrinsece tributam videamus.

18 Hinc patet ad 1. prob. maj. Deum nullum esse intentionale præbere chimæræ aut alteri Deo, cum illam numquam cognoscat exercite per suum actum, vt hoc nomine significatur, sicut neque vniversalibus, distinctionibus, & relationibus rationis. Neque item vt posibilem eo nomine negat *alium Deum*, sed solum negat, hoc, & hoc ens creatũ posibile inparticulari, esse, vel esse posse ipsum nec Deum. Ad 2. constat disparitas, ad apprehensiones, & enuntiationes veras mentis humanæ, quæ attingunt chimerã, prout hoc nomine improprio, & metaphorico, significatur. Non ita Deus. Ad 3. patet ex d. præc. n. 15. solum fieri ens rationis ab actu attingente obiectum, vt cognitum aliter ac est in se exercite, sive exercendo illam alietatem, & diversitatem modi tendendi, disconvenientis modo essendi ipsius obiecti. Ad 4. dist. maj. fieri entis rationis est objici potentiæ aliter, ac est in se, exercite *conced.* pure signate, vt Divino intellectui objicitur, *nego*: quia intellectus Divinus solum designat, seu cognoscit chimæram ab alio, aliter ac est esse cognitam, modo explicato.

19 Replic. Intellectus Divinus, etiam impossibili omni intellectu creato, cognoscit, *se esse summum ens, esse vnicum* &c. Ergo impossibili omni intellectu creato, cognoscit, *esse impossibile, aliud se ipso maius, vel alium Deum, vel destructorem sui*, & similia impossibilia, quæ ex perfectionibus suis necessarijs resultant.

Urgetur, quia similiter Deus cognoscit, indepẽdenter ab omni creato intellec-

intellectu, quod *si Spiritus Sanctus non procederet, non esset distinctus a Filio*, quod si *esset alius major se ipso, desineret esse Deus, &c.* Quod *si homo esset Equus, esset hinnibilis, &c.* cum sint necessariæ & æternæ veritatis, quas per Scientias cognoscimus. Ergo.

2o Resp. cum Sap. M.P. Generali n. 94. concesso anteced, negand. cõseq. quia independenter a nostro intellectu, Veritates de conditionibus impossibili, Deus non cognoscit, pro vt ijs vocibus, & conditionibus ano bis explicantur; eo quod non possimus absolutas ipsas veritates, vt in se sunt cognoscere. Sed Deus per longe alias enuntiationes absolutas, & quidem simplicissimas & omnicom prehensivas, ipsas absolutas veritates penitissimè in se penetrat: ex quibus, & pro quibus declarandis nos conditionales consequentias deducimus. Vnde illas solum per connotationem ad conceptus discursivos, nostros Deus potest cognoscere, sub illis terminis hypotheticis, sicut n. 11. dixi de distinctione rationis. Et hac connotativa conceptibilitate sæpe vtitur in scriptura, dum de *Alio deo*, & similibus loquitur, vt nostro modo cõcipiendi se accommodet. Ad *Vrgent.* nego antec. ex dictis.

DISPUT. LXXI.

Vtrum voluntas faciat Ens rationis?

1 PRima sent. affirmat cum Scoto in 1, d. 45. quæst. vnic. & Scotistis ibi, Bonesp. d. 1, dic. 3, resol. vlt. Spin. n. 73. ex nostris P. Herice a d. 8. c. 1. P. Arr. n. 46. P. Lyuceus n. 17. Qui de appetitu sensitivo etiã affirmant.

Secunda nostra sent. de vtroque negat, cum S. Thoma, & Thomistis, apud Complut. q. 3. §. 1. Ioan. Thom. a 4. nostris omnibus præter citatos, post P. Suarez ea s. 2. n. 7. P. Vazq. 1 p. d. 115. c. 1. PP. Conimb. ea q. 6. Perphi a 1. a d. 2. quibus accedit Põcius q. 7. n. 81. pro nobis cum P. Vazq. & suo Merinero interpretatus subtilem Doctorem. Relicta autem, & rejecta ex d. præced. n. 3. Probatione ab eo, quod ens rationis præcedat factum per intellectum.

2 Probatur cum R.P.N. Generali n. 89. supponendo elegantem doctrinam *S.* Thomæ 4, *contra Gentes*, c. 19. observantis, discrimen inter Intellectum & voluntatem, sive inter potentiam cognoscitivã, & appetitivam, etiam materialem, in suo tendendi modo circa sua obiecta. Nam cognoscitiva attrahit obiectum ad se; appetitiva vero quasi exit extra se, & rapitur ab obiecto. Hinc est, quod cognoscitiva per species ab obiecto sibi immissas, medijs quibus illud cognoscit, ipsum ad se trahat. Et hinc etiã in se velut depingit obiectum, per imaginem intentionalem, illius expressivam, quæ in intellectu appellatur Verbum mentis. Quæ imago repræsentare dicitur obiectum, quasi iterum illud in se præsens faciat, & præsentet, addens præter præsentiam realem,

quam in se habet, novam illam intentionalem, obiectivam formalem quam cognoscitivè ipsi tribuit. Sicut enim per imagines corporeas, nobis præsentes facimus personas absentes, & in ipsis, & de ipsis imaginibus, ita loquimur, quasi de objectis repræsentatis, præsentibus; ita etiam intellectus, sive cognitio, per suam vitalem expressivã imaginẽ, obiecta cognita sibi præsentia facit denovo & intẽtionaliter. Quod si obiectum in se non habeat præsentiam seu existentiã realẽ, qualem invenit incognitione, tunc dicitur totum suum esse præsentiale, sive obiectivum in esse talis, habere tantum a cognitione, & fieri ab ea & per eam ens rationis, vt a causa formali & etiam quasi effectivà. Et ita tradit Aristoteles 3. de Anima, apud PP. Conimb. distinguens hanc vtramque præsentiam & existentiam obiecti; tum in se, sive realem; tum in Anima, seu rationis, & fictionis.

3 Hinc patet longe aliter se habere voluntatem, in sua tendentia, quia non facit obiectum sibi præsens, quin potius se præsentem facit obiecto, dum ad ipsum fertur. Vnde sumpta est communis definitio voluntarij, ex S. Thom. 1. 2. *q. 6. a 4. corp. & a 6. ad 1.* Quod sit *inclinatio, aut motus, quo voluntas fertur in obiectum, cognitione propositum*: quia scilicet, quasi extra se fertur, aut ferri se sinit per obiectum, vt cognitum. Ex quo etiam desumptum est Axioma Philosophorum, quod *voluntas plus est vbi amat, quam vbi anmat*; de quo sapienter P. Eusebius *lib. 4. de arte voluntatis cap. 25. & seq.* Nimirum cum in se obiecti sui intentionalem præsentiam seu imaginem repræsentativam non describat, solum descriptam ab intellectu per motum suum quærit, vt media illa per amorem cum obiecto se veniat, aut per odium, repellãt & rejiciat. Iam inde manifestum fit, per voluntatem nullo modo præstari obiecto intentionalem præsentiam, sed totam illam, præstitam solum per intellectum, ab ipsa supponi.

4 Tum sic. Sed solum ea potentia facit ens rationis, quæ præstat obiectivam sive intentionalem præsentiam aut existentiam objecto, vt hoc ita solum in illa sit, aliter ac in se est. Ergo si voluntas eam præsentiam minimé tribuit, neque ens rationis efficiet.

Confir. ex receptissimis vocibus rationis, fictionis, falsitatis; & potentiæ fingentis, seu aliter ac est obiectum concipientis, vel repræsentantis, vel apprehendentis, per quas describitur vel definitur a S. Thom. & reliquis DD. ens rationis, ex d. 61. n. 1. 2. Quæ in re de voce demonstrant, illud esse a voluntate prorsus alienum, vt ipsæ voces sunt modo tendendi volitivo satis impropriæ.

5 Obij. 1. Voluntas ordinat rem ad finem, ad quem ordinata non est, & sæpe inordinate, vt Deum ad creaturas, cum peccat: ergo facit relationem rationis, tribuendo prædicatum disconveniens.

Resp. dist. antec. ordinat ordinatione

tione extrinseca vera & reali, sicut etiam vere & realiter extrinsecè ordinatur Deus per creationem ad creaturas, & quælibet causa per actionem extrinsecam realem ad effectū, *concedo*: ordinatione & relatione rationis, secundū quā tribuat esse obiectivum & intentionale obiecto absoluto, repræsentando illud instar relativi, in quo consistit formalis relatio rationis, *nego*. Prior autem illa ordinatio est solum ens rationis fundamentale, sicut quævis extrinseca denominatio realis, & sicut ipsa denominatio voliti & amati, quā etiā tribuit voluntas; quæ solum fit relatio rationis, quatenus per intellectū concipitur instar vnius concreti simpliciter, accipiens præsentiam intentionalem in esse talis; quam voluntas dare nequit, ex dictis.

6 Obij 2. Iudicium conservat Ens rationis factum ab apprehensione, quia illud attingit & judicat, eodē modo obiectivo, quo fuit apprehensum. Sed voluntas attingere & amare potest aliquod impossibile, v.g. fieri Deum (quod fortasse fuit primum peccatum Luciferi) illud desiderando, vel attingendo eodem modo, quo ab intellectu chimæricè possibile repræsentatum est. Ergo illud conservabit voluntas.

Resp. neg. min. & supposita paritate, quod voluntas possit conservare, sicut judicium, existentiam entis rationis facti; qui a solum potest esse causa conservans, quæ potest primam existentiam aut primā similem tribuere, sicut tribuit judicium enti rationis, per novam illius repræsentationem, quæ est nova præsentia intentionalis illius; voluntas autem ejusmodi præsentiam tribuere nequit, cum non tendat repræsentando, sed quasi potentia cæca existentiam repræsentatam ab intellectu vnicè amplectendo, ex n. 2. & 3.

7 Obij. 3. Ideo intellectus facit Ens rationis & tribuit existentiam intentionalem obiecto, quia illud attingit modo disconvenienti, seu aliter ac in se realiter est; v.g. Quia attingit possibile, vt impossibile per negationem propriam impossibilis, vel impossibile vt possibile, per affirmationem propriam possibilis; aut vtrumque per verbum adjectiuum proprium rei actualis ex d. 67. n. 6. Sed similiter voluntas attingit obiectum modo disconvenienti, attingendo sæpe impossibile per desiderium proprium rei possibilis; vel purè possibile, per gaudium propriū rei existentis; vel possibile, per desperationem propriam rei impossibilis: quando scilicet ea obiecta eo modo inverso & falso proponerentur ab intellectu. Ergo faciet ens rationis non secus ac ipse.

Resp. 1. Quod licet eo modo disconvenienti attingat obiectum, non tamen per illum dat ipsi præsentiā intentionalem, quæ primario requiritur ad Ens rationis; & propter quā cognitio rei aliter ac est, seu modo disconvenienti Ens rationis facit.

8 Resp. 2. cum multis DD. negari error inversionem affectuum voluntatis

tatis esse modum disconvenientem quia licet bonum secundum esse reale moveat voluntatem formaliter *vt quod*, attamen formaliter vt *quo* movet secundum esse apprehensum, vnde si bonum impossibile apprehendatur vt possibile, circa illud non erit disconveniens affectus desiderij; & si repræsentetur vt existens, non erit disconveniens affectus gaudij, &c. Quia voluntas debet tendere in bonum, vt cognitum. Non ita intellectus, qui cum tendat in veritatem, vt in motivum formale *quod & quo*, debet in illam tendere secundum esse reale, modo convenienti, & non tantum secundum esse apprehensum. Sed de hoc in 2. *Lib. Phys.* cum de causa finali.

9 Obij. 4. voluntas attingit præcisivè vnam formalitatem sine alia, vt cum complacet in bono, vel justo in communi. Item voluntas legis lativa vult & causat obligationem in subditis, & translativa dominij, hoc ipsum respicit & facit, & prohibitiva, facit negationem honestatis: quæ omnes & aliæ sunt moralitates & denominationes, a voluntate & formaliter, & quasi effectivè provenientes. Ergo.

10 Resp. fatendo, totam hanc tendentiam voluntatis præcisivam & moraliter denominativam, quæ fundat Ens rationis: sed quia ipsa non est per modum repræsentationis tribuentis præsentiam & existentiam intentionalem & obiectivam, sed solum vel fundat, vel supponit & amplectitur eam, quam intellectus effigi aliter format, & fingit; ideo nō est formaliter sed solum fundamentaliter cōstitutiva entis rationis, & cut omnes aliæ extrinsecæ reales denominationes. Unde solum per intellectum, a quo illæ ipsæ accipiunt existentiam præsentialem in mente per modum compositionis, vel distinctionis, vel relationis, fient Entis rationis formaliter. Quia in re denomine non est loquendum; vt libuerit, vt tandē permittit ibi P. Arr. sed vt per Majores licuerit, & licet hic modus loquendi multum habeat de metaphora, circa nomen *præsentiæ* obiectivæ: cum hæc metaphorica sit, ex d. 65. maxime cum re ipsa congruet, & re jam intellecta, satis de voce.

DISPUT. LXXII.

Utrum per sensus fiat Ens rationis?

1 PRima Sententia negat, omni sensui tam interno, sive Imaginativæ & Phantasiæ, quam externo quinquplici, vim factivam entis rationis chimærici: ita PP. Cōnimb. ea q. 6. a 1. P. Hurt. d. 19. n. 84. P. Ovied. q. 6. n. 4. P. Alph. ea d. 12. n. 70. P. Suarez Lusit. d. 2. n. 72. secuti P. Rub. P. Smigles. P. Amicū necnon Thomistas, cum Complut. & M. Ioanne Thoma *supra*, atque Scotistas cum Poncio *quæst.* 7.

2 Secunda sent. omnino affirmat de vtroque, cum P. Ualentia 1. p. d. 1. q. 17. p. 3. P. Arr. ea d. 7. s. 2. & 3. P. Peñaf. ea d. vlt. q. 6. n. 22. & 41 citantur etiam P. Vallius, & pauci alij, quos sequuntur RR. nostri cū

P.

P. Maça d. 2. s. 1. & 2.

2 Tertia senten. saltem Phantasiæ humanæ eam vim concedit, negans reliquis sensibus. cum P. Suarez ea s. 2. n. 18. Card. Toleto 3. de Anima c. 3. P. Tellez. d. 3. s. 1. n. 10. P. Cōpt. d. 16. s. 2.

3 Quarta sent. negat adhuc non chimærici, seu pure falsi entis rationis ficticem vim sensibus quibus cumq. Ita aliqui RR. nostri in M. S.

Sect. 1. Conclussio media.

Quinta nostra sent. *Negat* cum Prima sēsibus omnibus vim factivā entis rationis chimærici. *Affirmat* vero, & concedit factivam non chimærici, pure falsi, contra Quartam.

4 Negativa Conclusio *Probatur.* Quia ens rationis chimæricum fit, componendo vnum incompossibile ex terminis repugnantibus, vel per simplicem adunationem per modū vnius entis simpliciter, v. g. *Chimæra*, vel *Hircocervus*; vel per attributionem secundum esse per enuntiationem falsam explicitam vnius de alio, v. g. *Hircus est cervus.* Sed nullus sensus, neque internus, neque externus, potest ita componere; ergo neque ens rationis chimæricum fingere. Minor probatur. Quia adæquatum obiectum sensus est sensibile, qua tale, vt sensibiliter cognoscibile; sed sensibile, vt sensibiliter cognoscibile, non cognoscitur, vt *ens*, neque in ordine ad esse, vel non esse; quia hoc est proprium, & adæquatum obiectum intellectus ex disp. 63. n. 13. cujus est rei essentiam & quidditatem, seu rationē entis vt talem cognoscere; quod est omnino supra sensum, & a sensibus abstractum, per quos solum videmus rerum apparentias, nō vero substantias, vel essentias; vt est notum, & in *Lib. de Anima*, ex Aristot. traditur. Ergo.

5 Confirmatur 1. Quia adæquatū obiectum sensus, est sensibile, tum proprium, vnius cuiusque sensus, v. g. color, sonus, &c. Tum commune omnibus, scilicet ipsius proprij præsentia localis, extensio, distantia, &c. quin aliquid aliud possint percipere, neque sensus externus, vt patet, neque internus; qui nihil aliud percipit, quam quod externus, licet perfectiore aliquo modo, componendo ac comparando ipsa sensibilia interse. Sed ratio entis vt explicite talis, neque est perse colorata, nec sonora, &c. sed solū vera, & intelligibilis, ac mente perceptibilis. Ergo ratio entis, sive obiecti secundū esse, & non esse, & proinde ratio entis chimærici, quæ per modum entis, secundum esse vel non esse conceptibilis tantum est, est supra omne sensibile.

6 Confirm. 2. exponendo terminos, qui ad summum possunt fictitie a sensu, maximè interno, conjungi, qui omnino sunt sensibiles; vt colores figurantes Hircum, & cervum, quasi vnum aliquod animal, externe apparens; quod totum fieri potest a Pictore, quanto magis a Deo? imo licet sensus internus captu suo penetraret substantiam viventem, etiā posset fieri a Deo, aliquod animal

mons-

monstruosũ, illa externa figuta præditum, & fortasse etiam naturis illis diversis, ex d. 62. n. 5. quin aliquid impossibile, in illo vel alio monstro sensibili, possit excogitari. Ergo.

7 Vrgetur ex sensu externo ad internum; quia hic solum potest percipere obiecta per species, quas sensus externus ministrat; non enim habet vim abstrahendi species a sensibilibus externis; vt ex vno obiecto aliud cognoscat; hoc enim propriũ est intellectus, vt pote discursivi ex vno ad aliud, ex d. 65. n. 10. Sed per sensus externos solum potest accipere species ab objectis simpliciter possibilibus, & sensibilibus; ergo solum circa illa, ac proinde minimè circa chimærica, versari etiam potest sensus internus.

8 Affirmativa Conclusio de ente rationis fictitio non chimærico, *Probatur*, supponendo ex *lib. de Anima*, quod licet sensus *falli non possint circa proprium sensibile*, vt tradit Aristot. quia non possunt suum essentiale obiectum mutare, falli tamen possunt circa sensibile cõmune, seu præsentiam sensibilis proprij; hoc percipiendo in alio loco, in quo nõ est. V.g. cum vides colores in Iride vel in vitro triangulari, aut in collo columbæ, vbi minime realiter actualiter illi sunt. Item cum per vitrum, artificio Perspectivæ elaboratum, vnus homo multiplicatur in exercitum: aut per reflexionem Remus intra aquam apparet curvus, & fractus, atque adeo in loco vbi non est. S. similiter Auditus percipit sonũ bombardæ a longe displosæ, quasi existentem, postquam evanuit, & existens non est: & aliquando læsus percipit sonos, qui nullibi sunt, aut fuerunt: Quas omnes falsitates sensus internus etiam patitur, necessario repræsentans omnia sensibilia, quæ per externos sensus immittuntur; & vltra addens pluriũ compositionem, per Phantasiam, & Memoriam, vnde innumera passim quivis sibi somnia fingit: imo & in canibus aliisque Brutis, experimur ex eorum motibus, falsa etiam phantasmata sibi somnio interne cõfingere. Sed hæc omnia sunt entia rationis fictitia sensibilia, & consequenter non chimærica; ergo ea ex terno, & interno sensu perficiuntur.

9 Confirmatur apriori. Quia licet sensibus possibilis non sit attributio prædicati disconvenientis, perfecta, & formaliter enuntiativa, vt requiritur ad ens rationis perfecte falsum, & fictitium, sive judicativum quo simpliciter falluntur homo, convenit tamen attributio quædam virtualis simplex & quasi apprehensiva, per modum apprehensionis suæ, ex d. 66. n. 6. Quatenus componit sensibile proprium cum sensibili communi, attribuendo simplici modo, coloribus, vel sono, v.g. præsentiam localem illis disconvenientem, vt quando attribuit curvitatem remo, & Iridi præsentiam in nubibus. Et ratio est. Quia cum cognitio sensitiva sit immitiva, & propterea debeat repræsentare obiectum, vt existens, sive vt præsens, quæ sic per-

verbum adjectivum absolutum, *existit*, saltem modo simplici, consequenter aliquo modo præsentiam existentialem in loco attribuit suo sensibili. Sed hæc præsentia potest aliquando non convenire, & de facto non conveniat sensibili proprio, vt in Iride, remo &c. ergo attribuit aliquo modo prædicatum disconveniens; & consequenter falso, & faciendo ens rationis fictitium simplici modo.

Sect. 2. Objectiones.

10 Obij. 1. pro 2. *sent.* ex P. Arr. Quando video curvitatem in Remo aquæ immerso, video præsentiam, sive vbicationem rectam Remi, in loco curvo vbi non est, nec potest adhuc divinitus esse; quia vbicatio vnius spatij, vt pote essentialiter affixa spatio, nec divinitus esse potest in alio, sive a suo spatio imaginario divelli. Ergo si dimoveatur per visum falsum, per illum aliquid impossibile fingitur.

Vrgetur. Possibile est aliquid sensibile essentialiter affixum suo loco; sed hoc potest per visum in alio loco videri, sive ratione distantiæ, sive per reflexiones perspectivas medij refracti: ergo videbitur aliquod impossibile chimæricum per visum.

11 Resp. esse dubium inter Philosophos, in qua præsentia consistat sensibile commune, an in intrinseca sive vbicatione intrinseca locati, essentialiter affixa loco? vt tenet P. Arr. cum alijs DD. An vero in sola extrinseca præsentia, seu coexistentia cum alijs sensibilibus, vt facient me, & mensurante distantiam, extensionem, & situm obiecti? & hoc probabilius tenent Card. Lugo *d. 5. de Euch. s. 4. n. 86.* P. Hurt. d. 12 de Anima §. 80. cum P. Vazq. & alijs, de quo in *Lib. de Anima. Tum* quia vbicatio intrinseca, cum a multis DD. negetur, & vix per intellectum demonstretur, quomodo per sensus percipi dicatur? Tum quia ipsa per se sensibilis non est, nec sub ratione formali potentiæ continetur. Tum, quia licet illa in obiecto mutetur, si corpora circumstantia eandem distantiam servent, (vt cum in Navi leniter movemur) minime præsentiã mutari sensus percipiet; signum ergo est solam illam fundamẽtalem extrinsecam præsentiam, coexistentialem aliorum sensibilium, mensurantem distantias sensibiliter per sensum percipi.

12 Hinc patet ad argumentum, & vrg. nihil impossibile videri in curvitate remi, vel in illo sensibili affixo intrinsecé vni spatio, quando videretur in alio loco; quia non videretur vbicatio intrinseca per sensus, sed solum extrinseca præsentia mensurativa distantiarum; quæ potest variari, si immutatis locatis ipsis suo in loco intrinseco, alia sensibila magis aut minus approximentur locatis; & ita variabitur extrinsecum commune sensibile, quod vnicè sensu percipitur. Quæ varietas cum actu non est, & vt actualis repræsentatur per sensum (licet possibilis sit) fallitur sensus, circa commune sensibile, possibile omnino;

quia

quia illud repræsentat intuitivè, sive vt actuale, & existens adjectivè, præsentialiter hic, & nunc, ex n. 9. cum taliter in se non sit.

13 Obij. 2. ex eodem. Cum Canis oblatrat Columnæ, quasi furi alias se percudienti; vel adlatrat, quasi hero se pascenti; per sensum internum virtualiter affirmat, *Columnam esse furem, vel Herum*, quod est Impossibile chimæricum. Ergo.

Resp. neg. antec. Quia sensus nō affirmat *hoc esse illud*; ita enim judicaret de esse intrinseco rerum; sed solum accidentia sensibilia propria furis, vel Heri esse, vbi est columna, quia huius accidentia apparent quasi illorum, & hoc est absolute possibile, quia absolute possunt esse fur & herus, vbi columna est, si hæc removeatur, & illuc ipsi veniāt. Sensus autem compositus impossibilis coexistentiæ illorum cum columna in eodem loco, similiter non cognoscitur, nec capitur sub ratione sensibilis per visum.

14 Obij. 3. Impossibile est, quod quantitas major sit minor; angularis sit rotunda; vna sit multiplex &c Sed hæc omnia per sensum fallaciter repræsentantur. V.g. cum Luna videtur major stellis: Turris a longe apparet rotunda; pomum apparet multiplex per vitrum Poligonum. &c. Ergo.

Resp. ex alteratione, vel refractione specierum visualium, nec non lucis, secundum varias medij dispositiones, omnes illos, & innumeros alios errores provenire, semper intra terminos possibilitatis sensibilium. Nam quod Majora appareant minora, fit ob distantiam longiorē, obiecti majoris, ob quā species vel de remissæ perveniunt ad potentiā [sicut calor, & lux remissior pervenit, quo magis distat ab igne;] vnde, ex hac remissione oritur, quod non omnes partes obiecti distantis percipiantur, & ideo apparet minor obiecto proximiori, cujus omnes partes videntur. Qua ratione etiam sæpe colores confunduntur; ut vestis a longe pure fusca videatur, cum sit discolor, & intermista, quia species remissæ, partes coloris minus extensi abscondunt. Idem evenit in turri quadrata, cuius partes angulares prominentes, quia minus extensæ, species emittunt, quæ ad potentiam vix perveniunt. Quod vero multiplicetur coexistentialis præsētia pomi absolute, est divisive possibile: & ita simul multiplicata apparet, ad refractionem specierum in medio artificioso, quod discriminat, & variat distantias visuales objecti; & ideo fallit visum, repræsentantem, vt actu simultaneum, quod est possibile divisim.

15 Obij. 4. Solemni exemplo Iridis probari colores fictitios impossibiles, & chimæricos: quod pro cōperto supponunt RR. nostri, cum P. Peñafiel, eo n. 42. & probari potest. 1. Quia ille color est lux reputata color; impossibile autem est quod lux color sit. 2. Quia est color apparens, quod autem purè apparens est, reale non est. 3. Quia nō est

est color actualis, vt est certũ; sed neque purè possibilis; tum quia pure possibilia non videntur; tum quia non est vnde determinetur visus ad percipiẽdos hos numero colores possibiles, potius quã alios. Ergo.

Resp. neg. antec. quia nihil receptius est apud DD. quam quod colores Iridis reales sint, vt cum S. Th. 3. *Meteor. q. 4. lect.* 6. & Aristotele ibi; sentit Thomistæ cũ & apud M. Ioan. Thom. *q. 7. de Anima a.* 1. nostri P. Suarez 3. de *An. c.* 15. *n.* 7. P. Compton. *d.* 14. *de Anim. s.* 2. *n.* 9. P. Alfons. *d.* 10. *n.* 26. P. Lyncæus *lib.* 1. *Phys. tr.* 4. *n.* 8. Iauhans. Albert. M. Aegid. Cajet. Iavell. Soncin. & alios Antiquiores; quibus accedunt Caramuel in Metalog. l. 2. princip. 5. n. 132. item omnes qui veros colores a iuste taliter refracta, aut terminata non distinguũt, cum P. Zucho 1. p. optices, P. Caued, & Eromondo, quos sequitur P. Quiros d. 85. n. 10. Favent etiam qui ipsos colores apparentes, & fictitios reales nihilominus esse dicunt, cũ & apud PP. Conimb. 2. de Anima c. 7. q. 3. a. 1. Quod locupletissima eruditione confirmãt, & illustrant ex Philosophis, & Poetis, Sapientiss. Mag. meus P. Xauregui, & doctiss. P. Maça in præsenti; probantes esse colores reales actuales. Ego vero

16 Dico 1. illos esse colores reales 2. non esse actuales, 3. esse pure possibiles visos vt actuales, & existentes. Primũ de realitate ostendo. *Tum* quia nihil in illo colore apparet aut concipi potest, quod sit repugnans existere, sive impossibile, non minus quam in reliquis coloribus permanentibus. *Tũ* quia sensibile, qua tale est qualitas; ergo non potest esse impossibile; cum hoc non possit esse, qualitas, vel ens simpliciter, seu verum coloratum &c. *Tum* quia alias potentia visiva extraheretur extra suum vniuocum rationem formalem; scilicet lucidum coloratum; si chimæricum qua tale non sit lux vel color simpliciter. *Tum* demum quia ex disp. 63. Quidquid datur obiective, vt a cognitione distinctum, debet esse reale, sive resultans ex realibus possibilibus: ergo.

17 Secundum de non actualitate probo. *Tum* quia ille color, non magis permanens est, quam colores vitrotriangulari percepti, hi autem actuales propterea, nõ sunt, juxta DD. *Tum*, quia soni apparentes, auditui læso insonantes non sunt actuales, cum a sanis non audiantur, ergo pariter. *Tum.* Quia sensibile commune apparens, actuale non est, vt curvitas remi in aqua, &c. ergo pariter apparẽtes colores.

18 Tertium de pura possibilitate, demonstro. 1. Quia si sunt, ens reale non actuale, solum superest, vt sit pure possibile. 2. paritate auditivæ quę percipit sonos a longe excitatos, postquam evanuerunt, cum jam pure possibiles sunt, quia manent species eorum, ipsos virtualiter repræsentantes, tanquam existentes. 3. Quia sicut semina viventium opposita, interse commista producunt aliam speciem monstruosam; ita possunt species inten-

tionales lucis per reflexionem, & refractionem, ac variam medij dispositionem, interse mistæ, & quodam modo oppositæ, causare quasi monstruosam repræsentationem alterius obiecti pure possibilis, diversi à luce, cuius sunt species, & quasi semina. Expecta lib. de Anima.

19 Hinc negato antec. è n. 15. Ad 1. prob. antec. nego quod ille color sit lux reputata color per visum, hoc enim solum ab intellectu compositivè judicari posset, vt dixi n. 13. vnde solum videbit oculus colores in loco lucis. Ad 2. color apparens talis dicitur, quia cum sit pure possibilis, apparet existens, sicut sonus apparens, perceptus postquam præterijt. Ad 3. concedo pure possibile, vt tale, nō videri, quia visiva vt pote intuitiva debet repræsentare obiectum, vt existens; videtur tamen, si adjectivè vt existēs repræsentetur, eo modo quo sonus, a longe perceptus, postquam præterijt, & est pure possibilis, percipitur vt existens. Determinatio autē ad hos potius, quā alios colores possibiles videndos, oritur a natura specierum permistarum, sicut determinatio ad hoc potius, quam aliud monstrum generandum, a natura permistorum seminum, vt dixi nuper.

20 Obij. 5. pro 3. *sent.* sensus internus humanus plus habet de vi compositiva, quam brutalis; cum *nihil sit in intellectu, quod non fuerit in sensu*, juxta Aristotelem. Ergo si in intellectu est ens rationis chimæricum fuit, & in sensu.

Resp. quidquid sit de antec. Axioma illud, etiam de sensu externo intelligitur ab Arist. cum per illum primo intret species obiecti intelligibilis: pro vtroque ergo sensu, distinguendū est: Nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu, mediate, vel immediate, *concedo*, immediate tantum, *nego*. Sicut enim de spiritualibus, & vniversalibus, nihil est in sensu immediate, sed solū mediatè, quatenus medijs speciebus sensibilibus, & ex illis intellectus agens desumit, & abstrahit species intelligibiles, discursivas & cognoscitivas in medio sensibili ita de ente rationis chimærico abstrahit similiter species a sensibus, per quos solum intrant species entium realium possibilium, ex quibus chimæricum a solo intellectu componitur, per species deputatas a sensibilitate, juxta *d.* 65, *an.* 10.

21 Obij. 6. pro 4. sent. ex Albert. M. & Apollonio apud Connimb. 2, de An. c. 6. q. 6. a 1. & 2. sensus cognoscit obiecta sensibilia, secundum quod sensibiliter apparent; sed hæc apparentia semper est vera, & realis, ergo semper cognoscunt obiecta, secundum quod sunt vere, & realiter, ac proinde numquā falso, neque fictitie, Min. prob. Quia omne sensibile apparet, secundum quod species impressa ab illo immissa sensibus repræsentat; vnde Colores iridis per sui speciem repræsentantur in speculo, sicut quævis alia figura visibilis realis ibidem apparens: vbi eodē modo ab Angelis, & a Deo, absque vlla falsitate apparens videbitur

bitur. Ergo ea apparentia semper, vt vera, & realis a sensu repræsentatur.

Resp. neg. min. & suppositum probationis (de quo *in lib. de An.*) quod scilicet species sint formales imagines, & expressiones, in quibus sensibile reale, formaliter appareat, & videatur: quia solum sunt quasi semina prædicta vi producrice cognitionis obiectorum. Unde in speculo nulla est formalis imago, sed ipsum obiectum, quod extra illud est, per reflexionem, & retortionem specierum visualium videtur, quasi existens intra ipsum speculum, sicut medius remus videtur similiter quasi curvus, & fractus juxta superficiem aquæ reflexus, propter specierum reflexionem: vbi falletur visus circa commune sensibile disconveniens, falso applicatum proprio sensibili. Vnde fit, quod neque ab Angelis, multo minus a Deo videatur intra speculum vlla imago; sed solũ videtur objectũ ipsum mittens species in speculum, & per earũ reflexionẽ respective ad visionẽ nostram apparens, quasi esset intra illud; & totum hoc solum in ipsa falsa nostra visione videbunt: sicut vident spiritualia repræsentata instar corporum, in nostra metaphorica repræsentatione.

22 Obij. 7. ens rationis non fit a voluntate, nec appetitu, quia non sunt proprié ratio, sed neque sensus est ratio; Ergo nec a sensu fiet.

Resp. dist. maj. Quia non sunt proprie ratio, vnde respectu illius non verificatur nomen *Entis rationis*; neque ipsa ratio nominis; *concedo*: præcise quia non sunt ratio, *nego*. Ratio autem nominis in eo sistit, quod obiectum habeat suam existentiam, seu præsentiam, in esse talis, tantum obiectivè in præsentia & existentia intentionali, scilicet in imagine ipsum taliter repræsentante; cuius defectu voluntas excluditur d. præc. n. 2. Cum autem omnis cognitio, etiam sensitiva producat imaginem expressiuam sui obiecti, & consequenter sit capax dandi esse obiectivum, sivè existentiam intentionalẽ, disconvenientem reali; optimè sui juris faciet entia rationis, secundum rationem nominis, licet sensatio nõ sit ratio: sicut licet Appetitus sensitivus non sit voluntas, eius actus dicuntur voluntarij, quia illis convenit ratio & definitio illius, licet nomen a voluntate, cuius est præcipué voluntarietas, sumptum sit.

23 Obij. 8. S. August. *de vera Relig. c. 33.* qui de videntibus remũ quasi fractũ in aqua, inquit, *oculus rectè videt, sed animus peruerse judicat*, & ita loquuntur & sentiunt Tertull. *de Anima c. 17.* & alij PP.

Resp. Sanctos PP. dum aliquem errorem impugnant per hyperbolem, aliquando inclinare in contrarium errorem; vt cum necessitatem gratiæ contra Pelagiũ probant, vidẽtur libertatem lædere (vt est Regula receptissima interpretandi Patres, ex S. Thom. S. Bonav. Scoto, & plerisque Theologis apud P. Honaum. *de Scient. Med. Histor. n. 587.*

& apud nostros passim eo Tract.] Vnde S. August. ibi rejiciens Academicos, qui sensus semper falli dixerunt, inclinavit in Epicureorum favorem, qui nunquam falli confinxerant. Re autem vera solum negavit errorem rationalem, quo absolute, & formaliter seu judicativè homo fallitur, & errat; qui solum invenitur in judicio rationis; non vero falsitatē imperfectā, simplicē, & quasi apprehensivā, vnde dixit S. Soliloq. c. 6. laudatus a S. Th. 1. p. q. 17. a 2. c. *Apparet nos in omnibus sensibus similitudine lenocinante falli*: sed eū hæc spectant ad *Libr. de Anima* vbi de sensuum falsitate tractatur, pro Logica Tractatione plusquam satis.

TRACTATVS QUARTVS DE VNIVERSALIBUS, sive Prædicabilibus. IN PORPHYRIJ ISAGOGEM.

POSTREMVS hic ex Isagogicis Tractatus, reliquis nomen dedit, ab Isagoge sive Introductione Malchi Prophyrij in Aristotelis Prædicamenta; quam ipse conscripsit, instructus Crysaorium Romanum Patritium, vt eorum Studium expeditior adiret. Auctor infelicior fide, quam felicior ingenio; quippe natione, & eruditione Phœnix (nisi Iudæus ex Baronio apud PP. Connimbr. sit habendus) fœdifragus tamen Apostata, Christianæ Religionis desertor, teste D. August. 19. *de Civit. c.* 23. eoque execrari potius, quam laudari dignior in Scholis. Verum quia earum Principes S. Thomas, & Subtil. Scotus, post Magn. Albertum, Aristotelicæ doctrinæ gratia, ipsum fuere interpretati: Ducum vestigijs fuit Dialecticis omnibus insistendum. Et opus sane ingeniosum, a sua Præfatione, per octodecim capita totum impenditur indagandæ naturæ, & constructioni earum quinque vocum Universaliū (mentales præsertim intellige) quibus Prædicamenta Scientiarum ordinantur, & quasi terminis, earumdem argumentum circumscribitur; sub quinque Prædicabilium appellatione. Videlicet, *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium*, & *Accidens*. Quæ tametsi passim vulgari quoque colloquio versentur, quoties quavis

de

de re in communi tractatur, per terminos ab individua, sive singulari materia sensuum abstractos, v. g. de *Animali, Homine, Discursivo, Risibili justo*, vel *injusto*: vix tamen, qua arte fiant, concipiantur ve, tonstrinatij adeo seu triviales conceptus, multis disputationibus explicari queat. Quinque id capitibus circa singula, & vndecim reliquis circa decem inter ipsa mutuas comparationes Auctor explanare est aggressus; post Præfationē de Vniversali vniversalius differentē: nos similiter prius de essentia, existētia, cōstructione, causaque effectivà Universalium in cōmuni; sub inde de singulis Prædicabilibus in particulari disputabimus.

DISPVT. LXXIIJ.
Quid sit Vniversale?

1 SVpponunt DD. Vniversalis Nomen sumi ab *vnum*, & *versor*, quasi *Universabile*, id est, vnū versabile in pluribus. Aliud est *Complexum*, vt principia Universalia, *Quodlibet est, vel non est, &c.* & propositiones affectæ signo Vniversali, v. g. *omnis homo est animal*. Huc spectant leges vniversales; voluntates & decreta Universalia &c. Aliud est *Incomplexum*, quod magis ad rem nostram accedit, & hoc

2 Quadruplex 1. in *causando*, vt Deus, qui est causa vniversalis creatuarum, sol sublunarium &c. Ubi subintelligi possunt alia vniversalia quasi physica, quæ insinuantur a Caramuele *in Metalog. n.* 340. & P. Lync. lib. 8. tr. 1. c. 5. n. 31. in *substando, habendo, componendo, coexistendo patiendo, connotando*, quæ vni respectu plurium conveniūt, & ad genus aliquod causæ intrinsecæ, vel compositivæ alicujus concreti pertinere debent; vt Materia est subiectum vniversale omnium formarum, substantia accidentium &c. Anima nostra forma vniversalis vnica respectu plurimarum corporis partium: Xptus D. coexistens, & substans vniversaliter omnibus specibus Eucharisticis, de quo multus est Caram. 2. *in significando*, vt quævis vox significativa pluriū, v. g. *omnia*: & cognitio Angeli de omnibus individius singularibus &c. 3. *in essendo*, quando vnū per identitatem est obiectivè in pluribus, vt *animal* in homine & bruto, & hoc appellatur vniversale Metaphysicum 4. *in prædicando* & est ipsum in essendo, prout aptum est vere affirmari, seu prædicari de pluribus: & hoc appellatur vniversale logicum & vtrumque proprium est instituti Dialectici: reliqua enim cum suam vnitatem non identificent pluribus, in quibus versantur, propriā Vniversalitatem Prædicamentalem non participant. Hæc de nomine. De re,

3 Definitio Vniversalis Metaphysici traditur ab Aristotele 7. *Metaph. c.* 13. *tx.* 45. *Dicitur Vniversale, quod pluribus natum est in esse.* Logici vero 1. *de Interpretatione c.* 5. *Dico autem Vniversale, quod de pluribus prædicari natum est.* Universalius vero

vt vtrumque comprehendit, Universale definit, 1. *Post.* c. 8. & 20. *Vnũ aptum esse & prædicari de pluribus*, & 1. de part. Animal c. 8. *Vnum commune pluribus*. Unde sumi potest cõmunis Definitio, cum S. Thom. 7. Meth. lect. 10 P. Suarez d. 6. s. 2. PP, Conimb. *hic q.* 2. & reliquis infra: *Est vnum aptum ad plura*, sive *Vnum aptum convenire pluribus* sumpto ly *convenire*, provt commune est convenientiæ reali obiectivæ, nec non formali prædicationis.

Probatur Bonitas Definitionis. Tum quia convenit omni Definito, idest, quinque vniversalibus seu Prædicabilibus, quæ vt vnus Terminus concipiuntur, v. g. *Animal*, *homo* &c. & pluribus suis inferioribus convenium: econtra nulli a definito convenit; cum singularia, licet sint vnũ, non tamen conveniant pluribus. Tũ quia genere, vel quasi genere proximo constat, & differentia vltima, vt jam explico.

4 Genus, vel quasi genus proximum est ly *Vnũ*, per quod convenit vniversale, cũ suo immediate opposito, scilicet singulari, quod etiam gaudet vnitate obiectiva, fundata in vnitate physica. Universale autẽ gaudet vnitate obiectiva, fundata in physica convenientia, secundum eandem definitionem, seu conceptibilitatem essentialem, v. g. *Animal*, secundum eandem definitionem *vivantis sensibilis*; in qua omnia animalia conveniunt. Quæ in vnitate quasi logica, respectiva ad modum concipiendi præscisivum, fundatur ratio *Vnivoci*, sive vnius simpliciter logicè, quod si terminus communis sit, cum vniversali convertitur ex d. 13. n. 9. Utrum autẽ hæc vnitas logica, sit vnivoca ad vnũ physice, quale est singulare, & ad vnũ purè obiectiuè, quale est vniversale, pẽdet a quæstione Metaphsica, an ratio superiùs cẽdens, qualis est ratio *entis logici*, sive *obiecti*, vel *conceptibilis*, &c. vnivoca sint de qua ibi; & quamvis non sit vnivoca, sufficit, vt sit quasi Genus in definitione Generis supremi præsertim Logici, ex disp. 3. sect. 2. n. 9. ad 12. Qualiter vero defectu huius vnitatis obiectivæ, secundum vnam definitionẽ, exludantur æquivoca, & Analoga, a ratione vniversalis, sive vnivoci, explicui ea d. 13. a n. 10. vt de ab eo differunt, etiam genere.

5 Differentia est *aptitudo ad plura* sive ly *aptum convenire pluribus* tum in esse obiectivo, tum in prædicari formali; vtrumque enim per convenientiam solet designari. Requirit autem, quod ita prædicabile sit vnũ, vt simul ut plura in inferioribus, *sub eodem nomine & ratione*; v. g. *animal*, quod sit plura animalia in suis speciebus. Hinc 1 excluditur *Deitas* sive *Deus*, ab vniversali, quia licet sit vnum commune pluribus, non ita tamen vt pluribus: ur, & sit multiplex Deus, seu plures Dij in suis Personis; vt requirit vnitas convenientiæ, necessaria pro vniversali logico, vt pote opposita singulari; vt ea d. 13. n. 7. præmisi. 2. exclud. Accidens, vel forma divinitus vel naturaliter replicata in pluribus subiectis,

v. g.

v.g. anima nostra in pluribus partibus corporis; quia licet multiplicentur concreta, v.g. animata; sicut etiã multa cognita per eandem cognitionem; non tamen multiplicatur ipsa forma. 3. exclud. defectu eiusdem plurificationis vniversalia in causando, significando, coexistendo, &c. ex n. 2. quæ non multiplicantur.

6 Obij. 1. Implicat idem esse vnũ & plura; ergo implicat vt definitur vniversale per hanc vnitatem & pluralitatem.

Resp. dist. antec. Implicat vnũ & plura eodẽ modo & genere, cõced. diverso, nego. idem enim homo, qui est physicè vnus per vnionem partium, est multiplex secundum earũ divisibilitatem. Vniversale autem est *vnum* intentionaliter, seu secundum conceptibilitatem præscitivam in ordine ad intellectũ, valẽ illud instar vnius ab omni pluralitate & differentia præscindere; est vero *plura* physicè entitativè, vel quasi materialiter, vt amplius explicabo n. 8.

7 Obij. 2. Non est cur non sufficiat similiter, & è converso ad Universale, vnitas physica entitãtiva, cum pluralitate intentionali secundum conceptibilitates: v.g. Una Deitas, concepta secundum distinctas communicabilitatis formalitates, vt contracta ad Personas distinctas; & Anima vna rationalis, secundum distinctas vnibilitates ad distinctas partes corporis. Ergo.

Resp. neg. antec. Tum quia sic volucre Philosophi. Tum quia vnitas intentionalis, sive conceptibilitatis obiectiva in ordine ad intellectum, est præcipua pro vniversali; quia hæc omnino considerantur a Scientijs, in ordine ad essentias rerum inconmuni metaphysicè vestigandas, easque & ipsarũ attributa vniversaliter verificanda de subiectis, per prædicationes dialecticas (in quibus respectibus vtrũque vniversale Metaphysicũ & logicũ consistit) ad vtrũque autẽ respectũ præcipuè & omnino necessaria est vnitas obiectiva vniversalis; sine hac enim non possent essentialia vel attributalia prædicata, vt sunt communia subiectis, considerari, aut prædicari, prout à Scientijs tractantur. V.g. si in natura divina considerentur plures et communicabilitates, vel in anima rationali vnitates, licet in se habeant physicam vnitatem, non poterit vniversaliter definiri, vel prædicari talis perfectio, nisi vt vnum quid commune præscindatur ratio communicabilis, vel vnibilis, &c. vt de se patet.

8 Obij. 3. Non requiri ad vniversale pluralitatem physicam inferiorum, sed sufficere etiam intentionalem; v.g. si præscindatur ratio formalitatis vel perfectionis divinæ, ab omnibus divinis; vel similiter a creatis, Angelicæ, vel humanæ &c. vbi inferiora, a quibus fit præscitio, vt potè formalitates distinctæ solũ intentionaliter, solũ intentionaliter plurificantur. Ergo in eodẽ genere erit vnum, & plura tale vniversale.

Resp. adhuc tunc esse pluralitatẽ materialem sive in differentijs materialiter se habentibus ad formalitatem

tatem præscisam, scilicet in taleitatibus vniuscuiusque formalitatis, quæ nō intrant definitionem seu cōceptum obiectivum essentialem formalitatis, vt sic, ab illis præscisæ.

9 Obij. 4. Vnitas est attributum entis, sed per attributum, seu conceptum secundarium, non bene definitur essentia, & conceptus primarius; ergo non bene definitur vniversale, cum ipsum etiam sit ens.

Resp. 1. conceptum secundariū rei, vt entitative consideratæ, posse haberi, vt primarium, respectu ipsius, vt consideratæ denominativè, secundum aliquam attributalē vel accidentalem denominationem: sic duratio quæ est accidens proprium rei durantis, nihilominus est essentiale constitutivum beatitudinis, vt essentialiter perpetuæ, necnon motus solaris in esse mensuræ Temporum. Cum ergo ratio vniversalis, sit denominatio secundaria entis, in esse conceptibilis, seu cognoscibilis; secundum illam debet primario constitui per vnitatem præscisionis, seu præscindibilitatis, quæ etiam est secundaria, & pertinens, ad cognoscibilitatem, & veritatem entis; non ad vnitatem realis indivisionis, quæ est distinctum entis attributum.

10 Resp. 2. in ente dari duplicem vnitatem; aliam indivisionis in se, quæ est essentialis entis, per quam quasi per vnionem suorum prædicatorum fit metaphysicè vnum in se, ita, vt non sit plura sub propria ratione entis; eo modo, quo ens physicè compositum, vg. homo, per vnionem physicicam partium (quæ essentialis & non attributalis est] fit vnum physice in esse hominis, vt non sit multiplex homo. Alia est vnitas divisionis ab alio, per quam vnum ens ab alio distinguitur, v.g. homo a lapide: & hæc est attributalis enti. Vnitas autem per quam vniversale definitur, est vnitas indivisionis objectivæ in se, per quam fit vnum in se præscisive, v.g. *animal*, ita, vt in ea ratione non concipiatur, vt plura seu multiplex animal, quia concipitur sine formalitatibus plurificantibus, scilicet, sine differentijs quibus multiplicatur in hominē, & brutum, & sine hæcceitatibus, quibus plurificatur hoc, & hoc animal, quia ab illis obiective præscinditur, vt d. 76. constabit.

DISP. LXXV.

Quotuplex, & quale sit vniversale.

1 QVæst. 1. *Quotuplex sit vniversale?* Resp. diuidi duplicitet 1. quasi in duos conceptus, in Metaphysicum, quod est *vnum aptum esse in plurimis*; quod præcipue pertinet ad Metaphysicā, cuius est considerare ens secundum esse obiectivum: & in Logicum, quod est *aptū prædicari de pluribus*, quia Logica præcipue prædicabilitatem respicit, in quantum dirigit rectam prædicationem Prædicabilium. 2. in Vniversale seu Prædicabile *in quid*, siue essentialiter, & *in quale* extra essentiam. Prædicabile *in quid*, siue essentiale, idem est ac

Pri-

Primarium, nobilius, aut notabilius prædicatum subiecti; sive quod est de primo cōceptu, quasi substantiali, quē formamus de re. Prædicatum *in quale* extra essentiam, est quod secundario, quasi adjectivé, per modum qualitatis, concipitur adjacere, & advenire essentiæ constitutæ.

2 Subdividitur autem hoc duplex genus vniversalis, in quinque vniversalia seu Prædicabilia. Nam Prædicabile *in quid*, sive essentiale, subdividitur in tria essentialia Prædicabilia. *Genus*, quod prædicatur in quid incomplete de differentibus specie, v. g. animal de homine & Bruto. *Species*, quæ *in quid complete prædicatur*, scilicet, vt tota essentia ex genere & differentia resultans, vt *homo* resultans ex animali & rationali. *Differentia*, quæ *in quale quid* prædicatur, scilicet vt pars essentialis adjacens alteri, scilicet generi, qualificans & contrahens illud; vt rationale adjacet animali. Prædicabile *in quale extra essentiam*, subdividitur, in duo reliqua prædicabilia, scilicet *Proprium*, quod extra essentiam necessario advenit, & convenit, vt *Risibile homini*: & Accidens, quod advenit contingenter, vt album, & nigrum respectu hominis.

3 Divisio hæc, vt adæquata ab omnibus Dialecticis recipitur; & demonstratur à PP. Connimb. q. 7. *in Præf. Porph. a* 1. cum S. Thom. Scoto, Alb. M. Boet &c. Quia omne prædicatum commune & vnivocū, solum dupliciter in genere prædicari potest, vel, vt essentiale, vel, vt extra essentiale. Si vt essentiale: vel vt tota essentia, & sic erit *Species*: vel vt pars essentiæ; & tunc, aut, vt pars contrahibilis indifferens, sive latius patens, & ita erit *genus*; aut, vt pars contrahens determinans, & limitans per aliquam diversitatē, & sic erit *Differentia*. Si vero prædicatum sit extra essentiam; aut est necessarium, & ita erit Proprium; aut est contingens, & sic erit *Accidens*. Sed præter hæc, non est excogitabilis alius modus, quo prædicata convenire, aut prædicari possint; nisi ad summum mixtim ex eisdem. Ergo non est excogitabilis alia ratio Prædicabilis præter quinque, nisi ad summum aliqua ex eisdem sint mixta. Hinc.

4 Fit 1. totas triginta combinationes, quas P. Yzquierd d. 17. q. 7. a n. 115. excogitavit mixtorum prædicabilium, ad quinque simplices, & quasi elementales modos, esse redigendas. Et taliter præsertim prædicatur definitio, quæ semper est mixta explicité ex genere & differentia. Item ratio Personæ, quæ implicitè mixta est ex specie naturæ intellectualis, & Proprio subsistentiæ ex quibus componitur. Similiter ratio Individui ex ratione entis, quasi substantiali specifica & differentia individivali, quasi subsistentiali propria componitur: vt patebit *disp.* 111. Atque ita multa alia mista prædicabilia passim occurrent, præsertim, quæ dicuntur assumptiva, de quibus d. 99.

5 Fit 2. ex eodem P. Yzq. alia divisio-

visiones Prædicabilium excogitari posse materiales, & ex parte materiæ prædicandæ, iuxta ipsas Prædicamentorum divisiones; vt in substãtialia, & Accidentalia, Relativa, & Absoluta, &c. & similes etiam sunt in Negativum, & positivum: transcendens, & non transcendens, &c. Possunt etiam subdividi ipsa quinque prædicabilia, v. g. species in subalternam, & infimam, Accidens in extrinsecum, & intrinsecum; & sic alia. Verum per hæc variantur solum quasi materialiter, & ideo cõtenti sunt Dialectici quinque Prædicabilibus, quæ modum identitatis se habentem formaliter ad prædicationem variant. Vide PP. Conimb q.7 a 1. & 3. & P. Suarez Rusit. tr. 3. d 6. s 1.

6 Quæst. 2 *Vtr Prædicatũ transcendens, vg. Ens, sit Universale?* Negant communiter Thomistæ, & alij qui in Metaphysica negabunt, Ens esse vnivocum.

Affirmo cum ibidem affirmantibus vnivocationẽ entis, quodpro in de dicunt esse Genus, sicut & attributa transcendẽtia, *Vnum, verum, bonũ*, esse *Proprium*, vti etiam de differentijs, & speciebus superioribus transcendentibus, dicam d. 96. Eo enim ipso quod in ijs rationibus detur vnivoca convenientia & præscisio, habent vnitatem obiectivam & aptitudinem ad plura; quæ est tota Vniversalis essentia. Ergo. Accedit in re denomine auctoritas Aristotelis 3. *Metb. c. 3. & 4. Ens & vnum esse maxime Vniversalia.* & lib. 4. c. 2. *Tot esse species vnius, quot entis* & ex Antiquoribus Scotus, Major, Gregorius, Gabriel apud Fons. 4. *Metaph. c. 2. q. 1. s. 4. §. Probatur & q. 3. s. 2. §. quarta.* P. Lynceus 5 Metaph. tr. 2, n. 25. P. Vzquierdo ead. 17. n. 478. nostri q RR. cõmuniter, & Poncius d. 2. Metaph. n. 34. imo Thomistæ Complutens d. 11. q. 2. n. 18. optimé ex S. Thom. 1. contra Gent. c. 32 observant, contra P. Suarez d. 32. s. 2. n. 10. eo ipso quod conceptus quivis communis, etiam tãs cẽdens, sit vniuocus, fore Vniversalẽ.

7 Obij. 1. Aristotel. 2. *Post. t. 1.* inquiens, *Vniversale esse vnum in multis, præter multa*: conceptus autem transcendens, præter multa esse nõ potest, cum sit intra illa, vsque ad differentias. 2. Vniversale componit metaphysice vnum quid cum differentia singulari; sed conceptus transcendens, vt pote in singulari imbibitus, cum eo non potest componere, alias cõponeret secum ipso, Ergo.

9 Resp. ad 1. ly *præter multa* salvari per præscisionem non mutuam; quãuis licet conceptus transcensus non possit præscindi a transcendente, v. g. perfectus ab ente; potest tamen Ens præscindi a perfectate, & alijs differentijs, cum possit sine illis determinate concipi, vt pote indifferens ad illas; & sic erit extra illas obiective non mutuo. Ad 2. ad cõpositionem metaphysicam & logicã sufficit non mutua distinctio, seu præscisio, sicut sufficit ad contractionem entis, vel alterius transcendentis, per differentias; quia contractio

est

est formalissimè compositio, cum non minus repugnet contrahi per se ipsum, quam componere secum ipso.

10 Quæst. 3. *Verum non entia, & negationes sint Vniversalia?* Negant PP. Conninb P. Tellez, quos laudant P. Lynceus lib. 9. tr. 1. n. 72. & tr. 2. n. 23. P. Alph. d. 5. n. 95 ex Capreol. Hervæ &c. & alijs. Tum quia non habent simpliciter esse, atque adeo non erant apta ad esse in pluribus propriè. Tum quia non habent essentiam, & definitionem simpliciter, cum non sint ens simpliciter, ergo neque habent conceptum obiectivum vnivocum, qui consistit in vnica definitione, ex d. præc. n. 4. vt requirit vnitas vniversalis. Tú quia propterea ab Aristotele & S. Thom. excludantur a Prædicamentis.

11 Affirmant. Cajet. *c. 7. de Ente & essit* M. Araujo *5. Metaph. q. 1. a. 3.* Sanchez *5. log. q. 2.* P. Suarez Lusit. tr. 4. n. 29. P. Hurt. P. Arr. & alij RR. cõmuniter, Praedicamenta entiú negativorum admittentes. *Tum* quia, licet Negationes, & non entia non habeant esse physicum & simpliciter (quod tantum negarunt Arist. & S. Thom. propterea a Prædicamentis entis simpliciter ipsa excludentes) habent tamen esse logicum, seu conceptibile, & obiectivum, ea ratione definibile vna definitione logica. *Tum*, quia ita de facto definiũ tur omnes denominationes extrinsecæ, & inter eas ipsa ratio Universalis, & omnes moralitates juris, domini, &c. quæ dividuntur, vt genera in suas species logicas. & habent etiam suas differentias, & propria sive attributa, & accidentia logicè talia. *Tum* quia juxta ipsum S. Thom. Ens rationis tanquam genus in species dividitur, in negationem & relationem; ex d. 61. n. 7; nec non Negatio in puram, & privativam, & hæc in varias species, vt tenebras cæcitatem, &c.

12 Medium teneo, ex dictis d. 30. q. 4. Quod sicut entia per accidens, vt *Civitas, exercitus*. &c. non sunt definibilia per modum vnius entis simpliciter physici, aut metaphysici, bene tamen per modum vnius entis logici, seu moralis, vel conceptibilis, vt vnum; ac proinde hoc modo possunt habere vnum cõceptum obiectivum Vniversalem: ita entia negativa & rationis, quæ similiter nihil aliud sunt ex disp. 63. quã entia per accidens obiectiva, vt negativé, improprié, vel aliter ac sunt conceptibilia; & definibilia, & vniversalia esse poterunt: & ita sententiæ conciliantur.

13 Obij. tamen ex P. Alph quod negatio apposita termino positivo illum distribuit; v.g. *Non homo*, est quasi *Nullus homo*; qui vniversale prædicabile non est, non minus quã *omnis homo*, eo quod distribuit terminum. Ergo.

Resp. neg. antec. Quod *non homo* ita distribuat respectu subiecti negationem hominis, sicut *omnis homo*; scilicet, vt omnis negatio hominis de singulis distinctis ab homine enun-

sicut per *non homo*. Quia negatiuus specificantur, non solum à termino, sed etiã a subiecto; vnde Leonina negatio hominis, seu *non homo Leoninum*, distinctum est ab Equino: atque adeo singulis Equo, Leoni, &c. singulæ negationes hominis distinctæ conueniunt. Solum ergo negatio, seu *non homo*, est distributiua respectu termini, quem negat, sicut quodvis prædicatum negatiuum. v.g. *Incorporeum, immortale, &c.* Quæ distributio non tollet vniuersalitatẽ prædicabilitatis respectiuam ad subiectum, vt patet in prædictis differentijs, *incorporei, irrationalis, &c.* quæ Vniuersales sunt.

14 Quæst. 4. *Vtrum vniversalia sint tantum in conceptibus intellectus, sive omnino consistant in vocibus, tum mentalibus, tum verbalibus?* Resp. Hanc quæstionem, nec non duplicem aliam, tum circa existentiam Vniuersalis a parte rei, tũ circa ipsius incorporeitatem & insensibilitatem, a Porphyrio in Prafatione proponi, & altissimas appellari, vt pote sectatore Platonis; sed duabus his in sequentem dispt. reservatis, circa primam.

15 Affirmarunt Antiqui Nominales secuti Heraclitum, & Cratyllum apud PP. Conimb. q. 1. a. 2. qui nullam obiectivam vniversalitatem in rebus agnovere, seu solum in formalibus expressionibus, conceptibus, vocibus, & nominibus; vnde ipsorum secta nomen accepit. Eos graviter reprehendunt Aristotel. S. Th. M. Albertus, & præcentibus S. Anselm. *lib. de Incarn. c. 2.* vbi *Dialecticos hæreticos* ipsos appellat, & qui non valeant intelligere, *Quomodo tres Personæ sint vnus Deus, cum non intelligant, quomodo plures homines in specie sint vnus homo.* Hæc & alia eruditissimi PP. Conimbricenses apud quos grauem adeo consutam minimè veriti, nec reveriti, noviores Nominales, post Principem suum Ochamum Scoti discipulum, nomine Venerabilis Inceptoris propterea compellatum, eiusque condiscipulum Majorem; eandem Dialecticam hæresim (vt vocat S. Anselmus) suscitarunt, in solis conceptibus seu vocibus formalibus, & modo extrinseco significandi, & concipiendi, totam vnitatẽ & præscisionem Vniuersalis constituentes. Neque eos imitari, ac sequi dubitarunt P. Hurt. P. Arriaga P. Alphonsus, & alij RR. nostri disp. 76. rejiciendi, pure putas expressionum seu vocum præcisiones propugnantes, contra obiectivas præscisiones, imo contra Aristotelem, S. Thomam, Scotum, totasque Scholas Realium dictas, invecti vehementer.

16 Nego proinde post tantos tales que duces, solis vocibus vniversale consistere, sed in ipso obiectivo conceptu, secundũ quod virtualiter realiter a differentijs plurificãtibus distinguitur, vnitatẽ quandã obiectivam virtualem inducenti, in quantum ab illis obiective præscindibili per mentem, vt d. 76. demonstrabitur. Ita DD. Reales cum S. Th.

Th. ibi laudandi, quos cum PP. Cõ nimb. q. 1. a 2. laudat P. Lynceus l. 8. tr. 5. c. 1. &c. Sumitur que ex Ariſt. 1. de Interp. c. 5. ajente, *Rerum quasdam eſſe vniverſales, quasdã ſingulares*: ergo quia vniverſalitas, ſicut ſingularitas eſt in rebus. Et clarius ex eius definitione d. præc. n. 3. Quod ſit *vnum aptum eſſe, & prædicari de pluribus*. Res autem obiectivæ, minime, vero voces ſunt, & prædicantur de ſubiectis.

17 Prob. vlterius. Tũ quia ſi vniverſale ſeu prædicabile tãtũ eſſet in vocibus, dũ illud prædicaretur, prædicarẽtur voces, & cõſequenter falſo; falſum enim eſt, quod homo ſit vox *animal*. Tum quia vniveca v. g, *homo, animal*, ablq; dubio ab æquivocis, v. g. *Canis*, differũt; cũ autẽ eam dẽ habeant vnitatem quoad voces, reliquũ eſt, vt differant, quoad vnitatem conceptus obiectivi, ergo aliquam vnitatem vniverſalem obiectivam vnivoca ſeruant, qua carent æquivoca. Tum demum quia cum attingimus vniverſale v. g. Homo, aliquid attingimus obiectivè præciſum a differentijs, hæccitatibus, & ſingulatatiribus Petri Pauli, &c. cũ ea quę de illo obiectivo cõceptu enuntiamus, quod ſcilicet ſit ratio conveniendi omnino, minime ſingularibus conveniat, vt ea d. 76. oſtendam. ſed eo ipſo quod ab omnibus differentijs, hæccitatibus, & ſingulatitatibus, ille conceptus obiectivus ſit obiectivè præſciſus, ea ratione eſt vnus, & vniverſalis præſciſive, ſeu præſcindibiliter; & conceptibiliter obiectivè. Ergo habet vnitatẽ vniverſalem obiectivam.

18 Obij. hac ratione fore dicendum, quod vniverſale, datur realiter, & a parte rei, quia quod obiecti vè, ſivè ex parte rei prout ab actu & cõceptu formali diſtintæ, datur in objectis, datur in ipſis a parte rei. Sed vniverſalitas datur in obiectis ſeu cõceptibus obiectivis, prout diſtinctis a formalib9, ſivé vocibus mẽtis, & o ris; per nos; ergo vnitas vniverſalis, & conſequenter vniverſale, vt tale, dabitur a parte rei.

Reſp. diſt maj. Quod datur objectivè, datur in obiectis a parte rei; ſi detur obiectivè tantum virtualiter, ſeu ſecundum virtualitatem cõceptibilitatis, connotativam modi concipiendi intellectus, ſicut datur vnitas vniverſalis per nos; nego. Quod datur actu formaliter, & indepẽdenter a connotatione noſtri modi concipiendi, ſicut dantur entia phyſica, concedo. Sed pro hoc ſit,

DISP. LXXV.

Virum Vniverſale, qua tale, detur a parte rei.

1 CErtum eſt vniverſale ſpecificativè, a parte rei dari, animal enim, & homo, & quodcumque ſimile vniverſale, cum ſit ſimpliciter, & vere, ens reale, erit ſimpliciter a parte rei, vt exigit eſſentialiter ratio entis realis. Solum ergo reduplicativè, qua tale formaliter, & prout eo nomine præciſivo, & abſtracto ſignificatur, inquiritur, an vere, & a parte rei exiſtat?

Sect

Sect. 1. Sententiæ affirmativæ reiciuntur.

2 Prima sententia, seu potius error, tribuitur Platoni, velut asserenti, naturas communes substantiarū, præcipue specificas, existere per se vt vniversales divisim, ac separatim a singularibus, quasi quasdā ideas, quarum participatione singularia omnia, ante omnem operationem mentis, suas essentiales rationes participant; v.g. Petrus rationem hominis, Bucephalus rationem equi. Quæ sententia adeo absurda est, vt S. Augnst. alijque DD. apud PP. Conimb. qnæst. 1. art. 3. Platonem ab ea vindicent, solum que admisisse dicant, divinas ideas, quas vniversales compellavit, quarū ex conformitate creaturæ habeant esse participatum. De quo multi sunt P. Vazq. 1 p. de 71. n. 1. & P Lync tr 2. a n. 14. ad 23. Quod non improbo, dum modo Aristoteles in rebum adeo sensum non tradatur, vt vel Platonis mentem prave. calluisse, vel ipsi errorem hunc imposuisse, vt ansam arriperet impugnandi, minus benigne dicatur, cum Durando in 2 dist. 3. q. 6. Maxime cū D. Thom. 1. p. q. 15. art. 1. & q 84 art. 1. & Abul. in cap. 25. Matthæi q. 572. quos sequūtur P. Petav. Tom 1. Theol. dogmat. a cap. 9. P. Ovied. cont. 3. p. 2. & P. Compt. d. 16. s. 1. Platonem in eo fuisse errore non dubitent comprobare. Cuius cumque ille sit:

3 Contra 1. quia illa natura, vt potę a singularibus separata realiter debet esse ab illis distincta, nihil enim a se ipso separatur; sed eo ipso non erit vniversalis, nec prædicabilis de singularibus, quia nihil distinctum realiter potest de subiecto prædicari, id est, vere affirmari; cū potius, vere negari possit, & debeat. Ergo. 2. Illa natura esset identificata cum pluribus, cum de pluribus prædicetur; ergo erit multiplex, ac proinde non vna nec vniversalis. Vel si vna realiter sit, singularia inter se realiter erunt idē, cum sint idem vni tertio. 3. Quia q idquid est existens in rerum natū ra realiter, debet esse realiter determinatum nihil enim indeterminate, existit: ergo illa natura erit determinate, aut ens creatū, aut increatum Si increatum, erit Dens, & ita omnino singularis: si creatum, similiter erit ens à Deo productum, & consequenter singulare, quia nihil, nisi in singulari producitur. 4. Verum est quod Petrus sit homo; sed non est verum quod sit illa idea, alias esset quid separatum a se ipso; ergo. 5. Non minus fiunt prædicationes vniversales, & æternæ veritatis de supremis generibus, v.g. quod Petrus sit ens, &c. quam quod sit homo, sed nihilominus pro supremis illis prædicationibus non agnovit Plato æternas, & vniversales ideas; ergo pariter expecta sect. 2.

4 Secunda sent. quæ communiter Scoto, & Scotistis tribuitur, asserit; ante omnem operationem mentis actu, & ex natura rei, dari naturam Vniversalem, sive, quæ ex natura rei habet

habeat formaliter intrinsecam vnitatē Vniversalem. Quia absque vlla fictione Petrus, & Paulus sunt vnū formaliter, & a parte rei in ratione hominis, sive in natura specifica humana, alias a parte rei non essent eiusdem naturæ specificæ, nec essent vnius speciei realiter formaliter. Ergo a parte rei, siue ex natura rei natura specifica habet suā vnitatem Universalē formalem. Ex quo consequenter infertur, similiter ex natura rei, sive a parte rei convenire Naturæ vniversali aptitudinem ad plura; quia cum vnitas illa ex natura rei sit formaliter vna ratio conveniendi, seu convenientiæ pluriū, ipsa vnitas importat convenientiā pluribus, seu aptitudinem ad plura. Atque ita totum Universale hoc sensu ex natura rei, sive a parte rei invenitur. Solū que non existit a parte rei, prout abstractum, & separatum aliquo modo ab inferioribus, vt volebat Plato, quia hæc abstractio vnice prouenit ab operatione mentis, abstrahente seu præscindente naturam vniversalem ab illis Hucusque conveniunt omnes Scotistæ cū & apud Ponciū d. 3. a q. 1. vsque ad 5. & præsertim n. 62 vbi optime declarat solis vocibus dissē ire Thomi.

5 Conveniunt quidem Scotistæ in fundamento suæ senten. scilicet, in sua celebri distinctione ex Natura rei, quam vocant mediam, inter realem physicam, & rationis fictitiam, de qua d. 77. media qua formalitates inter se identificatæ, possunt objective separari; Natura humana v. g. ex natura rei obiective attingibilis absq́ omni identificata differētia, (id est pluralitate, tā differētiarū quā hæcceitatū, quibus tantū modo plurificatur) per terminum, *Homo*, *Humanitas*, &c. erit obiective ex natura rei vna, quia eo modo aliquid est vnum, quo non importat pluralitatem; ex d. præc. n. 17.

6 Disconveniunt tamen Scotistæ interse, quia nonnulli Antiquiores dicunt, vnitatem illam Vniversalis a parte rei repertam esse positivam; ita vt natura quæ est in Petro, sit eadē positivè cū natura Pauli; positivè que indifferens, vt in Petro vel Paulo reperiatur. Pro quo citātur Trombeta, Faber, Faventinus, & alij, quos sequitur Valera *l. 1. Univers. a 1. q. 5. & 6.* fauet q́ P. Amic. infr. P. Hemelm. *Tom. 1. tit. 7, d. 3. c. 3. n. 11* Alij vero contenti sunt vnitate, & aptitudine formali, conceptibilitatis, seu summæ obiectivæ similitudinis, ratione cujus per vnum met conceptum formalem, ea ratio conveniendi, potest vt vna, & indifferens ad plura vere repræsentari: quod etiā varijs vocibus explicāt, & in eum sensum subt. Scotum interpretantur, Merinerus *c. 1. de Univers. d. 2. q. 1.* & Poncius *supr. n. 23. 24. 39. 42. 62. &c.*

7 Contra hanc Sent, acriter invehuntur plerique DD. 1. Quia aliquid majus mysterio Trinitatis increatis statuit, scilicet, eandem naturam, non solum tribus, sed infinitis singularibus communem. 2. Quod eadē natura sensitiva vg esset ratio

na-

nalis, & irrationalis; eadem humana, damnata in Juda, & Sancta in beatis; imo & ipsa in Petro, separata a se ipsa in Paulo, &c.

Verum facile Scotistæ se expediunt. *Tum* quia in Deo est eadem natura physice, & numero in pluribus [in quo consistit mysterium] in creatis vero solum formaliter, & secundum speciem, vel gradum metaphysicum. *Tum* quia eidem naturæ, vt tali, sive vt communis est, non conuenit, esse rationalem, & irrationalem, damnatam, & sanctam, separatam, & conjunctam, sed secundū quod contracta est ad differentias, vel hæcceitates; vnde sub ea reduplicatione vtrumque oppositū conuenit solis differentijs. De inde negant suppositum, quod natura prout taliter contracta, sive vt in Petro, sit natura secundum se, sive vt est vna, & Vniversalis ex natura rei; cui tantum, vt tali, convenit vnitas, & præcisio ab ijs differentijs.

8 Judico ergo eam sent. suppositā distinctione ex natura rei, consequenter statuere vnitatem Vniversalem a parte rei formalem, vt cum Eximio D. tenent P. Lynceus Lib. 8. tr. 3. n. 3. P. Yzq. d. 17. n. 46 & P. Quiros d 18. n. 9. Quia solum voce tenus differt ea vnitas formalis, sicut, & distinctio formalis ex natura rei, ab vnitate, & distinctione virtuali obiectiva Vniversalis, quā ex natura rei dari cum S. Thoma, & plerisque DD. contra Nominales infra tuebimur. Solum ergo reijcienda est sententia Scotica, quia minus apte vtitur vocibus. 1. Dum formalem vnitatem cum formalitia multiplicitate ex natura rei in eodem Vniversali conjungit. 2. Quia quod conuenit naturæ respectiue ad modū concipiendi nostrum, vt esse *vnam, Vniversalem, genus, speciem &c* asserit conuenire ex natura rei, quod proprium est prædicatorum ex physica natura rei conuenientium. 3. Quia quod positive convenit rei, cōvenit ipsi vt positæ, & existenti physice, & per respectū ad causas physice positivas ipsius; sed ea identitas seu vnitas specifica, vel generica, non ita conuenit naturæ Vniuersali; sed potius respectiuè ad considerationes intentionales, & præcisivas; non ergo apte dicitur positive conuenire 4. Quia propter hæc similiter rejicietur d. 77. distinctio formalis ex natura rei inter Naturam Vniuersalem, & singularia, vnde pariter, & vnitas siue Vniuersalitas formalis ex natura rei est reijcienda, 5. Quia juxta ipsum Scotum in 2. d. 3. q. vn. n. 8. non datur Vniversale a parte rei absoluté, & simpliciter; si autem tam vnitas, quam aptitudo illius ad plura a parte rei, & ex natura rei daretur formaliter, nihil deficeret, vt daretur formaliter ipsum vniuersale. Quod enim deficiat abstractio ipsa in actu secundo a singularibus, nihil obest, si ex natura rei sit ab ipsis distincta intrinsece obiective formaliter & consequenter intrinsece abstracta, & Vniversalis formaliter, ipsa Natura.

9 Tertia sententia P. Fonseca lib.

lib 5. Metaph. c. 28. q. 3. 4. & 5. & 7. q. 1. s. 11. 12. 13. distinguit ex S. Th. c. 4. de ente & essentia tres status, in quibus Natura vniversalis considerari, potest. *Primum*, cuiusdam prioritatis, & solitudinis [vt vocat q. 3. s. 3. 5. *Deinde*] in quo concipitur Natura solum secundum se, seu secundũ essentiam, in esse possibili; v.g. animal: in quo per se & secundum sua realia prædicata habet vnitatem objectiuã suæ essentiæ sine vlla cõtractione ad differentias, rationalis, vel irrationalis; alias hæ pertinerent ad essentiam per se animalis; vnde habet etiam in eo statu Natura secundum se, indifferentiam, & aptitudinem ad ipsas differentias, cum a nulla contrahatur potius, quã ab alia: & sic Natura secundum se ex natura rei habet obiectivam vniversalitatem pro eo priori suæ possibilitatis essentialis. *Secundus* vero status est contractionis per differentias singulares, quasi pro posteriori, & ordine existentiæ, quia nulla essentia possibilis existit nisi determinata in singulari; & in hoc statu amittit Natura vniversalitatem, & fit singularis, & multiplex. *Tertius* status est præcisionis, sive abstractionis per mentem, quo ipsa Natura à differentijs & singularitatibus præcinditur, fitque vniversalis; quin de novo accipiat vniversalitatẽ, sed potius recuperet antiquam, [inquit P Fonseca) vnde Vniversalitas, non tã est opus rationis, quam obiectum ex natura rei præcedens rationem. Idẽ sentit Caramuel problematicus, in *Grammat Aud. a* n. 270 & in *Metagan* 404.

Contra multis insurgunt P. Suarez d, 6. Metaph. s. 3. & alij passim. 1. quia eæ considerationes *naturæ secundũ se, secundũ essentiam*, &c. non sunt rei, vt est in se a parte rei, & independenter ab operatione mentis sed, vt conceptibilis præscise secundum se, & vt abstrahibilis secundũ essentiã a differentijs. 2. Quia si naturæ secundũ se ex natura rei, si vt intrinsece conveniret vniversalitas, etiã vt cõtractæ per differentias conveniret, quidquid enim competit intrinsece objective, nunquam potest non convenire naturæ, vt inductione patet; ideo enim animali vbicumque contracto conveniunt rationes viventis, substantiæ, &c. 3. paritate materiæ primæ, quæ etiam contracta ad vnam formam servat indifferentiam ad alias, quia ex natura rei eam indifferentiã pro priori habet; pariter ergo Natura &c. 4. Si illa indifferentia Naturæ per contractionem in singulari, & in existendo, destruitur; ergo non potest existere in singulari, ac proinde erit impossibilis; omne enim possibile in singulari potest existere 5. quia nulla prioritas ex natura rei actu, & formaliter convenire potest naturæ vniversali in illo primo statu, cum ille status sit pure objectivus, respectivus que ad modum cõcipiendi, ac proinde impertinens ad physicam naturam rei. 6. Si vniversalitas illius status sit ex natura rei, minime poterit illam *restituere* (vt loquitur P. Fons.) status tertius præscisionis, qui fit per rationem, per quam nihil immutatur in-

natura rerum. 7. Tandem tota hæc machina nititur distinctione Scotica ex natura rei, reijcienda d. 77.

11 Quarta sent. tenet, dari à parte rei vniversale secundum vnitatem realem similitudinis, quæ passim vnitas, & identitas dicitur, non solum ab Aristot. sed etiam vulgo; dū poma eiusdem coloris, vnius saporis; homines eiusdem, & vniusmet naturæ, vel essentiæ, esse dicuntur. Aliunde autem hæc vnitas prædicati vera realis formalis est in pluribus, atque adeo indifferēs ad plura, quæ in illo similia sunt a parte rei. Ergo totum vniversale obiectivum, secundum vnitatē indifferentē ad plura, datur a parte rei. Ita docti RR. cum P. Maza hic d. 7. s. 2. §. 3. quibus favent Barth. Amicus, Tr. 4. q. 4. d. 1. ar. 1. Poncius cit. d. 3. n. 39. & 50. & rem arbitrio relinquens P. Arr. d. 4. n. 21.

12 Contra 1. quia hoc sensu nemo hactenus dubitavit, dari vniversale a parte rei, vt bene observant P. Maur. q. 28. ad 4. & P. Lync. lib 8. Tr. 4. n. 33. & ita etiam loquuntur Thomistæ omnes cū S. Thom. op. 48. Tr. 1. c. 4. & 2. Post. lect. 20. apud Comp. d. 3. n. 27. supponentes à parte rei *vnitatem conformitatis*, quam vocant fundamentalem: quia cum vniversale sit verum, seu vere prædicabile debet esse cum vero, & reali fundamento in re, quod solum esse potest ea vnitas similitudinis. At ea nequit vocari formalis, Tum quia est relativa secundum dici, ita proinde per ipsam dici, seu cognosci, sive per modum concipiendi nostrum constitui debet, vt dicam Tr. 5. & latius in Meth. Vnde adhuc fundamentum vniversalitatis solū datur a parte rei secundum vnitatem virtualem, seu secundum virtualitatem conceptibilitatis per modum vnius; sicut etiam fundamentum distinctionis, seu præcisionis obiectivæ non est distinctio formalis, sed virtualis ex parte obiecti, vt dicam n. 27. Tum quia similitudo vt talis actu & essentialiter importat pluralitatem formalē, cum nihil sit simile sibi ipsi, sed alteri; vnde non compatitur cum vnitate formali etiam a parte rei.

13 Contra 2. quia hoc modo vnitatis, etiam singulare posset dici vniversale, v.g. totum homogenū, quale est quodlibet elementum, vt ignis, aer, aqua, terra; quod est vnum singulare continuum; & simul vnū per similitudinem partium, & per hanc ipsam vnum in pluribus, unde erit simul singulare, & plurale, quod implicat. Ergo quia huius modi vnitas similitudinis non est vniversalis formaliter, sed pure fundamentaliter.

Confirm. quia ea vnitas non facit vnum in pluribus, scilicet quod sit vnum actu, & plura in potentia, vt requirunt Arist. & S. Thom. pro vniversali, sed facit vnū multiplex, sive vnum plura, quod pro vniversalitate non sufficit, cum illius nomen non sit amplificandum solo arbitrio Recentium.

14 Quinta sent. P. Lync. lib. 8. tr. 4. c. 1. invenit singulare aliud vni-

ver-

versale a parte rei, scilicet denominativum plurium per formam vnā V.g. anima in pluribus partibus corporis: vnio in pluribus extremis: cognitio circa plura obiecta: albedo in pluribus subiectis divinitus replicata. Quia licet eiusmodi forma sit vna singularis in se, & in abstracto, multiplicatur tamen in concreto, faciendo plura animata, vnita, cognita, alba. Ergo a parte rei erit vnum in pluribus, siue vniversale. Nec dissentiet Caramuel in suo vniversali Eucharistico, infra.

15 Contra 1. Quia vniversale in ea ipsa ratione, in qua est vnum debet multiplicari, vt animal; sed ea forma non multiplicatur ea ratione, qua est vnum scilicet in abstracto, vt patet; quia non fit multiplex anima, albedo &c. Ergo. 2. quia hac ratione terminus Deus, qui singularissimus est, esset vniversalis; quia licet non multiplicetur in concreto *Deus*, saltem multiplicatur in concreto *Divinus*. 3. ad hominem; ipse P. Lyne. n. 10. contra RR. negat, omnipotentiam Divinam, vt constituentem creaturas extrinsece possibiles, & cognitionem claram, vt constituentē plura obiecta cognita, non esse vniversales à parte rei, quia attingūt plura, vt plura distincte, & non confuse. Sed anima in format plures partes distincte, & similiter vnio plura extrema, & albedo plura obiecta. Ergo pariter non erunt a parte rei vniversales.

Sect. 2. contra Caramuelem Platonicum.

16 Sexta sent. Caram. toto lib. 4. Metalog. problemmatice omnes, sed præcipue Platonicā defendit, declamatorie potius aut rethorice, quā resolutorie, acdialectice Quod præstat quadruplici exēplo vniversalis a parte rei. Primo â n. 409 Materiæ primæ, vt a Thomis asseritur, indifferens ad omnem actum essendi, & existendi, differentialem, & specificum, quem omnino accipit â forma: ergo erit genus à parte rei, cum sit vnum ens aptum ad plures differentias substantiales & specificas. *Secundum* a n. 322. adducit *quantitatem interminatam*, vt asseritur ab Averroe Bacchono, Avacolo, & Lalemandet; quæ scilicet sit generice indifferens ad accipiendas omnes dimensiones specificas extensionis, a quibus secundum se præscindit. *Tertium* a n. 440. vocat Eucharisticum, scilicet Christum D indifferentem ad species panis, vel vini, per quas contrahitur ad specificum Sacramentum vel cibi, vel potus mystici *Quartum* præmiserat in *Gram. audac a n.* 271. & est vniversale *Alphabeticum* syllabarum, quarum vnaquæque est indifferens, ad accentum brevem vel longum, ad quem contrahitur per dictiones, in quibus pronuntiantur. Sic ergo à n. 353. pergit inducere, Naturam substantialem specificam, v.g. humanam, realiter actualiter, & formalitar indifferentē esse posse ad singularitates, quas vocamus *haecceitates*, â pronomine *hic*, *hæc*, *hoc*, quo in individuo designatur; ipse

vero appellat *Ecceitates*, ab adverbio *Ecce*, quo etiam designari solent, vt etiam in vocibus à receptiori vsu scholarum exorbitet. Pro explicanda autem ardua adeo *sententia*, Tria supponit principia, & quatuor alia sub-infert, quibus mediam Philosophiam perturbat, aut subvertit.

17 Supponit enim 1. Naturam specificam non solum formaliter, sed etiam realiter actualiter à singularitate vel hæcceitate differentiali distingui, sicut vnus homo ab alio: Quia hæcceitatē substantialē putat esse substantiā, quā a Natura distinctā realiter plerique suponūt. 2. Quod sicut Materia prima accipit juxta Thomistas, existentiam, differentiam, vbicationem, &c. a forma: ita Natura humana, quæ vna, & eadem est in hominibus, realiter accipit ab hæceitate, sive subsistentia esse hanc numero, existentem, vbicatā, &c. ex se enim præscindit etiam physicè ab omnibus illis differentijs. 3. Quod prędicationes Naturæ vniversalis fiunt de singulari, eodem modo, quo accidentales de subjecto; sicut enim *album est quod habet albedinem*, ita homo est *suppositum quod habet humanitatem*; & similiter *animalitatem*, & alia prædicata naturę.

18 Infert deinde 1. Quod eadē humanitas, seu Natura specifica, quæ est in Christo D. est in Iudā realiter actualiter, non tamen potest dici, quod eadem sit infinite sancta, vel damnata, existens, vel vbicata hic aut ibi, quia hę differentiæ, & quævis aliæ proveniunt ab hæceitatibus subsistentiarum. 2. Quod licet in omnibus sit eadem humanitas realiter replicata, non tamen identificantur interse quia distinguūtur hæceitatibus; sicut licet Christus D. sit in omnibus speciebus Eucharisticis replicatus, nihilominus sunt plura Sacramenta singularia distincta secundū species, quia hæ distinguuntur interse. 3. Quod non ponitur in creatis mysterium Trinitatis; quia ibi Natura divina est vna numero, & indistincta realiter a Personis; at Natura humana est vna, solū specie, & distincta realiter ab hęcceitatibus, a quibus accipit numerū, & distinctionem differentialem. 4. Quod hæc Natura, licet sit distincta ab hæceitatibus, non est tamen separata ab illis, increata, ingenerabilis, & in concavo Lunę collocata, (vt tribuunt DD. Platoni) sed sicut Materia prima cum formis, ita semper est cum hæceitatibus, licet indifferenter, conjuncta cum illis congenita vel concreta, quia ab illis accipit existentiam, vbicationem, numerum, &c.

19 Contra 1. Quia absque vlla necessitate rationis insolitam adeo, imo insolentem molitionem, & segetem absurditatum, omnibus Scholis absonantium, excogitavit Caramuel; cum ipse a num. 379. Platonica Argumenta contemnat; a num. vero 385. etiam Scotica rejiciat. Ab auctoritate autem multo minus sit roboris; vix enim nescio quem Ioannem Marcum Pragensem, & Hollandos dubiæ fidei ab ipso allega-

tos a n. 420. Patronos refert, contra omnes Scholas Reales, & Nominales. Cum tamen solum vel diuinæ fidei, vel evidentiæ alicujus philosophicæ demonstratio, deberet in anduas adeo novitates intellectum nostrum, contra omnium Doctorum sensum, captiuare.

20 Contra 2. ab absurdis philosophicis. 1. enim nihil audit absurdius quam quod eadem humanitas, quæ fuit in Adamo, & erit in Antichristo, realiter actualiter sit in nobis omnibus, non minus quam idem Christus D. qui est in cœlo, & sub speciebus panis, est Limæ, Romæ, &c. sub speciebus vini. 2. Quia ea humanitas, vt condistincta realiter ab hæcceitate, & subsistentia, in Petro v.g. est ens reale, cum chimæricum non sit, ergo est ens vnum numero, & á se habens vnitatem numericã; cum omne ens sit vnum, verum &c. ergo eadem met numero, sive vna humanitas numero, erit in omnibus individuis; & sic redit absurdum de mysterio Trinitatis in creatis. 3. Quia humanitas Petri non solum prout contracta per subsistentiam, sed prout distincta & separabilis ab illa, realiter separatur a Paulo & ab alijs individuis; quidquid enim est in Petro realiter, realiter est vbi est ipse Petrus; sed Petrus separatus est a Paulo & reliquis, ergo etiam anima Petri, & tota eius humanitas separata est a Paulo, & reliquis, eorũque humanitatibus, quæ ab ipsis sunt inseparabiles. Unde, si indistincta sunt realiter humanitates secundum speciem, á seipsa in illis separabitur. Mitto plura.

21 Contra 3. ab Absurdis Theologicis. 1. sequitur, quod Verbum Divinum non potuerit aliam numero humanitatem assumere, nisi eam quæ de facto assumpsit, quia tota hæcceitas & differentia Christi D. sive huius numero humanitatis, provenire debet a sola subsistentia, cumque hæc sit vnica Verbi Divini, consequenter quæcumque humanitas a Verbo assumeretur, esset vnica, & eadem numero, sicut est vnica, & eadem Verbi subsistentia. 2. quod humanitas Christi D. secundum quod est ens creatum, non esset aliqua humanitas numero, & in individuo, sed esset humanitas, vt sic, & in specie communi, cum illa humanitas prout est creatura, a Verbo distincta non habeat hæcceitatem, nec singularitatem subsistantiæ, quia hæc solum provenit a Verbo; ergo solũ erit humanitas secundum se & vniversalis in quantum a Verbo condistincta. 3. Si realiter sit eadem humanitas in omni homine, etiam erit eadem anima, idemque corpus realiter physice in Beato, & in damnato, in Christo, & in Iuda. Quod autem asserit: non esse idem numero sed idem specie: non est additum diminuens, seu alienans identitatem; sicut non diminuit, nec alienat; cum dicitur *idem Christus D. esse sub vtraque specie*, qui simpliciter physice idem est. Sed eodem modo est idem homo sive eadem humanitas in Christo & Iuda, &c. realiter actualiter;

ergo.

ergo. 4. Sent. hæc valde suspecta videtur, multũ enim favet errori Hieronymi de Praga, in Concil. Constantiensi *sess.* 19. asserentis, Naturam esse Vniversalem realiter a parte rei, & hanc sententiam necessariam esse pro explicando mysterio Trinitatis, de quo P. Poza *in voto Platon. c.* 12. & P. Ripalda *in Bajan. d.* 1, *n.* 48. quod non multo aliter asserit Caramuel n. 369. Item favet Aquario in 3. apud P. Raynaud. *Tom.* 1. *de Christo lib.* 2 *s.* 3. *c.* 1. *n.* 49. male inter Theologos audienti, quod dixerit, Naturam humanam Vniversalem potuisse assumi a Verbo: multo autem amplius audet Caramuel, qui re ipsa ita assumptam defacto dicere debet. Sed hæc relinquo Theologis.

22. Contra 4. ab absurdis Dialecticis. 1. Quia deberet etiam concedi a parte rei vna Natura Vniversalis generica, v. g. corporis, substantiæ, viventis, animalis, imo etiam entis: cum non minus, vt vnũ quid de speciebus vere realiter ea genera prædicẽtur, quam species de singularibus: vnde & a differentijs specificis realiter genera distinguentur, sicut species a singularitatibus, cum eadem sit ratio vniuersalis & indifferentiæ ad vtrasque. 2. Eodem modo omnes formalitates cuiuscumque entis physicè & realiter distinguentur, cum fundamentũ distinctionis formalis, sive intentionalis sufficiet, juxta Caramuel, imo cogat ad physicam realem distinctionem: quæ fuit opinio Jandumi, Durandi apud P. Suarez d. 6. s. 9. n. 6. & Ioan. Gandaven. apud P. Fonseca lib. 7. c. 12. q. 11. s. 1. ab omnibus DD. reprehensa, quia pariter in divinis & Angelicis formalitatibus distinctio & compositio realis asserenda esset. 3. confundit Caramuel abstracta physica (quale est humanitas, sumpta pro Natura a toto composito distincte) cũ abstractis metaphysicis a tota rei entitate desumptis, vt est ipsa *humanitas*, seu *hominitas*, pro quiditate totius hominis complete sumpta; quæ nullo modo ab vlla parte physica substantiæ ipsius distingui potest, cum a tota indivisibiliter sumatur. 4. Adhuc in concreto genus & differentiæ, & multo magis species, a tota rei entitate sumũtur, vt patebit disp. 87. Ergo homo vt homo, necnon animal ut animal, nequit ab vlla parte entitativa, & substantiali inferiorum realiter distingui, & consequenter neque a subsistentia. 5. confundit Caram prædicationes substãtiales & essentiales cũ accidentalibus: Accidentales enim ex sunt, quarũ prædicata formaliter, seu secundum formam, realiter distinguuntur a subiectis: vnde semper prædicantur earum formæ in obliquo, v. g. *Petrus est albus*, id est, *habens albedinem*. At vero substantialis, & essentialis prædicatio, petit identitatem in recto formæ prædicatæ cum subiecto: vt *Petrus est Ens* idem est, ac *subiectum Petrus realiter identificatur* enti. Quam distinctionem prædicationum radicitus evellit Caramuel, eodem modo, per habi-

habitudinem accidentalem explicans essentialem prædicationem, *Petrus habet humanitatem*, ac accidentalem, *Petrus habet albedinem.*

23 Contra 5. Quia in multis prædicatis seu prædicabilibus Universalibus, locum non habet ea realis distinctio illorum ab hæcceitate sive subsistantia subiecti. *Tum* videlicet in prædicatis accidentalibus, v. g. *albedo A. est color, sit qualitas &c.* quia hæcceitas albedinis per nihil realiter distinctum, in esse huius constituitur, cum ipsi vt pote accidenti, subsistentia convenire nō possit. *Tum* in prædicatis abstractis de abstractis etiam subiectis, v.g. *humanitas, vel Petreitas est entitas, est substantia, &c.* vbi eodem modo importari debet subsistentia ex parte subiecti, ac ex parte prædicati, cum a tota entitate sit vtrumque abstractum, vt pote methaphysicum, & non pure physicum. *Tum* quia quando prædicatum Universale convenit etiam ipsi hæcceitati, sive subsistentiæ, v.g. cum dicitur: *Petrus est ens, est substantia &c.* tunc prædicatum Vniversale non potest ab hæcceitate singulari distingui, cum ipsi per identitatem conveniat. Et hinc.

24 Contra 6. à priori, quia Vniversale, de quo loquimur, & de quo inquirimus; an detur à parte rei? est Universale *in essendo*, sive quod est aptum in esse pluribus per identitatem, sive per illam, idest identice, prædicari de pluribus. Unde ad huc Universale accidentale prædicatur per identitatem de subiecto accidentis; quia licet accidens physicum in abstracto distinguatur a subiecto; ab illo tamen non distingui tur prædicatum accidentale in concreto, secundum quod subiectum ipsum importat in recto. Dum enim dicimus: *Petrus est albus*, solum affirmamus, quod sit subiectum albedinis, seu *habens albedinem*; cum quo habet realem identitatem ipse Petrus, vt præmisimus d. 2. n 9. Itaque prædicatum Vniversale etiam accidentale per veram identitatem, sive identice prædicatur de Petro, & alijs subiectis inferioribus, seu singularibus, a quibus abstrahitur. Ergo quomodocumque consideretur Universale, etiam vt prædicabile accidentale, debet habere identitatem cum suppositis inferioribus & singularibus, respectu quorum est Vniversale, sive prædicabile. Ergo inepte considerat Caiam. suum Vniversale à parte rei, quasi distinctum realiter a singularibus, de quibus est prædicabile; quia licet secundū abstractū humanitatis v.g. sit distinctum a suppositis singularibus, non tamen in concreto. Tum sic. Sed illud abstractum realiter distinctum non est prædicabile, & consequenter neque Universale respectu singularium suppositorum, nisi solum in concreto (non enim vere affirmari, nec prædicari potest quod *suppositum sit humanitas*; sed solum in concreto methaphysico, *quod sit homo*, per physicam, & methaphysicam identitatem. Ergo solum in concreto, & secundum quod habet iden-

tha-

titatem eu: suppositis singularibus, prædicatum quodcunque potest habere rationem Vniversalis. Ergo implicat quod Vniversale qua tale, sit aliquid ab ipsis singularibus distinctum realiter: & consequenter, quod non sit in ipsis etiam realiter singulare; quia quod est indistinctum a singulari realiter, debet & realiter esse singulare; nec aliter proinde poterit realiter seu a parte rei, ipsum singulari existere, Universale.

25 Contra 7. a disparitate quadruplicis Vniversalis a Caramuele inventi n. 16. *Tum* Materia prima, licet vt pura potentia Logica a Thomistis concipiatur, non tamen negant, quod sit ens, & substantia incompleta numericè & specificè talis, ita vt secundum se sit vna pars numero singularis, in vno quoque composito; ita vt multæ materiæ numero distinctæ secundum se, sint realiter & physice in distinctis compositis. Ergo pariter Universale realiter & physicè multiplicabitur in illis. *Tum* quia eodem modo physicè multiplicantur quantitates numero sub diversis dimensionibus ab Averroe &c. *Tum* quia si patitas a Christo D. teneret, dicendum esset, quod sicut Idem Christus D. numero est in toto mundo sub omnibus speciebus Eucharisticis, ita idem homo numero Universalis, est in omnibus singularibus, Romæ, Limæ, in cœlis in inferis; quo quid absurdius? *Tum* quia indifferentia illa syllabarú ad accentus, est solum subiecti ad accidentia, sive *in habendo*, idest, vnius ad habenda plura; non vero *in essendo*, sive vnius *ad essendum plura*, sive in pluribus; quæ sola constituit proprium Vniversale, vt supet explicui, & d. 73. n. 2. & 5. præmonui: quo defectu etiam Materia prima, quantitas interminata, & Eucharisticum Vniversale laborant.

Sect. 3. Conclusio negans.

26 Septima Peripatetica vera & nostra sententia negat, Vniversale, vt tale formaliter, sive secundum vnitatem, aptitudinemque ad plura formalem, dari a parte rei. Ita Aristol. 5. Metaph. c. 1. & lib. 7. c. 8. 12. 13. & 14. 1, *de Anima text.* inquiens: *Vniversale nihil est, aut posterius intellectu est.* Averroes *lib.* 12 *Metaph. Comment* 27. ait: *Vniversalia non habent esse extra animam*, quod sequitur S. Thom. *de ente & essentia c.* 4. & 1. *p. q.* 86. *a* 1. & 12. *q.* 29 *a* 6. & 7. *Metaph. lib.* 3. & post ipsum omnes Scholæ, cum & apud P. Suarez d. 6. Metaph. s. 2. a n. 8. PP. Cóimb. q. 1. in Præf. Porph; nec nisi sola voce, Scotiste, & P. Fonseca, alijque, præter Caramuelem, supra impugnati sentire videntur. Pro quo.

27 Notandum cum S. Th. *eo c.* 4. *de Ente & ess. quod lib.* 8. *q.* 1. *art.* 1. Naturam Universalem triplici in statu considerari posse. 1. est status *fundamentalis* veritatis realis, secundum *vnitatẽ conformitatis* [vt diximus n. 12) scilicet secundum realẽ similitudinem, quam a parte rei habent ipsa singularia, vt inter se conuenien

venientia in prædicato vniversali; quæ proinde se habent vt obiectum remotum, & materiale vniversalitatis. 2. Status est *virtualitatis* intrinsecæ seu conceptibilitatis obiectiuæ, media qua ipsa ratio conueniẽdi, habet virtualem quandam vnitatem, seu veram repræsentabilitatem per modum vnius, eo quod obiectivè præscindi possit, vt est ratio conueniendi, abstracta in actu primo ab omnibus rationibus differendi, id est, apax sine illis omnino cognosci, ac proinde per modum vnius obiectivi: quia cum respectu intellectus, imo etiam respectu sensus, solum concipi possint vt plura, quæ vt dissimilia seu differentia cognoscuntur (propterea enim ovum ab ovo, & lux a luce, a nobis, vt plura, secundum se distingui non possunt.) consequenter ea conceptibilitas obiectiva, sive capacitas terminandi cognitionem sine pluralitate, facit virtualem obiectivam vnitatem secundum quam obiectum immediate, & per se obijci ut actui præscisivo, sicut conceptibilitas vnius, siue alio identificato, facit virtualem obiectivã distinctionẽ, vt patebit disp. seq. 3. Status est *formalitatis*, quo scilicet hæc ipsa conceptibilitas, & virtualitas obiectiva in actu primo, reducitur ad actum secundum formalem, per actum scilicet mentis præcisivum, quo ipsa ratio conueniendi sine rationibus differendi plurificantibus ipsam concipitur, ac proinde redditur ea ratio vnus conceptus objectivus formaliter, extrinsecé; sicut etiam redduntur plures formaliter objectivæ formalitates extrinsece per actum præcisivum, quo vt vna, & alia, repræsentantur, ex se enim solum sunt virtualiter plures, & potius virtualitates, quam formalitates dici deberent. Hoc posito,

23 Prob. 1. Concl. Quia tota vnitas formalis vniuersaliũm, & consequenter tota aptitudo per modum vnius ad plura, quæ in vnitate fundatur; ac proinde tota essentia vniversalis, quæ in ea vnitate, & aptitudine consistit, prouenit formaliter, a modo nostro concipiendi, quo ratio conueniendi objectiva ab omni pluralitate objectivè præscinditur; vt explicatum est. Sed quod a modo concipiendi nostro provenit, vt tale non datur a parte rei, sive ante operationem mentis. Ergo vniversale vt tale formaliter non datur a parte rei, neque ante mentis nostræ operationem.

29 Prob. 2, Universale, vt tale, est vnum, & aptum esse in pluribus, seu esse plura formaliter. Sed implicat quod aliquid a parte rei, sit vnũ, & plura, realiter formaliter: vnum enim importat indivisionem in plura, pluralitas vero divisionem, quæ contradictorie opponuntur: ergo implicat quod a parte rei sit realiter formaliter vniversale.

Confirmatur. Quidquid existit a parte rei est ens, & consequenter realiter intrinsece vnum, quia entis attributa inseparabilia sunt, *vnum, verum, bonum*: quod autem est intrinsece realiter vnum, non potest in

trinsece realiter esse plura per identitatem realem. Sed vniversale debet esse vnum aptum esse plura per identitatem, ergo non potest existere a parte rei, vt vniversale.

Sect. 4. Objectiones.

30 Obij. 1. pro 1. *sent.* Vniversalia, vt pote objecta Scientiarú sunt æternæ veritatis, & consequenter necessaria, & æterna, independentia que a singularium cõtingentijs, loci, temporis, actionis: alias Scientiæ essent de contingentibus, atque adeo contingentes etiam, & fallibiles: adderem. Sed objecta quæ sunt necessaria, & æterna, semper & necessario sunt, sine existunt a parte rei, a contingentibus seu contingentijs abstracta: Ergo vniversalia necessario sunt a parte rei abstracta a singularibus contingentibus.

Resp. quod propter hoc argum. Platonis, quod tangit gravissimam difficultatem, de necessitate entis possibilis, sive essentiæ objectivæ, cuiuscumque termini abstracti ab existentia & contingentia, negarunt Heraclitus & Cratillus scientiam de contingentibus apud Aristot. & S. Thom. 1. *Metaph. lect.* 10. & *lib. 4. lect.* 1. Sed ex dicendis in Metaph. *distinguo maj.* Vniversalia sunt necessaria, & æterna, necessitate existentiæ, absolute, & *in vi verbi vel nominis adjectivi*, quo verificatur, *existit*, vel *est existens*; quod requiritur, vt dicamus quod Vniversale detur a parte rei, *neg.* Necessitate essentiæ, *in vi verbi, & nominis substantivi*, v. g. *est*, quod solum significat connexionem necessariam prædicatorum essentialium, seu veritatem & infallibilitatem conceptus objectivi, quasi conditionatam, scilicet quod si existeret, nullam contradictionem importaret; *subdistinguo*: ita vt ea veritas objectiva importetur in ipso Universali, secundum quod dicit de formali, & vt est pura denominatio extrinseca, & minime vnum ens simpliciter, *nego*: ita vt ea veritas objectiva importetur in conceptu objectivo præscisso, v. g. *animalis*, quod vere objectivè est ens simpliciter secundum se possibile, *concedo*. Expecta Metaph. & recole d. 56 n. 11. & d. 51 n. 13. circa necessitatem possibilis.

31 Obij. 2. & replic. Vniversale adhuc pro formali non est ens rationis fictum, sed ad summum logicum in modo cognoscendi, sicut Angelus cognitus ullar juvenis, & civitas instar vnius entis. Ergo erit ens reale simpliciter, & consequenter quod vere detur a parte rei, sicut vere datur Angelus, Civitas &c. licet a nobis aliter ac sunt, sive instar alterius concipiantur, sicut denominatio extrinseca realis.

Resp. ex d. 54. n. 11. & seq. & d. 55. n. 11. *neg.* conseq. quia licet Vniversale sit denominatio extrinseca realis resultans ex entibus veris & realibus, scilicet ex fundamẽtali objectiva similitudine existente a parte rei, & actu præscisivo nostro realiter etiam existente, non tamen

potest

potest ens reale simpliciter appellari, quia non est vnū quid simpliciter. vt de omni extrinseca denominatione, ea d. 64. n. 7. & 16. observavi. Et licet realis denominatio aliquando ens reale logicum dici possit v. g. *Civitas*, non tamen ens reale simpliciter, seu metaphysicum. Sed neque etiam dici potest Vniversale dari realiter a parte rei, sicut *Civitas, Religio*, & alia entia collectiva realia; quia hæc de formali non sonant, sive exprimunt, aliam vnitatem, quam aggregationis, sive collectionis, quæ vere & realiter datur: Vniversale vero, v. g. *animal*, exprimit vnitatē formalem per modum vnius entis intrinsece talis, quale non est in fundamento reali: quod solum habet vnitatem similitudinis, seu conceptibilitatis similitudinariæ: modus vero concipiendi improprius & quasi metaphoricus præcisivus, exprimit vnitatem identitatis intrinsecæ, faciendo Ens rationis logicum: de quo ibidem a. n. 17. ad 19. Unde fit quod ratio *entis logici* communis est *enti logico reali*, scilicet collectivo reali v. g. Civitas, &c, & *enti logico rationis*, quale est Universale &c.

32. Objic. 3. pro 2. & 3 *sint*. De natura humana v. g. secundum se verificantur realiter, & ante operationem mentis prædicata, quæ ipsi vt Vniversali conveniunt à parte rei: ergo est Universalis realiter a parte rei, sive ante operationem mentis.

Antecedens prob. 1. quia natura humana est ratio conveniendi ex natura rei & realiter; cum non sit vllo modo ratio differendi realiter; ergo realiter est præscisa a ratione differendi. 2. quod in natura humana Petrus & Paulus sint idem, cum habeant eandem essentiam, seu naturam hominis, aliàs non essent eiusdem speciei realiter, & a parte rei. Ergo vnitas & identitas naturæ specificæ datur a parte rei. 3. quod natura humana secundum se non sit singularis realiter, aliàs non posset multiplicari realiter in plura singularia; ideo enim natura Divina est immultiplicabilis per Personas, quia ex se singularis est. Ergo natura humana secundum se, & ex natura rei erit Universalis; quia eo modo debet esse Vniversalis, quo non est singularis.

Resp. *negando antec.* & suppositum illius, & triplicis etiam probationis. Supponitur enim, quod ante operationem mentis, & a parte rei detur natura humana, prout hoc nomine abstracto significatur: vel detur vna, & ea tē species, vel essentia, aut ratio conveniendi, prout vnitatem vllam important, aut exprimunt. Tota enim hæc vnitas, & idētitas oritur a modo concipiendi nostro, quo convenientiam plurium singularium, per modum vnius rationis, seu formalitatis obiectivæ concipimus. Vnde a parte rei solum dātur ea plura singularia similia, *Hic homo, & ille homo; hoc & illud animal*, quæ sua similitudine fundamētum præbent præscisioni mentis, vt rationem conveniendi repræsentet per modum vnius, ipsamque convenientiam, vt identitatem & vnita-

tem quandam obiectivam, in quantum ipsa præcindibilis intrinsecè virtualiter est, sive attingibilis sine differentijs, & hæcceitatibus ipsam pluificantibus. Quod vero ita in actu secundo repræsentetur per voces *Vnitas, identitas, Vniversale, Natura secundùm se, humanitas, species, &c.* jam involuit operationem mentis, & ideo sub illis vocibus, falsò supponitur, Quod loquamur de objecto vt est a parte rei, nisi per vocem *Petrus, hic homo, omnes homines* &c. exprimatur.

34 Deinde omisso supposito, *distinguo antecedens.* De Natura vt Universali verificatur prædicata realia a parte rei, prout ea prædicata significant Universalitatem fundamentalem, & virtualem obiectivam, quæ vt talis verè datur a parte rei in duplici statu obiectivo Vniversalis, ex dictis num. 8. & 27. concedo. Verificantur in sensu formali, quo sensu solum negamus Universale a parte rei, nego. Hinc,

Ad 1. prob. antecedens. Dum dicitur, quod naturæ humanæ physicè realiter convenit esse vnam rationem conveniendi inter homines, solum significatur vnitas fundamentalis similitudinis, & virtualis præscindibilitatis, non vero vnitas actualis formalis; cum hac autem vnitate simul, Natura humana, vt existit a parte rei, est realiter formaliter ratio differendi, quia vt taliter existens est Petrus, & Paulus, &c. & consequenter ita involuit differentias & hæcceitates talium singularium, sicut & rationem conveniendi eorum.

35 Ad 2. solum sunt idem sive ejusdem speciei, in Natura humana Petrus & Paulus a parte rei, vnitate fundamentali similitudinis, vel virtuali obiectivæ præscindibilitatis in adæquatæ; nam adæquate sumpti, vt sunt a parte rei etiam differunt, & discveniunt in natura physicè, ratione singularitatis cum illa identificatæ. Non tamen ideò dicuntur absolutè diversi specie, seu natura, a parte rei, quia hic modus loquendi est jam præcisivus, & expressivus naturæ, non vt a parte rei, sed vt consideratur præcisa, prout est essentia, & species metaphysica: vnde implicatorie loquimur, dum sub his terminis metaphysicæ & logicæ præcisionis naturæ, loqui dicimus de illa, vt est a parte rei physicè, sivè independenter a præcisionibus mentis.

36 Ad 3. Natura humana, vt est a parte rei, est intrinsecè singularis in vnoquoque individuo, multiplex vero singulare in omnibus, a quo adeo simul est Universalis, realiter fundamentaliter per convenientiã, & virtualiter per præscindibilitatẽ obiectivam. At quia singularitati Divinæ naturæ deficit hæc fundamentalis vniversalitas intrinsecæ multiplicitatis, seu per manet singularis, etiam in Personis.

37 Obij 4. Naturæ Vniversali, obiectivè realiter, & a parte rei cõvenit vna essentia, sive vna substãtia & definitio; cum essentialiter sit terminus vniuocus, qui ab æquivoco so-

luq

sum differt, secundum eam obiectivam vnitatem sui significati ex d. 13. n 9. Ergo realiter & a parte rei datur ea vnivoca obiectiva vniversalitas.

Respondeo distinctio antecd. vniuersali obiectiue a parte rei convenit vna effentiæ, vnitate fundamentali similitudinis, & virtualis obiectivæ præscindibilitatis, quo pacto non dubitamus dari Vniversale a parte rei, concedo vnitate formali negante pluralitatem obiectivam. nego, quia vt dicam n. 39. hoc provenit ab actu abstrahente.

38 Obij 5. Universale vt tale est obiectum actus, vt pote quod prædicatur, sive est prædicabile, non enim prædicatur actus, sed obiectum illius. Ergo Vniversale, vt tale, habet suum esse obiectivum constinctum ab actu, & consequenter realiter, & a parte rei.

Resp. concedo totum de Universali, tum virtuali obiectivo, quod immediate prædicatur, tum fundamentali, quod prædicatur medio obiectivo. A. vniversale vt vnum formalitè constituitur per ipsum actum præcisivum, & ita prædicatur vt quo, quia involuit actum, quo prædicatur.

39 Obij 6 *pro 4 sent.* Iuxta Aristotelem n 7 Metaph. *cap. 15. de Relat. Similia sunt quorum qualitas est vna*; vnde vnitas convenientiæ, & similitudinis realiter & a parte rei convenit Universali, & licet sit vnitas pure extrinseca, vel secundum extrinseca, non tamen minus, sed magis extrinseca est vnitas, proveniens ipsa præcisione mentis. Ergo sicut vnitas omnino extrinseca præcisionis potest constituere Vniuersale formaliter, multò melius per vnitatem puram intrinsecam convenientiæ, poterit sicut Universale formaliter a parte rei.

Resp. neg. consequ. & peritat. Quia vnitas formalis, cum consistat in indivisione, debet dicere negationem aliquam realem & formalem divisionis vel pluralitatis; hanc autem minimè potest importare similitudo seu vnitas fundamentalis, cùm potius similitudo, & conformitas, vt pote correlativa dicat essentialiter pluralitatem. Neque virtualis obiectiva vnitas, seu veritas essentiæ obiectiuæ, vt præscindibilis a differentijs plurificantibus, earum negationem sive exclusionem realem importat; quia cum realiter actualiter identificetur cum illis, nequit illas realiter actualiter negare; aliàs forma & negatio formæ identificarentur. Solùm ergo potest formaliter convenire ea negatio præcisioni mentali & extrinsecæ, qualenus ipsa attingit objectivè rationem obiectivam conveniendi, & non attingit realiter rationes plurificandi, & differendi; vnde secum affert negationem realem ipsius pluralitatis. vt cognitæ vel tactæ per obiectivam præcisionem formalem actus: atque ita opinimè inducere potest vnitatem formalem, per realem formalem negationem pluralitatis in esse cogniti, quam secum affert, & naturæ præscissæ communicat, illam per modum propterea vnius repræsentando. De quo rursum d. 78.

40. Obij.

40 Obij. 7. saltem in *sent.* Nomina istarum, qui vnitatem aliam objectivam Universalis nõ agnoscunt, nisi plurium singularium similium, vt confuse cognitorum, Totum homogenuem, aer, v.g. fore vniversale a parte rei: cum ejus partes habeant a parte rei vnitatem physicam confussionis, & similitudinis, cum identitate plurium partium quibus constat, & de quibus, tum simul, tum seorsim sumptis, verificatur, quod *sit aer* &c. Ergo.

Resp. 1. nil mirum, quod in ea *sent.* quæ de medio tollit vniversale obiectivum, vt d. præc. n. 17. vidimus, & amplius in *sequenti*, & d. 82. videbimus, vniversale sit a parte rei, quod vere vniversale non est 2. adhuc in ea *sent.* Totum homogenum, vt est a parte rei, non potest esse vniversale, cum a parte rei, sit vnum singulare elementum, v.g. *aer*, *aqua*, &c. quando habet vnitatem physicé continuationis. Quando vero discontinuum est, jam erunt plura singularia a parte rei distincta, & ita realiter minime confusa, nisi cõfundantur per cognitionem v.g. per terminum communem, quo *aer* ratione fiet vniversale, & prædicabile, de singulis partibus, scilicet de Aere, Australi, Aquilonari, &c. vt de singularibus a quibus præscinditur, atque adeo post operationẽ mentis.

41 Obij. 8. pro 5. *sent.* ex P. Lync. Albedo vna divinitus collocata in pluribus subjectis, quæ per illam redduntur plura alba idest plura habentia albedinem; est vna in se, & apta esse per identitatem in pluribus albis, vt concretis, quæ per ipsam constituuntur: ergo erit vna apta esse in pluribus per identitatem, & consequenter vniversalis, cum definitione vniversalis gaudeat.

Confirm. Quia ratio albi tunc præcissa a pluribus illis albis erit vniversalis, non minus quam ratio cogniti præcisa a pluribus cognitis per vnam cognitionem: ergo & ipsa albedo physicé vna constituens illam rationem albi erit vniversalis; quia vniversale non potest nisi per vniversalia constitutiva constitui; sicut singulare per singularia.

42 Respondent aliqui RR. negando, quod ratio albi possit præscindi ab illis albis vnica albedine informatis. 1. Quia in esse albi non possunt simpliciter multiplicari, cum nõ multiplicetur albedo, quæ rationem albi essentialiter constituit. 2 Quia ea alba non possunt reduplicative vt alba convenire, cum ita vt alba non distinguantur; quia ea reduplicatio cadit supra albedinem indistinctã. 3. Quia ideo terminus Deus non potest præscindi, vt Vniversalis a tribus personis, licet vna quæque sit Deus, quia forma cõcreti, seu *Deitas* nõ multiplicatur in illis, ergo pariter quando non multiplicatur albedo, seu forma cõcreti albi. 4 Quia ideo ab omnibus formalitatibus Petri v.g. non potest præscindi ratio entis, licet vna quæque sit ens, & conveniant in ratione habentis entitatẽ, quia forma illius concreti, scilicet entitas, nõ multiplicatur in formalitatibus. Ergo pariter, cũ albedo non multiplicetur in illis albis, ratio

tio albi ab ipsis non præscindetur.

43 Contra 1. quia ratio cognita vel amata a Deo præscinditur ab omnibus creaturis, quæ in illa ratione conveniunt, licet vnica indivisibili cognitione, & amore in esse talis constituantur. 2. omnia merita Christi D. in esse infiniti simpliciter; & omnes partes corporis humani in esse animati conveniunt, licet forma indivisibili physice constituantur. Ergo pariter. 3. A priori quia multiplicatio concreti (vt dicam infra suo loco) sumitur tantum a recto, quod in concretis accidentalibus, sive adiectivis, est tantum subiectum habens formam, v. g. album, cognitum &c. licet in concretis substantialibus, & substantivis forma se habeat in recto, v. g. in concretis, *Deus*, *ens* &c. Unde multiplicato subiecto albedinis multiplicantur alba simpliciter, sive habentia albedinem, quæ proinde poterunt cõvenire simpliciter in esse talis. Econtra vero cum non multiplicetur Deitas in Personis, neque entitas in formalitatibus, non poterunt convenire in ratione Dei, vel entis, neque hæ rationes, vt vniversales præscindi: licet præscindi possit, & debeat ratio albi & cogniti, quia licet vna sit forma physica, se habet in obliquo, nec tollit multiplicitatem concretorum proveniente a multiplici recto. Hinc

4 Ad 1. en 42. In his concretis vnica forma physica informatis v. g. *album*, *cognitum*, quando illorum recta multiplicantur, multiplicatur etiam forma methaphysica, v. g. *albitas* &c. vnde bene potest multiplicari constitutam, per multiplicatem subiecti, & formæ methaphysice constituentium, licet forma physica non multiplicetur, ac proinde poterunt in ratione vniversali convenire.

Ad 2. reduplicatio albi vt albi aliquando, vt in præsenti, fit solum supra subiectum in recto, vt constat ex disp. 63. n. 46. Unde cum subiecta habentia albedinem realiter distinguantur licet albedo sit eadem poterunt multiplicari, & convenire alba reduplicative, vt talia, vt ab illis ratio albi simpliciter præscindatur.

Ad 3. & 4. rego paritatem a concretis *Deus*, & *ens* quæ substantiva, & substantialia, sive essentialia sunt, vnde non multiplicantur, nisi multiplicata forma, scilicet Deitate & Entitate, vnde non possunt convenire nec Personæ in esse Dei, nec formalitas Petri in esse entis, ac proinde tam Deus, quam ens individuum Petrus non possunt inducere vniversalitatem, cum non possint exuere singularitatem, tum in esse Dei, tum in esse talis entis: Econtra concreta accidentalia quæ multiplicantur a suis subiectis, licet sub vna forma, & ita convenire possint, &c.

45 Respondeo ergo ad arg. en. 41. Quod vniversale sub eadem ratione, & nomine sub quibus vnum est, debet esse multiplicabile, sive aptum ad plura; cum vt vnum debeat de pluribus prædicari, ut albedo, vt est vna in abstractio, rei po-

test

test simpliciter prædicari de pluribus concretis albis, neque in ipsis sub ratione albedinis multiplicari; nõ enim dicitur, Album est albedo; do non potest esse vniversalis.

Ad Confirm. dictum est nuper ad 1. Quod forma constitutiva concreti *Album*, vt est totum metaphysicum, est abstractũ seu forma metaphysica *albitas*, quæ vniversalis erit, vt desumpta a tota entitate cõcreti; licet forma physica sit singularis.

46 Obij. 9. pro 7. *sent.* ex Caram n. 360. Arist. Porphyr. & S. Th. asserentes, vniversale esse vnum entis mentis operationem. Ergo

Resp. loqui de vnitate fundamẽtali, & virtuali obiectiva; non de actuali formali, quam contra Plasonem satis ipsi rejecerant.

47 Ob. 10. Hæcceitates vel differentiæ v. g. Petreitas, Pauleitas, nullã habent similitudinẽ, vel cõvenientiam interse realiter, actualiter, formaliter, cum habeant disconvenientiam differentialem a parte rei; ergo realiter actualiter a parte rei distinguuntur a Natura humana alias hæc realiter actualiter nullam convenientiam haberet in Petro, & Paulo, (quod evidenter est falsum) cum de illa ita realiter verificari deberet, quid pũri de differentijs realiter sibi identificatis verificatur. Tũ sic, Sed eo ipso, quod Natura humana formaliter realiter ab hæcceitatibus, & singularitatibus, quæ sunt vnica ratio plurificandi rem, distinguatur, secundũ se manet realiter actualiter physice vna, cũ realiter sit sine vlla ratione plurificanti; ergo Natura secundũ se, & a parte rei manet vna, & cõsequẽter vniversalis, vt pote simul communis pluribus.

Resp. ex & pro dicendis contra Scotistas d. 77. neg. anteced. Quia licet de differentijs, & hæcceitatibus dici possit, quod habeant realem disconvenientiam positivam, non tamen totalem, aut ita negativam, quod nullam habeant convenientiam realiter; quia potius sunt identificatæ convenientia, & disconvenientia in illis, licet indivisibilibus. Sicut in Deo, Angelo, & Animo rationali, qui conueniunt realiter cum lapide in esse *entis*, *substantiæ*, &c. & indiuisibiliter differunt in esse *viuentis*, *intellectualis*, &c. alias in Deo, & Angelis, realis distinctio, & compositio dari possent. Sic omnis differentia simul realiter est ratio conueniendi; & omne genus simul realiter est ratio differendi; quia sunt idem realiter cum individuo, v. g. *Petro*, quod simul, & ratio conueniendi, & differendi realiter est. Hæc est enim vis, & virtus rerum indiuisarum, vt possint indiuise, & per identitatem perfectiones diuersissimas continere; imo quanto magis indiuisibiles sunt, tanto majorem habent virtutem, sibi plures, & differentiores perfectiones adunandi, quia magis accedunt ad vnitatem summam, quæ sibi omnem perfectionem possibilem identificat, scilicet Deum. Et propterea spiritualia, quæ Deo magis approximantur, participant magis hanc indivi-

indivisibilitatem & vnitatẽ, vnde videmus in actibus ſpiritualibus, tot diverſas & quaſi oppoſitas tendentias, vt idem actus, v. g. poſsit eſſe amor, & odium, intenſior, clarus, & confuſus, & remiſsior, affirmatio, & negatio, per vnam indivisibilem tendentiam in obiecta diverſa. Quanto ergo magis conveniens, & diſconveniens, ſimilis, & diſsimilis, ſimul eſſe poterit; cũ ſimilitudo, & diſſimilitudo multũ habeant de prædicato intẽtionali, & ſecundũ dici pro formali, vt ſæpe dixi. Stet itaq; quod indivisibiliter convenientia & diſconvenientia optimè conciliantur; minimè vero convenientia & diſconvenientia totalis; ſive convenientia, & excluſiva, ſive negativa *non convenientia*; quia hæ ſibi contradicunt, vt forma & negatio formæ; illæ vero minimè, quia tantum ſunt formalitates diverſæ, optimè admabiles in vna entitate, vt experientia evidens facit.

48 Obij. 11. Poſsibilis eſt juxta Ocham. in 1. diſt. 2. q. 2. ſimilitudo Trinitatis in creatis, ita vt vna natura humana, ſit in pluribus hominibus per identitatẽ cũ illis; quia ſicut Trinitas eſt juxta rationẽ naturalẽ, licet etiam ſupra, quia Deus debet eſſe ſupra quam a nobis concipi poſsit, ita Trinitas creata illius Naturæ humanæ, communis pluribus per identitatem, erit juxta rationem, & ſupra; quia Omnipotentia Dei talis eſſe debet, vt ſupra id quod nobis videtur poſsibile, Naturam vnam facere poſsit, quæ ſimul ſit multiplex. Ergo erit Univerſalis a parte rei poſsibilis.

Reſp. 1. dato antec. nego conſeq. Quia ſicut Natura divina non eſt Univerſalis, ſed ſingularis, quia ipſa non multiplicatur in Perſonis; ita ea Natura creata Trina, ſingularis etiam eſſet ſecundum ſe. Niſi fingatur, quod ſimul eſſet vna & multiplex in ſe; quod eſſet Myſterium majus Trinitate, omnino que implicatorium, quia eſſet vna in ſe, vt ſupponitur, & non eſſet vna, quia in ſe multiplex eſſet; vnde propterea Univerſale, vt tale repugnat.

49 Reſp. 2. nego antecd. Quia DD. fere omnes ſemper reputarunt, ſolius Divinæ naturæ, vt pote infinitæ in eſſendo, proprium Myſterium Trinitatis, ſive modum eſſendi vnius in pluribus per identitatẽ: quia ſuperat maximũ & lumnẽ evidens principium rationis creatæ, *Quæ ſunt eadem vni tertio*; quod non, niſi per ſummũ Dei eſſe, ſuperari poteſt: minimè vero per creaturam, atque adeo nec per Omnipotentiã ad extra. Aliàs fingere liceret, quod illa facere poſſet ad extra, Creaturam liberam per actus indeificatos, immenſam, æternam, imo alium Deũ: ſi ſummam perfectionem Dei, ſcilicet Trinitatem, ad extra communicare poſſet. Cũ ergo SS. PP. quibuscum S. Thom. 1. p. q. 32. a. & Theologi, ex nulla Creatura in Trinitatis notitiam devenire poſſe doceant; multò minus vlla poterit in ſe Trinitatem ipſam exprimere. De quo ſapienter P. Ruiz d. 41. de Trin.

P. Quiros d. 26. & in præsenti d. 18. an. 16. P. Lynceus lib. 6. tr. 2. c. 2.

50 Obij. 12. Quantitas continua indeterminata, quæ est in infinitũ, divisibilis in partes, quas non habet actu sed potentia, est actu vna & in potentia est plura, juxta Aristotelem: ergo erit Universale a parte rei, scilicet vnum aptũ fieri plura.

Resp. neg. conseq. Tum quia ea quantitas habet vnita ẽ singularem actu, quia est indivisa: & est etiam distincta realiter tanquam includens ab incluso a partibus, in quas est divisibilis; vnde solum habet indifferentiam totius ad partes cõpositivé, non vero identivé, seu in essendo & prædicando, vt requiritur ad Universale simpliciter, juxta n. 24. & 25.

51 Obij. 13. Singulare est correlativum Universalis, sed singulare datur a parte rei, ergo & Vniversale datur a parte rei.

Resp. 1. Sufficiens correlativum esse Vniversale fundamentale, & virtuale. 2. nego conseq. Quia similiter ens rationis est correlativum entis realis, correlatione oppositionis, & ideo licet ens reale detur a parte rei, non ideo dabitur a parte rei ens rationis. Pariter ergo.

52 Obij. 14. Naturæ Vniversali, vt tali, convenit vere & realiter formaliter prædicatum, cujus contradictorium convenit differentijs & hæcceitatibus plurificantibus: ergo realiter formaliter ab illis distinguitur & consequenter realiter non est mul. iplex, sed vna. Maj. patet. Quia per cognitionem præcisivam Naturæ humanæ, illa realiter formaliter cognoscitur, differentiæ vero & hæcceitates realiter formaliter non cognoscuntur; quæ sunt duo realia formalia contradictoria. Ergo.

Circa Majoris probationem versatur gravissima illa quæstio Realium DD. cum Nominalibus, an contradictoria illa realia *cognosci & non cognosci*, circa idem obiectum reale, quale est Vniversale & singulare, obiectivé verificentur: ac proinde an fiat præcisio obiectiva per cognitionem Vniversalis, ita vt hæc obiectivé non attingat singulare. Quæ præcisio est vnicus cardo veræ obiectivæ Universalitatis, & vnitatis ipsius. Pro qua sit

DISP. LXXVI.

Vtr. detur Præcisio obiectiva; qua Vniversale cognoscatur, minimè obiectivè cognito singulari?

1 PRima sententia omninò negat, esse possibilem talem præcisionem obiectivam, idest, qua cognoscatur vna obiecti formalitas, & alia realiter ipsi identificata minimè cognoscatur; quia indivisibilis entitas necessario tota cognoscitur. Ita Nominales Antiqui, totam propterea Universalitatem & præcisionẽ in vocibus, expressionibus q̃ collocantes supra d. 64. n. 15. quos RR. Nominalistæ nostri sunt secuti, P. Hurt. d. 6. Metaph. s. 4. nixus an. 93. Angelicum, Eximium, & Acutissimum Doctores in sua Castra transferre sed immerito, de quo n. 21. P. Arr...

Arriaga hic.disp. 5. P.Herice d.43. n.21.P.Ovied.cōtr,4.Meraph p 8. P.Quiros hic d.19.s.4.& 1.p. tr.2. d.15.s.13. P Zuñiga d 2. de Trin. du.P.4.memb.2. Vvechen. d.5.c 6. P.Alph.d 4 s 2.P.Pcyn. tr.2.d.2.s. 2.§ 3.Bonesp.d 2.dub.5 Joannis tr, 2 d.6.c.3 .quibus fauent Basilius,Pōcius 1.p.Uariar.Rel. 5. sub. fin. P, Tellez *infra* probabilem putans,& P.Olcina *infra*, sola voce dissentiēs Accedunt pauci R R. nostrates cū P.Maza in Metaph, tr.2.d. 3 s 2. Limitantes tamen cum P Arr. & Joanniz in Divinis, vbi obiectivas præcissiones admittunt, inter prædicata virtualiter rigorose distincta, vt..2 videbimus.

Sect.1. Concl. affirmans, Demonstratur à priori.

2 Secunda nostra,& juxta S. Anselm. Catholica Dialecticorum sententia vniversaliter affirmat, non solum possibiles,sed necessarias vbique præcissiones objectivas,quibus vna formalitas, absque alijs etiam identificatis, ad conceptum essentialem, sive obiectivum ipsius non pertinentibus abstractive & in adæquatè cognoscatur. Ita S. Thom. c. 3. *de ente & ess.* & 1.p.q.40.art 3.c. & q.85 a 1. ad.1 & 2.& alibi passim, Subtil. Scotus in 1. d. 2, q. 7. Thomistæ & Scotistæ omnes post Caj. Fabr. &c. cum & apud Ioan. Thom q.3 a 6.& Ponciū d 4. Metaph.q.2 & 3.Nostri præter paucos citatos, longo agmine ducti,post. Exim D.P Suarez d. 6 Metaph, s. 9. & d.7.s.1.Acutiss. P. Vazq.1.p. d 117.c,1. P. Molin.P.Val.P.Fonseca PP.Connimb P.Vall.Card.Tolet.P Barth.Amic. P.Arrub.P.Sigles.P.Rub P.Ruiz P,Fasol. P.Tanner.P.Alarc P Recup. P. Layman. P. Connine. P. Albertin. & alij, quos laudant accurate P. Ysquierdo d.13.n.222,P.Santacruz n.547 P.Compt.d.24.s.2. P.Lynceus lib. 8 tr.5.c.2 P.Suarez Lusitan tr. 3. n.24.P.Tellez p.1.d.2.s.2.P Amic. 1.p d.3.s.7.P Mæratius d.13,s.2,n. 8.P.Martinon.d.17.de Sacram.s.1. n.6. P.Dicast d 9.de Pœnit,n.750. P.Franc. Lugo 1.p.lib,1.d,15.c,2. n.6.& d.16.c.3.P.Rayn. in Theol. Nat.d.6.q.2.art. 1.P. Rhodes d. 2. Metaph.q 1.s 1.& d 3.q.3 s 4.§.3. & d.1.de Sacram.q. 11.s.1.P,Th. Polon hic d.3.q.2.diff.1 & 2. d.3. Metaph, q. 5. diff. 3. P. Olcinas n. 831.P Maur.q 32.& 33. P.Frideric Stauden p.2 de præcis c.1.a 2. P Galtruch. d.2 Metaph.c.2.P,Alphon.Peñaf.d 6.s.vlt.& ejus Frater, nostræque Provinciæ Pater colendissimus P. Leon in Metaph. & 1. p.tr.6.d.19.s.2.a n,7. & s.4. & 5. & tr 8.d,12.n.27. Sed ante omnes præ omnibusque laudandus R.P.N. Generalis Thyrsus T.1.d 6.a n.19. quibus subscribsere RR.Nostri Clariores, cum Magistro meo P. Xauregui, ejusque Magistro pariter ac meo P.Roelas; a quibus omnibus nefas esset discedere, propter paucos Noviores, & antiquatos Antires.

3 Prob.1.manifesta Demonstratione a posteriori, sive ab experientia, vnde omnes Naturas rerum & ac-

ta in Philosophia deducit evidenter. Quando enim videmus a longe venientem hominem, quem hominem esse non cognoscimus, totam illud Ens ex motu progressivo cognoscimus evidenter esse animal: sed non cognoscimus esse rationale, cum saepe etiam id negemus; quia non dignoscimus signa vlla rationalitatis, omnino nobis tunc propter distantiam ignota: ergo aliquid identificatum cum toto illo ente scilicet *animal* cognoscimus; & aliquid cum ipso toto identificatum, scilicet *rationale* non cognoscimus; atque adeo obiective vnum ab alio praecindimus.

4 Confirm. 1. In ipsa ratione hominis, quam saepe etiam, quando Petrum a longe videmus, certò cognoscimus, quin ipsius singularitatem seu Petreitatem cognoscamus, quae tamen realiter cum ipsius humanitate identificatur, & per ordinem ad ea adè connotata realia. Ergo attingitur obiectivè vna formalitas, & alia identificata obiectivè non attingitur.

5 Confirm. 2. In Deo, quem velint à longe abstractivè cognoscimus, per evidentiam naturalem, secundum illius existentiam & essentiam, essentialemque ipsius *omniperfectionem*, sive *infinitatem totius perfectionis*. Sed nihilominus non ita cognoscimus per eam evidentiam omnes omnino Dei perfectiones in particulari, cum ipso, vt pote cum ente à se per essentiam, & indivisibilitatè Omniperfecto, identificatas: cum nec omnes Ideas possibiliū, neque item potentiam, & voluntatem creaturas elevantem ad supernaturalia; neque omnia Dei decreta libera in particulari, determinatè per evidentiam cognoscamus [cum vix paucissima post revelationem innotescant.] Ergo ea evidētia naturalis attingit in Deo formalitates vnas scientificè demonstratas, alias verò licet identificatas, non attingit, neque vllo modo cognoscit.

6 Resp. 1. RR. cum P. Hurt. §. 158. formalitatem rationalis (idem esto de Petreitate, decretis liberis Divinis &c.) cognosci materialiter, cognito animali, licet non formaliter; quia ita non cognoscitur nisi per expressionem & ordinem ad rationi nationem. Alij dicunt, cognosci saltem implicite, aut confusè, licet nō explicitè & clarè.

Contra 1. tam contradictoria realia sunt. *cognosci explicite, clare, formaliter, & non cognosci explicite, clare, formaliter*, quam cognosci, & nō cognosci. Ergo sicut potest per vos non cognosci clarè, explicitè, & formaliter rationale, licet animal ita cognoscatur: pariter poterit simplici et cognosci animal, & rationale non cognosci. 2. si tantum velint dicere, quod rationale est materialiter & identicè entitas animalis, quae cognoscitur: ita verum erit, sed nō ideo propriè cognoscetur, cum de rationali rationem reddere nequeat, qui tantum animal a longe cognoscit. 3. Si implicite tunc rationale cognosceretur, pollet intellectus videns

dem à longe *animal*, supra obiectū reflectendo, seu quidditative investigando, obiecti cogniti prædicata, & inter ea, rationale explicite dignoscere; sicut propterea qui implicite cognoscit definitum *homo*, si quidditative reflectat supra illius conceptum, poterit illius definitionem eruere, & explicite prorsus explicare. Ergo.

7 Resp. 2. cū P. Arr. n. 40. tunc non tantum animal, sed totam realem entitatem tam rationalis, quam animalis cognosci, minus tamen clare, & distincte; quia cognitio minus distinguit illud obiectum, cum non distinguat illud ab irrationalibus, sed tantum ab insensibilibus. Unde cum propius accedentem cognoscerem esse hominem; tunc nihil de novo in illo cognoscerem, sed tantum clarius; quia illum a brutis distingueret; demum vero clarissime cum Petrum esse nosset, atque ab alijs individuis discerneret: solum propter clariorem, & distinctiorem modum cognoscendi, non vero quia aliquid Petri de novo cognosceret, antea non notum. Ergo quin cognoscetur aliquid, & aliquid non cognosceretur, eiusdem entitatis.

8 Contra 1. Quia ideo hominem accedentem propius magis distincte, seu distinguendo illum magis ac magis, cognoscerem; quia ipsius hominis distinctiva magis ac magis proxima discernerem. Non enim est alius modus distinguēdi per cognitionem hominem ab insensibilibus, nisi cognoscendo esse sensibilem, & similiter ab irrationalibus, cognoscendo esse rationalem; & tandem ab alijs individuis, cognoscendo esse Petrum; distinguere enim vnum ab alio per cognitionem nihil aliud est, quam cognoscere obiectiuam differentiam, seu distinctionē vnius ab alio; vt patet. Ergo quando de novo ille homo magis, ac magis per cognitionem distinguitur, de novo illius distinctiva antea ignota cognoscuntur.

9 Contra 2. Quia major claritas, & major distinctio cognitionis circa obiectū non dicuntur ad conuertentiam. Actus enim fidei obscutus magis distincte cognoscit, Deum, cognoscendo & distinguendo illum vt Trinum, & trine subsistentem, ab omni natura creata subsistēte singulariter; quam evidentia naturalis clarior fide, ita Deum non distinguens. Item clarior est cognitio de rationali, risibili, & admirativo hominis, quam quæ solum esset de rationali, & tamen hominem magis non distingueret; quia æque solum a brutis distinguitur homo, tam per risibile, & admirativam, quam per rationale. Ergo male P. Arr. claritatem, & distinctionē actus præcisivi eo sensu confundit. Licet non negem, aliquando etiam distinctius cognosci obiectum, quo clarius; sed non in sensu distinguendi vnum ab alio, vt in præsenti.

10 Contra 3. Adhuc enim super est P. Arr, explicanda præcipua difficultas, quomodo quando tota entitas hominis minus clare cognosci

tur

tur, per illam expressionem anima lis, non potest reddere rationem de rationali minus clare cognito; possit tamen reddere de animali? Vel duplex redit argumentum. 1. Quod sustauratur contradicti circa eandem entitatem; scilicet quod per eam cognitionē minus clarā potest reddi ratio de animali, non vero potest reddi de rationali. 2. Quod si rationale minus clare saltem cognoceretur per vocem *animal*, quando alienge videtur, posset reflectendo supra quidditatem obiecti minus clarè cogniti, absque nova specie, illud explicite, & clare quidditative explicare; sicut cognoscendo hominem, potest eius definitionem, implicite in *homine* cognitam, per reflexionem, quidditativam exprimere explicato solum termino.

11 Resp. 3 ipsi P. Hurt. & P. Arr. ac P. Ovied. n. 1. & 3 S. totam entitatem animalis, & rationalis eminus visi cognosci clare & distincte, solum tamen sub expressione, & in ordine ad sensationes tantum, & ideo sub nomine tantum *animalis*, non vero *rationalis*; quia hoc nomine solum exprimitur per ordinem, & connotationem ad ratiocinationes, quæ tunc non cognoscuntur. Unde nil latet obiectivę entitatis, sed solum connotata realiter distincta latent, scilicet operationes humanæ, in ordine ad quas non exprimitur per ly *animal*.

12 Contra 1, Quia eo ipso quod cognoscatur ea in ratione clare in ordine ad sensationes, non vero in ordine ad ratiocinationes, evidenter sequitur, quod prior ordo clare cognoscitur, posterior vero non cognoscitur clare; cum tamen, vterque ordo sit identificatus. Ergo nō vitantur contradictoria, quod idem clare cognoscatur, & non cognoscatur clare. Quod si dicas; cognosci etiam clare ordinem ad ratiocinationes, sed non per expressionem earū, scilicet per *rationale*, sed per expressionem sentationum, scilicet *animal*; hinc fit

13 Contra 2 Ergo virtus, ordo & connexio obiectiva illius animalis cum ratiocinationibus, clare expresse & explicite obiective attingitur per nomen *animal*, non minus quam ordo ad sensationes. Ergo potero rationem reddere de ordine & connotatione ratiocinationum, per expressionem *rationalis*, si velim attendere, & explicare rem conceptam, vt quidditative mihi obijcitur; non minus, quam cum in definito explicare volo definitionem. Quod tamen patet fieri non posse circa animal eminus visum, explicando rationale.

14 Contra 3, Quia expressio, *rationale*, nihil aliud est, quam vox clare expresse, & explicite significans ordinem, & virtutem viventis ad ratiocinationem. Sed per vos nomen *animal* ita clare expresse & explicite significat ordinem, & virtutem illius viventis eminus visi, ad ratiocinationē. Ergo expressio, seu vox *animal*, erit expressio seu vox *rationale*: quo quid falsius?

15 Contra 4. quia etiam connotata

tata rationalis, vt talis, deberet cognosci per illam expressionem animalis. Quia eo ipso quod ordo intrinsecus, seu connexio realis cum aliquo termino clare, expresse, & explicite, vt talis cognoscatur, debet ipse terminus simpliciter, & clare cognosci: *relativa enim sunt simul cognitione, ex Arist.*, vnde non possumus cognoscere omnipotentiã explicite, vt talem, quin simpliciter cognoscamus creaturas, neque Patrem vt talem expresse cognoscere possumus, quin Filium cognoscamus. Sed per vos cognito eminus animali, cognoscitur ordo ipsi identificatus ad ratiocinationem tam clare, & expresse, quam ordo ipsius ad sensationem, Ergo terminus illius ordinis, scilicet ratiocinatio, tam simpliciter cognoscitur, quam sensatio; ac proinde etiam tã clare rationale cognoscetur, & explicite exprimetur tunc per expressionem *animalis*, ac ipsum animal.

16 Contra 5. quia multoties non suppetit hos connotatorũ effugiũ, quando scilicet duæ formalitates habent idem connotatum physicũ reale, vt evenit in omni differentia pure contractiva, & non extractiva, v.g. differentia individuali, & in taleitate entis. Quod declaratur exemplo en 4 Quando cognosco eminus hominẽ advenientem, quin cognoscam esse Petrum, illum cognosco per ordinem ad operationes, & propietates humanas, & solum non cognosco taleitatem individualem, seu Petrinam earum operationum, & propietatem. Iũc sic. 1. Ergo cognosco eas propietates, & non cognosco earũ taleitatẽ connotatam, ipsis identificatàm, a qua proinde obiective prescindam 2. Ergo quod Petrus tunc non cognoscatur, non provenit ab eo, quod non cognoscatur aliquod connotatum Petri, distinctum à connotato hominis.

17 Contra 6. Quia potest sæpe cognosci entitas prædicati, eiusque connotatum, quin cognoscatur ordo, seu connotatio ad illud; v.g. video equum a longe venientem; & & audio etiam hinitum, dubitans tamen, an ab illo, vel alio obiecto oriatur. Tunc quidem certo cognoscitur entitas equi, & connotatum illius, quin tamen ordo ad illud certo cognoscatur; cum de illo dubitetur, imo negari possit esse equum, & habere ordinem ad hinnitium. Ergo quia non cognoscitur ordo ad hinnitium in illo ente, licet entitas illius, eiusqve connotatum cognoscatur certissime.

14 Resp 4. ipsi DD & P. Alph. P. Quinos &c. omnes differentias *rationalis, hinnibilis* &c. certo, & clare cognosci, sed sub expressione generica, scilicet sub nomine communiori *animalis*; vnde solum deficit expressio alia specialis ex parte actus, seu nominis propij specifici, scilicet *rationale*, quo magis clare ex parte actus, exprimitur id ipsum, quod ex parte obiecti vere & simpliciter cognoscebatur.

19 Contra 1. Quia si vere, & simpliciter cognoscatur ratio-

ex parte obiecti, non erit cur potius excitata sit in mente cognitio, & expressio generica *animal*, quam specifica, *rationale*: cum operationes illius obiecti, seu media & signa excitativa specierum ad cognitionē illius, physice connectantur cū tota ipsius entitate, & consequenter per vos nēn minus sint signa physica illius, secundū *rationalitatē*, quam secundum animalitatem; alias in signis redibit contradictio, quod sint signa *animali s*, non vero *rationalis* identificati: ergo quod tunc nen excitetur expressio specifica, oritur ex eo quod in signo, scilicet in actione & motu progressivo, cognoscatur ordo actionis ad principium suum *vt est animal*, nō vero cognoscatur ordo identificatus ad ipsum principium, *vt est rationale*; quæ est formalissime præcisio obiectiva vnius ordinis ab alio, in eo signo, seu motu.

20 Contra 2. Quia vt bene ait P. Rhodes, species amentiæ videtur, contendere, quod a nobis in homine a longe viso cognoscatur obiective rationale, sub expressione generica, & in Deo omnis perfectio & idea & actus liber in particulari, sub expressione tamen cōmuni; licet de illis sub expressionibus particularibus rationem reddere non possimus: hoc enim modo contendere quivis poterit. 1 se scire obiecta omnia scibilia in particulari, sive omnes scientias, & scientificas veritates; omnia possibilia, etiam & futura; licet sub expressione communi, scibilis vt sic, sub qua ratione redēre specialiter nequeat. 2. Se videre medio die stellas, vel omnia visibilia, quantū cumque distantia, etiam in alio hemisphærio, vel in centro terræ latentia; eo ipso quod videat vnam muscam, sub ratione visibilis, communi ad omnia visibilia, licet ea non possit digito monstrare, vel sub expressione peculiari rationem reddere. Et sic millia similia absurda a quovis excogitari possent, si semel admittatur rem cognosci posse, quin possit ratio de illa reddi. Cū tamē haberi mente cognitionem, & redditationem de aliquo, dicantur ad convertentiam; ratio enim nihil est aliud quam mentis cognitio. Ubi certe non possum his Nominalistis, contendentibus, se cognosci ea, de quibus rationem reddere nequeūt, non accomodare, joculare dictum cuiusdam Senis satis noti, excitate summa laborantis, qui tamen melius se habere dicebat identidem; quia licet nihil ipse videret, se tamen ipsum videre ancilla ministrans testabatur.

21 Contra 3. Quia tunc solum locum haber, quod obiectū idem cognoscatur per vnam expressionem, non vero per aliam, quando cognoscens ignorat expressionum seu nominum significationem; vt qui negāt definitionem, concedens definitum, aut qui negat veritatem sub voce græca, quam minime callet, cōcedens sub latina vel hispana sibi nota. At vero cognita significatione expressionum, & vocum, si per eas

cas idem met obiectū exprimatur, seu significetur; impossibile est, quod qui earum expressionum obiectum cognoscit, possit illud per vnam earum v.g. *latinam* explicare, & per aliam, scilicet *hispanam*, non possit. Sed expressiones, *animal*, & *rationale*, habent per vos idem obiectum, & ab omnibus earum significatio optimè scitur. ergo impossibile erit, quod qui per expressionem, *animal*, sciat explicare naturam a longe venientis, non possit etiam per expressionem, *rationale*; si obiectum solum differat quoad expressiones illas.

22 Contra 4. & efficacissimè in re penitus prudentiali, & quasi lite defacto, an hoc a nobis videatur seu cognoscatur, in obiecto nec ne? In qua solum, productis testibus res est convincenda. Sed omnes Scholæ Reales, ab Aristotele ad S. Th. & Scotum; & totus orbis sapientium, vt ita dicam, paucis Nominalibus exceptis, testantur minimè defacto concipi, aut videri in animali a longe viso, ea de quibus rationē reddere nequeunt. Ergo illis contra Nominales lis erit adjudicanda a quovis prudenti judice. Quæ omnia mihi videntur demonstrativa, non minus quam reliquæ Philosophiæ experimentales Demonstrationes.

Sect. 2. Aliæ Probationes.

23 Prob. 2. a priori: supponendo, conceptum obiectivū rei nihil esse aliud, quam illius essentiam, seu definitionem; quæ ideo appellatur cōceptus primus, seu primarius, quia est quod primo apprehenditur, & concipitur pro esse illius rei essentiali, & immobili. Unde propterea primus conceptus, quem de quovis re, ac veritate formamus, seu mente apprehendimus, quasi immobiliter retinetur, tamquam obiectiva essentia rei conceptæ. Tunc sic. Conceptus obiectivus rei est ille, qui tantum obiective attingitur, tā quam essentia rei, quæ concipitur. Sed non omnia prædicata identificata pertinent ad essentiam, seu definitionem, & primarium conceptum rei: aliàs nullum esset prædicabile in quale extra essentiam; quale sunt omnia attributalia, quæ pertinent ad Proprium, quartum Prædicabile; & omnia etiam contingentia, vt differentialia respectu rationis communis, quæ respectu illius pertinēt ad Accidens, seu quintum prædicabile. Ergo conceptus obiectivus cuiuscumque rei attingitur, seu mente concipitur sine illis prædicatis, etiam identificatis, quæ extra illius essentiam, definitionem, seu primarium conceptum esse concipiuntur.

24 Confirm. Quando concipimus quemcumque gradum superiorem, v.g. vivens, *substantiam*, vel *ens*; illū obiective concipimus tamquam aliquid obiective commune secundum suam definitionem vnivocam, secundum quam dici possit de omnibus speciebus inferioribus. Atqui si in illo obiectivo communi conciperentur differentiæ inferiores identificatæ,

tæ, illud de omnibus speciebus dici non posset; quia differentiæ solum de sua propria specie, non vero de alijs sub conceptu communi contentis, dici queunt. Ergo conceptus ille communis obiectivus omnino a differentijs identificatis præscinditur, sive obiective sine illis concipitur.

25 Prob. 3. etiam a priori: supponendo ex d. 64. n. 16, contra antiquos Nominales, quos Arist. S. Th. S. Anselm, & alij PP. apud citatos DD. reprehendunt, Vniversale non dari tantum in vocibus, sive expressionibus, sed vere in obiectis ipsis reperiri, cum prædicationes vniversalium veræ, & scientificæ sint, & non solum apparentes, & quasi illusoriæ secundum voces: id quod ipsi PP. Nominalistæ minus advertenter passim supponunt. Atqui Universale solum esset in vocibus, minimè verò in obiectis, & rebus obiectivis nisi illius obiectivus conceptus præcinderetur a differẽrijs, eaque minimè obiective involveret; cum minimè posset vnitatem vllam obiectivã habere, si ipsas differentias plurificãtes conceptum secundum quod præcisioni mentis obijcitur, importaret. Ergo secundum quod ita obijcitur menti, Vniversale obiectivum differentias plurificantes non importat, vt cognitas per ipsam mentis præscissionem: in quo sita est obiectiva præscissio.

26 Confir. Quia similiter non daretur conceptus, vel terminus vnivocus, vt a termino æquivoco distinguitur, nisi obiective a pluralitate differentiarum præscindatur. Si enim illam importet, non minus terminus *animal* differentias obiectivas in ratione significata per nomen involvet; quam terminus æquivocus *Canis*; vt amplius vrgebitur d. 82. circa obiectum Vniversalis. Ergo, vt vnivocatio, & vniversalitas non solis vocibus constet, obiectiva præscissio prorsus est necessaria.

Quod autem dicunt Adversarij: Nominales solum fuisse reprehensos; quod in vocibus oris materialibus vniversale constituerint, indignum est, vt a Sapiente dicatur. Tum quia de vocibus, vt significativis nihil affirmatur, nisi in quantum supponunt proconceptibus mentalibus. Tum quia de solis vocibus mentis præcipua est, imo vnica, disputatio circa Universalia, vt pote ad Metaph. præsertim spectans; imo etiam licet ad Logicam spectaret, iuxta d. 46. & d. 15. n. 20. Scientijs enim nõ est cura de vocibus oris. Tũ quia S. Anselm. ea d. 74. n. 16. non propter voces, sed propter *intelligentiã*, Nominales aperte reprehendit.

27 Prob. 4. supponendo principiũ aliud irrefragabile, quod intellectus minime per dissensum suum negare potest prædicatum, quod in conceptu obiectivo subiecti apprehendit, aut concipit, alias dissentiretur vero, vt vero, sive essentiæ, aut inessentiæ obiecti, vt sibi repræsentatæ tanquam veræ: quod implicat, non minus quam odio habere bonum, vt bonum; quia vbique extraheretur actus extra sphæram

fui

sui obiecti. Unde, quando quis negat definitionem de definito, vt Rusticus negare potest *animal rationale* de homine; ex duplici capite oriri potest. Uel ex eo, quod non calleat significationem Terminorum, quo pacto etiam Philosophus definitumi psum de ipso met negare potest, si ignoret vocum significatum dicens, *Petra non est lapis*. Uel quia distinctum conceptum & definitionem formaret de obiecto: sic enim passim in Scholis, negat vna definitionem ab alia Schola recepram definito conuenire, ex d. 30. n. 18. Si vero significatio terminorum percalleatur, & definitio seu conceptus obiectiuus termini accepiatur; impossibile est, quod prædicatum apprehensum in obiectivo conceptu termini de ipso negetur ab intellectu.

Tum sic. Arqui multoties ab intellectu negantur de subiecto prædicata ipsi subiecto identificata, vt cũ Etimici negant immaterialitatẽ animæ rationalis, Angeli incorporeitatem, Dei vnitatẽ; & aliquãdo etiã Theologi prædicata, quæ forsãsse identificata sunt ipsis subiectis, negant; vt Deo scientiam Mediam, actus liberos omnino intrinsecos; Angelo & Animæ intellectum indistinctum, &c. Ergo tunc ex parte subiecti apprehensi, non concipiunt obiectivé intrinsecé ea prædicata identificata ac proinde ab illis subiectum obiectivé præscindunt.

28 Urgetur. Quæ primo apprehenduntur ex parte subiecti virtualiter ita de illo affirmantur, vt de ipso negare simul nõ possimus; sicut evidenter primo apprehensa v. g. lux visa, non potest simul negari, non minus quam si fuissent per judicium affirmata. Ergo quæcumque a nobis negantur non sunt primo apprehensa ex parte subiecti. Sed sæpe negantur prædicata identificata, vt vidimus nuper: ergo non fuerunt apprehensa nec cognita ex parte subiecti, ac proinde per apprehensionem hoc fuit obiectivè præcisum ab illis; cum fuerit cognitum, non cognitis prædicatis sibi idẽtificatis.

29 Prob. 5. ab actibus intuitivis, qui etiã possunt obiectivè præscindere, vt dicam *in lib. de Anima*. Ergo pariter abstractivi, qui multo magis abstrahere, seu præscindere possunt. Anteced. ibi probo.

Primo experientia sensuum, v. g. visus, qui percipit, *lucem, ovum*, & alia, secundum gradum specificum, minimé vero secundum individualem, vnde si sint sensibiliter omnino similia; nec sensus, nec intellectus ipse, percipere valet individualem differentiam, vt in ovo insensibiliter subrogato pro alio, & in radijs lucis, qui singulis momentis immutantur per mobilitatem aeris, & solis, nec discernuntur. Ergo videtur, seu discernitur gradus specificus, quin discernatur individualis. Nisi velint Nominales, tunc videri a nobis, quæ non videntur; sicut volunt cognosci in animali a longe viso, quæ non cognoscuntur, seu de quibus ratio nulla reddi potest

test, ex *sect. præc.* sibi illudentes.

Secundo, exemplo visionis beatæ intuitivæ, quæ non videt in Deo omnes Ideas, & continentias possibilium; alias omnia possibilia videret Beatus, & omnipotentiam exrẽ sivé saltem comprehenderet; contra consensum Theologorum, inde Durandum condemnantium: cum impossibile sit videre continentiam, seu vim productricem singulorum possibilium, & non ipsa evidenter cognoscere. Item neque videt Beatus in Deo omnia decreta libera, & præsertim circa diem judicij (*de quo nec Filius hominis scit*;) cum tamen sint entitative Deo viso identificata. De quibus sapienter agit sapienss. juxta ac Ven. Exprov. P. Dicac. de Avendaño *tom.* 1, *Problem.* 4 *n.* 563. & 604. Ergo ea intuitiva visio beata Deum visum ab illis prædicatis idẽtificatis, non visis, nec sibi noris, obiective præscindit. Mitto alias probationes RR. de visione oculari, non attingente rationem *entis, qualitatis &c.* propter dicenda n. 43.

31 Prob. 6. A divisione distinctionis rationis, in distinctionem *rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ*, ab omnibus recepta, cum Arist. S. Thom. Scot. Quia absque dubio maiorem quodammodo distinctionem experimur inter gradus methaphysicos superiores, & inferiores, v. g. *animal & rationale*; quã inter definitionem, & definitum; subiectum & prædicatum, vt ex cõsensu scholarum tradunt P. Suar. d. 7. s. 1, P. Fonseca lib. 5, c. 6. q. 6. s. 3. PP. Conimb. q. 4, a 2. & alij passim. in Meth. Sed huius, duplicis distinctionis alia esse, vel excogitari ratio non potest, nisi, quod distinctio *ratiocinantis* est, quæ non habet fundamentum obiectivum, sed omnino se habet in vocibus, seu expressionibus, qualis est inter definitum, ac definitionem, quæ solum penes implicitum, & explicitum, sive minore, maiore ve expressione obiectum distinguit. E contra vero distinctio *rationis ratiocinatæ*, distinguit cum aliquo fundamẽto obiectivo, scilicet obiectiva separabilitate virtuali, vt vna formalitas attingatur, alia minime tacta vel cognita. Ergo.

Quod autem dicunt Nominales: distinctionem rationis ratiocinatę esse; quæ per falsam fictionem fit, negando v. g. *animal esse rationale*: rationis vero ratiocinantis, quæ per puras expressiones, dicendo, animal non esse rationale formaliter: insufficiens est. Tũ quia distinctio falsa ad Scientiã deservire non potest. Tũ quia distinctio solius expressionis etiam inter definitionem ac definitum intercedit. Ergo aliqua alia maior restat distinctio, scilicet obiectiva.

32 Prob. 7. A formalibus reduplicationibus, passim scholarum, & scientiarum vsu receptis. v. g. *Deus per iustitiam punit formaliter, non per misericordiã: per intellectũ cognoscit, non per voluntatem. Per hanc amat non per illum. Item homo, vt rationale, discurrit, non vt animal: vt vegeta-*

tivum

tivam nutritur, non vt sensibile &c. Vbi ex parte veritatis obiectivæ dèbet non attingi in subiecto prædicatum, quod de illo negatur; alias falsa esset negatio, iuxta n. 27. cum tamen ipsum prædicatum materialiter, ideſt identicè, physice, & realiter sit subiecto identificatum. Ergo quia subiectum ab illo obiective præscinditur.

Quod enim dicunt Nominales: prædicationes illas supra ipsas expressiones, & voces reflectere, atque ita vere vnam expressionem de alia negare, manifestè reijcitur. *Tum* quia hoc modo definitio de definito in sensu formali negari posset, propter diversas, & distinctas vocum expressiones. *Tum* quia etiam sinonyma possent ad invicem negari in hoc sensu reflexivo supra voces; ita enim quoad voces; *petra* non est *lapis*. *Tũ* quia ita non solum in sensu formali, sed etiam in physico reali, vna formalitas, posset negari de alia, immo & eadam de se ipsa, si per distinctas realiter expressiones significentur; cum hæ physicè distinguantur, & supra illas cadat reflexio prædicationis formalis vnde vere, & realiter poterit negari definitio de definito; & misericordia divina de justitia, & Divinitas ipsa de Deo, contra definitionem Concilij Rhemensis, statuentis contra Gilbertũ, *Quod in nullo sensu Catholico potest negari quod Divinitas sit Deus*. Tum demũ, quia in sensu ipso formali falsũ erit, quod Homo realiter sit animal rationale, Deus sit Divinitas &c Cũ vna expressio vocalis nõ sit alia.

33 Prob. 8. speciosò, & speciali exemplo ex Sacramento pœnitentiæ, de quo late P. Dicast eo n. 750. Pro quo suppono, quod in casu summæ necessitatis, aut oblivionis, potest absolvi pœnitens confessus peccatũ incõmuni, dicens, v.g. peccavi. Tũc peccata in particulari absolvũtur tantũ indirectè, ideſt nõ, ex vi directæ significationis formæ, sed ex physica efficacia gratiæ: quia debẽt iterũ subijci clauibus, seu confessioni, elapso eo casu; quæ autem ita denuo absolvenda sunt, indirectè tantum fuerant absoluta, sicut peccata reservata, ac oblita (vt ita dicam) & iustè occultata. Vnde solũ peccatum in communi tunc absolvitur directè; non est enim alia materia, supra quam directè cadat absolutio, vt necessarium est pro vera significatione formæ sacramentalis. Tunc sic. Peccatum in particulari tunc nõ absolvitur directè; peccatum vero in communi directè absolvitur. Hinc 1. Ergo duplex contradictorium obiectivo peccato secundum duplicem formalitatẽ convenit, scilicet *absolvi & non absolvi directè*, sicut cognosci, & non cognosci. 2 Ergo absolutio directa præscindit peccatum in communi, quod directè tangit, a peccato particulari, quod directè non attingit.

34 Resp. P. Arr. d. 36. *de parit s.* 1. Quoad nos nihil tunc directè absolvi, cum omnia peccata, in quibus involvitur peccatum ipsum in cõmuni, subijcienda sint iterum clavibus

vibus; quoad Deum vero, & rem ipsam, omnia absolvi directe, cum omnia remittantur per gratiam, æquè physice peccatum in particulari, ac in communi expellentem.

Contra Quia cũ absolutio fiat per formã, *Te absolvo*, humano modo judiciali significativam; sententia autem judicialis solum feratur directe circa causam Judicis jurisdictioni subiectam, & in Tribunali suo discussam; consequenter sine materia directa veritas formæ non subsisteret. Unde qui sola reservata confiteretur, non posset a Sacerdote nõ non habente juris dictionem valide absolui, cum onere cõparendi Prælato, nisi aliquod non reservatum adjungeret, supra quod directe verificaretur, Ly. *Te absolvo*, vi suæ jurisdictionis. Cum ergo solum peccatum in communi tunc fuerit subjectum, & quasi discussum in Tribunali, solum circa illud vi significationis potest proferri sententia direct, & quoad nos, & quoad Deũ. Nec obest, quod re ipsa physicè omnia remittantur per gratiam: similiter etiam in Eucharistia physice ponitur totus Christus D. quoad animam, Divinitatem &c. non tamen vi verborum, sive ex directa significatione formæ, sed ex physica vi unionis. Nec item, quod postea peccatum in communi subjiciatur, vt inclusum in particularibus, quæ ab illo præscindi non possunt; illud enim solum per accidens tunc subjicitur, eo quod specialia peccata sine ratione communi peccati concipi, & explicari non possint, sicut deberet subjici per accidens peccatum alias directissimè confessũ & absolutum, si non posset sine illo explicari aliud denuo commissũ v.g. nova complacenti in peccato confesso, vt a se facto. Ergo.

35 Prob. denique 9 ab hom. cõtra P. Arr. Ioanniz, & aliquos R. R. qui admittunt præscisiones objectivas, circa prædicata divina, vbi est distinctio virtualis rigorosa v.g. Deitatem, & Personalitatem: quia dum dico, *Deitas communicatur*, ex parte subjecti non attingitur personalitas: alias de illa affirmatè, quod *communicatur*: similiter cum dico, *Personalitas producitur*, non attingitur Deitas, alias de illa affirmarem productionem; & sic falsificarentur verissimæ propositiones fidei. Tum sic dupliciter,

Primo, Ergo pariter dum dico, *Misericordia formaliter non punit*, nõ attingitur ex parte obiecti vi subjecti, *Iustitia*, alias vere de hac negaretur quod formaliter punit; cũ tamen vere formaliter affirmetur quod ipsa punit.

Secundo, quia sicut virtus ad vnum effectum, formaliter non cõcurrit ad alium, v.g. virtus calefaciendi in igne non concurrit formaliter ad lucem: virtualitas, obiecti divini ad *produci & non produci* (quæ virtus quædam est) non se habebit formaliter ad *cognosci*, & *non cognosci*: quia hic effectus correspõdet soli virtualitatis conceptibilitatis per distinctas definitiones, essentiales, vt dicam n. 41. Sed con-

cep-

ceptibilitas hęc communis est aliis formalitatibus, in quibus nō intervenit distinctio virtualis rigorosa circa contradictoria physica; ergo & illis communis erit distinctio virtualis non rigorosa, ad prædicata intentionalia, sive *cognosci*, & *non cognosci* per obiectivā præcisionem.

Sect. 3. Obiectiones.

36 Obij. 1. ex P. Hurt. n. 94. S. Thom. opusc. 9. a q. 1. ad 4. vbi defendens propositiones Petri de Tarantasia in Deo attributa multiplicantis, asserit, illa ab ipso distingui *solum ratione secundum conceptiones intellectus nostri.* Item ex parte obiecti solum poni *fundamentū veritatis* seu *fulcimentum*, distinctionem vero ipsam *ex parte actus, quin distinctio, vel diversitas actus, repræsentet distinctionē, vel diversitatem in obrecto.* Quod sæpe alibi reperit S. D; & ex eo Caietan. P. Suar. P. Vazq. *supra*, & plerique Antiquiores. Ergo tota distinctio, & præscisio formalitatū se habet ex parte actus, minime vero ex parte objecti, ac proinde non erit obiectiva præscisio.

Resp. a S. Thom. reliquis quę DD. id tantum asseri, quod nos *d. seq.* contra Scot. asseremus, scilicet ex parte obiecti, prout a conceptu formali distincti, nullam dari obiectivam formalem actualem distinctionem, vel præcisionem qua vna formalitas sit extra aliam obiective, sicut vnum ens actualiter physice est extra aliud; alias distinctio obiectiva rationis esset physica. Vide ex parte obiecti solum dari virtualitas formalitatum, seu formalitates virtualiter tantum distinctas inter se, quatenus habent vnitatem, vt per modū plurium vna tradi alia attingatur. Itaque quod hæc virtualitas sit vna, & alia formaliter, sive formalis distinctio, omnino proveniat ab actu formali, sive cognitione, per quam vt pluries formaliter concipiuntur, & in qua fundatur negatio realis exclusiva vnius a conceptu formali alterius. In qua negatione consistit essentia distinctionis, vt d. præc. n. 39. dixi & rursū d. seq explicabitur. Et ita cessat tota æquivocatio circa intelligentiam Ang. D. & aliorum Antiquiorum.

37 Obij. 2. Per actum præscindentem, vt potè verum, debet attingi obiectum, prout est vere in se & a parte rei, alias esset falsus, contra illud: *Abstrahentium non est mendacium.* Sed a parte rei est obiectum indivisibiliter tota sua entitas. Ergo attingitur per actum præscisivū secundum totam suam entitatem, ac proinde secundum omnes suas formalitates quin possit vnam attingere & aliam non attingere.

Resp. dist. mai. per actum præscisivum verum debet cognosci obiectum, prout est vere a parte rei, idest, adæquate, vt a parte rei est, nego: in adæquate & saltem secundum aliquid, quod habet a parte rei, concedo. Ad veritatem cognitionis non requiritur quod totum obiectum secundum totum, quod habet cognoscatur, sic enim vere cognosco & video cęlum, & terram, licet non omnes eius partes videam, & similiter vere vide-

mus Petrum, licet eius pedes, aut manus deliteſcant. Quia aliud eſt cognitionem eſſe inadæquatam, aliud eſſe falſam. Solum enim falſa erit, ſi neget poſitive alias partes obiecti, præter eas, quas attingit, nō vero ſi vnas repræſentet, & ab alijs tantum repræſentandis abſtineat, ſive de alijs taceat, & præſcindat. Et ita ſe habet præciſio intellectualis circa obiectum etiam indiviſibile, quia cum illud virtualiter ſit diviſibile in ordine ad intellectū, poteſt ſecundum virtualitatem vnius non vero alterius formalitatis cognoſci; & ſic inadæquate conci pi, ſemper tamen vere.

38 Obij. 3. quando cognoſcitur animal à longe v. g. motivum cognoſcendi eſt actio progreſsiva; ſed hæc movet ad cognoſcendam totam entitatem, cum a tota proveniat, & cum tota proinde connectatur actio illa realiter, ergo tota entitas cognoſcetur.

Reſp. diſt. min. ſed ea actio movet ad cognoſcendam totam entitatem, ſi actio cognoſcatur adæquate, & ſecundum differentiales talei tates, conc: ſi cognoſcatur (vt tunc cognoſcitur) tantum inadæquate, & ſecundum conceptum communē motus progreſsivi per viſionem præciſivam, juxta n. 29. nego: quia vt ſic ſolum petit principium etiā commune ſenſitivum, indifferens ad hominem & brutum.

39 Obij. 4 quando cognoſco explicite definitum, v g. homo, cognoſco tantum implicite definitionem, *animal rationale*, vnde hæc non cognoſcetur explicite. Sed tamen definitum non præſcinditur a definitione: ergo pariter licet cog cognoſcatur explicite animal, & non explicite rationale, non ideo illud ab hoc preſcindetur obiective, iure contradictionis.

Reſp. neg. mai, & ſuppoſitum quod definitum cognoſcatur explicite per ſuam expreſsionem, ſed ſolum per definitionem ipſam; vnde eodem implicito modo hæc in illo, & è converſo per Ly *Homo* cognoſcitur; quia contradictio obiectiva vtrique poſsit convenire.

40. Obi. 5. Animal non minus identificatur cum rationali, quam ſecum ipſo. Ergo vt poteſt a rationali obiective præſcindi, etiam a ſe ipſo poterit.

Reſp. neg. âns; quia a rationali diſtinguitur virtualiter intentionaliter, vt dicam ſect. ſeq. a ſe vero minime. Et ſicut iuxta Adverſ. pe nes expreſsionē a ſe ipſo non diſtinguitur, bene tamen a rationali; ita neque obiective diſtinguetur, defectu prædicti fundamenti obiectivæ virtualitatis circa ſe.

41 Repl. Non eſſe aſsignabile fixum fundamentum huius virtualitatis, pro vnis expreſsionibus, vel formalitatibus, potius quam pro aliis, Ergo.

Reſp quatuor fundamenta, ſeu ſigna communiter deſsignari. 1. cō notationis terminorū diſtinctorū. 2. æquivalentiæ pluribus vt diverſis. 3. convenientiæ & diſconvenientiæ. 4. Separabilitatis, v. g. quod animal ſeparetur a rationali

in

in bruto &c. Sed quia hæc signa varias limitationes, & exceptiones admittunt; ad vnum fixum fundamentum virtualitas distinctionis obiectivæ est redigenda; Scilicet, ad obiectivam definionem, in qua consistit primarius conceptus obiectivus cuiuscumque rei, vel formalitatis, de quo n. 53. Vnde quando vnus conceptus non definitur per alium, nec proxime, nec remote, erit virtualiter obiective distinctus ab illo. E contra vero si per illum definiatur. Quia quod est de definitione rei, est de essentia, & primo cõceptu illius; non potest autem res concipi nec præscindi a suo conceptu essentiali, alioqui illius conceptus non esset. Et hinc patet totum fundamentum seu signum præscisionis obiectiuæ esse multiplicem formalitatum, seu virtualitatum definitionem. vti S. Th. Scot, & alij DD. supra laudari decernunt.

42 Quod si petas signum distinctionis secundum expressionem, seu solius rationis ratiocinatæ. Illud e converso erit, quãdo sub vno cõceptu obiectivo, sive definitione obiecti, vna expressio illius, sit vel diversa vel clarior alia: vt contingit inter definitionem & definitum, quia illa exprimit prædicata, quæ implicite, & quasi latenter in definito continebantur; & inter subiectum & prædicatum diverso modo significatum ex d. 7. n. 2. Vnde cum hæc diversitas, vel major claritas non intervenit, erit sola distinctio synonyma, vocum, non rationis, neque conceptus mentalis.

43 Obijc. 6. dificulter. Visio sensitiva, & intuitiva oculorem attingit explicite colorem, v. g. albedinem, nigredinem &c. & non attingit explicite rationem *entis, accidentis, & qualitatis*, quia explicita expressio earum rationum solum pertinet ad intellectum, cuius est cognoscere essentias in esse entis. Sed nihilominus non præscindit obiective rationem coloris a ratione *entis, accidentis, & qualitatis*. Ergo pariter, licet cognitio intellectualis cognoscat explicite animal, & non cognoscat explicite rationale, non ideo ab hoc illud obiective præscindet.

Min. prob. contra plerosque RR. cum P. Leon. T. 1. tr. 6, d. 21. n. 6. P. Strauden. p. 1. n. 35. & 36. &c. quia impossibile est quod obiectum quod cumque realiter attingatur per actionem quamcumque sive physicam sive intentionalem, & quod eius essentia eodem prorsus modo non attingatur; quia cum essentia sit ipsissimummet obiectum, cuius est essentia, impossibile est quod de ipsissimo, & eius essentia duo contradictoria realia verificentur: essent enim omnino eiusdem de eodem nõ solum realiter, sed enim formalissime. Unde si de albedine, v. g. verificatur quod obiectivè realiter videtur per visionem ocularem, non potest non verificari quod eius essentia realiter obiective videtur. Sed de essentia albedinis est ratio entis, accidentis, qualitatis &c. ergo om-

nes hæ rationes realiter videntur, cum color ipse videtur realiter.

Resp. neg. maj. eiusque suppositum; quod per visionem ocularem, & quamcumque cognitionem sensitivam, licet claram, & expressam, sive intuitivam, cognoscatur explicitè illius objectum, sive color, lux, sonus; &c. Quia modus cognoscendi explicitè est quidditativus, sive explicativus quidditatis implicitæ objecti, qui proprius est solius intellectus quidditativè, & secundum conceptus essentiales verum vt tale attingentis. Vnde solum implicitè poterit sensus attingere essentiam sui obiecti, idest non per expressiones explicitas quidditatis vt talis: sicut adhuc ipse Terminus formalis, *Homo*, licet intellectualis, non cognoscit explicitè definitum, juxta n. 39. quia non explicat illud per expressiones quidditativas essentiæ implicitæ, sed hanc tantum attingit vt inclusam essentialiter in definito, & explicabilem per definitionem. Cũ ergo sensus eo implicito modo sub albedine, sono, &c. attingat quasi inclusam essentiam sui obiecti, vt explicandã, & evoluendam explicitè solum per definitiones intellectus, cujus solius est illas rationis abstractas essentiales, entis qualitatis, &c. exprimere; hæ minimè explicite per sensum, sed solum per intellectum attingi poterunt; ac proinde & eodem modo ipsum definitum sive albedo, sonus &c. tum a sensu implicite, tum a solo intellectu explicite attingentur, & sic cessat tota cõtradictio maj.

44 Replic. 1. saltem visio ocularis cognoscit clare, intuitive, & expresse albedinem; sed non cognoscit clare & intuitive rationẽ *entis, qualitatis &c.* Ergo.

Resp. dist. min. sed non cognoscit clarè & intuitivè rationem *entis qualitatis*, &c. sub hoc nomine, & expressione quidditativa, quæ propria est intellectus, concedo: sub expressione sensitiva, non quidditativa ipsius *albedinis*, inqua etiam implicitè essentialiter involuitur eius quidditas & consequenter *ens qualitas*, &c. n ego. Constat ex dictis.

45 Replicas 2. etiam in albedine involuitur essentialiter ordo multiplex, *tum* ad potentiam visivam, cum per ordinem ad illam essentialiter definiatur, scilicet, *quod sit qualitas disgregativa visus*: *tum* ad subiectum: cum essentialiter referatur ad subiectum suæ inhæretis, in quantũ est accidens, quod definitur *ens inhæsibile*; *Tum* ad suas causas in quantum est ab illis dependens. Unde omnes hos ordines & relationes potentia visiva attingit. Ergo etiam attingit & cognoscit terminos relationis, quia *Relativa sunt simul cognitione*, sicut propterea diximus num. 15. in animali a longe viso videndas ratiocinationes, quia videtur ordo ad illas, juxta Nominales.

Resp. concesso antecedi quoad ordines, qui fuerint essentiales (quia de ordine ad causam extrinsecam alibi

alibi nego esse essentialem) de quibus poterit reddere rationem Intellectus, reflectendo supra ipsum esse sensibile, quod videt; absque noua alia specie: *negando conseq.* quia vt cognoscatur Terminus cõnexionis, non sufficit quod implicite ordo seu connexio attingatur nisi explicite, & quidditative, vt talis, siue vt relativa cognoscatur. Et propterea contra Nominales intulimus, ex animali cognito, cognoscendas ratiocinationes, quia ordo ad illas, iuxta ipsos, non solum implicitè sed explicite deberet cognosci, scilicet eo ipso modo quo ordo ad sentationes attingitur. Cum autem potentia sensitiva quidditative & explicite, vt relativum & sub expressione relativa, eos ordines albedinis non attingat, sed sub expressione albedinis, quæ relationem non sonat, neque exprimit; ideo neque terminos connexionis attinget.

46 Obij. 7. ex dicto R. Si ratio conveniendi obiective præscinderetur a differentijs, posset in Divinis personis ita præscindi ratio personæ per quam conveniunt, vt præscindit à differentijs relativis Patris, Filij &c. Ergo ratio personæ poterit præscindi in Deo obiectivè a relativo cõceptu, & salvari in solo absoluto; qui fuit error Joann. de Ripa a Theologis damnatus.

Resp. errorem Ripæ, vt optime observat P. Leon tom. 2. Tract. 14. d. 33, n. 15 & n. 43. solum fuisse, quod prædicatum absolutum, virtualiter rigorosè tale, scilicet pertinens ad Naturam Divinam communicabilem, pro constitutivo personarum agnoverit, minime vero, quod prædicatum absolutum pure logice, qualiter concipitur ratio personæ præcisæ, taliter constitutivum dixerit, vti dicunt probabiliter Scot. & plures Scotistæ cum & apud Smicing. d. 2. de Trinit. q. 1. a. n. 9. Sed neque cogit obiectio ita sentire, cũ ratio personæ, ex eo quod obiectivè logice præscinderetur a relativo non oppido deberet esse quid absolutum, sed solum præscindens ab vtroque; sicut ex eo quod animal præscindat a rationali, non sequitur esse irrationale; sed potius, quod ab vtroque præscindat. Demum qui cũ S. Thom. communiter rationem personæ in Deo relatione ipsa, vt potè vnico distinctivo, constituunt, facilè negabunt convenientiam vnivocam in Divinis in ratione personæ; quia cum constituatur persona per incõmunicabilitatẽ, & hæc in divinis includat oppositionem relativã, Personæ singulæ in ipsa ratione talis imbibent oppositionem suæ Relationis. Sicut propterea non præscinditur ratio Canis; quia marinus, & terrestris imbibunt diversitatem in ea ratione.

47 Obijc. 8. Rusticus cognoscit definitum; v.g. hominem, quin reddat rationem de eius definitione, imo potius negat esse animal rationale. Sed nihilominus per vos non præscindit a definitione. Ergo pariter licet cognoscens a longe animal in homine, non reddat rationem de

rationali, imo sæpe illud neget, non ideo a rationali obiective præscindet.

Confirm: Etiam homines docti, dum circa definitionem rei dissentium, convenientes in definito, a definitione, quam negant non præscindunt obiective, quia a definitione ita præscindi non potest, ergo neque præscindimus subiectum obiective, a prædicatis identificatis, quæ illi negamus.

48 Resp. neg. maj. cum enim definitio sit de primo conceptu rei, implicat rem concipi sine illa, alias esset & non esset de conceptu illius. Vnde Rusticus negat definitionem de definito, juxta n. 27. vel quia nescit significationem vocum, vnde explicatis terminis non negaret. Vel quia apud se aliâ concipit definitionem, quia vere & quidditativè hominem non cognosceret, sed tantum ex accidentibus externis, ex quibus, sicut bruta, cognosceret hominem. Vnde & ab hoc conceptu, qui sibi hominis definitio est, rusticus hominem non præscinder, quia de hoc redder rationem. Hinc.

Ad Conf. Sicut rusticus per suum errorem, ita Philosophi per suas opiniones distinctas definitiones, & conceptus primarios formant de rebus, vt supra citata d. 30. n. 18. exposui. Vnde dum quis apprehendit definitum, apprehendet implicite suam definitionem, & ab ea non præscinder, sed tantum ab aliena, quam pro conceptu secundario, vel disconveniente rei definitæ apprehenderit. Nec mirum, quod in rerum conceptu metaphysico varia sit hominum apprehensio: cum de morali faciliori nimium quantum varietur, in conceptibus.

49 Obije. 9. ex P. Quiros cum quis apprehendit *omnis formalitas possibilis*, apprehendit etiam obiective omnes taleitates differentiales, omnium intelligibiliũ formalitatũ in particulari; cum omnes illæ sint formalitates formalissimæ. Sed nihilominus non potest de omnibus illis in particulari reddere rationem, alias percalleret omnem scientiam & rediret argumentum nostrum è n. 20. Ergo bene potest obiective attingi aliqua formalitas, licet de ea rationem reddere non possit intellectus; atque ita attinget in animali a longe viso rationale, de quo rationem nequit reddere.

5 Resp. Hic tangi difficultatem celebrem in *Metaph.* quomodo ratio transcendens *entis*, *individui*, *formalitatis*, *intelligibilis*, &c. posset præscindi a taleitatibus differentialibus transcensis, cum formalissime ipsæ taleitates, vt tales maneant essentialiter formalitates *intelligibiles*, *entis* &c. ac proinde debeant intra rationem præscissam includi, & ita ipsam reddere non præcissam. Ex ibi ergo dicendis, *Nota*, in his taleitatibus obiective dari *implicitum*, sive essentiales & transcendentales rationes conveniendi; & *explicitum*, sive exercitam rationẽ diffrendi, solum per vltimam expressionem v. g. *Petreitatis*, *Perfectatis*

&c

&c. explicabilem; quæ exercita taleitas per implicitas tantum rationes convenit, vt ab ipsa, non mutuò distinctas; quia scilicet implicitæ rationes *entis*, *formalitatis*, imò, & *taleitatis* ac *differentiæ vt sic*, possunt sine explicita *Petreitate*, concipi, atque adeo distingui, non tamē mutuò & ecconverso Petreitas sine illis rationibus, vt pote sibi essentialibus, & genericè communibus. Hinc informa.

51 Distinguo maj. en 49. Cum quis apprehendit, *omnis formalitas* apprehendit, taleitates differentiales, &c. secundum implicitum in esse *formalitatis*, cōcedo: secundum explicitum *Petreitatis*, vt explicitè talis, nego: vnde solum potest ac debet reddere rationem de hoc explicito, secundum illam rationem implicitam communem, secundū quā vt est ratio conveniendi obiective attingitur, non secundum explicitū vt exercitè explicitè tale *Petreitatis*, a quo obiectivè præscinditur: sicut ab omnibus taleitatibus scibiliū particularium vniuscujusque Scientiæ; de quibus propter eā præscindens non potest rationem reddere.

52 Obj. 10. Quod datur obiective, & cōdistincte ab actu & operatione mentis, datur physice realiter a parte rei: sed conceptus obiectivus, v.g. animal, per nos vt condistinctus ab actu præscindente datur obiectivè, sine differentijs, rationalis, & irrationalis: ergo ita datur physicè realiter, a parte rei; ac proinde vt vniversale a parte rei.

Resp. ex sæpius dictis, dist. min. & conseq. conceptus obiectivus *Animal*, &c. datur obiective sine differentijs, virtualiter, & respectivè ad præscisionem mentis; concedo: actualiter formaliter, nego. Atque adeo dabitur vniversale a parte rei virtualiter; & nego suppositū, quod hic sit modus essendi a parte rei absolute; quia quod ita existit, actu formaliter physicè datur.

53 Obj. 11. Tota præscisio objectiva fundatur in esse & statu objectivō, quod habet obiectum, prout terminat sive objicitur actui mentis; distincto pro inde ab statu, & esse physico, & materiali, quod in se habet; quia in se est identificatum cum differentijs; in esse vero obiectivo distinctum; in esse, & statu objectivo est ens etiam cū in esse reali nihil est; vt obiectum purè possibile, quod actu absolute nihil est. sed hoc ipsum esse obiectivum non potest consistere, nisi in ipso modo cognoscēdi nostro, quia quod distinguitur ab statu, & esse physico, solum in mentionali modo concipiēdi consistere potest, vt de ente rationis dixi d. 63. Ergo tandem ad modum concipiendi, sive præcisiones formales, redigitur tota præscisio objectiva.

Confir. Quia ille status objectivus nihil est aliud quam status præcisionis, sive obiecti vt est in præscisione. sed præscisio, vt talis est ipse actus mentis, ergo totus ille status obiectivus consistit in ipsa mentis præscisione. Hactenus P. Quiros.

54. Resp.

54 Resp, hic etiã grauissimã tangi difficultatẽ c n. 23. de statu obiectivo possibilitatis rerũ, de quo tam in *Metap.* quã in lib. de An. & in Theologia quæstiones sunt difficillimæ, vt est illa: *quomodo Deus actu in se ipsis purè possibilia cognoscat, cum in se ipsis obiectivè nihil sint, nec aliquod esse obiectivũ actu habeant?* eadẽ quæ est difficultas de esse obiectivo veritatis cõditionatæ pro Scientia media Divina: & sic de alijs. Pro quo supponendum breviter, quod cum intellectus adhuc humanus, habeat mirabilem illam vim, quasi propheticam, præcognoscendi res ante quam sint, consequenter ipsæ res, ante quam sint, debuerunt esse cognoscibiles, propter correlationem essentialem cognitionis, & cognoscibilis. Hoc autem esse cognoscibile, quod res necessario habent ante quam existant, nihil aliud est, quã veritas & connexio essentialis prædicatorum, quæ dicitur possibilitas, seu non repugnantia eorum ad existendum; quæ absolute & actu nihil sunt ante quam existant, nisi solum in veritate conditionata, ideſt, quod si ponantur, taliter erunt sine repugnantia. In quo esse conditionato essentiali consistit omne esse obiectivum cuiuscumque obiecti, cum omne illud debeat esse ens reale, exd. 63. Hoc autem appellatur esse obiectivum *in actu primo*, seu virtuale & potentiale; quia esse obiectivum in *actu secundo*, & de formali importat, vel connotat ipsa modum cognoscendi, respectu cuius tale obiectum est ita attingibile, & verificabile, & per cuius attingibilitatem fit & constituitur in esse obiectivo virtuali, seu conceptibilitate in actu primo.

Hinc dist. maj, argũm. & confirm. *Concedo*, esse obiectivum tum possibilitatis, vt præcise conceptibilis; tum formalitatis, vt obiective præscindibilis, pro formali importare ipsam mentis præcisionem & per illam in actu secundo & formaliter constitui; quod solũ convincit argumentũ. *Nego* vero, quod in actu primo ita se habeat, quia prout sic dicit solum virtualitatem obiectivam, seu capacitatem veræ conceptibilitatis rerum, quæ ipsis convenire debet in ordine ad intellectum, modo explicato, & in Metaph. ac lib. de Anima vberius explicando.

Sect. 4. Obiectio a contradictorijs;
Vbi de Distinctione virtuali.

55 Obij. 12. *Cognosci realiter, & non cognosci realiter*, tam contradictoriã sunt, quam *realiter existere & non existere realiter*; produci realiter, & realiter non produci. Sed implicat, eandem entitatem indivisibilem obiective existere, aut produci realiter secundum vnam formalitatem; & non existere, aut non produci realiter secundum aliam. Ergo pariter implicat eandem indivisibilem entitatem obiecti realiter obiective cognosci secundum vnam formalitatem, & realiter obiective non cognosci secundum aliam.

Con-

Confirm. Eo modo quo conveniunt prædicata contradictoria, convenire debet distinctio, implicat enim quod contradictoria, interse identificentur. Ergo si entitati indivisibili realiter conueniunt contradictoria *cognosci & non cognosci*, debet in ipsa dari distinctio realis inter id quod est cognitũ, & id quod cognitum non est, atque ita iam nõ erit indivisibilis realiter.

Confirm. 2. Si animal v.g. cognosceretur, & rationale non cognosceretur, adhuc ipsum animal cognosceretur, & non cognosceretur. Cognosceretur, vt supponitur. Non cognosceretur, quia animal realiter est rationale, & consequenter realiter est quidquid rationale ipsum est. Sed ipsum rationale non est cognitum. Ergo & animal realiter non cognitum est. Unde de eadem formalitate obiectiva animalis verificarentur contradictoria, sine præscisione obiectiva a se ipsa.

Confirm. 3. quia evertitur principium formæ syllogisticæ, *Quæ sunt eadem vni tertio*, si non concludit syllogismus hic expositorius: *Hoc animal cognoscitur cognitione A: sed hoc rationale est hoc animal: ergo hoc rationale cognoscitur cognitione A.* Ergo.

56 Resp. 1. RR. aliqui, non repugnare contradictoria extrinseca, vt sunt *cognosci, & non cognosci*; bene tamen intrinseca *produci, & non produci.*

Contra 1. Quia non minus implicat verificari de prædicato extrinseco, quod conveniat, & non conveniat subiecto, quam se intrinseco, cum contradictoriæ simul veræ quomodocumque repugnent. Alias causa posset esse *producens, & nõ producens* simul, & indivisibilis etiã formalitas cognita, & non cognita. 2. Cognitio reflectẽs supra cognitionem vt hic, se ipsam etiam sub cõmuni ratione cognoscit, ac proinde intrinsece cum sibi intrinseca sit; item non se cognoscit in particulari; ergo ibi erit contradictio prædicati *cognitam intrinsece* respectu sui. 3. Quia hæc contradictio extrinseca refunditur etiam in cognoscibilitatem intrinsecam formalitatum, vt patebit n. 68.

54 Resp. 2. alij RR. cum P. Olcina, per cognitionem animalis a lõge, licet dici possit quod præscindatur obiectivé a rationali, non tamen posse negari, quod cognoscatur *rationale*, alias negaretur etiam cognosci animal: Quia est identificatum cum rationali, & negatio est malignantis naturæ, negans de tota entitate. Sicut licet dici possit, quod rationale realiter disconuenit *cum Equo*, non tamen quod *non convenit*. Quia negaretur convenientia de tota entitate, atque adeo etiam de Animali, ex disp. præced. n. 47.

Contra quia certe terga vertunt & ad Nominales transeunt hi RR. *Tum* quia jam cognoscetur tunc rationale a longe, quin possit de illo ratio reddi: si enim, vera non est cõtradictoria negativa *Non cognoscitur*; vera esse debebit affirmativa, *cognosci-*

sistitur, cum inter vtramque non detur medium: sicut quia vera non est negativa *Rationale non convenit realiter cum equo*, vera est affirmativa *Realiter cum equo convenit*. *Tum* quia cessat totum fundamentũ præscisionis obiectivę, scilicet, quod obiectivè *aliquid obiecti cognoscatur & aliquid non cognoscatur*: si enim totum obiective cognoscitur nihil obiecti præscinditur, *Tum* quia vel concedunt, quod obiectum adæquate obiective realiter cognoscitur; & sic non erit cognitio inadæquata nec præcisiva obiective: vel negant, quod adæquatè cognoscitur; & sic aliquid obiecti non cognoscetur, & aliquid cognoscetur realiter. *Tum* demum, quia tota quæstio est, an Negatio, seu Ly *Non cognoscitur* in re præscisionis, sit malignantis naturæ nec ne? quis non est simpliciter negativa sed pure præscisiua, & circa formalitates seu virtualitates intentionales, non circa totam entitatem vt physicè indivisibilem: vnde qui malignitatẽ illam extollũt, toti Nominales sunt, & obiectivam præscisionem de medio tollunt.

58 Resp. 3. P. Yzquierd. ea d. 13. n. 345 familiari sua doctrina vsus de phantasmate substituto, quo se totam æconomiã nostri modi concipiendi ordinare, aut condire putat. Ait ergo, quod cum obiectum indivisibile in multas formalitates partimur per obiectivam præscisionem id præstamus substituendo in Phantasia nostra icunculas quasdã, sive imagines prædicatorum obiectorum physice distinctas, & divisibiles vt pote materiales. Unde cum intellectus obiecta non cognoscat, nisi contemplando phantasmata; præcisio intellectualis in tantum vnum prædicatum obiecti ab alio identificato præscindet, in quantum vnã imaginem phantasticam attingit, quin aliam physice distinctam attingat; atque ita non datur contradictio in eo quod attingat vnum prædicatũ obiectivum, non vero aliud, quia neutrum attingit in se immediate, sed vtrumque vt vestitũ phãtasmatibus realiter distinctis, sub quibus non servatur contradictio, quia non fit eisdem realiter servatis.

59 Contra huius sententiæ basim aliquid dixi d. 65. a n. 7. dicturus plenè in *lib. de Anima*. Nunc breviter displicet 1. Quia præcisionem obiectivam facit physicam, & realem, materialem, sicut visionem ocularem de Petro, secundum caput non viso reliquo corpore; quæ non est præcisio formalis, de qua loquimur. 2. Quia in ipso phantasmate redit difficultas. Illa enim imago substituta pro animali á longe viso vel repræsentat etiam rationale, & sic ipsum etiã intellectus attinget, quod est falsum, cum de illo rationem reddere nequeat, Vel non repræsentat, & sic phantasma substitutum repræsentabit animal, & nõ repræsentabit rationale realiter; vbi tota resultat contradictio. 3. In Angelis locum non habet phantasmæ substitutum, cum tamen præcisive

sive cognoscant, circa ea de quibus discurrunt, vt sunt supernaturalia, cordis secreta, & alia sibi de possibilibus immediate non nota. 4. Præscisio intuitiva sensuum circa ipsum motum progressivū ex n. 38. & circa alia sensibilia cognita tantum in communi; necnon visionis beatæ ex n. 29. non potest per phantasmata substituta condiri, cum illis careāt. 5. Eiusmodi præscisio phantastica eodem modo datur circa definitionem, & definitum, subiectum & prædicatum, abstractum, & concretum metaphysicum, quæ non distinguuntur obiectivè, sed solum secundum expressiones diversas diversis proinde & distinctis phantasmatibus respondentes. Ergo per illam non bene explicatur distinctio & præscisio obiectiva.

Omissis itaque his, aliisque minus probabilibus, reiectis ab ipso P. Ysqui. P. Lync. P. Ovie, & alijs.

60 Resp. ex communi doctrina S. Thomæ, Scoti, & omnium Realistarum, quam vt certam apud illos supponit P. Suarez d. 7. c. 1. dari aliquam veram distinctionem fundamentalem obiectivam, physice & realiter repertam in obiecto; beneficio cuius ea contradictoria, *cognosci & non cognosci*, salventur; quæ appellatur fundamentum proximum conceptus obiectivi, ad distinctionem formalem *rationis ratiocinatæ*, sive formalem præscisionem obiectivam terminandā, fundandamque. Licet inter DD. & scholas disidiū sit, an sit appellanda hæc obiectiva distinctio, actualis, formalis? Vt volunt Scotistæ, & aliquando Scotus nostrique non pauci, de quo d. seq. An vero solum virtualis sit dicenda? Vt Thomistæ omnes, nostrique cum S. Thom. iudicant. Hæc autem distinctio virtualis nihil est aliud quam virtus intrinseca obiecti, seu concepribilitatis ipsius, respectiva ad potentias intentionales, & ad modum concipiendi præcisivum, vt possit ab illis inadæquato modo cognosci, secundum respectum ad vnum connotatū, non vero ad aliud, vel secundum vnum prædicatum, nō vero secundum aliud; atque ita secundum quid cognosci, & secundū quid non cognosci, etiam si indivisibile, & indivisibiliter idem sit secundum vtrumque. Vnde per hanc distinctionem, sev virtualitatem sit multiplex virtualiter obiectivè, in ordine ad tendentias intentionales, atque adeo potest intentionalem cō tradictionem vitare; sicut distinctio & multiplicitas physica physicā vitat contradictionem. Ita pleriique DD. n. 2. laudati, & præ omnibus exactè & dilucide P. Compt. d. 5. 6. & 7. & M. Prado 1. *p. Metaph. contr.* 10. *a* 4.

61 Prob. 1. hæc distinctio virtualis, seu potius declaratur, exemplo distinctionis virtualis physicæ rigorosæ in divinis, quæ datur inter Naturam & Personalitatem, vt de illa verificetur *communicari, non producere, nec produci realiter physicè*; de hac vero verificetur *non communicari, sed producere, & produci realiter physice*; quæ essent contradictoria physica; nisi intercederet distinctio

virtualis physica rigorosa, idest, virtus habita divinæ omniperfectæ identitati, potens præstare effectus distinctionis physicæ, scilicet verificationem vtriusque contradictorij, & ita contradictionem physicam evitare. Ergo pari ratione virtus identitatis multifidæ pluriperfectæ obiectorum præstare effectum distinctionis realis, saltem verificando prædicata contradictoria intentionalia *cognosci, & non cognosci; attingi, & nõ attingi* obiectivè illam contradictionem intentionalem evitando. Et ex hac virtualitate appellatur distinctio virtualis, intentionalis; sicut divina illa virtualis distinctio, physica & ideo rigorosa appellatur.

62 Prob. 2. quia sicut omnis virtus causarum demonstratur a posteriori ab experientia effectuum, vt vis calefactiva in igne, &c. ita virtus distinctionis ad aliquos effectus, seu virtualis distinctio, ab effectuum experientia debet demonstrari. Sed habemus evidentem philosophicam experientiam duplicis effectus contradictorij intentionalis, *cognosci, & non cognosci*, qui obiecto indivisibili, adunativo per identitatem multiplicis perfectionis, seu prædicati, simul convenire conuincitur, ex sect. 1. & 2. Ergo ab hac experientia philosophica, virtus, seu virtualis distinctio, ejusmodi obiecti, ad ea contradictoria intentionalia, ipsi in esse demonstrabitur non minus quam ex Theologica experientia perfidem, do effectu duplicis cõtradictorij physici in divinis, virtualem distinctionem physicam, sive ad physica contradictoria demonstramus.

63 Prob. 3. a priori, ex natura, & subtilitate intellectus nostri, qui *Natus est divisa adunare & adunata dividere*, vt ex S. Thoma 1. *contra Gent. c.* 54. & omnibus Scholis probant P. Compt. supra, & P. Santacraz n. 490. & 541. Vnde ex singularibus pluribus facit vnum Universale, vt omnium naturam quidditativè definiat, & rursum vnũ quodque ens indivisibile partitur informalitates, vt ipsius scrutetur essentiam. Per hanc etiam subtilitatem non solum existentia, & præsentia, sed absentia etiam & purè possibilia, imo & impossibilia, ac negativa attingit, & penetrat. Vnde longe antecellit actionem physicam suo modo tendendi, atque adeo sicut ex eo quod productio physica non possit attingere pure possibilia, aut impossibilia, vel absentia, & præterita, vt talia, non bene inferretur, neque per actionem intentionalem sive intellectualem ea attingi posse. Ita ex eo quod actio physica non possit producere vnam formalitatem sine alia identificata, non bene inferretur per præcisivam cognitionem id ipsum fieri non posse. Ergo cum capacitas seu virtualitas obiecti debeat commensurari virtuti cognitionis sive intellectus, vt pote correlativa, sicut in intellectuali cognitione præcisiva datur ea virtus attingendi, & non attingendi identificata, ita in obiecto erit & virtualitas da-

ad verificanda sine contradictione eadem contradictoria iam hinc pateret informa,

64 Ad obiect. 6 n. 55. disting. maj. cognosci & non cognosci realiter sunt contradictoria &c. respectu obiecti virtualiter etiam indivisibilis, *concedo*; divisibilis virtualiter; vt sunt formalitates præscindibiles, *nego*. Et nego paritatem *ad existere & non existere*, pro quibus nullibi datur distinctio virtualis; admitto tamen *ad produci & nõ produci* in divinis, vbi datur distinctio virtualis physica ad illa, secus in creatis de quo n. 66. & 67.

Ad 1. confirm. dist. antec. eo modo quo conveniunt contradictoria, datur distinctio realis, vel formalis vel virtualis, concedo; præcisè formalis, vt inter individua actualiter formaliter physice distincta; nego: vt patet in Divinis.

65 Ad 2. nego, quod ipsum animal non cognoscatur, eo quod idẽtificetur cum rationali nõ cognito; quia distinguitur ab illo realiter virtualiter, in ordine ad *cognosci*, vnde vna formalitas cognosci, & alia nõ cognosci potest, sicut filiatio producitur, & non producitur Natura in Deo.

Ad 3. Ille syllogismus non servat formam, quia non servat idẽtitatẽ vni tertio, tam realiter quam virtualiter indivisibili: quia Ly *hoc animal*, est indivisibile in formalitatès, & secundum vnam potest cognosci, & non cognosci secundum aliam. Sicut propterea non concludit syllogismus similis in Divinis: *Hic Deus est Pater, sed Filius est hic Deus, ergo Filius est Pater*: quia Ly. *Hic Deus*, est virtualiter divisibilis, in Naturam communem, & Relationem incommunicabilem.

66 Replicas 1. Ita transferri ad creata totum Mysterium Trinitatis, quod fundatur in ea virtualitate distinctionis ad contradictoria, quæ tã physice & realiter datur in creatis quam in divinis; Ergo vtraque erit distinctio virtualis physica rigorosa.

Resp. neg. antec. quia celsitudo & supernaturalitas Mysterij Trinitatis consistit in virtuali distinctione ad contradictoria physica, quæ ex se præcisiva nõ sunt; at virtualis distinctio intẽtionalis, est ad cõtradictoria intentionalia ex se præcisiva, vt sunt cognosci & non cognosci, significari & non significati &c. Vnde sicut excederet captum intellectus creati, quod actio physica terminaretur ad præterita vel futura, pure possibilia, vel impossibilia, & negativa, v.g. si ignis calefaceret nunc Antichristum, vel chimæram: non tamen est supra captum intellectus, quod actio intentionalis eiusmodi præterita vel impossibilia attingat. Ita erit supra captum nostrum, quod actio physica præscindat in Divinis, non tamen quod intentionalis præscindat in creatis. Et consequenter ad præcisivam contradictionẽ poterit dari eiusmodi virtualitas, seu distinctio virtualis, quæ licet sit physice & realiter in obiecto, non tamen appellatur distinctio physica

& rigorosa, quia non est ad physica prædicata; sed intentionalis, & lata, quia solum est ad intentionalia vulgariter, & late cuivis obiecto pluri perfecto convenientia.

67 Replic. 2. Non est cur extendi non possit virtualis distinctio ad alia contradictoria, vt existere non existere, si semel ad vna concedatur. Ergo.

Resp. neg. antec. quia sicut ex eo quod causa habeat virtutem ad aliquem effectum, non potest extendi virtus ad alium quemcumque, nisi ab experientia probetur ea virtus; cum nulla sit experientia, neque in Diuinis de illis, aut alijs contradictorijs effectibus, nisi de notionalibus, vltra illos ibi nō est extendenda virtualis distinctio rigorosa; lata vero nullibi extra intentionalia.

68 Replic. 3. Si per cognitionem A, v.g. qua animal præscinditur, nō cognoscitur rationale, hoc neque erit cognoscibile intrinsece realiter per illam. Quia obiectum repugnat cognosci per actum, per quem re ipsa non cognoscitur, cum actus variare nequeat obiectum. Ergo deficiet rationali realiter physice obiective intrinsece aliquod prædicatum, realiter intrinsece, & physice cum animali identificatum, scilicet ea cognoscibilitas A; Ergo & deficiet illi ipsa entitas physica animalis, quia quid quid identificatum est cum illo est entitas illius.

Conf. Rationale realiter non est cognoscibile per cognitionem A, qua præscinditur animal. Ergo realiter dicit negationem, identitatis seu non est idem realiter cum cognoscibili per eam cognitionem A, & consequenter cum ipso animali. Quia subiectū dicit negationō realē identitatis cum prædicato, quod realiter negatur de ipso subiecto.

69 Resp. ex S. Thom. d. seq. n. 7. duplicē esse identitatem, sicut etiā duplicem negationē in ijs, quæ vir tualiter distinguuntur, Aliam substantivam, Aliam adiectivam. *Substantiva* pertinet ad entitativam idē titatem subiecti cum prædicato: *Adiectiva* vero solum ad applicandam subiecto aliquam prædicati denominationem: pro qua vitanda defervit virtualis distinctio, non tamen pro identitate entitativa tollenda. V.g. Natura Divina est idem cum termino productionis, non tamen est adjective terminus productionis, & licet hic adiective negetur de Natura, non tamen hæc dicit negationem identitatis cum ipso; quia hæc esset negatio substantiva, prior vero quæ verificatur, solum est adiectiva. Pariter ergo rationale non dicit negationem substantivam, sed potius substantivam identitatem cū cognoscibili per illam cognitionem præscisivam A, dicit tamen negationem adiectivam, seu non habet adiectivam identitatem; quia ipsi rationali non adiacet denominatio, seu *non est cognoscibile* per illam cognitionem A. Et ideo nihil quoad entitatem deficit rationali, conveniens vtique animali, sed solum quoad denominationem; quia tantum deficit illi-

illi denominatio cognoscibilis per cognitionem *A*, non tamen identitas substantiva cum ipso prædicato, & denominatione. Hinc

70 Ad Conf. dist. antec. Rationale realiter non est cognoscibile per cognitionem, *A*, adiective, & quoad subeundam denominationem; concedo; substantive, & quoad entitativam identitatem; nego. Vnde nego conseq. & probationem, quæ totæ sunt pro substantiva, & entitativa identitate excludenda. Fateor totũ hoc nos à summa Trinitate participare; quod tamẽ non inconvenit, cum potius iuxta S. Anselm. præscisiva vniversalitas ad intelligentiam arcani illius Mysterij debeat deservire. Aquo nihilominus infinite distat; quia eiusmodi duplex identitas substantiva, & adiectiva in Deo, est circa prædicata physica non præscisiva; in creatis vero circa præscisiva intentionalia, ex n. 66.

71 Replic. 4. Contradictionem præscisivam etiam ad physica prædicata *producit & non producit*; in intellectu nostro transire. Quia hic, cũ præscindit animal à longe visum, producit cognitionem *A* circa animal, & non producit cognitionem *A* circa rationale. Ergo producit & non producit circa eandem entitatem.

Resp. nego suppositum, quod ea contradictio sit circa entitatem, vt talem præscisę, sed vt intentionalem, & respectivam intentionaliter in obiectum, distinctas quę illius formalitates, ratione quarum tollitur contradictio, quia non est eiusdem de eodem, eisdem servatis.

72 Replic. 5. Saltem in potentia sensitiva non habere locum virtualem distinctionem obiecti, quia non gaudet subtilitate dicendi, & distinguendi, cognoscendi quę præterita, & futura &c. quæ propia est intellectus. Ergo.

Resp. quod licet cognitio sensitiva tanta subtilitate non gaudeat, ad illam tamen multum accedit; vnde eas rationis facere potest percipiendo forum præteritum, & colorem possibilem, vt existentes ex d. 62. n. 8. atque ita experimento constat posse similiter præscindere sua sensibilia a taleitatibus, licet cognoscendo illa vt existentia, non adæquate, sed inadæquate, de quo in lib. de Anima.

73 Replic. 6, hanc distinctionẽ virtualem fore ipsam Scoticam ex natura rei formalem actualem, cum actu formaliter physice, & a parte rei detur ea virtualitas, seu conceptibilitas, & præscindibilitas in obiecto. Pro quo examinando sit

DISP. LXXVII.

Virum ea Distinctio obiectiva, sit appellanda actualis formalis ex natura rei.

1 PRima celebris tẽtẽia subt. Scoti, & Scotistarum affirmat; eo solum distinguens illam distinctionem a physica reali, mediam quę inter physicam, ac distinctionem rationis statuens, quod sit inter formalitates obiectivas: *physica*

sica vero inter entitates, vt Petrum & Paulum; *rationis* vero item voces & expressiones. Quam non solum inter formalitates creatas distinctis definitionibus definitas, sed etiam inter Divinas, & præcipue inter Naturam & Personalitates ad vitandam cõtradictionem physicã, *produci & non produci*, admittendam docet. Referunt suos Rada 1. p. cont. 4. concl. 4. & 5. Smicing. Tract. 2. d. 1. q. 2. c. n. 40. Briseñu controv. 2. append. de distinct. art. 4. Poncius d. 4. Metaph. q. 2. Quos sequntur Nostri P. Fonseca 5. Metaph. c. 6. q. 6. & 7. P. Vallius. P. Amic. apud P. Sanctac n. 972. P. Coninc. P. Maurus, & alij quos laudat P. Staudem parte 2. c. 1. art. 2. n. 5.

Sect. 1. Conclusio negans.

2 Secunda nostra sent. negat eam distinctionem obiectivam, licet possit appellari media inter physicam, & rationis, nec non ex natura rei, quia vere a parte rei in ipsa obiecti natura reperitur, posse tamen formalem, aut actualem appellari, sed solum virtualem, vt d. præc. statutum est. Ita cum S. Thom. 1. p. q. 4. a. 2. & q. 76. a. 3. & c. 3. & 6. de unit. & essentia, non aliam agnoscente distinctionem secundum rem, nisi realem, & physicam; Thomistæ omnes & Societatis DD. quos laudant Magist. Ioan. Thomas q. 3. a. 6. Complut. d. 3. q. 4. P. Ruiz d. 11. de Trinitate sect. 3. P. Yzq. d. 13. c. n. 90. p. Lyc. 2. Metaph. Trac. 1. P. Quiros 1. p. Tract. 2. de 14. s. 4. & d. 17. Log. n. 7. P. Leon. 1. p. Tract. 4. d. 1. s. 3. P. Polon. d. 3. q. 4. Et alij passim.

3 Favet ipse Scot. in 1. dist. 2. q. 7. n. 43. dicens de hac distinctione: *Respondeo nõ est propie realis actualis* &c. *vel alio modo potest vocari virtualis, quia illud quod habet talem distinctionem, in se non habet rem & rem sed est ana res habens virtualiter, sive eminenter, quasi duas realitates.* Quod sæpius repetit apud citatos; unde ingenui Scotistæ cum Rubione, Tartareto, Fabro & alijs, apud P. Rayn. *in Theolog. nat. q. 2. a. 1. n. 66.* & Thomistæ cum Cajet. apud P. Hurt. d. 6. Metaph. a. s. 63. nec non P. Suarez ea d. 7. s. 1. n. 9. 13. & 15. & lib. 4. de Trin. c. 4. n. 2. & 5. P. Conninc. d. 5. de Trin. du. 2. n. 15. P. Maur. q. 33. in corp. P. Galtruchi d. 2. Metaph. c. 1. P. Stauden. P. Thom. Polon. & plerique alij, vix de voce judicant esse totum vtrinsque scholæ dissidium, indifferenter vsi voce distinctionis *virtualis*, vel *formalis*, mediæ, quam P. Suarez temperat vocando *modalem*. Nec ab eo sensu longe abest Poncius n. 15. & 17.

Probant communiter DD. quia hæc distinctio, si esset formalis actualis ex natura rei, esset physica & realis, non minus quam distinctio Petri a Paulo. cũ omne creans ante opus rationis, sive ex natura rei existens, sit reale, & physicum. Unde & inter Divina attributa physica & realis intercederet distinctio, realiterque actualiter & formaliter ad invicem inter se negari possent, non minus

quam

quam vnus homo de alio, contra definitionem Consilij Rhemensis; supra n. 32.

5. Verum pleraque hæc argumenta contra distinctionem nostram virtualem obiectivam, quæ absque dubio physice realiter actu que, & formaliter existit in obiectis, prout est physica quædam eorum virtualitas, retorqueri possunt. Sicut ergo de hac virtuali distinctione dicimus, esse actu *physice realiter* in obiecto, quia hæc loquutio denotat tantum existentiam veram, & realem in esse entitativo ante omnem fictionem mentis; non vero esse *distinctionem physicam realem, actualem*, quia hæc denotat physicam realem negationem vnius virtualitatis de alia; ita similiter dici posset distinctionem formalem mediam esse quidem physicè, & realiter sed non esse physicam, & realem. Item sicut nos dicimus, quod Ly *virtualiter* est additum diminuens, vel alienans distinctionem, vnde propterea potest dici, quod in Deo distinguuntur realiter physice virtualiter Natura a Paternitate; ita Ly *formaliter*, juxta Scotum diminuit; distinctionem, & absque incommodo vllo dici potest, quod attributa divina distinguntur ante omnem operationē mentis, & ex natura rei *formaliter*; quia Ly *formaliter*, in eius schola; eodem modo sonat, ac *virtualiter eminentialiter*, in Thomistica & nostra: vt ipse subt. D. n. 3. aiebat.

6. Confirm. exemplo distinctionis modalis, id est modi inseparabilis a re separabili v. g. inter vnionē & formā, nō mutuo separabiles; quę diversa est a distinctione reali, mutua inter res absolutas & mutuo separabiles v.g. inter materiā & formam Ea enim distinctio modalis non potest dici realis in esse distinctionis, quia non est inter *rem* & *rem*, sed inter *modum* & *rem*, sed solum media inter *realem* & *rationis*: attamen in esse entis quid reale est & ens, vere & realiter inventū ante opus rationis. Pariter ergo tam distinctio Scotica *formalis*, quam Thomistica *virtualis*, erit media, & in esse entis quid reale & physicū, licet non distinctio realis & physica. Videantur P. Maurus, & Stauden, optime demonstrantes, vtramque voce tenvs differre. vnde propterea quęstionis titulus est, *qui sit appellanda?* Ideo ergo Concl.

7 Prob. 1. ex S. Th. Tum *eo opusc. 9. ex disp. præc. n*, 36. omnem distinctionē, simpliciter seu formaliter & actualiter talem, quæ se teneat ex parte obiecti in formalitatibus obiectivis aversante. Tum *q. 10. de pot. art.* 3, statuente, omnem distinctionē dicere oppositionē; implicat autē quod vbi datur vnitas sive identitas, vera oppositio reperiatur; propterea enim in divinis *omnia sunt vnum, vbi non obstat relationis oppositio*. Tum *in 1. d. 5. q. 1. a 1. ad 1. & d. 34. q. 1, â 1. ad 2 & 4, cōtra Gent. c.* 14 similiter asserēte quod *contradictio*, per affirmationem & negationem identitatis, *est causa omnis distinctionis*; quatenus distinctio importat negationem vnius de alio. *Et 1. p. q.*

40.

40. a 2. & 3. quod distinctio seu per inducit divisionem: ex quibus sumitur

Ratio a priori. Quod omnis distinctio obiectiva sive ex natura rei simpliciter, proprie seu formaliter talis, fundatur in vnitate entis, ratione cuius est *vnum indivisum in se*, & consequenter est etiam *divisum ab omni alio*, seu extra omne aliud. Vnde etiam opponitur distinctio propria formalis identitati simpliciter, seu substantivæ cum quovis alio, & fundat negationem substantivam illius, ex d. præc. n. 69. expressam etiam a S. Th. in 1. d. 5. q. 1. a 1. ad 3. quia facit quod vnum sit proprie, & simpliciter extra aliud, sive sint vnū, & aliud. Atqui vbi datur physica identitas proprie & simpliciter, ratione cuius vnum est simpliciter proprie, ac proinde formaliter actualiter intra aliud, & indivisum ab illo (vt contingit in omnibus formalitatibus entis physice indistinctis) non potest dari divisio propria ab illo, & extra illud, nec propria negatio substantiva, & identica illius, ive quod simpliciter proprie sint vnum & aliud: alias duo contradictoria physica obiectiva identificarentur. Ergo implicat quod inter formalitates physice indistinctas, eiusmodi distinctio propria formalis reperiatur.

8 Confirm. 1. Omnis distinctio propria simpliciter obiectiva, vera & realem negationem affert, qua vere realiter vnum de alio negetur quoad esse substantivū; propter ea enim distinctio virtualis pro pria non est, quia solum inducit negationem adjectivam, ex eo n. 69. Sed inter formalitates identificatas physice, non potest negatio simpliciter seu formalis substantiva intercedere, sed solum adjectiva: ergo nec distinctio simpliciter, & formaliter, sive propria actualis.

9 Confirm. 2. Quia omnis negatio proprie talis, actualis formalitatum, formaliter & actualiter, recidit tantum supra præscisionē mentis respectivè ad illas: quatenus præscisio *animalis* v. g. tangit physice realiter formaliter actualiter animal, & non tangit physice realiter actualiter rationale; ex parte enim actus Ly *non tangit* negat substantive de ipso actu attingentiam rationalis, juxta disp. 74. n. 39 ex parte vero obiecti solum datur virtualitas, seu potentialitas cognoscibilitatis ad eam negationem contradictoriam formalem. Sed distinctio propria simpliciter petit essentialiter eiusmodi substantivam negationem; ergo solum in cognitionibus physice realiter distinctis præscissivis circa *animal*, & circa *rationale*, erit distinctio propria simpliciter formalis & actualis; in obiecto vero solum virtualis, seu potentialis, ideſt, capacitas ad eos actus contradictorios terminandos.

10 Confirm. 3. Quando dicitur, *Animal formaliter non est rationale*, Ly *Non*, minime sumitur negative simpliciter, quo ad identitatē substantivam obiective, sed solum *præcisive* & *adiective*, ita vt ea negatio

Non

Non est idem sonat, ac *non est cognitum, seu cognoscibile, rationale in animali*. Sed tota hæc negatio, vt actualiter formaliter negans, solum refunditur in actum mentis præscisivum, vt modo explicui. Ergo tota distinctio, vt actualis formalis in ipsum actum refunditur, vnde solum manebit in obiecto virtualis, seu potentialis distinctio.

11 Confirm. 4. ex distinctione objectiva virtuali physica rigorosa in divinis, quæ ideo solum est potentialis, & virtualis, inter Naturam divinam, & personalitates, quatenus est virtus ad identificandam sibi pluralitatem, & oppositionem formalem Personarum, in quibus est tota distinctio actualis formalis physica, & realis. Ergo pariter distinctio intentionalis objectiva, solum erit virtus ad contradictoria formalia cogniti, & non cogniti per actus (in quibus solum erit distinctio actualis formalis simpliciter) sibi identificanda.

12 Prob. 2. Quia si ponatur inter objectivas formalitates distinctio ex natura rei, propria formalis actualis, non erit cur formalitates illæ non sint simpliciter entitates physicæ: quia quidquid datur objective a parte rei simpliciter, datur physice realiter; cū nō detur improprié, per fictionē, neque per denominationē extrinsecā, aut modū cōcipiendi. Vnde propterea etiam virtualis objectiva distinctio secundum virtualitatem, quæ obiective convenit, physice, & realiter verificari debet. Ergo si distinctio formalis actualis ex natura rei sit propria simpliciter inter formalitates, non minus quam inter entitates Petri, & Pauli, non erit cur non sint propriè, & simpliciter, *vnum, & aliud*, sive vnum extra aliud, non minus quam entitates ipsæ Petri, & Pauli. Solum ergo faciendo eam distinctionem purè eminentialem, & virtualem (vt fit ab Scoto n. 3.) ac proinde impropriam, eo modo, quo Deus dicitur virtualiter, & eminentialiter homo, quia eminentius habet virtutes hominis; admitti posset ea distinctio formalis inter formalitates, quin hæ fierent propriè realitates, sive entitates juxta n. 4.

13 Resp. Scotistæ communiter cum Poncio, ideo eas formalitates non fieri realitates, sive entitates distinctas, per eam distinctionem formalē, quia nec sunt separabiles saltem non mutuo, vt modus, & res; nec habent relationem oppositionis scilicet producentis, & producti, vel vnibilis, & vniri, &c.

Contra 1. Quia separabilitas, & relatio, solum sunt signa distinctionis, non vero ipsa formalis distinctio, quæ solum consistit in vnitate fundante veram negationem vnius de alio, seu quod vnū non sit aliud, vt fundatur in formalitatibus. 2. Quia eo ipso quod detur distinctio, & negatio obiective formalis inter formalitates, datur relatio oppositionis, imo contradictionis, cum vna non sit alia ex S. Th. a n. 7. quæ fortior est ad distinctionem quam

relatio producentis &c. 3. Quia separabilitas adhuc non mutua non requiritur ad distinctionem; cum personæ divinæ nullo modo sint separabiles, licet distinctissimæ.

14 Prob. 3. a priori, sicut non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate, ita neque formalitates; natura enim abhorret superflua, & per pauciora fieri satagit, quæ frustra fierent per plura: vnde omnis multiplicatio, & consequenter distinctio, quantum possibile sit, minor esse debet. Quod est vnum de primis Philosophiæ principijs, dictum *Equus Ockami*, cui passim in equitat pro superfluis modis ac rebus refellendis. Sed per solam distinctionem virtualem obiectivam, & intrinsecam indivisibilibus objectis, potest salvari omnis contradictio præscisionum intentionalium; cum ea sit distinctio æquivalens, seu per æquivalentiam, ac proinde, quę æque valeat. ac formalis actualis in ordine ad subeunda ea oppositapræ dicata. Ergo non est multiplicanda major distinctio, quæ sit formalis, actualis, & simpliciter propria ex natura rei.

15 Confirmatur, juxta ipsos Scotistas, licet prædicata contradictoria sint physica, & realia, vt juxta ipsos *convenire* in genere, & *non convenire* in differentia; item *produci* in Deo filiationem, *non produci* naturam; nihilominus ad eã salvanda nõ requiritur physica, & realis distinctio. Ergo pariter licet sint actualia formalia eadem contradictoria, non requireretur distinctio actualis formalis; sed sufficiet virtualis æquivalẽs.

16 Prob. 4. ad homin. Quia certe Scotistæ parum constanter procedunt, in assignandis formalitatibus, vbi distinctio ex natura rei debeat intercedere. Illam enim negant cõmuniter, Tum cum Smising. 1. p. tr. 3. d. 2. q. 7. n. 204. & 210. inter divinas ideas, v. g. hominis, & leonis: inter vim judicativã, apprehensivã, &c. eiusdem intellectus; necnon volitivam, & nolitivam eiusdem voluntatis; item inter perceptiuã coloris, & olfactivam, auditivam &c. eiusdẽ potentiæ sensitivæ internæ, cum Poncio ea d. 4. Metaph. n. 22. & 33. Tum in divinis inter formalitates hypostalis, & relationis, cum & apud Briseño Tract. 2. de vnit. Dei in append. n. 23. necnon inter actum liberum, & necessarium divinum, cum & apud Briseño Tom. 1. contr. 3. art. 2. Atqui inter eiusmodi prædicata intercedit contradictio convenientiæ, & disconvenientiæ; cognosci, & non cognosci; necnon ordo ad diversa connotata, & diversa definitio respectu illorum; vt singula considerando patebit: Quod est fundamentum distinctionis formalis ex natura rei. Ergo pariter hæc inter reliquas formalitates necessaria non erit, ratione talis fundamenti.

Sect. 2. Obiectiones.

17 Obij. 1. Implicat quod subiecto ex natura rei indivisibili conveniant prædicata contradictoria realia, & ex natura rei; impossibile nam-

namque est idem simul esse, & non esse. Sed homini, secundum quod est animal, ex natura rei convenit, quod sit similis bruto; vt vero est rationale, quod non sit similis bruto: ergo ex natura rei non est formaliter indivisibilis, sed potius divisibilis, & distinguibilis formaliter, vt animal, & vt rationale. Major & conseq. liquet. Minor, & conseq. vlterius

Confirm. Convenire cum bruto realiter, non convenire cum bruto realiter sunt contradictoria realia, quæ verificantur de homine, vt est animal, & vt rationale ante omne opus rationis; ergo quia inter animal, & rationale intervenit distinctio antecedens opus rationis, & nõ pure intentionalis, qualis est virtualis lata, & consequenter erit formalis ex natura rei.

18 Resp. 1. P. Lync. Tract. 3. n. 5. & Tract. 4. per cap. 17. & P. Peñaf. d. 6. Log. q. 2. a n. 155. & alii apud P. Hurt. d. 6. Merh. §. 19. ad ea contradictoria realia non intentionalia, dari in formalitatibus creatis distinctionem virtualem rigorosam, qualem in Divinis ad producí, & non producí.

Contra hanc *sententiam* agam. in Methap. eo quod transfert omnino ad creaturas totum Trinitatis Mysterium, iuxta d. præc. n. 66.

19 Resp. 2. P. Ovied. cont. 4. Meth. p. 3. n. 18. totam similitudinem iuxta Atist. fundari in qualitate, sive in accidentibus, quare homo nõ secundum substantiam, sed secundum sentationes erit similis, & secundũ ratiocinationes dissimilis realiter equo, atqe adeo convenit, & nõ cõvenit, secundũ realiter distincta.

Contra 1. Quia etiam datur similitudo substantialis in natura; sic enim filius procedit similis in natura Patri: juxta definitionem generationis *in similitudinem naturæ*. Et omnis convenientia in prædicato essentiali, minimè potest esse accidentalis, qualis est similitudo in qualitate. 2. Eadem qualitas, vel accidens secundum se v. g. sensatio, convenit cũ alia sensatione, & discõvenit indivisibiliter cum ratiocinatione, non per aliud accidens, alias iretur in infinitum. Ergo convenire & disconvenire rei indivisibili convenit per se.

20 Respondeo itaque 1. cum P. Vazq. 1. p. d. 120. P. Suar. d. 6. s. 9 n. 16. P. Ruiz d. 15. *de Trin. s.* 7. & *d.* 8. *de Scient. s.* 1. P. Sanct. *Cruz n.* 514. & aljs supra laudatis ex dictis d. 75. n. 37. neg. min. quod homo non sit similis, vel non conveniat cum bruto realiter & ex natura rei, quia licet positive disconveniat, & dissimilis sit, non tamen negative dici potest, quod *non sit similis* aut *non conveniat*. Quia negatio est malignantis naturæ, & exclusiva prædicati negati; falso autem negatur de homine convenientia, & similitudo cũ bruto in sensu reali, cum illam vere habeat, vt est animal. Unde similitudo & dissimilitudo aliqualis, & temperata, non opponuntur interse, sicut neque calor & frigus remissum in aquatepi-

da, neque lux & obscuritas in aura. Atque ita in Angelo indivisibili, & in Deo datur similitudo, & dissimilitudo cum homine temperata, seu remissa. Solum enim repugnant similitudo, & dissimilitudo totalis, sicut claritas, & obscuritas totalis, & summa. Quod patet experientia rerum indivisibilium, multas diversas perfectiones in se habentium, & adunantium, secundum quas sunt alijs similes, & dissimiles realiter positive, minime tamen negative non similes.

21 Resp. 2. cum eisdem DD. neg. suppositum, quod à parte rei dentur rationale, & animal, prout his nominibus significantur, vt sunt rationes præcisæ, tum differendi, tum conveniendi. Quia vt sic connotant, aut involvunt modum præscisivum cognoscendi, quo concipitur, vt ratio præscise conveniendi, vt *est animal*; vt est differendi, vt est rationale. Nam realiter & ex natura rei tam animal est ratio differendi, quam rationale conveniendi; quia à parte rei solum est Petrus, Bucephalus &c. Qui æque indivisibiliter conveniunt, & disconveniunt.

22 Resp. 3. Specialiter neg. aliud suppositum, quod scilicet prædicata conveniendi, & disconveniendi, similis, & dissimilis, sint prædicata pure physica, & realia, seu non intentionalia. Quia vt dicam *Tract. de prædicamentis*, omnis relatio similitudinis, & æqualitatis, est pure intentionalis, & secundum dici, & formaliter constituitur per modum cognoscendi comparativum, & relativum vnius ad aliud, explicatum per Ly *sicut*, vel *instar* &c. Vnde in ordine ad illa prædicata *simile* & *non simile* &c. vt formaliter talia verificanda, sufficit distinctio virtualis, sicut ad *cognosci* & *non cognosci*; quia sunt æque cõtradictoria intentionalia, in quantum relativa, fundata in prædicato physice absoluto.

23 Replic. 1. Quod est dissimile secundum totam entitatem, est summe & omnino dissimile; sed Angelus, v.g. per nos est dissimilis secũdũ totam entitatẽ homini; ergo erit summe dissimilis; ac proinde negative *non similis*. Cum quæ aliunde similis sit inprædicatis genericis, erit *similis*, & *nõ similis* cõtradictorie, & negative realiter & ex natura rei.

Resp. dist. mai. quod est dissimile secundum totam entitatem, totaliter, concedo; non totaliter, nego. Angelus autem non est totaliter ei similis, quia dissimilis non est secundum omnes suas virtualitates perfectionis, quia quo indivisibilior est eo gaudet majori virtualitate, secundum quã potest esse perfectior seu dissimilior, ex citato n. 17. d. 75.

24 Replic. 2. Eo ipso quod vna virga sit æqualis alteri, secundum totam suam quantitatem, est summe totaliter æqualis, nec potest esse vllo modo remisse inæqualis; ergo pariter si sit secundum totam entitatem similis, totaliter similis, & nullo modo dissimilis erit.

Resp. neg. conseq. & paritatem; æqualitas enim consistit in indivisibili,

sibili, dicit enim habere tantum, quantum aliud, non plus, minus ve; vnde semper est summa, excludit q omnem inæqualitatem. Similitudo autem in indivisibili non consistit, sed admittit magis & minus; vnde Angelus similis est lapidi, vt substantiæ; similior plantæ, vt viventi, multo similior homini, vt intelligenti, & simillimus alteri Angelo Nota tamen; quod æqualitas perfectionis, vel secundū quid, aliquādo etiā recurrit cū similitudine, quæ magis, & minus admittit: quo sensu actus charitatis, & tēperantiæ Christi D. sunt inæquales, secundum speciem virtutis, æquales tamen secundum summam infinitam dignificationē: & hoc sensu magis æquales sunt duo actus Christi D. charitatis, quā hi respectu temperantiæ.

25 Replic. 3. eo ipso quod res duret determinato tempore secundum omnes suas partes, nequit alia magis durare eodem tempore; ergo pariter eo ipso quod sit similis secundum totam entitatem, non poterit dari maior similitudo, sive, erit summa, & totalis.

Resp. neg, conseq. & paritatem. Duratio enim se habet sicut æqualitas rei durantis cum tempore, quo cum commensuratur. Vnde non potest esse maior aut minor, quam altera rei durantis eodem tempore. Similitudo vero admittit magis, & minus, vt patet adductis exemplis.

26 Replic. 4. Ab omni convenientia reali abstrahitur ratio communis, ergo si tota entitas Petri, & tota entitas Bucephali realiter conveniunt, ratio communis abstracta ab tota entitate, atque adeo etiam differentias includet.

Resp. dist. antec. Ab omni convenientia reali abstrahitur ratio cō munis, secundum quod virtualiter obiective in ordine ad intellectum adunatur, concedo; secundum quod materialiter entitative conveniunt, nego. Vnde licet convenientia, quæ fundat præcisionem, sit fundamentaliter materialiter in tota entitate, q etiam differentiarum, virtualiter tamen obiective, in ordine ad præcisionem, solum consistit in conceptu adunabili, sive per modum vnius conceptibili, ex sua virtualitate.

26 Replic. 5. Entitas indivisibilis non est capax maioris & minoris similitudinis, alias esset maior & minor se ipsa. Ergo semper erit summe similis, aut summe dissimilis realiter, & ex natura rei, nisi ex natura rei distinguatur.

Resp. neg. antec. quia quo res est indivisibilior, eo est perfectior, & vt ita dicam, virtualior, & æquivalenter extensior quantitate perfectionis; vt patet in Angelo, & in Deo. Atque etiam in actu indivisibili, quo amamus v. g. Deum plus quam creaturam, dum hanc propter Deum amamus; qui maior vel intensior est respectivè ad vnum, quā aliud obiectum; non tamen dicitur maior se ipso entitative, quia hæc majoritas, vt relativa, est parū secundum dici juxta n. 22. & solum est intentionalis inter formalitates, sun

data

dicta in modo tendendi virtualiter multiplici, physicè absoluto respectu sui. De quo latè dicam 1. Phys. circa appetitum indivisibilem materiæ, qui tamen est maior respectu formæ nobilioris.

Ad calcem advertte, his omnibus replicis non solum distinctionem ex natura rei, sed etiam physicam & realem probari; & pro hac contra Scotistas retorqueri.

28 Obij. 2. Vt contradictio vitetur, debet esse distinctio in eodem ordine, ut quo sunt prædicata contradictoria; sed hæc formaliter actualiter sunt in ordine rerum, sive ex natura rei, quia ex natura rei formalitèr actualiter *conuenit*, & *non conuenit*, seu disconvenit homo cum Bruto: ergo etiam distinctio erit formalis actualis ex natura rei.

Resp. dist. maj. debet esse distinctio in eodem ordine, vel virtualiter, vel formaliter, concedo; præcisè formaliter, nego: alias quia contradictoria sunt physica realia secundum Scotistas, scilicet physicè convenire, & non convenire; deberet esse distinctio etiam physica realis, & non pure formalis ex natura rei, vt constat ex n. 14. & 15.

29 Obij. 3. Sapientia vt sic, præscindens a creata, & increata, neque est idem physicè realiter cum amore, alias etiam creata idem esset, neque est distincta, seu non idem realiter cum amore, alias divina esset etiam ita distincta. Ergo erit distincta tantum distinctione media ex natura rei.

Resp. negando vtramque partem antec, alias tantum ex natura rei etiam creata sapientia ab amore distingueretur. Ergo sicut sapientia vt sic præscindit a differentijs creatæ, & increatæ, ita ab eo quod sit realiter distincta, vel indistincta; solumque erit media virtualiter, & præcisive, seu præsendibiliter distincta præscindendo etiam ab ipso modo distinctionis.

30 Obij. 4. Rationale in Petro non est ex natura rei de essentia animalis, alias animal Petri non conveniret ex natura rei cum animali equi. Ergo ex natura rei distinguitur rationale ab essentia animalis in Petro.

Resp. neg. suppositum antecedens, quod quando consideratur rationale, vel alia formalitas, vt est vel nō est de essentia alterius, consideretur vt est physice a parte rei, sed vt est in conceptu obiectivo ipsius, secundum quidditatem, & definitionem metaphysicam & præscisivam. Eodem modo negandū est suppositū, cum obijciunt Scotistæ, quod ex natura rei genus est extra differentiā, individuatio extra speciem, & essentiam: quod eadem species, & essentia est in individuis: quod est vnivocatio obiectiua: quod etiā proprietas essentiæ, respectu attributi: quod reduplicatione verificantur, ratione formalitatis obiectivæ, &c. Hæc enim omnia non verificantur de conceptu obiectivo, vt est physice a parte rei, nisi tantum virtualiter, conceptibiliter obiective in

ordine

ordine ad præcisionem; vnde ad verificandas eas prædicationes sufficit virtualis objectiva distinctio: superfluet que formalis ex natura rei.

31 Obij. 5. Ad præcisionem objectiuã requiritur quod aliquid cognoscatur, & aliquid non cognoscatur in obiecto indivisibili; ergo in ipso obiectõ erit *aliquid*, & *aliquid* objective, & consequenter ex natura rei distinctum.

Resp. dist. conseq. Erit aliquid, & aliquid, virtualiter seu potentialiter; seu virtualitas, vt quasi esset *aliquid*, & *aliquid* simpliciter, cognoscatur per ipsum modũ cõcipiẽdi; cõcedo. Erit aliquid, & aliquid actu, sive actu vnũ extra aliud, negative ex parte obiecti, nego. Constat ex disp. præc.

32 Obij. 6. Saltem adjective negatur vna formalitas de alia actu formaliter secundum cognoscibilitatem: ita vt rationale non sit cognoscibile per cognitionem, A, per quam est cognoscibile animal, ex d. præc. n. 69. Ergo saltem actualis formalis adjectiva distinctio interveniet, ex natura rei obiectiue; eo enim modo est distinctio, quo est negatio.

Resp. neg. conseq. Quia negatio adjectiva, non potest esse negatio propria, si mpliciter, ac proinde neque formalis sive actualis; sed solum secundum quid, & virtualis sive potentialis, & equivalens, alias propriè; & simpliciter in divinis Natura distingueretur a principio producente; & termino producto, sive a Personalitatibus; quia adjectivé non est ipsa realiter principiũ producẽs, nec terminus productus. Quod est contra omnes Theologos ex Concil. Florent. & Rhemensi, vt cum P. Ruiz supra, sapienter probat P. Leonar. eo tr. 4. d. 1. a. n. 13.

DISPVT. LXXVIII.

Quæ, qualis ve sit vnitas Vniversalis?

1 VNitas Vniversalis duplicitер ab vnitate entis transcendentali differt. Tum in eo, quod transcendentalis consistit in indivisione entitativa rei, Universalis vero in concepribilitate, seu præcindibilitate illius á differentijs plurificantibus, vnde potius ad veritatem, quam ad vnitatem entis spectat, ex Disput. 74. num. 9. Tum in eo, quod vnitas entis radix est, seu fundamentum distinctionis ab omni alio; è contra vero vnitas Vniversalis potius fundatur in distinctione seu præscisione ipsius à pluralitate diferentiali, vt Disput. 76. n. 17. ostensum est. Vnde proteréa prius de distinctione, seu præscisione objectiva Universalis, quam de eius vnitate tractari debuit. Et licet ev modo distinctionis præscisiuæ facile colligatur eiusdem præscisiva vnitas, claritatis tamen gratia, qualis ea sit in præsenti disquiritur.

Sect. 1. sententiæ contrariæ.

2 Prima sent. tenet vnitatem Vniversalis esse omnino fictitiã, & per modũ cuiusdã Idoli ex cõvenientibus in vna ratione cõpacti; quod post

tea intellectus considerans prædicat de singularibus subjectis singularia prædicata; illi spectro, & Idolo similia. V.g. homo fictus ex pluribus, vniversalis est, quatenus est fictitie vnus; & per similitudinem, seu similitudinarie prædicabilis, quia per illius similitudinem, & quasi medio illo, singularia prædicantur. Ita non nulli apud P. Arriag. n. 1. Disput. 6. sequi suum ipsius in Philosophia Magistrum, quem P. Zarragam nominat, Caram. n. 398.

2 Contra 1. Quia hoc modo melius, & verius vniversale esset quilibet homo singularis, quatenus per similitudinem illius potest intellectus de singulis hominibus singulares humanitates prædicare 2. Universale debet esse prædicabile, sed Idolum illud prædicabile non est, cum non sit vere affirmabile de singularibus. Ergo. 3. Vniversale fit per abstractionem, vt dicam d. 82. abstractio autē fingere non potest, vt statim patebit.

3 Secunda sent. Thomistarum ex d. 64. n. 1. & 2. teste P. Hurtado d. 5. §. 68. statuit vnitatem vniversalem esse positivam omnino fictitiam. Quam amplexus est præclarissimus noster Provincialis, & Cō magister Sapientiss. P. Ferdin. de Saavedra, nixus similitudine Universalis Platonici, quod erat intrinsicē vnū: sed Aristoteliceū debet esse instar illius; ergo vnitate intrinseca, atque adeo fictitia, cum realis repugnet.

Contra 1. ab hoc vltimo. Tum quia hæc lex de similitudine, voluntarie præscribitur; potius enim Aristot. toto *lib. 7. Metaph.* Universale Platonicum, vt suo ac vero, dissimile, imo ex positum expungit. Tum quia similior erit vtraque realis vnitas præcisiva (quam in vniversali ponimus) & intrinseca virtualis, & extrinseca formalis, vnitati quam reslem volebat Plato, quam fictitiæ: sicut similior est enti quavis denominatio extrinseca realis, quam chimæræ; & Patri æterno intrinsecē generanti, similior est homo extrinsecē generans, quam Pater fictus per intrinsecam generationē fictitiam.

4 Contra 2. Universale eiusque vnitas fit per abstractionem, seu præcisionem a differentijs pluificantibus, vt patebit d. 82. & ex d. 75. n. 27. Sed abstractio ita præscindendo minimè fingit, dum extrinsecam denominationem cō municat objecto præciso, & instar vnius repræsentat, ex d. 64. a n. 11. & d. 65. a n. 2. Tum ab Axiomate, *Abstrahentium non est mendacium.* Tum quia licet in objecto non cognoscat aliquid quod est, non tamen cognoscit sive attribuit aliquid quod non est; eo modo quo qui tacet, seu non dicit aliquid verum, non ideo mentitur seu dicit aliquid non verum: vt ex S. Th. ibidem explicui. Tum quia licet cognoscat objectū instar vnius, non tamen attribuit vnitatem simpliciter, sed similitudinariā, sicut cognoscendo Angelum instar juvenis, non attribuo veram juventutem, &c. Ergo.

5 Contra 3. Quia vt ibidem dixi omnes

omnes scientiæ, earum que actus cum sint circa Vniversalia, replebuntur fictionibus; imo etiam actus fidei, vel Scientiæ infusæ in Christo D. qui sæpius Vniversales sunt: v.g. *quod homo* sit mortalis, liber &c. erunt fictitij, & eorum obiecta fictitia simpliciter; cum tamen sint veri, & infallibiles. Recole ibi dicta.

Vigetur. Quia cum hæc vnitas fictitia juxta Adversf. esset omnino obiectiva, & affecta intrinsecè ex parte obiecti, nô se haberet tantum vt quo, & ex parte actus seu modi prædicandi, sed vt quod, & ex parte rei prædicatæ; vnde falsò prædicaretur de singularibus, cum illis identificari repugnet, vt potentibus realis. Ergo vnitas illa potius Universale faceret imprædicabile, quam predicabile, sive vere affirmabile.

6 Tertia sent. quæ tribui solet Cajet. *tap. 4. de ente & ess. q. 6.* ponit vnitatem pure negativam, quatenus Natura ex se negat vnitatis repugnantiã, seu non repugnat ratione suî, sed solum ratione differentiarum, esse eadem in pluribus. Ita etiã PP. Conimb. infra.

Contra insurgunt DD. quia nô potest vni formalitati convenire negatio prædicari convenientis alteri formalitati identificatæ, vt sũt repugnantia, & non repugnantia pluralitatis; alias de eadem entitate contradictoria realia verificarentur.

Verum benignius interpretor Cajetanum, cum S. Thoma, ibi & sæpius circa formalitates admittentem negationes solum præcisivas, qualiter dicimus, quod *animal formaliter non est rationale*; atque ita non aliam quam vnitatem præcisivam nobiscum tuebitur, vt infra.

7 Quarta sent. Nominalium cũ & apud P. Hurt. ea d. 5. s. 2. vnitatem pure extrinsecam, per denominationem ab actu, quo fit, Universali concedit.

Contrã. Tum quia ita etiam haberet vnitatem terminus æquivocus, v.g. *Canis*, qui æque per vnã vocem, seu cognitionem, non exprimèntem plura, fit, & denominatur. Tum quia hoc modo, multiplicatis actibus præscindentibus, multæ erunt vnitates Vniversalis. ac proinde erit pluralitas rationũ *animalis, vegetatiui* &c. nec erunt tantũ tres species viuentis, sed innumeræ, iuxta numerum vnitatum seu præcisionum, quæ fiunt per singulos intellectus: cum pluralitas cuiusvis rationis nihil aliud sit, quam multiplicitas vnitatũ illius. Tũ quia obiectiva præcisio a pluralitate ex d. 76. obiectivam aliquam connotare debet vnitatem; ratione cuius vere sit vnum genus vna species &c.

8 Quinta sent. Scotistarum tribuit vnitatem positivam formalẽ ex natura rei, merito similis distinctionis suæ mediæ.

Contra. Tum ex d. præc. & d. 75. satis disputatis. Tum ex dicendis d. 83. de obiecto actus facientis Universale, quod positive vnũ esse nõ possit; alias esset falsa illius prædicatio de pluribus distinctis.

Sect. 2. Vera sententia.

9 Sexta nostra sententia solum agnoscit in Vniversali vnitatem pure præscisivam, ideſt, eam *non pluralitatem*, seu *non apparentiam pluralitatis*, ratione cuius vere concipitur *animal* v. g. sine pluralitate; & est duplex. Tum virtualis intrinseca obiectiva, ratione distinctionis virtualis realis, merito cuius obiective præscindibile est à differentijs pluralificantibus. Tũ formalis actualis extrinseca abactu ipso præscindente, & instar vnius cõcipiẽte. Ita S. Th. 4. de ente & ess. & op. 5 sinquiés. *Est itaque Vniversale vnã vnitate cognitionis.* Scilicet, quia formaliter habet ab ipsa cognitione præscindente esse vnũ, virtualiter vero obiective per cognoscibilitatẽ præcisiuã sive præscindibilitatẽ connotativã ipsius cognitionis. ita etiam PP. Conimb. hic q. 2. a. 2. & alij DD. laudati d. 76. imo & Scotistę, teste P. Suarez d. 5. s. 5.

10 Probatur 1. Ea ratione convenit vnitas, qua convenit obiecto distinctio a pluralitate; cum vnitas nihil aliud sit, quam *indivisio* seu exclusio divisionis seu pluralitatis. Sed vniversali solũ cõvenit distinctio præscisiva, tũ obiectiva virtualis, tum actualis formalis, per præcisionem obiectivam, a pluralitate sive a differentijs pluri cantibus, vt tota d. 76 ostensum est. Ergo sola vnitas similiter præscisiva, scilicet virtualis obiectiva intrinseca & actualis formalis extrinseca ipsi Vniversali conveniet.

Confirm. Omnis vera vnitas est in ordine ad veram, & realem negationem, sicut & omnis distinctio ex d. præc. a n. 7. ad 10. Sed solum verificatur de Vniversali negatio præscisiva pluralitatis; dum enim dicitur, *Animal non est rationale*, aut *non est multiplex individuũ formaliter*, solum præscisive verificatur Ly *Non est*, seu negatio, ex d. præc. n. 10. Ergo solum conveniet Vniversali vnitas præscisiva.

11 Prob. 2. ratione a priori specialiter observanda. Quod tota vnitas Vniversalis fundatur in eo, quod respectu intellectus, imo etiam, & sensus nostri, ea quę similia sũt, vt talia, sunt indistinguibilia, atque adeo sunt eadem intelligibiliter; propterea enim nec ovum ab ovo, nec lucem a luce distinguere possumus, nisi aliquam dissimilitudinẽ dignoscamus ex separabilitate loci vel temporis, aut aliunde. Vnde fit quod eadem mer species immissa ab obiecto, ad sui cognitionem causandam, possit ab alio obiecto omnino intelligibiliter simili causari, non minus quam idem calor a vno igne causatus, ab alio conservari potest. Et ideo dicitur a Philosophis per obiectum omnino simile non immutari speciem: & quod sint eiusdem speciei, non solum quoad speciem impressam se habentem ex parte principij, & objecti, sed etiam quoad speciem expressam constitutivam actus: quia hic idem omnino esse potest respectu animalis, quod est in Petro, ac quod est in Equo, si tantum secundum quod sint omnino similia

repræ-

repræsentetur. Et ex hac vnitate & identitate actus præcisivi, & speciei intentionalis ipsius; vocantur eiusdem speciei obiecta, quæ sunt eiusdem rationis, & essentiæ. Tũ sic. Sed tota hæc vnitas est præscindibilitatis, & in ordine ad præscisionem mentalẽ a differentijs, per quas fit dissimilitudo, & pluralitas intelligibilis, ac proinde vt vnitas pure præscisiva. Ergo talis vnice erit vnitas Vniversalis. Hæc ad d. 84. n. 12 Obij. 1. pro 1. & 2. sent. vnitas vniversalis est impossibilis, cum repugnet a parte rei, ex d. 75. sed impossibile est fictitium ens rationis. Ergo.

Resp. dict. maj. Unitas Vniversalis est impossibilis, vt actu formaliter intrinsecè cõueniens obiecto, concedo: Ut conueniens tantum virtualiter obiectiue intrinsece, & formaliter extrinsecè, nego: quia ita vere datur, & conuenit a parte rei, eo modo quo denominationes extrinsecæ per modum plurium entium; licet vt concepræ per modum vnius sint ens rationis logicum non fictum: vt ea d. 75. n. 31. dixi.

13 Obij. 2. & replic. Per Ly *animal*, concipiuntur plura animalia, vt vnum quid intrinsece, non minus quam per Ly *Hircocervus*, plures naturæ repugnates. Ergo sicut Hircocervus dicit vnitatem intrinsecam fictitiam, & impossibilem, ita Vniversale, seu *animal*.

Resp. ex d. 63. n. 61. neg. antec. & parit. Quia modus repræsentandi Hircocervum, & alia impossibilia, vt talia, est implicite attributivus, seu compositivus per identitatem & vnitatem intrinsecam implicatoriam extremorum incompossibilium, ex quibus, vt obiectiue intrinsece, & positivè composita repræsentantur, etiam per apprehensionem simplicem, ex d. 66. n. 10. 11. & 13. At per abstractionẽ, vel præscisionem factivam Vniversalis, nõ repræsentantur animalia, v. g. ita attributive, positive intrinsece quoad esse, vt componentia vnum animal, sed solum, vt præscisive vnũ ratione similitudinis, & conuenientiæ obiectivæ, virtualiter intelligibiliter se habentis per modum vnitatis, seu *non pluralitatis*, apparentis respective ad modum concipiendi præcisivum. Cumque hæc apparentia obiectiva virtualis, vere, & realiter detur, consequenter per præscisionem repræsentatur vniversale, vt vere, & realiter est præcisive seu præscindibiliter vnum, atque adeo non fictitie. Sicut quid Angelus habet virtualem quandam apparentiã instar juvenis; item prati amœnitas instar risus; non repræsentantur fictitiè, sed solum similitudinarie, & vere, per cognitionem metaphoricam, & solius entis rationis logici factivam, ex d. 64. n. 20. & d. 65. per totam. Pariter &c.

14 Obij. 3. & replic. iterum. Ergo si præscisio repræsentat vnitatẽ obiectivam Vniversalis præscisive, vt vere est in se; neque ens rationis logicum faciet, cum nullo modo sit rei aliter ac est repræsentativa.

Resp. neg. conseq. Quia licet præcisio Universalium non repræsentet simpliciter rem aliter ac est, attributivè, secundum esse, sive secundum rem intellectam, idest, attribuendo obiecto ipsam vnitatem positive, vt requiritur ad fictionem, ex dictis cum S. Th. disp. 65. Attamen repræsentat rem aliter ac est, secundum modum intelligendi similitudinatiũ, & metaphoricum, & sal tem secundum dici attributivum, quod sufficit ad ens rationis Logicum, seu tropologicum. Sicut enim per tropum, v.g. *Petrum ridet*, metaphorice secundum dici, licet non fictitie secundum esse, tribuitur prato risus; ita per præscisionem, v. g. *Animal*, quasi tropologicé attribuitur *vnitas* modi concipiendi, ipsi obiecto, dum instar vnius concipitur; licet secundum esse nõ attribuatur, atque adeo fit ens rationis Logicũ, non vero metaphysicum.

15 Obij. 4. pro 4. sent. Vnitas præscisiva talis est per denominationem ab actu formali præscisivo, sicut vnitas copulativa terminorum, v.g. *Petrus & Paulum* ab actu formali copulativo, ex d. 6. n. 5. & d. 63. n. 37. Ergo tota vnitas præscisiva Universalis erit denominativa extrinsecè a præscisione.

Resp. dist. antec. Vnitas præscisiva talis est per dominationem ab actu præscindente, vt est vnitas formalis actualis, concedo: vt est talis virtualiter obiective, & ab intrinseca præscindibilitate, nego. Quia vt sese habet sicut distinctio objectiva virtualis ex d. 75. n. 60. est quę proinde intrinseca indistincta a cognoscibilitate fundamentalis vnitatis, sive convenientiæ realis singularium; quæ vt intrinsece cognoscibilis præscisive, est vnitas virtualis, sive habet virtutem se habendi respectu ad cognosci, eodem modo ac si esset vnum quid; quia intellectus non potest distinguere, sed necessario per modum vnius concipit similia, vt præscise similia, juxta n. 11. Et idem evenit in veritate copulativa, sicut & in disjunctiva; licet enim non sit obiectiva formalis specialis copula, vel disjunctio, est tamen virtualis quædam copulativa, vel disjunctiva veritas ex parte objecti, consistens in ipsa verificabilitate terminorum, per voces illas, & *vel*, quarum veritas formalis ab objectiva desumitur. Pariter ergo verificatur vnitas formalis præscisiva a virtuali objectiva convenientiæ.

16 Obij. 5. Si hæc virtualis vnitas Vniversalis obiective intrinsece cõveniret naturæ, posset de inferioribus prędicari, quia quidquid intrinsecè, atque adeo physice realiter naturæ Vniversali convenit, de inferioribus enuntiatur: ergo *Petrus* esset vnus vnitate Universali, quod absonat rei singulari.

Resp. neg. antec. Quia prædicata secundo intentionalia præscisiva, licet talia sint tantum cõnotativè, vt est ratio cognoscibilis præscisivè seu præscindibilis a pluribus, sub qua comprehenduntur omnia prædicata

abilia dica. *Genus, species, & differentia, &c.* etiã vt virtualiter obiective talia] semper gaudent suppositione simplici, non minus, quã ratio cogniti præscisive, vt contra Nominalistas dixi d. 15. n. 17. & 22 Unde licet intrinsene conveniant Termino communi sive Universali, non valet ab illo descensus ad inferiora, v. g. *Homo est species; est præscindibilis ab inferioribus, &c. ergo Petrus est species, &c.* Quia hic descensus solũ procedit media suppositione personali, vt ibi explico: eo quod in ordine ad ea prædicata præscisiva, ratio superior habeat distinctionem virtualem latam ab inferioribus; vnde sicut merito distinctionis virtualis rigorosæ in Divinis, non verificatur de Personalitatibus communicatio, quæ de Natura ipsis cõmuni verificatur: ita neque vnitas Vniversalis dicetur de inferioribus, quæ de Vniversali ipsis cõmuni dicitur.

17 Obijt 6. pro 5. sent. Unitas vniversalis est quid positivum, cũ non sit pura negatio vel purum nihil, ac deinde præcedit operationẽ intellectus tanquam obiectũ illius: sed quod ita se habẽt ac præcedit, est quid reale & positivum ex natura rei. Ergo ea vnitas erit positiva ex natura rei.

Resp. ita probari ab Scotistis vnitatem etiam physicam, & realem, quam negant. Distinguo itaque maior. Unitas Universalis est quid positiuũ, secundum fundamentum realis convenientiæ, & virtualis conceptibilitatis per modũ vnius præscisive, secundum quam tantum præcedit vt obiectum; concedo. Secundum formalem ipsam denominationem vnitatis, quo pacto non datur intrinsece a parte rei, ac proinde nec positive, nego. Patet ex d. 75. n. 3. & 4. & patebit amplius disp. 83. Vbi reijciam ab obiecto Universalitatis tam vnam naturam formaliter, quam plures.

18 Obij. 7 Universale v. g. *Animal* est vnum per vnitatem formalem positivã, qua gaudet vt est ens; omne enim ens qua tale vnum est positivé: vnde & *animal* vt sic, distinctũ ens est a Lapide vt sic; omnis autẽ distinctio in positiva vnitate fundatur. Ergo ab hac fiet positive vnũ

Resp. concesso antecedente de quo *disp. seq.* negando consequentiam cum P. Suarez. P. Fonsec. PP. Conimb. & alijs ibi statim laudandis. Tum quia ea vnitas formalis, ideſt, interveniens in prædicatis formalibus, & essentialibus, convenit etiam singularibus, cum etiam Petrus, v. g. sit vnum animal, *& omne animal* sit vnum ens singulare; vnitas autem Vniversalis non potest inveniri in singularibus. Tum quia ea vnitas formalis solum est vniversalis, in quantum inferiora conveniunt in ratione *vnius*, non minus quam in qnivis alia ratione communi; ergo æque indiget vnitate convenientiæ ratio vnitatis formalis, ac proinde vnitas Universalis non est ipsa vnitas formalis. Tum quia Universale v. g. animal non est vt tale distinctum ea

liter

liter a *non animali*, v.g. a lapide, per vnam aliquam vnitatē, sed per plures vnitates reales singulorum animalium; sicut etiam est principium sensationis realiter, non respective ad aliquam realem sensationem incommuni, sed ad plures realiter distinctas. Unde sicut dum praescinditur animal non ideo praescinditur ratio sensationis, vel aliud connotatum illius ita neque praescinditur vnitas attributalis ipsius, neque fit eo ipso vna, sed omnino multiplex manet ex vi praecisionis animalis. Ergo animal & quodvis Vniversale non potest fieri vnum ex vi illius vnitatis formalis, quæ multiplex est ex natura rei formaliter. Sed jam pro antecedenti sit

DISPVT. LXXX.

Vtrum detur in rebus vnitas formalis, distincta a numerali?

1. VNITAS ex dictis, & Alcendis in *Metaph. est indivisio entis in se & divisio ab omni alio.* Quia vero divisio hæc est duplex: 1. in gradibus essentialibus, & formalibus, scilicet genericis, & specificis (sic differt, & dividitur homo a bruto vt est rationalis, a planta vt est animal, a lapide vt est vivens); 2. in gradu solū individuali, qui solet dici materialis, & numericus, quia non pertinet ad essentiam seu formam metaphysicam, sed solum facit numerum intra eandem speciem, v.g. Petrus solum differt a Paulo, vt praecise est *hic homo*. Ideo juxta hanc divisionis differentiam, duplex etiam diversa est vnitas; formalis, per quam quæ sunt vnius speciei *formalis* excludunt diversas species, vt homo leonē &c. & *materialis* numerica, per quā, vnus homo non est alius. Quaerimus ergo an vere in rebus detur ea vnitas realis formalis, a numerica, & individuali distincta, minorq; hac ipsa, quia non distinguit rem in omnibus gradibus sicut individualis, sed solum in specificis, vel generic.

2. Prima sent. omnium Thomistarum, & Scotistarum affirmat cum, & apud P. Suarez d. 6. s. 1. P. Fonseca 5. *Metaph.* c. 8. q. 3. PP. Conimb. hic q. 2. a. 2. P. Compt. d. 27. s. 2. P. Tellez d. 1. s. 2. n. 15. P. Penaf. d. 2. q. 8. & 10. P. Thom. Polon. d. 3. diff. 4. p. 1. Complut. d. 3. q. 2. a. 1. n. 16. M. Ioan. Th. q. 3. art. 3. Joannitz tr. 2. d. 3. c. 3. & RR. nostris omnibus cum P. Mazo *hic d.* 1. n. 9.

Secunda sententia negat cum P. Hurt. d. 5. Metaph. s. 9. P. Alph. hic d. 3. n. 22. P. Lync. 2. Metaph. tr. 3. n. 82. & Serna d. 1. s. 4. q. 6. a. 2.

3. Tertia nostra sent. media, *Affirmat* cum 1. dari eam realem vnitatem, in singulis gradibus formalibus. *Negat* tamen cū 2 sent. eā esse vnitatem adhuc formaliter distinctam in esse vnitatis ab individuali, & numerica. Et sic vtramque sent. conciliat.

Affirmat. pars prob. 1. Quia vnusquisque gradus formalis tam specificus quam generic. est ens, seu

non

non repugnans esse, vt probo in Metaph. Ergo est vnũ juxta n. 18. distinctum ab omni non participate illum gradum, gaudetque proinde vnitate. 2. Quia *Animal*, vt sic realiter distinctum divisumque est a lapide, & ab omni insensibili, seu nõ animali, ergo gaudet vnitate divisionis ab illo. 3. Quia rationes Vniversales specificas passim numeramus, v. g. dum dicimus, quod sub viventi sunt tres species, physice, & realiter distinctæ, *vegetativum, sensitivum, & intellectivum*: sub corpore naturali quatuor, *cœleste, elementale, mistum, & animatum, &c.* Ergo in his rationibus datur formalis vnitas numerica, qua numerentur.

4 Negativa pars probatur efficaciter. 1. Quia sicut convenit ratio entis, ita convenit ratio vnius, siue vnitas ipsius entis; sed in formalitatibus genericis, & specificis non datur ratio entis, siue entitari, distincta a ratione entis repetta in gradu individuali; alias plura entia, seu plures entitates formaliter multiplicarentur in eodem Angelo, vel etiam Deo, juxta multiplicitatem formalitatum, quod absonat. Ergo nec multiplicantur vnitates. 2. Si in eodem homine darentur plures vnitates formaliter, daretur saltem formaliter pluralitas entis, ergo non esset Petrus v. g. formaliter, & metaphysice vnum ens, sed multiplex. 3. Si distinctæ rationes entis, & vnitatis essent in singulis formalitatibus, tũ specificis tum differentialibus, *ens* non esset ratio tua incendens differentias substantiue, neque *vnum* adjectivè; cum eadem formalissime ratio entis, & vnius, quæ reperiretur in gradibus supremis, non reperiretur in inferioribus differentijs, ac proinde neque illas transcenderet: quod absonat dicendis in Metaph. Ubi de his plura.

5. Obijcit, contra 1. *part. affirmat.* Si animali sic vt cõvenit realiter vnitas formalis, esset vnũ numero animal, sed hoc solum de individuo animali verificatur. Ergo

Resp. disting. anteced. Si esset vnũ per vnicam vnitatem realiter, sicut Petrus, concedo; si per plures vnitates physicas, & reales inferiorum, vt re vera est, nego. Addit P. Fonseca solum verificari, esse vnum numero genus, seu speciem, sicut numerantur tres vel quatuor species viuentis, corporis, &c. Uerum præcisa numeratio in ratione Logica generis, speciei, &c. nisi sit physica & realis, vt ea ex n. 3 nõ fit per vnitatẽ realem formalem numericam, sed per vnitatem Logicam communitatis, & præscissionis, sicut potest numerari in Deo v. g. duplex vel triplex genus, & species attributorum, tum moralium, tum intellectualium, tum voluntariorũ, &c.

6 Obij. 2. Si vnusquisque gradus, vel formalitas esset ens, & vnũ, posset in Petro v. g. ab omnibus ipsius formalitatibus præscindi ratio vnius entis Petrini, & sic Petrus esset vnum ens Vniversale Logicum a parte rei per præscissionem: quod incongruit. Ergo.

Resp.

Resp. neg. antec. Quia conuenientia, & pluralitas rationum, quæ physicè, & realiter cóueniunt, vt esse vnum, ens, &c. requirit pluralitatem physicam, & realem conuenientium in illa; solum quic ad præcisionem, & conuenientiam prædicati Logici, & intentionalis, v.g. rationum formalitatis, generis, &c. sufficit Logica distinctio conceptuum præscindibilium, juxta d. 7 3. n. 8. Deinde negatur etiam sequela, quia sicut licet in Petro præscinderetur ratio *formalitatis Petrinæ*, v.g. non ideo ipse esset formalitas petrina substantivè, sed solum adjectivè habens formalitates, quia ratio formalitatis prædicatur, vt accidens intentionaliter adjacens, vnde nõ potest prædicari substantiuè: ita similiter prædicaretur ratio *entis præscissi*, seu Logici, vt vult P. Lynceus; sed de hoc in Metaph.

7 Obij. 3. contra 2. p. *Negat.* Unitas, & distinctio realis Petri ab alio secundum vnam formalitatem, v.g. corporis, potest præscindi a distinctione, & vnitate, secundum formalitatem viuentis, vel rationalis; vt eum a longe videtur, & distinguitur modo a non viuentibus tantum, modo etiam ab irrationalibus, &c. Ergo est distincta vnitas, & distinctio secundum singulos gradus.

Resp. aliud esse vnitatem, seu vnum, aliud gradus, & formalitates ipsius vnitatis; sicut aliud est ens, aliud gradus, & formalitates entis. Sicut ergo quando videmus a longe Petrum, cognoscimus esse ens, & individuum completum, nõ tamen distinguimus omnes formalitates ipsius complementi, vt specialiter tales; ita cognoscimus esse vnum, & habere vnitatem totalem & completam, quia implicat esse, & concipi. Ens reale vt existens, nisi vt completum, & vnum realiter adæquate: non tamen propterea distinguimus omnes formalitates, vt specialiter explicite expressiuas talis entis, & taliter expresse distincti. Quod nõ est præscindere ab vnitate illam non cognoscendo, sed a talitatibus vnitatis: sicut nõ præscindimus ab entitate, sed a talitatibus entitatis quando Petrum secundũ expressiones, & formalitates vltimo differentiales nõ cognoscimus. Sed de his in Metaph. Et satis hactenus de *Vnitate* primo quasi generico prædicato Vniuersalis; jam de ipsius *aptitudine* erit agendum.

DISPVT. LXXX.

Quæ, qualis ve sit aptitudo Vniuersalis?

1 PRima sententia docet, eam aptitudinem esse relationẽ realem transcendentalem Universalis ad singularia. Ita P. Ermelm. *Tom. 2. tit.* 10. d. 2. c. 4. n. 10 & d. 5. c. 6. n. 11. & P. Santacruz n. 570. laudans P. Fonſ. Card. Toler. P. Gran. & alios.

Contra 1. omnis relatio realis est ad aliud realiter, sed singularia nõ sunt realiter aliud ab Uniuersali, alias hoc de illis prædicari nõ posset.

2. Quia

2. Quia tota realis relationis oppositio distinguitur in Deo realiter Personas; ergo vbique realiter distinguit. 3. Licet permittatur relationes realiter indistinctas, non tamen in Vniuersali, vt tali formaliter, cuius essentia & vnitas est *secundi dicti*, ergo talis erit, & relatio.

2 Secunda tent. Scotistarum ex d. 7. q. a. n. 4. agnoscit aptitudinem intrinsecam obiectiuam, formalem ex natura rei, in natura secundum se, vt sit in pluribus, siue positiuã, per positiuam indifferentiam ad plura, siue negatiuum, per *non repugnantiam*.

Contrà sint, quæ contra similem vnitatem formalem. 1. Quia Natura Vniuersalis identificatur cum singulari, imo & cum singularitate; sed in singulari datur positiua formalis inaptitudo, vt sit in pluribus; ergo in Vniuersali non potest dari opposita aptitudo; repugnat enim ita opposita identificari. 2. Quia quidquid datur, siue existit ex natura rei, est singulare, omne enim ens possibile est vnum seu singulare; sed ea aptitudo ex natura rei datur, ergo in singulari, siue vt singularis, & non vt Vniuersalis. 3. Singulare v. g. Petrus est idem realiter cum Vniuersali, v. g. homine; ergo Petrus realiter positivè intrinsecè formaliter ex natura rei erit aptus esse in pluribus, non minus quam homo, cui realiter est identificatus; quod absonat.

3 Tertia sent. Nominalium, non aliam aptitudinem præbet Vniuersali, nisi fundamentalem, scilicet, identitatem cum pluribus differentijs, quam singula natura humana intellecta conuenientes specie, conferuant; quia ab actu ad potentiam valet consequentia, vnde cum actu sint eadem natura specifica, & differentialis, habebunt potentiam seu aptitudinem ad identitatem, siue ad esse in pluribus.

4 Contra 1. Quia hoc potius est esse plura, quam esse aptum ad plura. 2. Quia quælibet potentia pura, & consequentia, tantum est in vocibus, eo modo quo in Deo datur possibilitas seu potentia ad existendũ, quia existit sine vlla distinctione objectiua potentiæ ab actu; at Vniuersale objectiuè distingui debet a singularibus, ad quæ aptũ est. 3. Quia ea aptitudo realis, identitatis est plurium, vt plurium ergo non vnius, vt talis objectiuè, siue Vniuersalis. 4. Quia aptitudo propria Vniuersalis, solum affere potest, ac debet objectum formale immediatum, siue conceptum objectivum præcisum Vniuersalitatis; sed illa identitas singularium non facit illum objectivum conceptũ præcisum, cui potius hic ab ea præscindatur, non minus quã ab ipsis singulis singularibus. Ergo ea identitas non est aptitudo Vniuersalis, sed solum fundamentũ materiale, & subjectivum illius.

5 Quarta sent. Nominalistarũ, dicit, aptitudinẽ Vniuersalis esse ad essendum in pluribus, non quidem realiter, & quasi materialiter, sed ad essendum in illis intelligibiliter, seu per intellectum ideat, per appre-

hensionem complexam, compositivam (de qua d. 16. n. 3. & d. 65. n. 6.) præcedentem prævie judicio seu prædicationi, apprehendentem eq vniuersale conuenire singularibus, quæ est actus essendi intelligibiliter ipsius in illis; sicut prædicatio ipsa Vniversalis est actus prædicandi. Unde cognoscibilitas naturæ Universalis per eam apprehensionem, est aptitudo ad essendū, constitutiva Vniuersalis metaphysici, cognoscibilitas vero per prædicationem, seu judicium, est aptitudo ad prædicandum, constitutiva Vniuersalis Logici. Ita P. Ovied. c. 3. p. 6. præsertim n. 13. & P. Alphonsus d. 5. an. 47. nostriq RR. cū P. Maça *ibid.* 2. s. 8.

6. Contra 1. Quia non est, cur ea apprehensio suasiua, seu compositiua pertineat ad actum essendi intelligibiliter, potius, quam ipsa prædicatio judicialis, per quā etiam est prædicatum in subjecto intelligibiliter: cum æque illa apprehensio sit enuntiatio, & prædicatio imperfecta, atque adeo ad actum prædicandi dispositiue pertineat, sicut judicium ad perfectam prædicationem. 2. Cum aptitudo ad essendum sit illa, secundum quam Vniuersale consideratur a Metaphysica, ridiculum esset, quod secundum eam minus perfectam prædicabilitatem ab illa consideraretur, & secundum perfectionem a Logica. 3. Aptitudo considerationis Metaphysicæ solum est ea indifferentia objectiua præscisiua virtualis, quam in se intrinsecé habet Vniuersale, vt dicam n. 9. & qua gaudet vi suæ vnitatis præscisæ & præscisivæ; ergo. 4. Quia vt dicam d. seq. aptitudo ad prædicandum, propria Vniuersalis Logici, est proprietas, seu attributum secundarium Vniuersalis Metaphysici; cognoscibilitas autem per judiciū non potest esse attributum minus perfectæ cognoscibilitatis per apprehensionem; non minus quam judicativum non est attributum apprehensiui in homine; nec judicabile attributum apprehensibilis in ente, seu cognoscibili. 5. Quia sicut in ente, apprehensibile, & judicabile pertinet ad attributum cognoscibilitatis, quod est posterius ente, siue esse quidditativo; ita in Vniversali (quod quodam modo ratio entis est Logice) cognoscibilitas quævis, siue per apprehensionem, siue per judicium, est posterior esse quidditativo Vniuersalis, siue ipsius aptitudine ad esse in multis. 6. Quia in ipso objectivo Vniuersali datur aliquod fundamentum proximum, & formale, ratione cujus sit verum apprehendibile, tum prædicabile de multis: in illo ergo consistet aptitudo ad essendum in illis.

7. Quinta sent. asserit aptitudinem illam esse relationem fictitiam rationis. Ita DD. qui de vnitate idem sentiunt d. 78. n. 3. & P. Peñafi. d. 2. q. 3. a n. 8. & 31. & q. 13. an. 24. prosequatus Thomistas, P. Rub. & omnes antiquiores, præsertim P. Suarez d. 6. s. 7. n. 2. & P. Vazq. 1. p. d. 15. c. 2. n. 5. passim cum S. Th. 1. p. q. 28. a 1. c. constituen-

tes

tes Universale per *respectū rationis* ad inferiora. Verum hi omnes, & præsertim P. Suarez ibi n. 1 expresse declarant, solum de formali resultate ens rationis Logicum, ex modo cognoscendi similitudinario (proprio cuiusvis denominationis extrinsecæ, juxta d. 65.) scilicet, instar vniusrelatiui: *non tanquam aliquid conflictum proprie a ratione; sed solum tanquam denominatio extrinseca provenies ab actu rationis, sicut esse abstractum cognitū*, &c. Uerba sunt P. Suarez; & similia apud reliquos.

18 Contra 1. ex dictis ea d. 78. n. 3. contra fictitiam vnitatem, quod scientiæ omnes repleterentur illusionibus, &c. 2. Quia aptitudo est, & constituitur eodem modo ac vnitas Vniuersalis, unde sicut hæc fictitia non est, ita neque illa. 3. Quia vere & realiter objective Uniuersale, vt tale, convenit inferioribus, sed hæc convenientia est aptitudo ad illa; ergo ea est vera, & realis, minime que fictitia.

CONCLVSIO.

19 Sexta nostra sententia est, aptitudinem Universalis esse puré præcisivam; ideſt, per quandam *non inaptitudinem*, seu non repugnantiam ad plura, tum objectivam virtualem intrinsecæ præscindibilitatis ab omni differentia seu ineptitudine, repugnante alijs; tum formalem actus præscindentis, & extrinsecè denominantis, & respectum siue entis rationis Logicum constituentis. Ita S. Th. & Thomistæ passim e. n. 7. cum & apud M. Joan Th. q. 3. a 4. & 5. PP. Conimbr. q. 3. a 1. & 2. P. Suarez ea s. 7. & s. 4. ac. 6. P. Fons. eo c. 28 q. 4 P. Yzq. d. 17. a n. 74. P. Polon. d. 3. q. 3. diff. 1. & plerique, qui non renuunt cum Caj. eo c. 4. de ent. & ess. q. 6. & Scoto 7. *Metap.* q. 18 imo cum S. Th. vocate eam aptitudinem *negativam*, ideſt, Logicè, & secundum dici, seu præscisiuè, quatenus verificatur Ly *non* sumptum præscisivè, quod scilicet ita *Non sit ineptum, nec repugnans pluribus*, &c.

20 Prob. 1. Quia tota repugnantia Naturæ, vt sit in pluribus, & eam sequenter vt dicatur de illis, oritur a differentijs vel hæccitatibus; solum enim quatenus est in hoc, siue in Petro v. g. repugnat esse in alijs, & econverso. Ergo quatenus præscindibilis, vel præscisa est ab illis differentijs, erit sine vlla ineptitudine vel repugnantia, vt sit in pluribus; atque proinde erit non inepta, & ideo apta præscisiuè ad plura; tum virtualiter objectiuè intrinsecè a sua præscindibilitate; tum formaliter extrinsecè denominatiuè ab actu præscindente, & instar apti & indifferentis positivè Vniuersale repræsentante, per respectum rationis Logicum.

21 Prob. 2. ex principio valde observando hic, & d. 83 Quod prædicatio termini Vniversalis, valde diverso modo attingit identitatē terminorum ex parte subjecti, ac ex parte prædicati. Ex parte enim subjecti, per Ly *est* designatur determinata, & positiva identitas, quæ di-

dicitur subjectiua, fundamentalis, & materialis, ex pro inde supponēs Naturam singularem sub Vniuersali prædicato comprehensam in subjecto implicitam, ad verificationem prædicationis. Ex parte vero prædicati, sicut hoc præscisiuum omnino est, ita & præcisiuum omnino identitatem designat, deest, non repugnantiam præcisiuam ex vi obiectiui cōceptus, vt identificetur subjecto, quæ est identitas, partè subiectiua, & formalis, ad verificandum cum prædicato modum per se sufficiens. Ad modum quo ipsa copula *est* subiectiua, patet, & ad sui veritatem connexa est pura possibilitate, imo sola connexione terminorum, licet quando illa sit prædicatum accidentale, tunc adjectiua, & requirat esse partes subjecti existentiam in absoluta, vel in compositis connotatiua, ex dicendis.

11 Hinc fit quod modus prædicandi prædicatum Vniuersale formaliter, & expartes præcisiuæ identitatis prædicati, non est materialis, & ipsimet cas, vt sit in prædicato singulari; *Hic homo est Petrus*, sed valde abstractus, & præcisiuus, ita vt dū dicimus, *Petrus est animal*, ex parte prædicati solum sonet non repugnantiam objectiuam, siue secundū cōceptum obiectiuum *animalis*, vt sit reabilis in Petro, vel quouis alio singulari, nō tamen vero opponitur, & quam naturalem identitatem illius cum subjecto. Tunc sic. Connexionatus aptitudo prædicati ad subjectum, talis esse debet, sicut per prædicationē affirmatiuā vt patet sed per prædicationem Vniuersalis solum affirmatur conuenientia pure præcisiua, huc non repugnantia, seu non ineptitudinis ex conceptu objectiuo prædicati. Ergo conuenientia, & aptitudo Vniuersalis, solum erit similiter præcisiua.

12 Prob. 3. Quia aptitudo Vniuersalis debet esse qualis est vnitas, hæc enim nō est vnitas, vt cumque, sicut singularis, sed communis, & consequenter importans cōmunitatem ipsam, siue aptitudinem ad plura: *Ergo vnitas Vniuersalis* est præcisiua ex d. 78. Ergo & aptitudo.

OBJECTIONES.

13 Obj. 1. pro 1. *sent.* Ideo causa realiter refertur ad effectum, & cognitio ad objectum, quia relatiua sunt vtrumque definiuntur, sed non minus definitur Vniuersale relatiue ad inferiora, ergo realiter ad illa referetur. *Confirmatur.* Cognitio reflexa sui (qualis est ex d. 3. *anim.*) refertur realiter ad se, vt obiectum sui, licet a se non distinguatur realiter: ergo & Vniuersale ad inferiora indistincta referri potest realiter.

Resp. neganr. quia aliquando definitio est relatiua secundum dici, quoties est ad terminos indistinctos secundū esse, vt definitur identitas relatiue ad terminos identificatos, & possibile ad existentiam, & actus primus logicus ad actum secundum &c. Solum ergo quādo est distinctio physica, vt inter causam, & effectum, sonat definitio relationem physicam seu realem.

Cog

Cognitio vero solum importat relationem intentionalem quæ indifferens est, vt sit vel physica, quando est ad objectum distinctum, vel secundum dici, quando ad indistinctum, vt dicam in *lib. de Anim.* Unde Ad *Confirm.* nego paritatem, quia relatio, & tendentia intentionalis cognitionis propter tuam subtilitatem ex d. 76. n. 60. potest rendere realiter, circa realiter indistincta, dum modo intentionaliter virtualiter distinguantur; at relatio objectiva (qualis esse deberet Vniuersalis ad inferiora, si realis esset,) physica esse debet, & ideo inter physicè indistincta repugnat.

14 Obj. 2. pro 1. *sent.* Natura Vniversalis conuenit inferioribus positive formaliter realiter ex natura rei, cum ita de illis affirmetur: ergo conuenientia, seu aptitudo illius ad inferiora, erit positiua formalis realis ex natura rei.

Resp. 1. nego. suppositum, quod Natura Vniuersalis sit positiuè formaliter realiter, eo enim ipso quod vtamur voce præscissiua, & vniversali, non potest considerari in statu realis formali positiuo, in quo solum sunt singularia, Petrus, Bucephalus &c. vt d. 76. n. 21. & sapius notavi. 2. dist. antec. Natura Vniuersalis conuenit positiue secundum rem materialiter & fundamentaliter verificatiuam prædicationis, scilicet, naturas singulares a quibus abstrahitur Vniuersale, concedo secundum objectionum formale, & immediatum, quod pure præscissiue affirmatur; nego. Vt constabit d. 84. circa objectum Vniversalitatis, quod nec vna nec multiplex natura est positiue, sed præscissiue se habet ex parte objecti, etiam cum positiue affirmatur de subjecto.

15 Obj. 3. pro 3. *sent.* Omnes identitates inferiorum conueniunt in ratione vniuoca identitatis cum natura Vniuersali; ergo ea identitas vt sic, vt potè vna, & Vniuersalis, potest facere naturam Vniuersalem aptam ad inferiora.

Resp. neg. conseq. Tum quia sicut Natura præscindit objectiue ab inferioribus, ita & ab identitate eorum, quia identitas est eadem formaliter imò entitas cuius est identitas. Tum quia antecedenter ad eam identitatem & ad inferiora ipsa, habet Natura suam aptitudinem ex vi solius præscissionis ab ipsis inferioribus, siue ab ineptitudinibus eorum vi cuius sit non inepta præscindere. Tum quia cum identitates multiplicentur, juxta multiplicitatem terminorum, & inferiora Vniuersalis sint plura, erit idem cum illis per plures identitates, siue aptitudines ad esse idem cum ipsis, ac proinde non per vnam aptitudinem qualem requirit Vniuersale. Tum quia sicut vnitas formalis *vt sic*, ex d. 78. n. 18. n. 6. facit exercere vnum Vniuersale vt sic, quia hoc exercitium est reale, & proprium vnitatum, vt realiter in singulari existentium, sicut non additur sonus vt sic, nec sentitur sensibile vt sic, quia solum est sensibile significatum, non exercite: ita nec identitas

vel

vel aptitudo identitatis vt sic, reddit exercite aptum ad identitatem Vniuersale vt sic, quia hoc exercitiũ proprium est identitatum singularium.

16 Obij. 4. Nullus alius actus secundus potest respondere aptitudini ad essendum Vniuersalis, niũ actus essendi intelligibiliter per apprehensionem: quia si quis alius esset, maxime identitas ipsa in actu secundo; hæc autem minime, quia non distinguitur objectiue, sed solum in vocibus, identitas a potentia identitatis, sicut existentia & possibilitas existentiæ, vnde nõ possunt se habere vt actus primus, & secundus Vniuersalitatis, qui objective distingui debent. Ergo.

Resp. neg. antec. Tum quia cũ identitas importet duos terminos obiectiue distinctos, scilicet superiorem, & inferiorem, potest secundũ alterum concipi, vt potentia ab alterius identitate condistincta Tum quia solum potentia positiua identitatis est quæ ab illa non condistinguitur, non vero potentia præscisiua, quæ consistit in conceptu objectiuo præscindibili, tam ab ipsa identitate, quam a distinctione termini identificabilis, & inqua solum consistit Vniuersalitas..

17 Obij. 5. *pro* 4. *sent.* Aptitudo illa est relatio objectiue repræsentata in ipsa Natura Vniuersali, quæ consideratur vt indifferens ad inferiora: sed talis relatio realiter objective non datur, alias etiam in singulis inferioribus daretur; ergo solum datur, per rationẽ seu fictionẽ.

Resp. neg. maj. quia si ita obiective repræsentaretur aptitudo jam esset positiua, & formalis, vt pote in obiecto formaliter reperta. Solũ ergo in illo virtualiter reperitur, quatenus ipsa conuenientia pluriũ vt præscindibilis, siue vt præsciſiue repræsentabilis, est virtualis quædã relatio, atque adeo vere instar indifferentis, & relatiui est repræsentabilis eo modo, quo etiam repræsentabilis est instar vnius, vt & Angelus instar juvenis, amænitas instar risus. Quia sicut per hos figuratos, & tropologicos repræsentãdi modos non repræsentatur formalis juventus, & risus, sed solum virtualis quædam similitudinaria; ita nec in Vniuersali formalis vnitas, vel relatio, sed solum virtualitas similitudinaria, consistens in ipsa conuenientia, vt præscindibili. Atque adeo ab ipso actu præsciſivo, & modo repræsentandi ipsius, quo conuenientia illa vniuoca per terminos Vniuersales, *Animal*, *Homo*, instar vnius, & indifferentis exprimitur, redditur formaliter relativa, sicut etiam vna præsciſiue. Non tamen nego, quod etiam possit reflexe ab intellectu, quasi positiue vna, & relatiua considerari, sicut quævis alia denominatio extrinseca; hæc tamen reflexa fictio necessaria non est, sed pro libito adjuncta, vt vniversim d. 64. & 65. de extrinseca denominatione diximus.

18 Obij. 6. Si ea relatio, & aptitudo saltem virtualis daretur ob-

iective

jectiue in Natura Vniuersali, etiã daretur in Natura contracta, quia quod realiter conuenit Naturæ secundum se, adhuc contractæ conuenire debet: vnde dici posset, quod Natura Petri, & ipse Petrus esset aptus ad identitatem cũ pluribus. sed hoc absonat, cum potius Petrus ineptus & repugnans pluribus sit, sicut & natura ipsa contracta ipsis repugnat. Ergo.

Resp. circa maj. magnam esse litem inter Scholas, *Affirmant* enim & concedunt Scotistæ, cum Scoto, M. Alberto, & Capreolo apud PP. Conimb. q. 3. a 3. Naturæ specificatiue contractæ, & singularizatæ adhuc adhærere eam aptitudinẽ; sicut Materiæ primæ etiam determinatæ per formam humanam, adhuc adhæret aptitudo ad alias formas. Vnde & propterea singularia, in esse *hominis* v. g. sunt ejusdẽ speciei, siue gaudent vna Natura specifica.

19 Negant melius cum Cajet. eo. c. 4. q. 6. Thomistæ, ipsique PP. Conimb. *§. opposita.* P. Fons l. 5. c. 28. q. 4. s. 4. Tum quia cum dicitur singularia esse vna specie *in esse hominis*, jam sumitur Natura, vt præcisa ab hæcceitatibus, atque adeo, vt nõ contracta, quia Ly *in esse hominis* est reduplicatio præscisiua supra naturam secundum se. Tum quia cum Natura contracta specificatiuè sit contracta, & determinata, atq; adeo inepta realiter ad plura, repugnat quod sit etiã specificatiuè apta ad plura. Tũ quia eo ipso quod consideretur Natura adhuc in Petro vt abstracta siue vt apta præscisiuè ad plura, jam est Vniuersalis, & non contracta ad Petrum, vt dicam d. 84. ergo ea aptitudo nunquam considerator in natura adhuc specificatiuè contracta; implicat enim quod vt reduplicatiuè abstracta sit specificatiuè contracta. Tum demum, quia ideo Materia prima, adhuc cõtracta ad vnam formam, est apta ad alias, quia aptitudo illius non fundatur in eo quod sit abstracta, sed in entitate illius realiter separabili a singulis formis indeterminate; at Natura Vniuersalis non ita a singulis separabilis est, cum identificetur ipsis; vnde tota illius aptitudo consistit in eo quod si abstracta, seu nõ contracta ad inferiora, ac proinde contracta retinere non potest aptitudinem.

20 Quomodo autem, licet aptitudo virtualis sit prædicatum intrinsecum Naturæ, vt sic, non cõueniat ipsi jam contractæ, nec inferioribus ipsam contrahentibus per identitatem, quia est prædicatum intentionale præscisiuum, conueniens sub simplici suppositione non personali; patet a simili de vnitate virtuali Vniuersali intrinseca, ab inferioribus singularibus non partipabili, ex d. 78. n. 16.

DISPVT. LXXXI.

Vtrum aptitudo ad prædicandum sit primaria Vniuersali?

1 PRIMA sent. affirmat cũ Scoto q. 15. log. & Scotistis quos

quos laudant Valera l. 1. d. 2. a 3. q. 1. & Merin. c. 2. d. 2. q. 2. ex nostris P. Hurt. d. 3. log. § 12. P. Santacruz n. 595. qui æquè essentialē Vniuersali dicunt aptitudinem prædicandi, ac essendi in pluribus.

2 Secunda nostra, & communior sententia negat, cum Thomistis M. Ioan Thom q. 3. a 5. concl. vlt. Soto, Veracruz, &c & alijs apud P. Hurt. Card. Toler. P. Albert. PP. Connimb. P. Rub. quos laudant P. Alphons. d. 5. s. 4. P. Peñaf d. 2. q. 5. n. 11. P. Lync. l. 9. tr. 1. c. 2 P. Polon. d. 3. q. 3. diff. 3. &c. Quia sola aptitudo ad essendum, siue Vniuersalitas metaphysica est primaria, & essentialis, Logica vero ad prædicandum, seu prædicabilitas, est secūdaria attributalis, seu proprietas illius. Pro quo

3 Supponendum ex d. 30. q. 7. & 8. *nihil ess. difficilius*, in Scientijs, quam conceptus secundarios a primarijs distinguere, vnde oritur difficultas tot quæstionum de vltimo primario constitutivo, Dei, Spiritus, hominis, &c. Quia cum æquè differat species per differentiam vltimā essentialem, ac per attributalem ab omni alia, v. g. homo a bruto per rationale, ac per risibile; taxare, cur illa sit primaria, hæc secundaria, vix aliunde quam ex arbitrio sapientū, ita res & earum cōceptus apprehendentiū, decidi potest Melior ergo, & generalior regula est, Quod ille conceptus, qui notabiliter minus nobilis alio fuerit, secundarius reputetur: vt risibile respectu intellectiui, cognocibile respectu entis: nisi sit prior primario, aut ipsius integrativus; vt apprehensivum respectu judicatiui, quocum integrat vnam rationem intellectiui primariam hominis; non minus quam intellectivum mediatum, & immediatum, præscisivum, &c. Hinc jam

4 Prob. Concl. Aptitudo ad prædicandū, seu prædicabilitas, est prædicatū distinctiuū Vniuersalis, posterius & notabiliter minus nobile, aptitudine ad essendū, quia prædicabilitas nihil est aliud, quā cognoscibilitas per prædicationem, cognoscibilitas autem seu veritas propterea est attributum entis, quia cognosci est minus nobile, & posterius quam esse, vt est manifestum. Sed prædicatum distinctivum posterius, & minus nobile alio similiter distinctivo, est secundarium respectu prioris ac nobilioris; vt nuper est habitum. Ergo Aptitudo ad prædicandum, siue Vniuersalitas Logica, est attributum secundarium aptitudinis ad essendum, siue Vniuersalitatis metaphysicæ.

5 Obij. 1. Ipsa aptitudo ad essendum, est formalissimè aptitudo ad prædicandum; ergo si illa est primaria, vtique & ista. Anteced prob. Quia aptitudo ad essendum nihil est aliud, quam vt vere sit in inferioribus, sive vt verificetur de illis; sed aptitudo vt verificetur, est formalissimè vt prædicetur, Ergo.

Resp. negato antec. ad probationis major distinguo duplicem veritatem, aliam obiectivam, aliam for-

aliam formalem: illa est, qua res in se vere talis est, v.g. verũ autum, &c. hæc, quæ ex illa oritur, qua taliter vera dicitur; & prior in Vniversali est aptitudo ad essendũ, ex qua posterior ad prædicandum oritur, & verificatur.

6 Obij. 2. Ipsa aptitudo ad essendum pertinet ad cognoscibilitatem præscisiuam Naturæ Universalis, sicut etiam vnitas, & tota Vniuersalitas; ex *d. præc. & 78.* Sed nihilominus aptitudo ad essendum est primaria; ergo pariter aptitudo ad prædicandum, licet ad cognosci, siue ad cognoscibilitatem spectet.

Resp. totum quidem esse Vniversalis esse analogicum, & similitudinarium, pertinere quæ ad gradum cognoscibilis seu veri; sicut esse morale, & honestum virtutis, & peccati, ad gradum boni, vel mali, siue volibilis: sed quia aliqua prædicata cognoscibilitatis primæ, & directæ, qua primo sit ipsum Universale exercite per abstractionem, concipiuntur in ordine ad esse, quasi metaphysicum ipsius, vt esse vnum, & aptũ esse in multis; ea reputantur primaria; è contra quæ sunt in ordine ad cognosci, quasi reflexum, & secundarium, scilicet aptitudo ad prædicationem, quæ ipsum Universale primo factum supponit, vt dicam d. seq. Eo modo quo honestas primaria actionis humanæ sumitur per cõformitatem ad primam regulã morum seu conscientiam, conformitas autem cum alijs secundarijs regulis ac legibus, est secundaria, licet vtraque contineatur sub eodem genere boni attributalis entis.

7 Obij. 3. Ratio Vniversalis Logici, seu prædicabilis, est differentia Universalis vt sic quod tanquam genus diuiditur in Metaphysicũ, & Logicum: sed ratio differentialis, nunquam potest esse attributalis, & secundaria, propterea enim rationale attributum esse nõ potest. Ergo pariter nec prædicabilitas, seu aptitudo, & Universalitas Logica attributum esse potest.

Resp. dist. min. differentia non potest esse attributalis, respectu ejusdem, concedo; respectu diuersorum, nego. Sicut enim albedo, quæ proprietas est respectu niuis, potest esse forma essentialis respectu ipsius, vt albæ in concreto; ita prædicabilitas Logica, quæ est proprietas Universalis Metaphysici, potest esse differentia Universalis, vt sic. Et in vniuersum quævis ratio attributalis potest esse differentialis respectu rationis communis, quam implicitè inuoluit, v.g. rationum *formalitatis, termini prædicati, conceptus objectiui*, & aliarum, tam attributa, quam differentias transcendentium. Tunc autem solum erit ratio attributalis signate, respectu illius, cujus est ratio differentialis, nõ vero exercitè, sicut dixi d. præc. n. 15. de vnitate vt sic, quæ signatè nõ exercitè talis est respectu Universalis, cujus est vnitas; & passim dici solet de *differentia vt sic*, quæ talis est solum signatè, exercitè enim potius est ratio conueniendi omnium

differentiarum.

DISPVT. LXXXV.

Per quam operationem intellectus primo fiat Vniuersale?

1 QVinquplex operatio mentis ad Vniuersale concurrit: quarum secunda ad Intellectum agentem spectat, reliquæ ad passibilem, de quo sapienter S. Thomas 1.p.q.85. a 1. 2. & 3. P. Fonseca PP. Conimbr. & alij infra, dum nos ad *lib. de Anima.*

Prima operatio solet esse comparativa singularium similium, vt plurium, quæ fit per experimentales species, adquisitas medio sensu (qui solum cognoscit singularia) præsertim interno, cujus est comparare singularia sensibilia, quæ interse conueniunt, v g. *alba, homines*, &c. Vnde intellectus sibi sumit species, profuturi in sua comparatione, quæ dicitur antecedens, vt a subsequentibus abstractis a sensu discernatur.

2 Secunda operatio est abstractio speciei, qua fit ab intellectu agente, depurante suam speciem intelligibilem ab individuationibus sensibilibus, ex d. 65. n 10. causando illã, vt abstractiori modo repræsentatiuam illius rationis, in qua singularia conueniunt, v. g. in esse *hominis, substantiæ, albi*, &c. abstrahendo a differentijs.

3 Tertia operatio, quæ immediate subsequitur, est apprehensio simplex abstractiua, seu actus apprehensiuus, abstracte formaliter repræsentans per terminos objectiuos simplices, *Homo, album*, &c. quos species repræsentabat virtualiter tantum, juxta pleros que DD. Quæ dicitur abstractio formalis, actualis, vt a virtuali specierum abstractione distinguatur; atque etiam dicitur a Thomistis repræsentare *primũ cognitum* intellectus, scilicet rationem Vniuersalem: quia singularia cognoscuntur per speciem non ita propriam intellectus, scilicet non ita abstractam a sensibus, & sensibilibus.

4 Quarta operatio est comparatio subsequens, ita dicta, quia subsequitur abstractiuam speciem, & notitiam, & est apprehensio simplex, imperfecte cõponens, & enuntians; atque ita apprehensiue comparans rationem abstractam cum singularibus a quibus abstrahitur, & illam his conuenire apprehendens, disponendo sic intellectum, vt per *judicium* ita affirmet, & enuntiet; juxta d. 8. n. 5. Quæ comparatio necessario reflexa est, quia non comparat naturam, vt est a parte rei in singulari, sicut per sensus antecedenter repræsentabatur, sed, vt est in abstractione, & vt prædicatum commune, ac proinde, vt abstractum a singularibus. Quod supponunt DD. omnes Realistæ cum S. Th. *opusc.* 18. c. 1. ajente, *Quia intellectus reflectitur supra se ipsum, & supra ea quæ in eo sunt, siue subjectiue, siue objectiue, considerat iterum hominem, sic a se intellectum, & videt quod talis natura cum tali vniuersalitate, seu abstractio-*

tractione intellecta, potest attribui huic, & illi indiuiduo: & ideo format secundam intentionem de tali natura, & hanc vocat Vniuersale, seu prædicabile. Quæ reflexio adhuc a Nominalistis supponitur cũ P. Arr. d. 6. n. 57.

5 Quinta operatio est iudicium siue perfecta prædicatio, & affirmatiua enuntiatio, quæ dici etiam potest comparatio composita perfecte, in actu secundo; quia absolute, & perfecte prædicat Universale de singularibus, dicendo, *Homo est anima*, &c. Inquirimus ergo per quam harum operationum primo fiat Vniuersale?

6 Prima sent. asserit per operationem intellectus agentis è n. 2. speciei causatiuam, & abstractiuã primo fieri. Ita S. Th. cit. q. 81. a 1. ad 1. & c. 4. *de ente, & essent.* Et Cajet. ibi *post q.* 6. PP. Conimbr. q. 5. a 5. P. Tellez d. 2. n. 14. P. Lynceus l. 8. tr. 5. n. 115. & Thomistæ cum M. Ioan. Th. q. 4. a 1. Qui si loquantur de vniuersalitate virtuali, causali, & quasi fundamentali [vt explicant P. Suarez d. 6. s. 6 n. 6. & Complut. d. 3. n. 57.) optimé sentiunt, vt dicam n. 23.

7 Secunda sent. omne Vniuersale etiam metaphysicum formari per cõparationem simplicem subsequentem, è n. 3. Ita P. Peñafiel. d. 3. q. 3. n. 21. & q. 13. s. 4 cum suo fratre P. Leonard. & P. Saauedra, nostris olim Prouincialib. dignissimas.

8 Tertia sent. tenet Vniuersale metaphysicum, quod vocant absolutum, fieri per abstractionem; Logicum vero seu relativum fieri per cõparationem. Ita communiter Thomist. cum, & apud Complut. d. 3. n. 53. 54. & 59. & Mag. Joan. Th. *supra concl. vltima.* Item Scotist. cum & apud Ponc. d. 3. n. 63. & 77. Nostri P. Suarez ea sect. 6. à n. 8. P. Rub q. 5. P. Alph. d. 5. s. 3. n. 22. iuncto n. 33. P. Quiros d. 20. a n. 35q. d. 17 n. 85. & 100. quos sequitur P. Maza d. 2. s. 5. citans etiã pro se P. Arr. P. Ovied. & P. Compt. qui tamen solum requirunt comparationem simplicem, vt conditionem, vt dicam n. 17. necessariam ad prædicationẽ, non, vt factiuam, aut constitutiuã prædicabilitatis.

9 Quarta sent. tenet per comparationem iudicativam fieri tantum vniuersale: tribuitur P. Vazq. 1. p. d. 76. c. 2. n. 6. de quo n. 29.

10 Quinta sent. negat omnino per vllum actum intellectus Universale fieri; quia ipsum supponitur in obiecto. Ita Pet. a S. Ioseph l. 1. Met c. 1. a 1. & re ipsa qui Vniuersale supponunt in rebus ex natura rei formaliter, ex d. 75. s. 1. & 2.

Sectio 1. Conclusio pro sola abstractione.

11 Sexta nostra sent. statuit sola abstractione, seu præscissione actus abstrahentis Vniuersale quodcumque omnino fieri, & adæquate essentialiter perfici. Ita S. Th. c. 4. de ente & ess. & 1. p. q. 85. a. 2. ad 1. in quiens: *intentio vniuersalitatis prouenit ex abstractione intellectus.* Duran.

ram, in 1. dist. 3. q. 3. subtilis Scot. 7. Metaph. q. 12. P. Fons. to. c. 28. q. 5. sect. 3. & q. 6. sect. 1. P. Conimbr. q. 6. a. 3. Card. Tol. q. 2. de Vniuers. P. Hurt. d. 5. disp. 1. s. 3. §. 95. P. Uall. hic c. 9. P. Arr. d. 6. s. 3. n. 58. P. Ouied. contro. 3. p. 6. n. 6. P. Compt. d. 31. s. 2. & 3. P. Chabrõ d. 1. s. 5. P. Ly. Tract. 5. n. 133. P. Polon. d. 3. q. 2. diff. 3. p. 1. & 4. P. Rhodes d. 3. Metaph. q. 3. s. 3. & 4. & RR. nostri cõmuniter, cũ Sapient. Magistris meis P. Xauregui, P. Roelas, &c. Vbi

12 Supponendum 1. minime a nobis dubitari, quod per vtramque cõparationem aliquo modo fiat secundo seu conseruatiuè Uniuersale; cum per illas constituatur in actu secundo prædicationis, actus autem secundus cõseruat aliquo modo primum, vt n. 16. & d. 85. amplius patebit. Secundo á nullo etiam dubitari, quod per comparationem reflexam, tribuatur naturæ relatio formalis reduplicatiua, tum in esse prædicati in actu secundo; tum in esse prædicabilis per denominationem Logicè positivam: quod vnicè voluit S. Th. P. Suarez, & Thomistæ: sed negamus hanc denominationem, & relationem, licet perficiat Uniuersale Logicum, esse necessariam, & constitutivam illius, sed potius ipsum supponere constitutum per solam abstractionem, vt n. 26. declarabitur. Et [illegible]

13 Prob. 1. a priori. Quia per illum actum adæquate fit Universale, tam Metaphysicum, quam Logicum, per quem Natura accipit vnitatem, & aptitudinem, tam ad esse, quam ad prædicari de pluribus; sed per solam abstractionem, seu præcisionem accipit obiectum Uniuersale vnitatem & aptitudinem ad esse & prædicari de pluribus; ergo per solam eam abstractionem adæquate fit, ac perficitur Vniuersale, tam Logicum, quam Metaphysicum. Mai. & conseq. liquidæ sunt. Min. patet ex d. 78. & 80. quia tota vnitas, & aptitudo vniuersalis est pure præsciua, quatenus in conceptu obiectivo illius nulla apparet repugnantia ex differentijs, vel hæceitatibus, vt sit vna, nec non vt sit ac verificetur de pluribus; sed tota hæc præscisiva non apparentia obiectiva differentiarũ formaliter prouenit a solo actu abstrahente, siue obiectiue præscindente naturam ab ipsis differentijs, & hæceitatibus. Ergo a solo actu abstrahente tam vnitas, quam aptitudo quæ vis naturæ Vniuersalis proveniet.

14 Prob. 2. excludendo necessitatem cuiuscumque comparationis siue apprehensiuæ, siue judicatiuæ, ad primam effectionem, vel constitutionem Vniuersalis. Quia quod tantum se habet ex parte actus secundi prædicationis, non potest constituere nec primo efficere prædicabile, siue Vniuersale, vt tale; quod enim se habet ex parte actus secundi, non potest efficere nec constituere actum primum siue potentiam, cum illam supponat; prædicabilitas autem nihil aliud est quam actus primus seu potentia passiua ad actum secundũ prædicationis. Atqui quævis comparatio siue apprehen-

sua

sua, siue judicatiua, pertinet ad actum secundum prædicationis; ergo non potest constituere nec primo efficere prædicabile, siue Uniuersale qua tale, siue in actu primo prædicabilitatis. Maj. & conseq constant. Minor probata est d. præc. 80. n. 6. quoad comparationem apprehensiuam, quæ nihil aliud est, quam enuntiatio seu prædicatio imperfecta, idest, simplici imperfecto modo tribuens prædicatum Uniuersale subjectis inferioribus, quæ propter hãc attributionem, & relationem dicitur cõparatiua ipsius ad illa. Quoad comparationem vero judicativam, apud omnes patet, esse ipsam perfectam prædicationem, siue actum secundũ prædicãdi resolutiué. Ergo.

15 Vrgetur 1. ad hom. ex 4. sent. Ideo enim reliqui DD illam contra P. Uazq. reijciunt, quia putant comparationem, seu prædicationem judicativam, supponere Vniuersale constitutũ in esse prędicabilis; ideo enim per illam prædicatur, qua ipsum est, & præcedit vere prædicabile de inferioribus; vnde præcedet actus primus prædicabilitatis cõstitutus ante actum secundum judicativæ prædicationis. Sed similiter ideo Uniuersale vere comparatur, seu enuntiatur vere imperfecté apprehensiue, quia ipsum Uniuersale objectiue in actu primo, & secundum se, est vere eo simplici modo enuntiabile, comparabile, & apprehendibile; non enim minus apprehensio comparativa, quã judicativa prædicatio dicit vere, *Petrus est homo*, quia ipsum obiectum ex se verum est. Ergo æque utraque supponit prædicabilitatẽ, siue Vniuersalitatem Logicam constitutam.

16 Vrgetur 2. Licet enim fateamur, & supponamus ex n. 12. quod per comparationem fiat aliquomodo conseruatiuè Vniuersale, adhuc id præstat comparatio, vt est formaliter abstractio, quatenus ex parte prædicati repræsentat præscisive terminum, illum abstrahendo ab omni differentia, & pluralitate; dum enim dicimus: *Petrus est homo*; non minus ex parte prædicati præscinditur *homo* a differentijs per illã prædicationem, quam præscinditur per simplicem apprehensionem *homo*, vt dicam d. 85. Ergo semper vniuersale & prædicabile, vt tale, fit, atque etiam conseruatur, per abstractionem seu præscisionem, qua talem.

17 Resp. RR. fatendo, prædicabile, vt quod, sufficienter fieri & cõstitui per abstractionem; sed quia prædicabilitas, vt quo illius importat ipsius identitatẽ cum subiecto, non enim prędicatur terminus Vniuersalis, nisi affirmando identitatem illius cum inferioribus pro hac idẽtitate necessario prærequiritur ante prædicationem, quod pręcedat apprehensio comparativa seu compositiva simplici modo, repręsentãs illam identitatem; quia nihil iudicatur, quin pręvie apprehendatur, vnde præcedere debet ea apprehẽsio identitatis, quę vocatur comparatio simplex, vt identitas Vniuersalis possit per iudicium prædicari,

ac

ac proinde etiam vt fiat, & constituatur prædicabile, siue Vniuersale Logicum.

13 Contra 1. Quia discursus hic solum persuadet, requiri talem simplicem comparationem dispositiue ad actum secundum prædicationis, ac proinde constituendo tantũ prædicabilitatem, in esse potentiæ proximè non in esse prædicabilis simpliciter. Eo modo, quo approximatio ignis, quia necessaria conditio est ad combustionem, constituit ignem in esse causę proximæ, siue aproximatæ, minimè vero in esse causæ combustiuæ. Item similiter licet cognitio sit necessaria, vt obiectum ametur, non ideo, ipsum constituit in esse amabilis, siue in esse boni simpliciter; quia cognitio solum requiritur vt conditio ad actum secundũ amoris, non vero ad potentiam, seu actum primum amabilitatis, siue bonitatis. Atqui similiter simplex comparatio, siue apprehensio identitatis prædicati, solum requiritur, vt conditio, & dispositio ad actum secundum prædicationis, minimè vero ex parte obiectiuæ veritatis, quæ omnino præcedit tam comparationem apprehensiuam, quam iudicatiuam: ergo non faciet, nec constituet potentiam Logicam, seu prædicabilitatem Universalis, sed solã aproximationem illius: quo sensu loquuntur P. Arriag. P. Ouied. & alij, qui laudari solent ab Aduersarijs.

19 Contra 2. adhuc efficacius, quia quod requiritur vt actus secundus producibilitatis termini, non est constitutivum potentiæ, vel producibilitatis ipsius termini in actu primo. V. g. actio combustiva necessaria est in actu secundo ad positionẽ ignis, ita vt sine illa ignis possibilis non sit; & tamen non ideo cõstituit potentiam combustivam, imo nec possibilitatẽ ignis producendi. Sed comparatio simplex est actus secundus seu prædicatio, saltem imperfecta Vniuersalis, vt constat e n. 15. Ergo licet sine illa non sit prædicabile Vniuersale, non ideo constituet ipsius prædicabilitatem, seu potentiam passiuã in actu primo ad prædicandum.

20 Contra 3. a multiplici alia paritate. *Tum* apprehensionis præviæ subiecti prædicationis, quæ non minus requiritur, vt prædicatum Vniuersale valeat affirmari de ipso subjecto, quam apprehensio comparativa identitatis; & nihilominus non est prædicabilitatis constitutiva. *Tũ* rationis apprehensivi in homine quæ requiritur ad rationem iudicativi, non minus quam ipsa apprehensio comparativa ad judicium, & ad rationem judicabilis, seu prædicabilis: & tamen ratio iudicativi per rationem apprehensiui, neque per ipsam apprehensionem constituitur, sed tantum se habet, vt conditio ad judicium, & potentiam iudicativã. Ergo pariter se habebit, vt conditio ad rationẽ judicabilis, seu prædicabilis. *Tum* quia prædicatũ singulare nõ minus præ requiritur apprehensionem comparativam identitatis, vt enuntiari possit, v. g. *Iste homo*

homo est Petrus, quam prædicatem Vniuersale; sed nihilominus prædicatum singulare in esse prædicabilis de subjecto, non constituitur per comparationem illam prævia, sed per solam suam veritatem objectivã; ergo pariter. Tum denique paritate prædicati negatiui; vt enim negetur, *animal*, v. g. de Lapide, non constituitur animal, in esse negabilis de illo, per comparativam apprehensionem negativam identitatis, licet illam necessario prærequirat. Ergo pariter neque in ratione affirmabilis, seu prædicabilis de homine, per similem præviam comparativam apprehensionem constituetur, sed illam, vt conditionem tantum prærequiret.

21 Contra 4. & a priori, designando rationem, cur apprehensio prævia abstractiua incomplexa termini Universalis, constituat prædicabilitatem ipsius termini; comparativa, vero solum se habeat, vt conditio necessaria dispositiva ad actum secundum prædicationis. Quia scilicet prædicatio præscitiva termini Vniuersalis, vt talis, est reflexa supra modum præscitivũ, quẽ habet objectivus conceptus, qui prædicatur. Patet: *Tum* quia quando prædicatur de pluribus, v. g. *Omnis homo est animal*, Ly *animal* prædicatur, vt quid commune, & Vniversale; ergo respicitur, vt involuens ipsam Vniversalitatem, & consequenter abstractionem constitutivam illius. *Tum* quia, vt omnes supponunt cum S. Th. n. 4. cõparatio præcedens prædicationem est reflexa supra abstractionem ex parte objectivi prædicati: ergo, ec prædicatio similiter reflexa est, quia judiciũ eosdem terminos objectivos respicit, quos apprehensio comparativa. *Tum* demum, quia solum affirmat prædicatio terminum Vniversalem, illum enuntiando, vt non repugnantem identificari pluribus ex vi sui conceptus objectivi, vt dixi d. 78. n. 11. & amplius patebit d. seq; sub hac autem reduplicatione attingitur modus ipse præscisivus apprehensivæ abstractionis, ac proinde fit reflexio supra illam, tanquam supra objectivum quid constitutivum, vt quo, ipsius prædicabilis, vt Vniversaliter talis. Iam sic. At comparatio simplex minime ita se habet, neque constituit objectiuũ conceptum prædicationis, neque supra illam reflectit iudicativa prædicatio seu comparatio. Ergo dispar omnino est ratio, vt apprehensio abstractiva constituat prædicabile, vt tale, comparativa vero illud non constituat, sed solum, vt conditio prædicationis in actu secundo præcedat.

22 Omitto aliam probationem ex RR. Quod vnitas & aptitudo ad essendum, & prædicandum Vniversalis, se habeant, vt genus; & differentia inter se identificata; cum vnitas non vtcumque, sed vt communis pluribus Vniuersale constituat, ac proinde, vt identificata cum ea communitate, & aptitudine ad plura. Ergo ex vi eiusdem actus abstrahentis, quo Vniuersale habet vnitatem, habet etiam aptitudinem.

dicem, alias identificatæ nō essent, si a distinctis actibus sumerentur.

Omitto inquam, Tum quia facile eludi potest, asserendo, esse cō positionem quasi physicam ex parte communi, & differentiali distinctis, sicut homo componitur ex corpore & ânima. Tum quia sicut rationale in homine sumitur non a sola anima, quæ rationalis est, sed etiam a corpore distincto, indivisibiliter, quia importat rationalitatem dependentem aphantasmate, seu a corpore; ita vnitas Vniversalis ab vtroque actu distincto sumeretur, quia non esset vnitas præcisiva tantum, vt haberetur per abstractionem; sed simul communis, & relativa ad plura, vt haberetur per comparationem.

Sect. 2. Obiectiones.

23 Obij. 1. *pro 1 sent.* ex vi speciei intelligibilis repræsentatur obiectum vniversale præcisum a differentijs, antecedenter ad actum abstractivū intellectus possibilis; quia potentia cognoscitiva non potest percipere obiectum, nisi quod ab specie repræsentatur; sicut nemo potest videre in speculo, nisi obiectum, cuius imago aut species in speculo apparet. Ergo prius fit Vniversale per speciem, & imaginem quasi specularem intellectus agentis, quam per actum intellectus passibilis.

Resp. negando suppositum antec. ex dicendis in libb. de *Anima*. Quia nulla species est imago formalis obiecti, quod per illam dicitur repræsentari. Adhuc enim in speculo nō videtur species aut imago aliqua, sed ipsum met obiectū econtra positum, quod per reflexionem, & refractionem speciei videtur, & apparet intra ipsum speculum; vt dixi d. 72 n. 21. Vnde species solum dicitur repræsentativa obiecti virtualiter, eo modo quo etiam habitus, quatenus habens virtutem causandi illius repræsentationem. Alias semper essemus in perpetua repræsentatione mentali omnium obiectorum, quorum species, & habitus immente habemus. Cum ergo prima formalis repræsentatio obiecti, vt vniversalis, & præcisi, habeatur per apprehensionem abstractivam intellectus passibilis; per illam tantum primo fiet Vniversale formaliter. Fateor tamen causalitater, seu virtualiter, & quasi in semine, seu radice primum oriri ab ipsa specie, tamquā a principio determinativo actus, quod solum, me iudice, volunt S. Thom. & alij DD. 1. sentē.

24 Obij. 2. *pro 2. sent.* Vniversale quodcumque, essentialiter est relativum, ac consequenter fieri debet per actum relativum ipsius ad inferiora. Sed actus istius modi relativus alius non est nisi comparativus, ergo fieri debet per actum comparativum. *Confirm.* Solū per actum cognoscentē vnū, & plura, potest fieri vnum aptum ad plura. sed hoc cōparare vnum pluribus: ergo.

Resp ex d. 80, Vniversale solū esse præcisive relativum, minime vero positive; vnde solum fieri debe-

debebit per actum, qui præscisiuè relativus sit, hoc est, qui Vniuersale præscindat ab omni impedimento relationis, seu conuenientiæ, & aptitudinis ad plura; ac proinde cõcipiens illud, ac si indifferens, aptum quæ esset ad plura Hoc autem totum præstat abstractio, repræsentando, v.g. *animal*, ita vt nobis appareat quasi ad omnem differentiã indifferens, non minus quam materia prima ad omnem formam, & potentia quævis physicé indeterminata ad omnem actum.

25 Obij. 3. & replic. non posse repræsentari *animal*, vt relativũ præscisiue, nisi repræsentãdo illud instar relatiui, ac proinde, vt simile obiectiue relatiuo; sed simile relatiuo nõ est nisi aliud relativũ, ergo repræsentatur, vt relativũ objectivè, ac proinde positiue: sed vt relativũ positivè nõ repræsentatur nisi per positivam cõparationem referentem vnum ad aliud: ergo per illam tantum repræsentatur Vniuersale, vt relativum adhuc præscisiue.

Resp. neg. maj. Tam quia solũ repræsentatur Vniuersale instar relatiui præscisiue, siue vt præscisũ á differentijs impedientibus relationem indifferentiæ, vnde non repræsentatur vt positivé simile relatiuo. Tũ quia licet positivé instar relativi repræsentaretur, adhuc nõ deberet obiectiuã formalẽ similitudinẽ in esse relatiui designare: sicut repræsentãdo Angelum instar juvenis, non designat nec attribuit formalem juvẽtutem, sed solum virtualem sitam in ipsis objectiuis perfectionibus Angeli, vt explicui d. 75. Et ita etiam repræsentando rationem conuenientiæ, quæ, vt præscisa ab omni differentia est virtualiter vna, & relativa seu communis in ordine ad cognosci, repræsentatur instar vnius, & relativæ; quin vnitas, & relatio objectivè designetur, vel attribuatur, sed solum se habeat exparte modi significandi. Hoc est, quod eo modo significetur ex ratione tendendi actus, quo solet vnitas, & relatio objectiua in alijs rebus designari, per metaphoram quamdam mentalem. Admodum quo per vocalem, v. g. *Pratum ridet*, eo modo tẽdendi seu significandi vocali, significatur amœnitas, quo significari solet risus, licet ex parte obiecti risus non significetur. Solum ergo in Idolo, seu imagine phantasiæ, in quo tamquã in medio objectiuo cognoscitur vniuersale ab intellectu, reperietur ille modus relatiuus quasi depictus, admodum quo depingitur in phantasia imago materialis juvenis alati, vt in illa intellectus Angelum contempletur; quin in Angelum ipsum juventus alata per intellectionẽ objective deriuetur.

26 Obij. 4. pro 3. sent. Vniuersale Logicũ consistit in denominatione *Generis*, *Speciei* &c. quæ essentialiter est relatiua superioris ad inferiora, vt patet ex definitione: *est predicabile de pluribus* &c. Sed eo ipso non potest concipi ac fieri, nisi per actum comparativum, seu relatiuum superioris ad inferiora, vt patet. Ergo per eam comparationẽ fit Vniuersale Logicum.

Resp. concedo in hoc sensu concretiuo reduplicativo reflexo, siue reduplicante supra Vniuersale, vt est concretum seu denominatio extrinseca relatiua, non esse dubium, quod vniuersale adhuc Metaphysicum (quia in eo sensu jam fit Logicum, seu considerationis Logicæ] fiat per comparationem, licet non necessariam per se ex d. 80, n. 17. vt suppono n. 12. & hoc sensu loquitur S. Th. citat. n 4 & 1. p. q. 28. a 1. c. & in 1. dist. 2. q. 1 a 3. & q. 7 de pot. a 11. & cum eo Thomistæ antiquiores, & P. Suar. alij q tum pro 2. tú pro nostra *sent.* citati, vt bene obseruat P. Rodes ea sect. 4. *Nego* tamen in sensu (in quo solum procedit cõclusio) specificatiuo, necessario ad prædicationẽ, seu ad verificationem vniuersalis; proquo materialiter, & per accidẽs se habet ea reflexa reduplicatio cõparatiua, quia animal, v. g. non prædicatur de Petro, vt genus reduplicatiue, & cõcretive, alias Petrus esset genus, sed solũ specificatiue secundum naturam quæ est genus, & sub ipsa genereitate, solum vt quo. Cumque adhanc specificativam verificationem solum sit necessaria præscisio ex parte prædicati, vt scilicet præscisiue seu non repugnanter ex conceptu obiectiuo, vt vniuersale verificetur, vt n. 12. explicatum est; sola præscisio siue abstractio constituet, & faciet vniuersale adhuc vt Logicum, siue prædicabile. Ita etiam dixi d. 64. de omni denominatione extrinseca, & de vniversali specialiter n. 6 specificatiuẽ & in sensu reali, ad realem verificationem necessario, esse quid reale, & prout sic significari per terminos non concretiuos v. g. *paries videtur, animal præscinditur*: at vero pro vt concretiue reduplicatiue exprimitur, *est visum, præscisum, genus*, &c. jam involuere ens rationis Logicum, ex modo concipiendi instar alterius, siue instar concreti, Pariter &c.

27 Obij. 5. Ideo abstractio seu præscisio constituit Vniversale, vt prædicabile, quia necessario præcedit prædicationem; sed pariter comparatio præcedere debet: ergo pariter constituit.

Resp. dist. maj. Ideo tantum, nego, Et quia simul constituit conceptum obiectiuum prædicati, in esse prædicabilis, per modum vnius communis pluribus, cõcedo, Aliter enim apparere non posset conceptus objectivus, vt vnus, & indifferens ad plura, nisi vt præscisus; ac proinde dum prædicatur, vt præscisive *vnus* & conueniens pluribus, prædicatio reflectere debet supra præscisionẽ, vt dixi n 21. Quia licet effectio vniuersalis per se non petat reflexionẽ, cum fiat per directã abstractionem communicatiuam extrinsecæ vnitatis, non secus ac effictio directa aliorum entium rationis, ex d. 68. q. 3. Attamen prædicatio, & comparatio ipsius vniuersalis, qua talis, reflexa esse debet, vt ibi ostendi.

28 Obij. 6. pro 4. sent. Relatio *prædicabilis, generis*, &c. saltem concretiua reflexa, fit per comparationem ex n. 26. Sed nulla alia est cõparatio, nisi judiciũ seu prædica-

tio

tio: ergo solũ fiet per prædicationẽ.

Resp. eo solo sensu optimè loqui P. Vazq. supposita minori, quam cum P. Suarez & alijs tenet. Nos autẽ, qui eam negamus ex d. 80. a n. 15. & d. 16. n. 3. consequenter negamus conseq. Quod vero vniuersale simpliciter sola abstractione perficiatur, ibidem expresse tradit ipse P. Vazq, a n. 5.

29 Obij. 7. pro 5. sent. Intellectus nequit facere, quod sit dulce, quod est amarum, neque quod obiectũ sit equus cum tale non sit: ergo neque potest facere, quod sit vnum, cum plura sit. &c. Ita etiam arguunt Scotistæ cum Poncio, apud P. Polon. d. 3. q. 2. dist. 3. p. 2. obij. 1.

Resp. neg. conseq. & parit. Quia obiectum potest esse virtualiter realiter vnum, vel plura in ordine ad cognosci, gaudendo scilicet virtualitate, seu virtuali reali distinctione formalitatum, vi cuius ita petat cognosci, ac si revera essent actu realiter distincta, ex disp. 75. præsertim a n. 60. & ideo potest intellectus facere quod in ordine ad cognosci obiectum sit vnum, vel quasi vnum, cum est plura, & quod sit plura vel quasi, cum sit vnum.

30 Obij. 8, & repl. Licet Angelus sit virtualiter juvenis in ordine ad cognosci, siue cognoscatur instar juvenis, non ideo fit juvenis per cognitionem nostram. Ergo licet vniuersale sit virtualiter vnum, & cognoscatur instar vnius, non ideo fiet vnum per cognitionem.

Resp. 1. non multum absonare, si quis dicat, Angelum fieri intelligibiliter juvenem, dum cognoscitur instar juuenis, sicut formalitates fiũt intelligibiliter vna, vel plures. 2. Nego parit. Quia vi distinctionis virtualis in ordine ad cognosci, conueniunt objecto vniuersali contradictoria realia præscisionis objectivæ, ex d. 75. vt quę solum objecto ratione realis vnitatis, vel pluralitatis convenire possunt; & ideo vi illius præscisionis potest objecto cõmunicari vnitas, & pluralitas vera in ordine ad veras, & reales prædicationes præscisiuas. At non ita cõueniunt Angelo prædicata realia propria juventutis, & ideo nec vera juuentus in ordine ad prædicationes veras per cognitionẽ tribuetur, sed solum pure metaphorica, vt per voces Rhetoricas *pratũ ridet* &c.

31 Obij. 9. Quando concipitur vniuersale, v.g. *homo*, per modum vnius, hic conceptus non est falsus sed verus; ergo supponetur vere ex parte obiecti tota vnitas, & vniversalitas, ac proinde non fit per actũ.

Resp. Quod ex parte obiecti solum significatur vnitas, tum virtualis, tum fundamentalis conuenientię, & hæc supponitur, & non fit per actum præscivum, sed per illum solum redditur formalis Logicè, seu actu ita apparens: eo modo quo per metaphoram, *Pratum ridet*, non significatur risus formalis, sed solum fundamentalis, scilicet similitudinarius, qualis est amænitas, quæ redditur risus formalis tropologicè, per ipsum modum significandi figuratũ.

32 Obij. 10. Nulla res constituitur, nec fit, per suum statum, v.g. Anima nostra nec per statū vnionis, nec per statum separationis. Ergo pariter neque Vniuersale per statum suæ abstractionis, non minus quam nec per statum contractionis seu comparationis, fiet.

Resp. 1. abstractionem, & contractionem solum esse statum respectu naturæ, vt considerata secundum obiectivam fundamentalem, & virtualem conuenientiam, & rationem conueniendi, quæ vt sic per illos status non constituitur, sed ad ipsos supponitur. 2. Etiam status potest rem constituere, licet non simpliciter, secundum aliquam denominationem, vt status possibilitatis cōstituit aliū mundum in esse pure possibilis, & status actualitatis existentem, in esse talis: & ita in esse vniuersalis potest status abstractionis naturam cōstituere. 3. Status actualitatis constituit Deum in esse entis necessarij simpliciter; pariter ergo.

33 Obij. 11. Nulla potentia potest constitui per aliquid oppositum suo actui secundo: sed actus secundus potentiæ vniuersalis, siue aptitudinis suæ, est contractio ad inferiora; ergo actus primus seu potentia vniuersalis, nequit constitui per abstractionem contractioni oppositam.

Resp. 1. neg. maj. suppositum, ex d. 85. quia per actum contractionis, & prædicationis non destruitur, seu perficitur vniuersale, & eius abstractio. 2. Ab alijs negatur maj. quando potentia est passiua suæ corruptionis, vt corruptibilitas, & diuisibilitas constituitur per vnionem partium, oppositam actui secundo corruptionis, & diuisionis qualē putant potēriam vniuersalis. & consequenter, si per prædicationem destruatur.

DISPVT. LXXXIII.

Vtrum obiectum per se actus abstrahentis vniuersale, sit vna, vel plures Naturæ.

1 CErtum est, obiectum per accidens actus abstrahentis esse plures naturas singulares; quia singularitates inferiorum cum vniuersali identificantur realiter seu materialiter; vnde identice materialiter illæ sunt, seu potius dicuntur, obiectum materiale, & idē ticum actus abstrahentis; ac proinde nō per se, sed per accidens, & impropriè; quia propriè, & simpliciter tam non cognoscuntur singularitates per abstractionem vniuersalis, quam non viderat paries, sed sola albedo, quando dicitur videri paries albus, ex d. 40. n. 10. eum a singularitatibus, vt a terminis nullo modo cognitis, obiectiue præscindat abstractio: ex d. 76. Quare solū inquirimus, an propriè, & per se obiectiuè attingatur vnitas, vel pluralitas in natura vniuersali abstracta: circa quod

2 Prima sent. affirmat; ita attingi obiectiue pluralitatem, seu plures naturas in vniuersali abstracto. Ita Nominales omnes cū Osham, consequenter ad negatas præcisiones

obiec-

obiectiuas naturæ a singularitatibus; P. Hurt. d. 5. Metap. §. 143 P. Artiag. hic d. 6. s. 2. &. 3. P. Ovied c. 3. p. 5. §. 10. P. Alph. d. 5. n. 23. &, quod valde mirum, RR. aliqui Antinominales, præscindentes objectiuè, imitati P. Lync. *infra*.

3 Secunda sent. negat obiectum vniuersalis esse obiectiue plures naturas, sed omnino vnam objectiuè esse contendit. Ita Thomistæ, & Scotistæ communiter, cum M. Joan Th. q. 3. art. 3. & Ponc. d. 3. q 2. ex nostris plerique cũ P. Suar. d. 6, Met, s. 3. n. 11. & l. 4 de anima c. 3. dub. 5. n. 25. P. Smigl. d. 4. q. 4. P. Penaf. d. 2. q. 7. s. 2. P. Compt. d. 29. s. 4 P. Isq. d. 17. n. 57. P. Santacruz n. 525. P. Rhodes ea d. 3. q. 3. s. 3. § 2. & 3. & sect. 4 P. Stauden p. 1. c. 1. a n. 69. P. Polonus d. 3. q. 2. diff. 1. p. 1. Spinula disp. 5. n. 57 ar. 4. & problematicus P. Tell. d. 2. s. 2. n. 28. qui laudat S. Thom. M. Albert. Caiet. P. Fons P. Rub. Card. Tolet. PP. Connimb. P. Uall, & Realistas omnes.

4 Tertia sent. asserit, obiectum abstractionis vniuersalis, esse vnam & plures naturas. Ita P. Linc. l. 8. *Dial. Tract.* 1. c. 5. laudans pro se P. Fonsecam, & P. Tell. quia n. 29. problematicum, cui RR. aliqui N N. subscripsere.

Sect. 1. Conclusio: nec est vna Natura, nec Plures.

5 Quarta & nostra sent. tenet, naturam vniuersalem, vt est obiectum, per se abstractionis, obiectiue nec esse vnam nec plures. Ita expresse S Thom. c. 4. *de ente & essent* inquiẽs: *Si quæratur, vtrum ista natura dici possit vna, vel plures? neutrum concedendum est, quia vtrumque est extra intellectum humanitatis, & vtrumque potest sibi accidere: si enim pluralitas esset de ratione eius, numquam posset esse vna; cum tamen vna sit, secundum quod est in Socrate. Similiter si vnitas esset de ratione eius, tunc esset vna & eadem natura Socratis, & Platonis, nec posset in pluribus plurificari.* Et opus. 55. inquit: *Animal, in quantum animal est animal solum, & significat essentiã simplicẽ, quæ ex se non est vna nec multa; vnde significat essentiã, quæ nec est vniuersalis, nec particularis.* Rursum: *Ideo si quæratur, vtrum ista natura possit dici vna vel plures? neutrum concedendum est, quia vtrumque est extra intellectum, id est extra modum abstractiue cognoscendi,* Et infra; *patet ergo quod natura hominis absolute considerata abstrahit a quolibet esse; & hæc natura sic considerata est, quæ prædicatur de omnibus indiuiduis.* Quid clarius? Eadem que reperit opusc. 56. Citati etiam possunt Thomistæ omnes, & nominatim M. Joan Thom. supra *Concl.* 1. & Compl. d. 3. q. 3. n. 22. cum Caiet. & Scoto apud ipsos. Idẽ expresse tenet Spinula ea d. 4. n. 64. confessus, esse S Thom. licet cum Thomistis loqui, & cum S. Th. sentire malit: similiter sentit, ac loquitur P. Polon. supra p. 2. obj. 5. Nobis que accesere præclari RR.

6 Prob. 1. Supponendo ex Met. Ens vt sic, & consequenter quoli-

bet

bet etiam ens, siue vniuersale, obiectiue præscindere ab vnitate tamquã ab attributo secundario entis, quia quidquid est de secundario conceptu minime intrat conceptum obiectiuum primarium, ac proinde hic ab illo præscindit obiectiue, sicut homo a risibili, animal a progressivo. Sed eo ipso quod conceptus obiectiuus naturæ vniuersalis per abstractionem præscindatur obiective ab vnitate, talis natura vniversalis non potest esse vna, nec plures obiective. Ergo natura vniuersalis obiectiue nec est vna nec plures. Mai. & conseq. constant.

Min. ostenditur, quia forma, per quã natura obiectiue intrinsece, & ante omnem fictionem, potest reddi vna vel plures, est tantum modo vnitas entis, quia ab vnitate redditur vnum quodque ens vnũ singulare, & ab ipsa vnitate, vt plurificata, reddantur plura singularia, neque est alia forma a qua vera, & realis obiectiva vnitas, aut pluralitas sumi possit. Ergo si natura vniuersalis præscindit obiective ab vnitate entis, minimè potest obiectiue, vere & absque fictione, vna vel multiplex esse, aut apparere.

7 Conf. Impossibile est quod absque forma constitutiua concreti obiectiue tacta, vel cognita, possit cõcretum obiectiue attingi, vel cognosci: sic enim implicat, quod cognoscatur, vel videatur album, non visa, vel cognita albedine; &c. Sed forma constitutiva tam vnitatis, quã pluralitatis vere, & obiective est vnitas entis. Ergo si hæc obiectiue non attingitur per abstractionẽ naturæ vniuersalis; nec attingi poterit obiectiue natura vniuersalis vere vna, vel plures.

8 Prob. 2. Supponendo præter vnitatem attributalem formalem entis, dari etiam radicalem essentialem, scilicet rationes differentiales, quæ cum dicant interse oppositionem exclusivam, necessario inducunt, & exigunt vnitatem, realiter distinctiuam inter ipsas differentias oppositas; ac proinde ratione suæ diuersitatis afferunt pluralitatem, non solum realem, sed etiam intelligibilem, respectu intellectus, a quo secundum quod diuersæ sunt, adunari minime possunt, sed vt plures intelligibiliter semper debent repræsentari. Tunc sic, sed natura vniuersalis obiectiue præscinditur ab hac pluralitate intelligibili differentiali; aliunde autem nequit concipi vere cum vnitate obiectiua naturarũ conuenientium, cum illa obiectiue careant, vt pote realiter distinctæ. Ergo non potest repræsentari vere natura vt obiectiue vna, nec etiam præscisive, vt obiectiue plures. Ergo obiectiue neque erit vna, nec plures.

9 Confirmatur, & declaratur. Vniuersale non potest concipi cum pluralitate obiectiua differentiarũ, cum ab illis obiectiue præscindat, ex d. 76. nulla autem alia pluralitas obiectiua datur respectiue ad intellectum, nisi differentialis diuersitas ex d. 78. n. 11. Ergo ex hac parte

naturæ

naturæ vniuersali minime ineſt obiectiua pluralitas. Aliunde autem non poteſt illi conuenire obiectiua vnitas, nec realis; cum realiter ut multiplex, vt pote identificata pluribus; nec rationis fictitia, quia redderet fictitium, ac proinde impræ dicabile vere totum vniuerſale, ex ipſa d. 78. a n. 4. nec denominatiua extrinſeca, quia hæc non poteſt ſe habere obiectiue reſpectu actus abſtrahentis, cum ab ipſo formaliter proueniat: nec reſtat alius modus vnitatis poſsibilis. Ergo ex nullo capite erit Natura obiectiue vna; ſicut nec multiplex; vt oſtenſum eſt.

10 Prob 3. ex S. Th. n. 5. Quod vere & realiter prædicatur de vno, non poteſt eſſe obiectiue actu, & ſimpliciter plura: neque quod vere prædicatur de pluribus, poteſt ita ſimiliter eſſe actu vnum; cum vnum, & plura identificati non poſsint, vt ad veram prædicationẽ requiritur. Sed Vniuerſale vere & realiter prædicatur, tam de vno, cum dico, *Petrus eſt Animal*; quam de pluribus, cum dico, *omne ſenſitiuum eſt animal*. Ergo nec poteſt eſſe actu obiectiue plura, vt verificetur de vno; nec obiectiue vnum actu, vt verificetur de pluribus: non enim vere diceretur: *Petrus eſt plura animalia*, ſicut nec: *Homo & brutum ſunt vnum animal*.

11 Confirm. Vniuerſale repræſentatur vt obiectiue præſciſiue *vnum aptum ad plura*, juxta ipſius definitionem. Sed vt ſit præſciſiue vnum debet actu non eſſe obiectiue plura; vt vere ita ſit aptum ad plura debet actu non eſſe obiectiue vnum. Ergo obiectiue actu, & intrincete, nec erit vnum, nec plura.

Vrgetur. Vniuerſale eſt præſciſiue vnum, quatenus obiectiue præſcindit a pluralitate, ex d. 78, eſt item præſciſiuè aptum ad plura, quatenus præſcindit obiectiue a ſingularitate, ſine vnitate repugnante, ſine inepta pluribus, ex d. 80. Ergo obiectiuè nec erit vnum, ne plura, cũ obiectiuè ab vnitate, & pluralitate præſcindat.

12 Prob. 4. Vniuerſale eſt vniuocum, & præſciſiue vnum; ſed Univocationi repugnat obiectiua pluralitas, & vnitati præſciſiuæ obiectiua vnitas. Ergo non erit obiectiue plura nec vnum. Maj. & conſeq. conſtant. *Prima pars min.* oſtenditur; quia Univocatio petit vnum conceptum abſque vlla pluralitate; ideo enim æquiuoca talia ſunt, quibus vniuocatio repugnet, v.g. *canis*, quia ſub vno nomine plures naturas, & conceptus obiectiuè repræſentat; ergo. *Secunda pars min.* eſt manifeſta quia vnitas purè præſciſiua eſt obiectiue pure virtualis, & potentialis, ſcilicet capacitas ad cognoſci præſciſiuum, fundata in reali conuenientia intelligibiliter vna, ex d. 78. at quævis obiectiua vnitas, vt talis obiectiue conueniens, eſt actualis, ſiue poſitiua, ſiue negatiua, ſiue ficta: ergo hæc cum illa repugnat.

Sect. 2. contra Nominales.

13 Reſp. 1. pro pluralitate Nominales: totam vnitatem, & vniuerſalitatem

tem esse in vocibus, eo quod per vnam vocem confusam, & per modum vnius, quoad solam expressionem, obiectum repræsentatur, per Ly *Animal*; licet obiectiue pluralitas differentiarum omnium attingatur, v.g. Bucephalus, Lysiscas, Petrus, Paulus, &c. Eo modo, quo cum a longe figura, vel color confusè videtur, obiectiue attinguntur omnes illius partes, & differentiæ, licet minime visione discernatur, qualis sit. Deinde vero quoad verificationem plurium de singulis, cum vniuersale ipsum prædicatur, solum affirmatur in recto illa, vel illæ naturæ singulares, quæ physice & realiter identificantur cum subjecto: *quia talia sunt prædicata, qualia exiguntur* a subjectis, ex d. 13. n. 12. reliquæ vero naturæ non identificatæ se habebunt velut in obliquo, quod nunmquam requirit identitatem cum subjecto, ad verificandam affirmationem, ex dictis d. 2. n. 12. Unde propositio *Petrus est animal*, sonat, *est vnum ex animalibus.*

14 Contra 1. ex ijs quæ pro præcisione obiectiua vniuersalis a differẽtijs tota d. 76. perpendimus. Tũ quod si cõfuse, seu non clare omnes differẽtiæ attinguntur; cũ ratio vniuersalis clare per definitionẽ sæpius attingatur; redit cõtradictio decantata Nominalium, quod idẽ realiter attingitur *clare, & nõ clare.* Tũ quod incredibile est, quod quoties concipio, vel prædico animal, vel ens de Petro, cognoscam eadem claritate, qua animal, omnia individua animalia vniuersi. Tum quod hoc vniuersalitatis modo gaudent etiam æquiuoca, v.g. *canis, gallus* &c. Quæ sub vna voce, atque adeo per modũ vnius, repræsentant plura diuersa; quorum singula prædicentur de subiecto, iuxta exigentiam illius, Ergo.

15 Contra 2. ab experientia nostri modi concipiendi, qui absque vlla speciei immutatione, & eodẽ modo concipit *animal* ex parte prædicati, dum illud affirmat de Petro, ac dum affirmat de omni sensitiuo, v.g. teste S. Thom. *cap. 5. de ente & essent.* ex Arist. 1. *Perih. c. 1.* aiente: quod *vniuersale æqualiter respicit vnum & multa. Et* 1. *p. q. 47. ar. 1. ad 1. quod totum uniuersale adest cuilibet parti, secundum totam suam essentiam, vt animal homini, & equo &c.* Non autem ita æqualiter totum adesset, si tanta diversitate fonaret; v.g. *Petrus est vnum ex animalibus: Omne sensitiuum est omnia animalia*; quãdo *animal* tum de vno, tum de pluribus prædicaretur. Ergo ea æqualitas arguit quod vnummet prædicatum vtrobique affirmatur. Urgetur. Quia eadem apprehensio prævia, v.g. *animal*, deseruit, vt hoc ipsum prædicetur, tum de Petro, tum de equo, tum de omni sensitiuo. Sed prædicatio iudicatiua attingit ipsummet, & solum prædicatũ, quod in apprehensione præcedit, Ergo ipsummet *animal* obiectiuum vniuersale, quod attingitur, & enunciatur de omni sensitivo, enunciatur etiam obiectiuè de Petro, aut Bucephalo. Ac proindeſi illud esset plura, siue om-

bonuia animalia, quando de omni sensitiuo verificantur, omnia etiam verificarentur de solo Petro: quod absonat.

16 Contra 3. a disparitate termini æquivoci, qui solum habet vnitatem in voce externa; minime vero in voce intellectuali: quia quando concipitur *canis*, sicut est duplex cõceptus obiectivus duplicis naturæ, terrestris, & marinæ; ita etiam in intellectu correspondet duplex formalis apprehensio, quarum vnaquæque deseruit ad distinctas *canis* prædicationes, tum de Lysica, tum de Cane marino. At vero quando prædicatur animal, vel alius conceptus vniuocus, non experimur hanc actus, vel speciei immutationem, vel multiplicationem; sed eadem met apprehensio, & conceptus formalis simplex *animalis* deseruit, vt idem prædicetur de vno, vel de pluribus indiuiduis, aut speciebus inferioribus. Unde etiam idem medium vniuersale in secunda figura prædicatur de duplici extremo, tum vniuersali, tum singulari, pro recto syllogismo; alias reperirentur in illo quatuor termini, si non esset idem medium; non minus quam in syllogismo æquiuoco, & fallaci.] Ergo idẽ met medium, quod prædicatur de vno extremo singulari, prædicatur de alio vniuersali, & multiplici, ac proinde non importat obiectiue vnum, aut plura, sed conceptũ præcisiue indifferentem ad vnum, & plura, & consequenter ab vnitate, & pluralitate præcisum.

17 Contra 4. Quia diuersitas illa variandi recta, vel obliqua, solũ potest in eadem voce externa contingere, non tamen in intellectuali termino, qui non potest variare significationem, vt pote essentialem; vnde quoties variantur recta in prædicatione variatur apprehensio præuia terminorum. At qui experimur, quod eadẽ apprehensio *animal* deseruit, vt illud prædicetur de vno, vel alio vel multis; ergo sine varietate recti in prædicato, ac proinde prædicatur idem met vniuersale in recto tum de vno, tum de multis.

18 Contra 5. ab ipso exemplo visionis. Constat enim ex d. 72. n. 14. quod quando a longe confuse videtur color, vel figura, ideo est, quia partes aliquæ minus perceptibiles obiecti non percipiuntur, ob debilitatem specierum; Ergo pariter, dum confusse cognoscitur vniuersale, illius pluralitas minimè percipitur, nec attingetur obiective.

19 Resp. 2. P. Hurt. P. Arr. P. Alph. &c insistendo pluralitati obiectiuæ, quam ideo dicunt verificari de vno, quia non affirmatur copulatiue, sed tantum disjunctim: dum enim dico, *Petrus est animal*, ita sonat *Petrus est vel hoc, vel illud, vel aliud quod, ex omnibus animalibus.*

Contra 1. Quia in apprehensione simplici *animal*, non datur locus huic disjunctiodi (vt bene cõtra P. Hurt. tenet P. Arr. & pletique R. R.) Tum quia est contra experientiam modi concipiendi. Tum quia disjunctio petit terminum comple-

xum, qui non capitur apprehensione incomplexa, v.g. animal. Tum quia apprehensio *animal* deseruit ad prædicationem de ipso, tanquam de termino copulatiuo & distributivo, vt cum dico, *animal est viuens*. vbi ly animal distributiue supponit pro hoc, & pro illo, & pro omni; ergo per se non supponit disiunctiue; esset enim opposita suppositio; sed præscisiue, & indifferenter ad vtrãque. Tunc sic: Ergo pariter præscisiue & indifferenter intra prędicationem supponit, ac proinde minime disiunctiue. Probatur hæc conseq. contra P. Arr. Quia nihil est iudicatum, nisi quod fuit apprehensum. Ergo si in apprehensione Vniuersalis non fuit prædicati disiunctio, neque predicatio ipsius disiunctiua erit in judicio.

20 Contra 2. Quia terminus disiunctiuus *aliquis homo* non est vniuersalis, sed particularis, juxta omnes DD. Ergo si vniuersale prædicatur, vt terminus disjunctivus, non prædicatur, vt vniuersale, sed vt particulare, ac proinde destruetur vniuersale per prędicationem; quod falsum esse ostendam d. 85.

Urgetur. Ideo juxta RR. non est vniuersale prædicabile, quod objectiue resultaret ex pluribus copulatiue, quia si exprimatur ea pluralitas copulativa v. g. per terminum *omnis homo*, non potest esse prędicabilis de pluribus, tanquam terminus vniuersalis; non enim verificatur de Petro, *quod sit omnis homo*, & sic de alijs. Sed similiter si exprimatur pluralitas disjunctiua per terminum *aliquis homo*, non est vniuersalis, sed particularis. Ergo æque disiunctiua, ac copulatiua pluralitas, destruit vniuersalitatem.

21 Contra 3. quod enim dicunt RR. cum P. Arr. sufficere quod apprehensio copulatiua consisse v. g. *animal*, præcedat repræsentãdo vniuersaliter copulatiue omne animal, ad hoc, vt prædicatio disjunctiua implicita huius, vel illius animalis, dicatur vniuersalis, seu de prædicato vniuersali; minime congruit. Tũ quia pro prædicato disjunctivo, & particulari, nõ potest præcedere, & disponere apprehensio copulatiua, & vniuersalis, alias non præcederet apprehensum ipsum prædicatum, de quo est iudicium; diuersissima enim prædicata sunt disjunctiuum, & copulativum. Tum quia hoc pacto licet prædicatum affirmatum in propositione esset singulare de terminatum, v.g. *Petrus est hoc animal*, posset dici prædicatum vniuersale, si affirmetur similiter sub prævia apprehensione copulatiua vniuersali, *animal*, & sic non requiretur neque disjunctiva prædicatio huius, vel illius.

22 Contra 4. Quia prædicatio disjunctiua mentalis, judicatiua, & seria non habet locum, inter terminos disiunctionis, certo & euidenter repugnantes, apud ipsum met enuntiantem. V.g. ridiculum esset, imo cuiuis prudenti impersuasibile, quod de [illegible] serio affirmaret, [illegible] *Rex, vel Papa*,

pa, vel Dux, vel plebeius; cum hoc tãtum postremũ verificari posse videret. Et similiter quis prudẽter dicat de mure, quod *sit vel Deus, vel Angelus, vel homo, vel viuens imperfectissimũ*; cũ hoc solum postremũ serio affirmare positiue velit, ac possit. Ergo per prædicationes scientificas prudentes, ac seorias non potest adeo ridiculum iudicium de prædicato disiunctiuo efformari, cum vniuersaliter ratio hominis, vel viuentis aut alia similis prædicatur: cum videamus reliquos terminos disiunctionis, præter identificatum, repugnare subiecto.

Sect. 3. contra Realistas.

23 Resp. 3. pro vnitate sua Thomistæ: vnitatem obiectiuam vniuersalis non obstare veræ prædicationi illius de pluribus; quia vnitas illa non se habet, *vt quod*, siue vt res prædicata, sed *vt quo*, & exparte modi prædicandi; eo modo quo per nos vnitas præcisiua, seu non pluralitas.

24 Contra 1. Quia eo ipso quod vnitas illa obiectiue afficiat prædicatum vniuersale; siue illa sit positiva realis formalis, siue negatiua, sive ficta rationis, debet se habere ex parte obiectiui prædicati, vt quid actualiter in illo implicite relucẽs: non minus quam alia prædicata actualia illius; vel etiam fictitia, & rationis: Alias dici posset: Tum quod humanitas Petri esset vniuersalis, quia secundum essentialem conceptum humanitatis esset prædicabilis *vt quod*, de omnibus hominibus; licet non secundum vnitatem singularem, quæ se haberet tantum *vt quo*. Tum similiter, quod *Hircocervus*, posset prædicari de Hirco, & cervo, quia vnitas fictitia solũ se haberet, *vt quo*; sicut vnitas fictitia *animalis vt sic*. Tum, quia eodem modo dicent Nominales, pluralitatem obiectiuam naturarũ, se habere, *vt quo*, & non, vt rem prædicatam. Ergo.

25 Contra 2. Quia quod vnitas præcisiua nostra se habeat, *vt quo*, in prædicatione vniuersalis, ideo est, quia pertinet ad modũ cõceptibilitatis virtualis, cõnotantis præcisionem, seu modum concipiendi, & enuntiandi reflexũ præcisiuum; vade posset explicite optime prædicari, *Quod omne sensitiuum sit realiter vnum animal præcisiue*, seu virtualiter quidditatiue; idest, intelligibiter, vel conceptibiliter secundum præcisiuam vnam definitionem, & quidditatem; sive vt secundum illã apparet similiter ordinarie intellectui. Has enim omnes reflexiones involvit modus enuntiandi præcisiuus, ex præmissis cum S. Th. d. præc. n. 4. At si ponatur vnitas obiectiua vniuersalis non pure virtualis præcisiua, & connotatiua præcisionis, & modi concipiendi; sed obiectiua actualis, siue positiua, sive negativa, quasi formalis in obiecto, prædicari debebit cum illo, quia non pertineret ad modum concipiendi, se habentem, *vt quo*, sed ad rem obiectiuam, se habentem vt quod. Ergo nõ tenet paritas.

26 Resp. 4 Scotistæ cómuniter vnitatem positiuam vniuersalis posse realiter de pluribus affirmari, dicendo v.g. *quod omne sensitiuum realiter est vnum animal secundũ conceptum genericum*; item, quod *Petrus, & Paulus, sunt vnum secundum speciẽ*. Ergo non repugnat quod vnitas positiua verificetur, in prædicatione vniuersalis de pluribus; ac proinde neque quòd ipsum obiectiue constituat.

Contra quia vt d. 75. 7. 80 & passim diximus, eæ prædicationes sunt modo præscisiuo, & reduplicatiuo, secundum modum concipiendi, per Ly, *secundum genus, speciem, quilditatem*, &c. Unde non possunt verificari, secundum esse reale, & ex natura rei, etiam si apponatur terminus, *realiter, physicè*, &c. Quia supra ipsam realitatem reflectit modus concipiendi præscisiuus.

27 Resp. 4 alij Scotistę cũ Poncio, vnitatem obiectiuam vniuersalis esse similitudinariam, vnde optimè dici potest, quod *realiter similitudinarie Petrus est idem cum omni homine*; & quod *omnis homo sunt idem similitudinarie quoad essentiam*. Ergo optimè potest vnitas vniuersalis de pluribus prædicari.

Contra, Licet enim tota veritas vniuersalis tandem refundatur, tanquam in fundamentale remotum verificatiuum, in eam vnitatem fundamentalem similitudinis, & conuenientiæ, ea tamen non sufficit pro vniuersali obiectiuo proximo siue virtuali siue formali: tum propter pluralitatem, quam importat similitudo inter correlatiua; tum quia, vt proximum, vel formale fiat connotat, & exigit modum præscisiuũ cognoscendi; vt probaui d. 75. a n. 12. & n. 39.

Sect. 4. contra homogeneas hæceitates, & exigentias.

28 Resp. 5. docti RR. Pseudorealistæ supponendo, quod duplex sit entis pluralitas: alia heterogenea homogenea alia. *Heterogenea, quæ* prouenit a differentijs diuersificantibus, seu facientibus quod vnum ens non sit *sicut aliud*: & talis est omnis differentia etiam indiuidualis, licet sole at appellari tantum *numerica*; quia eo ipso, quod differentia sit, facit differre, seu disconuenire; & non solum distingui, siue numerari. *Homogenea* pluralitas est, quæ sola propriè dicitur numerica; quia solum distinguit seu facit numerum, non diuersificando, nec faciendo quod vnum ens non sit sicut aliud, sed tantum quod *vnum non sit aliud*. Hæc autem plutalitas prouenire dicitur tantum ab vnitate, seu hæceitate, qua fit *hæc*, & *hæc*, *illa*, & *illa* natura; quin in hac pluralitate appareat diuersitas, quia sicut vna est hæc, ita & alia est etiam hæc, siue omnes omnino similiter sunt una & vna; conveniuntque in hæceitate sicut & in vnitate; ac proinde ab his præscinditur ratio *vnius*. Hoc suppositio,

Inerunt, quod cum respectu intellectus non alia sit pluralitas, nisi

quæ

quâ prouenit a diuersitate ex d. 78 n. 11. consequenter hæc pluralitas homogenea hæcceitatum, non poterit impedire vnitatem intelligibilem propiam vniuersalis: ac proinde conuenienter natura vniuersalis cum suis hæcceitatibus a singularitatibus præscindetur, & ita merito ac iure hæcceitatum, de singularibus prædicatur propia natura vniuscuiusque singularis, sub eo termino vniuersali contenta. Atque ita salua consistet veritas prædicationis, dum nõ aliud prædicatur quã quod identificatur cum subiecto, & per ipsius hæcceitatem exigitur. Aliunde autem vnitas vniuersalis manet illæsa, per pluralitatem hanc pure numericam, & homogeneam.

29 Contra 1. Iudico namque falsissimum quod inter entia fieri exercité possit numerus absque aliqua diuersitate, vnde *in lib. de anima*, individua omnino similia contra P. Arr. protsus reijciam. Tũ quia eo ipso quod vnum non sit aliud; vni conuenit negatio, & exclusio alterius, quæ alteri exclusо minime cõuenit, cum se ipsum non excludat: sed quãdo vni conuenit vnũ prædicatũ proueni quod alteri non cõuenit, datur in illis discõuenientia; & consequenter diuersitas, vt patet. Ergo. Tum quia vnitas est attributum entis, tã in vniuersali, quam in particulari, vnde illud supponere debet essentialiter vltimo cõstitutum, ac proinde cum suo differentiali vltimo constitutivo in eo gradu entis, ergo vnitas semper supponit ens constitutum, vt diuersum per suam vltimam differentiam ab omni alio; ergo eo ipso quod faciat, vnum non esse aliud, supponit in ente differentiam, per quam non est sicut aliud. Unde si præscinderetur natura cum suis vnitatibus & hæcceitatibus, supponeretur etiam præscissa cũ suis differentijs, in quibus vnitates, & hæcceitates radicantur.

30 Vrgetur 1. Quia ab hoc, & hoc animalibus potest præscindi ratio animalis, vt ipsi Aduersi. fatentur, concedentes propterea individua immediata generi, vt infra discurabimus; & sic a pluribus quibuscumque cognitis ut pluribus, conuenientibus in quauis ratione, potest ratio conueniendi præscindi, relicta pro ratione differentiali sola illa ratione pluralitatis numericæ, per hæcceitates, quas vocant homogeneas; ergo hæ erunt differentiales, & proinde heterogeneæ.

30 Urgetur 2. Et aprioti, Quidly *hoc*, siue *hæcceitas*, est formalitas demonstratiua individui, vt exercite talis, per ordinem ad accidentia sensibilia, hic & nunc individuantia, siue quæ tantum nobis individuationẽ demonstrare possunt, juxta illud, *Forma, figura locus*, &c. Ut circa pronomen *hoc*, & *hic*, formę Eucharisticæ tradunt DD. cum S. Th. 3. p. q. 78. a 5. Unde non sumitur hæcceitas pro sola vnitate signate tali, in qua cõueniunt omnia entia, sed pro differentia, & diuersitate exercite, & explicite tali, ac proinde individuali saltem incompleta (nam com-

plcta

plera est Petreitas, Pauleitas &c.) Quia in ratione *huius* non conuenit vnum ens cum alio, nisi conuertatur cũ ratione *vnius*. Sed quæ ita exercite sunt rationes differẽdi, sunt differentiæ prorsus heterogeneæ. Ergo hæcceitates Naturarum singularium minime homogeneæ esse possunt.

32 Cõtra 2. Quia diruto hoc fundamẽto ruit tota machina huius doctrinæ, nixa fundamẽto homogeneitatis. Tũ quia si hæcceitates sunt heterogeneæ, obiectivus cõceptus naturæ vniuersalis erit æquivocus, cũ contineat diuersitatem rationum, non minus quam *Canis*, *Gallus* &c. Tum quia si naturam præscissam comitantur hæcceitates differẽtiales, similiter & aliæ differentiæ comitari debebunt; cum sint æquæ identificatæ. Tum demum quia sicut natura vniuersalis v.g. animal indifferens est vt sit rationale, vel irrationale, ita est indifferens vt sit *hoc*, vel *hoc*, vel *illud*: ergo si, non obstante hac indifferentia, non præscinditur ab hæcceitatibus propter identitatem, pariter neque ab alijs differentijs. Uel si ab his præscindatur; ergo & ab illis. Quod si recurras ad specialem exigentiam, reijcieris n. 35.

33 Contra 3. Quia quomodo cũque admittatur hæc pluralitas hæcceitatum in conceptu obiectiuo vniuersalis, redder illius prædicationem omnino falsam; tam enim falsum est, quod Petrus sit hoc, & illud animal, quam quod sit rationale, & irrationale; ergo non minus falsa erit prædicatio vniuersalis, si conceptus obiectivus animalis prædicatus de Petro, inuoluat hoc & illud, quam si inuolueret rationale, & irrationale. Quod si recurras ad disjunctionem, hæc æqualis erit pro hæcceitatibus, ac pro differentijs; & contra vtramque satis sunt dicta a n. 19. Si vero cum alijs dicas, verificari naturam intensiue secundum definitionem, non extensiue secundum hæcceitates. Iam deseres tua castra, & obiectiue præscindes per prædicationem naturã, secundum intensiuum, ab illius extensiuo secundum hæcceitates, quæ non prædicantur.

34 Resp. ergo 6. alij RR. cum P. Mirã: naturam vniuersalem obiectiue præscissam (loquũtur enim hac præscisione suppositã) esse tantum virtualiter plures seu multiplicem, non vero formaliter; quia habet exigentiam radicalem vnitatum, siue homogeneitatũ hæcceitatũ. *Quia* cum vnitas sit attributum separabile ab ente, habent enim mutuam, & determinatam exigentiam essentiæ, & attributum ad invicem; non sequenter ab hac exigentia nullum ens aut natura vniuersalis, imo nec singularis poterit obiectiue præscindi. Hæc autem exigentia vnitatum redder naturam quasi *exigitiue*, radicaliter, & virtualiter plures, licet formaliter plurificata non sit. Atque ita saluatur vnitas sufficiens pro vniuersali, cum multiplicitate aliqua necessaria pro illius verificatione de pluribus.

35 Con-

35 Contra 1. Quia redeunt omnia incommoda adducta a n. 29 contra hæceitates. Tum quia non minus repugnat verificari de vno, quod exigat pluralitatem, siue sit plures radicaliter, quam quod sit plures formaliter: ergo æque vtraque pluralitas excludenda est ab vniuersali, vt illud de vno verificari possit. Tum. Quod sicut de hæceitatibus ostensum est esse heterogeneas, ita tales etiam infertur fore earum exigentias, cum juxta terminorum diuersitatem, diuersificentur exigentiæ, sicut quęvis relatio specificatur, & diuersificatur a termino: ergo non minus fiet æquiuocum vniuersale, si obiectiue inuoluat exigentias diuersas, quam ab hęceitatibus esset. Tum quia sicut ab hoc, & hoc, & illo animali potest pręscindi animal; ita, & exigentia ab hac, & illa; vnde exigentiæ ipsæ habebunt suas hæceitates differentiales, quæ diuersificent vniuersale, & æquiuocum faciant.

36 Contra 2 Quia in conceptu obiectiuo vniuersalis non potest exigentia vnitatum reperiri: alias etiam exigentia differentiarum in illo reperiretur; quia exigentia inter terminos identificatos nihil est aliud, quam eorum identitas necessaria; sed non minus necessariam identitatem habet Natura vniuersalis cum suis differentijs, quam cum suo attributo, sicut enim sine hoc realiter existere nequit ita nec sine aliqua suarum differentiarum. Ergo non minus includeret exigentia differentiarum, quam attributorũ & vnitatum.

Quod si disparitatem opponas, eo quod necessitas identitatis cum attributis est determinata, e contra indeterminata cum differẽtijs. Cõtra est. Tum quod saltem exigentia exigentiæ indeterminatæ differentiarum determinata est. Ergo saltem ab hac præscindi non posset vniuersale. Tum quod etiã exigentia indeterminata potest esse essentialis, vt in materia prima exigentia indeterminata formarum; in voluntate, & causa indifferenti ad oppositos effectus exigẽtia alterutrius: ergo pariter in vniuersali.

37 Contra 3. ratione a priori. Quod exigentia inter terminos idẽtificatos, cum talis proprie non sit, eo quod non possit esse relatio propria, & realis, sed solum secundum dici, ex d 80. n. 1, & 13. cõsequenter nihil est aliud, quã identitas ipsa terminorum, concepta per modũ inseparabilis connexionis & necessariæ consequentię eorum: qualis est etiam inter definitionem, & definitum, inter quæ propria exigentia objectiuè superaddita concipi nequit, cum sit eadem indiuisibilis formalitas. Cũ ergo hæc inseparabilitas identica inter terminos idẽtificatos nõ sit ab ipsis objectiue distincta, quia idẽtitas est formalissime eadẽ entitas terminorũ quorũ est identitas; inde est quod si termini identificati non sint de essentia, seu de conceptu obiectiuo termini exigentis illos, nec eorũ exigẽtia de illo esse possit. Vnde prop-

terea

rea neque exigentia differentiarũ, neque attributorũ est de essentia, aut de conceptu obiectiuo naturæ vniuersalis, quia ipsę differentiæ, & attributa de illo non sunt. Quod non ita contingit in exigentia relatiua realiter, & proprie tali, quæ cum non identificetur terminis, licet hi de essentia non sint, ipsa relatio de essentia esse potest, vt in materia prima exigentia formarũ, in Natura physica ignis, v. g. exigentia proprietatum. Ergo fit, quod exigentia vnitatum tã extra essentiam seu conceptum obiectiuum vniuersalis esse debeat, quam exigentia differentiarum, & quam ipsæ vnitates, & differentiæ sunt extra illum.

Sect. 5. Obiectiones.

38 Obij. 1. pro 1 *sent.* Obiectum actus abstrahentis vniversale est natura v.g. humana, in qua Petrus, Paulus &c. realiter, & physice conueniunt. Sed natura, in qua realiter, & physice conueniũtt est obiectiue multiplex seu plures, quia est natura quæ datur à parte rei, & consequenter multiplicata realiter; ergo.

Resp. dist. mai: obiectum actus abstrahentis est natura, in qua realiter conueniunt, pro vt est realiter & a parte rei, neg. pro vt est intelligibiliter obiectiue præscindibiliter, & virtualiter distincta a rationibus plurificãtibus, conc. Quia solum cognoscitur & attingitur vere, & realiter, secundũ quod est ratio conueniendi, omnino præscindibilis a rationibus differendi, illã plurificantibus, vt patet ex d. 76.

39 Obij. 2. Obiectum vniuersalis debet esse verificabile, seu vere affirmabile de pluribus etiã physice, & realiter, vt patet; sed de pluribus physice, & realiter verificari non potest, nisi quod realiter, & simpliciter est plura; ergo obiectũ vniuersalis est realiter, & simpliciter obiectiue plura.

Resp. communiter Thomistæ quod licet non possit verificari vnum de pluribus quoad rem prædicatam, bene tamen quoad modũ prędicandi. Sicut etiam econverso plura prædicantur de vno quoad modum prædicandi disiunctiuum licet non quoad rem prædicatam; v.g. cum dicitur: *Petrus est albus, vel niger; currit, vel sedet*, tota res prædicata verificari non potest, alias vtrumque contrarium verificaretur; potest tamen verificari ex modo prędicandi disiunctiuo. Addunt etiam, totum vniuersale verificari *intensiue* de singulari, secundum essentiam videlicet, & definitionem, non tamen *extensiue* secundum pluralitatem, quam saltem potestative extra conceptum obiectivũ continet. Addunt præterea, *aliud esse prædicatum, quod affirmatur in propositione: aliud id, mente cuius propositio verificatur*, vt est familiare proloquiũ apud Conimb. q. 3. *hic art.* 1. §. ad maiorem, & P. Santacruz n. 563. vt patet in ipsa propositione disiunctiva. *Iudas vel est damnatus, vel sal-*

uus

vus, vbi prædicatum est tam damnatio, quam salus Iudæ: verificativum autem prædicationis est sola Iudæ damnatio. Pariter ergo licet totum vniuersale obiectivũ sit prædicatum propositionis, at verificativum illius est sola singularis natura realiter, & fundamentaliter idẽtificata cum subiecto singulari.

Hæc solutio, licet veritatem attingat, satis illam non explicat, cũ per illam vnitas obiectiua vniuersalis indicatur, quæ minime cum veritate prædicationis conciliari potest. Ideo sit

40 Contra 1. Quia impossibile est quod modus prædicãdi verificetur, nisi res prædicata vera sit, seu conveniens subiecto; imo inde modus prædicandi est verus, quia eo modo vere conuenit prædicatum: vt patet in ipsa affirmatione disjunctiua cursus, vel sessionis Petri, quæ ideo vera est, quia alterutra obiectiua veritas est necessaria inter opposita; ergo si modus prædicandi vnum de pluribus est verus physice, & realiter; aliqua vnitas ponenda est in obiecto, quæ physice, & realiter ita verificari possit. Hæc autem nulla vnitas actualis positiua, vel negatiua, vel rationis esse poterit, nisi tantum præscisiua virtualis, vt ostensũ est, & rursum patebit n. 12. Ergo.

41 Contra 2. Quia licet propositio disjunctiva verificetur, ratione vnius tantum termini disjunctiui: non tamen ita, vt hoc verificativum possit esse extra conceptum obiectivum prædicati, quia illud æque attingitur obiective, ac reliqui disjunctivi termini nõ verificatiui propositionis. Et ratio est, quia propositio verificari nõ potest, nisi ratione sui propij obiecti, cũ ab eo quod res obiectiua est, vel nõ est, propositio dictatur vera, vel falsa. Ergo si natura singularis est verificatiua tantũ prædicationis, erit etiam propie immediate, & per se ipsius prædicationis vniuersalis obiectum; quod est falsũ, quia ab omni singularitate præscindit. Vnde proloquium illud dialecticum ita intelligi debet, vt verificativum sit aliud ab obiecto propositionis tantũ præscisive, nõ vero exclusiue, ita vt non sit obiectũ illius.

42 Resp. ita q̃ longe facilius ex d. 78. n. 11. & d. 80. n. 11. dist. maj: obiectum vniuersalis debet esse vere, realiter affirmabile de pluribus præcisiue, conc; positiue, neg. Dist. similiter min: sed quod verificatur de pluribus physice, & realiter debet esse plura; si verificetur positiue de illis, conc; si pure præscisiue, neg. Quia verificatio præscisiua solum affirmat, quod prædicatũ ex vi conceptus obiectiue præscisi, & reflexe ita considerati, non repugnat realiter, & physice, seu non dicit realem, & physicam repugnantiam cum pluribus; sive quod præscindit a rationibus differentialibus repugnantibus subiecto. Ut vere ita præscindit, seu præscinditur *animal* i. g. quod in conceptu suo obiectiuo nullam involuit repugnantiam respectu specierum, vel singularium sibi inferiorum, de quibus prædicatur.

Unde licet affirmatio illa per terminos *physice, & realiter, &c.* videatur affirmare prædicatũ, vt est physice, & realiter a parte rei; non ita fit; sed reflectit supra ipsũ esse physicum, & reale a parte rei existens, vt iam est abstractiue, & intelligibiliter præscisiue in prævia abstractione illud præscindente; quia prædicatio vniuersalis procedit cum ea reflexione scientifica supra cõceptus obiectivos essentiales, vt opus est pro prædicationibus scientificis & infallibillibus, ex d. præc. n. 4. 21 & 27.

43 Obij. 3. Et replic. Propositio *Petrus est homo*, saltem ex parte subjecti, affirmat per ly *est* positiuam identitatem, quia Petrus positiue, & actu includit identitatem cum homine; ergo etiam ex parte prædicati identificat positiue terminum vniuersale cum subjecto; identitas enim positiua, vt talis, ad terminum positiuè terminari debet.

Resp. quod sicut in physicis eadem vnio compositi vnit, vel afficit materiam formæ susceptiue, seu subjectiue, formam vero informatiuè: & vnio hypostatica humanitatem perfectiuè, & mutatiuè, verbum vero purè terminatiue, quia juxta qualitatem, & exigentiam termini vniti, importat suam afficientiam, sive modum vniendi; ita prædicatio vniuersalis, quæ suo modo copula, & vnio est ex d. 4. & 5. afficit, seu vnit subiectum positiue, prædicatum vero præscisiue, juxta vniuscuiusque termini naturam. Quia cum subiectum singulare apprehẽdatur prævie secundum prædicata, quæ habet à parte rei materialiter identice, & in singulari, é contra vero vniuersale apprehendatur abstractiue per præcisionem obiectiuam, & reflectendo supra illam enuntietur de subiecto: consequenter identitas, siue vnio obiectiua, quæ est eadem entitas terminorum ex d. 6. attingetur, vt positiua identica ex parte subjecti, & præcisiua ex parte prædicati. Ita scilicet, vt identitas præcisiua prædicati fundetur, & verificetur fundamentaliter ratione subjectiuæ, & materialis identitatis cũ natura singulari, quæ in subiecto reperitur, licet quod formaliter enuntiatur præscisiue, sit ipsum præscisivum prędicatum, quod, vt præscisiue non repugnans tantum verificatur, vt nuper explicui.

44 Obij. 4. In prædicatione vniversalis de singularibus, prædicatũ non verificatur, secundum *totum* quod dicit de vno singulari; alias nõ restaret aliquid ipsius, secundum quod verlficaretur de alio; ergo datur obiectiue aliquid, & aliquid, vt de pluribus verificetur.

Conf. 1. Prædicatũ obiectivum, *animal* v.g. vel est adæquate idem cum Petro? & sic erit singulare, & non prædicabile de pluribus; vel non est adæquate idem? & sic involuet aliquid distinctum, & non prædicabile de Petro: nec potest ab vtroque præscindi; quia inter contradictoria non datur medium præscisionis. Ergo.

Conf.

Conf. 2. Quia in creatis repugnat quod vnum, & idem prædicatũ realiter identificetur pluribus; ergo implicat, quod idem, & vnum viuersale pluribus identificetur; ac proinde, vt identificari, & verificari possit de illis, debet esse plura.

45 Resp. ad arg, dist. antec. totum vniversale non verificatur de singulari, secundum intensivũ quod obiectiue importat, & præscisiue, *neg*, secundum extensiuum, quod potestatiue cõnotat ex parte inferiorũ positiue, *conc*. Tota enim essentia v. g. hominis, secundũ intensivam definitionem præscisivè, seu totalitate præscisiua, de singulis prædicatur, licet non secundum singularitates, a quibus præscinditur. Adde præscindere prędicationem à totalitate, vel non toralitate, positiua, & negativa, vt jam dicam.

Ad 1, Conf. Prædicatum vniuersale, v. g. animal, præscindit ab omni identitate, tam adæquata, quam inadæquata cum singularibus. Vnde positiue nec est idem, necnon est idẽ cum illis, quia etiam a contradictorijs præsciuditur, quãdo neutrũ est de essentia, & obiectiuo conceptu termini; vt *animal* neque est *rationale*, nec *irrationale*, aut non *rationale*.

Ad 2. Conf. In creatis optime potest vnum præscisiuum identificari præscisiue cum pluribus, vt vniuersale cum inferioribus; non tamen vnum positivum, seu singulare, positiue identificari potest, vt in Diuinis natura cum Personalitatibus.

46 Obij. 5. Vniuersale importat intrinsece exigentias differentiatũ: quia intrinsice est vnum aptum ad plura; hæc autem aptitudo nihil est aliud quã intrinseca capacitas identitatis cum pluribus, quæ est formalissime exigentia plurium. Ergo per has exigentias obiectiuas pluri ficabitur saltem virtualiter.

Conf. Quia omnis essentia dicit radicalem exigentiam proprietatũ, & attributorum, vnde ens radicaliter est vnum, verum, & bonum; ita natura Diuina radicaliter subsistens, omnipotens &c. Ergo vniuersale importat radicales vnitates attributales, per quas virtualiter multiplicetur.

47 Resp. ad arg. neg, antec; quia aptitudo vniuersalis non est positiva, seu actualis, seu actu simpliciter talis, sed solum virtualis, præscisiva, siue *non ineptitudo*, ex præscisione ab omni ineptitudine differentiarum, ex d. 80. á n. 9; vnde non potest esse exigẽtia simpliciter, quæ consistere debet siue in relatione, siue in identitate positiua cum inferioribus. Ut constat ex dictis.

Ad Conf. neg. antec. Essentia enim solum dicitur radix respectu attributi idẽtificari, secundũ dici, quia cõcipitur instar essentiæ seu naturæ physicæ, quæ est radix proprietatũ, vt ignis respectu caloris. Eo modo quo in Deo datur potẽtia, seu actus primus intelligendi solum secundũ dici respectu intellectionis, *in meo sent.* & juxta omnes DD. datur in ipso potentia ad existendum, & essendum, solum in subsistendi consequentia.

quentia, siue in necessaria connexione, & illatione veritatis ab actu ad potentiam, quæ non arguit prædicatum obiectiuum potentiæ, vel ratio dicis, sed tantum modum concipiendi instar illius, ex fundamento inde parabilitatis vnius veritatis ab alia. Pariter ergo ens, non obiectiuè, sed solum secundum dici, vnum vel plura dici posset radicaliter, sicut, & essentia; vel ad summum denominatiuè, sicut homo dicitur risibilis, vel etiã coloratus, calidus, &c. Nec vniuersale respectu vnitatum habebit exigentiam, sed solam consequentiam modi concipiendi, fundatam in connexione veritatum, quæ solum secundum dici, vt exigentia concipitur, ex n. 37 Adde quod ens atque adeo etiam Vniuersale, non est radix vnitatum, sed vnitatis, solum enim entia pluraliter vnitates exigunt, vt d. 79, dictum est. Ergo potius esset radicaliter vnum, quam plura. Etiam absque dubio denominatiuè dicetur animal, esse vnum, sicut dicitur verum, bonum primo intentionaliter adiectiuè; & sicut Deus est adiectiuè omnipotens, immensa, quasi per formam metaphysicè adiectam; & homo formaliter risibilis, coloratus, &c. quin ea prædicata in conceptu obiectiuo essentiali reperiantur, adhuc secundum exigentias, ex dictis n. 37.

48 Obij. 6 Hæcceitas idem est ac vnitas entis, sed vnitas est ratio conueniendi, siue in qua omnia entia conueniunt; omnia enim cõueniunt in esse vnius; ergo etiam hæcceitas erit ratio conueniendi, ac proindè hæcceitates non diuersificabunt Naturam vniuersalis, licet in illa includantur.

Resp. dist. maj. hæcceitas est idẽ ac vnitas, sumpta implicitè signate, vt præcisè est ratio conueniendi: concedo; sumpta exercite, explicitè, vt est ratio exercite plurificandi, & faciendi *hoc*, & *hoc*, nego. Sicut enim ratio individui implicite est ratio conueniendi, & præscinditur vniuoce ab omnibus individuis, nõ tamen explicite, vt exercitè est ratio differendi, quia sic jam est Petrus, & Paulus, vt dicã in Metaph. ita hæcceitas. Vnde licet possit dici quod omne ens est vnum, est individuum, est hoc, non tamen quod est *hoc*, & *hoc*; quia, vt explicans pluralitatem, jam dicit hæcceitates pluraliter, & prout sic sunt rationes differentiales: atque hoc modo non possunt in conceptu vniuersali vniuoco reperiri obiectiuè, quia reddetetur æquiuocus.

49. Obij. 7. pro 2. *sent.* Vniuersale habet individuationem in conceptu obiectiuo secundum essentiam, & definitionem v. g. *animalis*, vel *hominis*, secundum quam non potest dici, quod habeat plures essentias. Sed eo modo quo cõuenit individuo, conuenit vnitas; ergo.

Resp. dist. maj. habet individuationem præscissiuam, seu virtualem, concedo; positiuam siue actualem, quæ actu sit in conceptu obiectiuo, neg. Constat ex s. 1. & ex d. 78. & sæpius.

50 Obij.

50 Obj. 8, Prædicatio vniuersalis verificatur per nos sub vnitate præcisiua abstractionis, quia reflectit intellectus supra illam, & prædicat naturam, vt præcisive apparentẽ. Ergo pariter verificari posset reflectendo supra vnitatem fictam, & prædicando naturam, vt ficte apparentem.

Resp. neg. conseq; quia verificatio obiecti, vt falsò cogniti, potius est falsificatio simpliciter ipsius obiecti; sicut dicitur quod chymæra vere sit falsum viuens; & idolum vere sit falsus Deus. Vnde omnes scientiæ simpliciter falsificarentur, si earum enuntiationes solum sub reflexione fictæ vnitatis de prædicato vniuersali euaderent veræ. Quod non ita contingit in abstractione, cuius non est mendacium, nec falsitas, vt fert axioma dialecticum.

51 Obij. 9. pro 3-*sent*. Vniuersale obiectiuum est ratio conueniendi, in qua est vnitas; sed etiam est conuenientia, in qua est pluralitas conuenientium, sine quibus conuenientia, vt talis, vt potè correlatiua inter plures, saluari nequit. Ergo datur vnitas, & pluralitas in vniuersali obiectiuo. Maj. & conseq. constant, Min. prob. quia ratio conueniendi est obiectiue formalissime ipsa conuenientia, nec potest assignari quid sit aliud. Ergo.

Resp. Concessa Maj. quia vniuersale est ratio conueniẽdi, in qua est vnitas præcisiua: dist. min, sed etiam est conuenientia, secundum quod ipsa est cognoscibilis præcisiue vt ratio conueniendi per modũ vnius, sine pluralitate correlatiua ipsius, vt est conuenientia plurium, conc; vt cognoscibilis, secundum hanc pluralitatem correlatiuã, neg. Et similiter dist. prob. nec egget maiori explicatione.

52 Obij. 10. Vniuersale, non solum est vnum, sed etiam est totum potestatiuum continens plura, vt infra dicam de *Genere*; sed continet plura per identitatem; ergo est obiectiue plura. Nec amplius voluit P. Lync. quem immerito pro se citant RR.

Resp. Eo ipso quod tantũ sit pluralitas potestatiua in vniuersali, ea non est actualis, seu formalis obiectiua, sed tantum potentialis, seu aptitudinalis præcisiua, de qua non est dubium.

DISPVT. LXXXIV.

Vtrum natura ab vno tantum individuo præcissa sit vniuersalis?

1 PRima sent. neg. cum P. Aml Tr. 2. Dub. 3. & 6. P. Ouied cont. 4. p. 7. P. Arr. P. Tell. & RR nost. communiter.

2 Secunda sent. affirmat cum P. Suar. d 6. s. 6. n. 11. P. Smigl. d. 4. q. 4. P. Hurt d. 5. 6. 111. P. Alph. d. 4. s. 4. n. 35. P. Peynad. tr. 2. d. 5. s. 2. n. 25. P. Quiros d. 30. s. 3. P. Polon d. 3 q. 1 Caram. n 494. Spin. d. 5. s. 6. post Thomist. & Scotist.

Stat. 1. Concilij sententias.

Tertia nostra sent. vtramque conciliat,

citur, duplici conclusione.

3 Prima Concl. supposito, quod natura ita sit ab vno tantũ individuo secundum quid abstracta, vt aliquid obiectiue retineat, ratione cuius illa *tanteitas* abstractionis obiectiue tãgatur, minimè erit vniuersalis, respectu omnium quos terminus communis complectitur.

Prob. Quia dupliciter potest in natura obiectiua relucere *tanteitas* illa, siue quod tantum sit natura abstracta a Petro v.g. *Primo* si Natura secum ferat aliquam hæcceitatem, ratione cuius concipiatur, vt hæc humanitas. v.g. *Petrina* Sed ita certum est, non posse prædicari de alijs quam de Petro, cum nullus alius esse possit hic homo, scilicet Petrinus; ergo non est communis nec prædicabilis de pluribus, ac proinde nec vniuersalis.

4 *Secundo*, si concipiatur, vt abstracta a solo Petro, quatenus obiectiue tãgitur, vt cõtracta ad alias singularitates præter Petrinam, aqua solum abstrahi debet, vt pote a solo Petro abstracta, ac proinde vt non abstracta a reliquis præter Petrum, sed ad omnes alios homines contrahibilis; qualis est ratio *hominis non Petrini*: sed hoc modo natura non erit vniuersalis respectu illius, ac nõ solum abstrahitur, sed tantũ respectu omnium aliorũ hominũ ad quos contrahibilis est ratio hominis non Petrini. Ergo.

5 Secunda Concl. Si natura ab vnico individuo sit simpliciter abstracta, nullam dicens hæcceitatem, & differentiam; tunc negandum est quæstionis suppositum, quod possit esse abstracta ab vnico tantum individuo, eo scilicet per cuius speciem præscinditur; vnde, & erit simpliciter vniuersalis.

Prob. 1. Quia eo ipso, quod Natura simpliciter abstrahatur a Petro v.g. obiectiue nullam dicit differentiam individualem, nec ipsius Petri nec item Pauli, aut alterius hominis. Sed eo ipso quod nullam dicat differentiam individualem, obiectiue, abstrahitur obiectiue ab omnibus differẽtijs individualibus hominum, nihil enim aliud est ab illis obiectiuè abstrahi, quam ipsas obiectiue non dicere. Ergo eo ipso quod Natura abstrahatur obiectiuè simpliciter a Petro, abstrahitur obiectiue simpliciter ab omnibus differentijs individualibus hominis. Sed eo ipso quod ab omnibus differentijs individualibus, atque adeo, & ab omnibus individuis abstrahatur, est vniuersalis respectu omnium hominum. Ergo eo ipso quod natura ab vno individuo simpliciter præcindatur, præscinditur ab omnibus eiusdem naturæ, atque adeo erit vniuersalis respectu omnium; & implicatoriè supponetur quod ab vno tantum abstrahatur.

6 Prob. 2. Quia natura v. g. Humanitas ita simpliciter prascisa a Petro, vel in Petro, nec habet vnitatem, & hæcceitatem *Petri*, cum ab illa præscindat; nec pluralitatem hæcceitatum aliorum hominũ, cum illas non possit involuere in Petro:

atque

atque adeo nec erit vna, nec plures obiectiue. Sed natura quæ nec vna nec plures obiectiue est, vniuersalis esse debet, ex *d præced.* Ergo natura simpliciter præscisa a Petro debet esse vniuersalis.

7 Prob. 3. & a priori. Quando Natura abstrahitur simpliciter ab vno tantum individuo v.g. Petro, per terminum *Homo*, v.g. idem met objectum seu conceptus obiectiuus repræsentatur, ac si abstraheretur a Ioanne, vel a singulis alijs, vel ab omnibus simul hominibus. Atqui si ab omnibus simul præscinderetur esset conceptus obiectivus vniuersalis. Ergo etiam præscisus a solo Petro vniuersalis similiter erit. Minor, & conseq. liquidæ sunt.

Maj. ostenditur. *Tum* ex natura speciei intentionalis, quæ eadem omnino est pro obiectis, quæ nullam obiectiue important differentiam, & diuersitatem, vt ex *lib de Anima*, prænoti d. 78. n. 11. Cum autem Humanitas, quæ est in Petro, secundum præscisam illam rationem conueniendi, obiectiue nullam importet differentiam, & diuersitatem a reliquis hominibus, vt patet; fit vt eadem ipsissima species tam impressa, siue virtualis, quam expressa formalis, siue cognitio, repræsentet Naturam humanã, quæ est in Petro, ac illam quæ est in quovis alio, vel in omni homine, secundum quod obiectiuè importat præscisam rationẽ conueniendi. Ita quod idem terminus formalis, *Homo*, siue eadẽmet cognitio *hominis*, secundum, se excitata per speciem Petri, vt hominis, excitari posset per speciem Pauli, vel alterius, vel etiam omnium hominum, vt præscise conuenientium in *esse hominis*. Sed quoties est eadem met species, & cognitio, idem met obiectum, & conceptus obiectiuus esse debet; si enim distinctum esset obiectum, distincta esset cognitio, quia hæc variate non potest obiectum, vt pote essentialiter determinatè cum illo connexa. Ergo si eadem est cognitio, quã abstrahitur *homo* a Petro, ac ea qua abstrahitur a Paulo, vel a singulis alijs, vel ab omnibus hominibus; idem etiã erit objectum, vel cõceptus obiectiuus hominis vtrobique abstractus. *Tum* Quia alias numquam erit idem conceptus obiectiuus vniuersalis, cum numquam ab eisdem hominibus numero, abstrahatur ratio *hominis*, quia vnusquisque solum cognoscit homines sibi proximiores sensibiliter; vnde longe alia erit ratio hominis, quam Romæ, ac Limæ præscinderemus. *Tum* quia nunquam contingeret, quod ab omni homine vg. ratio vniuersalis præscinderetur, quæ omnia singularia sub se continet; si solum juxta species quas in singulari, & sensibiliter habemus de obiectis, vniuersalis ratio præscinderetur, cum nunquam omnium omnino hominum singularium (idẽ est de alijs naturis) species in singulari, & sẽsibiliter habeamus. Quæ omnia absurda sunt; & de medio tollunt Scientiam de Vniuersalibus.

Sect. 2. Obiectiones.

8 Obij. 1. Solam potest per abstū attingi natura, quæ immittit potentię speciem reptæsentariuō sui: sed quando abstrahitur Natura Petri, sola hæc natura immittit speciem sui; ergo sola natura Petri per eam abstractionem attingitur; ac proinde quæ sit singularis, & minimè vniuersalis.

Resp. neg. majoris, & minoris suppositum, quod Natura sit quæ mittit speciem immediatam intellectui, solum enim accidentia sensibilia propria hominis speciem sensibilem, & materialem mittunt, ex hac autem eiusque cognitione phantasticâ intellectus agens sumit, & abstrahit aliam speciem discursiuam, mediatam, intelligibilem, & purè spiritualem, per quam in illis accidentibus cognoscit naturam humanam abstractiuè, siue in singulari per abstractionem à sola sensibilitate; siue in communi per majorem abstractionē, etiam a differentijs, & singularitatibus: ex d. 8. n. 2. & d. 65. n. 10. & 11. & d. 86. q. 2.

9 Dato ne go naj. Quia sicut ex speciis sensibilium sumit, & abstrahit intellectus speciem, qua cognoscit Naturam non sensibilem, seu sensum non percipientem ex specie *naturæ sensatæ* v. g. Petri, sumit, & abstrahit speciem abstractam, qua cognoscat naturam humanam in communi, etiam si Petrus ita abstractè consideratus, non sit homo, secundum quod præcisè est homo, siue animal rationale. Vnde tūc per speciem immediatam de singulari homine, excitatur tum ad speciem, tum ad cognitionem hominis in communi; sicut per speciem sensibilē juuenis alati, excitatur ad speciem, cognitionem q intelligibilem Angelicam in singularitas speciei immediatæ sensibilis, tollit vniuersalitatem speciei abstractæ intelligibilis. Atque ita fit, vt idem conceptus objectiuus vniuersalis hominis abstrahatur, siue species immediata sumatur a Petro, siue ab aliquibus, siue ab omnibus hominibus; dummodo æque simpliciter abstractus sit a differentijs omnibus.

10 Obij. 2. Et replic. *species* intelligibilis vniuersalis dependet, vt a causa mediata sua, ab specie sensibili, pro varietate autem causæ variantur effectus. Sed species *sensibilis* singularis variatur, juxta varietatem singularium, a quibus emittitur, & causatur. Ergo etiam *juxta* varietatem singularium, *variabitur* species intelligibilis vniuersalis, & consequenter etiam conceptus objectiuus variabitur.

Resp. dist. maj. Species intelligibilis vniuersalis dependet, vt a causa sua mediata, scilicet simultanea cum intellectu agente, ab specie sensibili, indeterminatè, sicut ea lor dependet ab hoc, vel illo igne, a quibus disjunctiuè fieri, & conseruari potest, *concedo*: determinatè, *subdistinguo*; secundum gradum immaturationum speciei, pro vt certitudo obiecti, *concedo*; secundum gradum non ita immaturationum, *nego*. Quia eadem

dem mer ſpecies intelligibilis (etſi aviaretur ſenſibilis) excitatur ad cognitionẽ vnius, & alterius obiecti, vt omnino ſimilis: v.g. graduũ ſingulorũ lucis omnino ſimiliũ, qui ſingulis inſtantibus in aere variãtur pro motu ſolis, & actis; & tamen quaſi idem in variari videntur. Atque ita eadem ſpecies, & cognitio intelligibilis deſeruit ad rationem vniuerſalem omnino ſimilem abſtrahendam, vt ea d. 78 n. 11. præmiſi.

11 Obij. 3. In prædicatione vniuerſalis ex parte ſubiecti attingitur identitas poſitiua ſubiecti cum prædicato; ſed Paulus v.g. non poteſt habere identitatem poſitiuam cum natura abſtracta a Petro: ergo non poteſt prædicari de Paulo natura, quę abſtracta eſt à Petro, ac proinde non erit prædicabilis, nec vniuerſalis reſpectu illius.

Reſp. conc. maj. neg. min. Et ſuppoſitum, quod Natura quæ abſtracta eſt a Petro, ſi ſit ſimpliciter abſtracta, ſit natura ſolius Petri; quia licet per immediatã ſpeciẽ ſolius Petri ſit cõparata ſpecies abſtractiua, mediata; hæc tamen vi abſtractionis vniuerſalioris extenditur ad naturã communem omnibus hominibus repræſentandam, eo modo quo per ſpeciem ſenſibilium comparatur ſpecies inſenſibilium, ex dictis n. 9.

12 Obij. 4. Vt fiat vniuerſale debet præcedere comparatio antecedens, comparans ſingularia, a quibus præſcinditur Natura communis ex d. 82. n. 1. ſed quando conſideratur Natura ſecundum ſe in vno tãtum ſingulari, non præcedit hæc cõparatio; ergo non fiet vniuerſale.

Reſp. diſt. maj. regulariter, concedo; neceſſario, nego. Quia aduertenter eo n. 1. præmiſi, quod *ſolet* ea comparatio præcedere, non tamen quod *debeat*, ad vniuerſalis fabricã. Licet enim regulariter ita fiat aliquando tamen poteſt intellectus ex vno tantũ ſingulari præſciſiuam ſpeciẽ ſumere, & per eã rationẽ cõmunem hominis v.g. abſtrahere, & conſiderare. Tunc autem ſufficit, vt prædicabilis fiat identitas poſitiua ex parte ſubiecti, comparatio ſubſequens, qua ſubiecta ſingularia ſua ſive apprehendãtur, vt participãtia ipſam rationem communem, poſitiue ex parte ſubiecti, & preciſive ex parte prædicati.

13 Obij. 5. Ideo *Homo* præſciſus a Petro, præſcinditur etiam a reliquis hominibus, quia earum differentiales ſingularitates obiectiue non importat; ſed neque importat obiectiue differentias *Lapidis, ligni &c. Ergo* ab his præſcinditur.

Reſp. diſt. maj. ideo *Homo* tantũ præcinditur a ſingularibus, quia ſine illis concipitur, nego; & quia non repugnat, ſeu conuenit, ſingularibus per eas differentias naturam ipſam contrahentibus, concedo: at natura humana non conuenit, ſed repugnat ligno, Lapidi &c. ideoq; ab eorum differentijs non præſcinditur, ſed excluditur.

DISP. LXXXVI.

Vtrum vniuerſale deſtruatur per prædicationem de inferioribus.

1 PRima ſententia affirmat cũ Nominali, P. Harr. d. 5.

Metaph. s. 106. P. Arr, d. 6. log. n. 84. P. Ouied. c 3. p. 6. n. 11. P. P. Alph. d. 5. s. 5. n. 55. P. Yzq. d. 17. n. 81. P. Poynad. tract. 2. d. 5. s. 5. P. Rhod. d. 3. Metaph. q. 3. s. 5. 3, qui laudant Scotum, P. Fonsec. & non nullos Thomistas cum Serna d. 4. s. 4. q. 5.

Sect. 1. Conc. negans.

2 Secunda nostra sententia negat, statuens potius cõseruari, & perfici vniuersale per prædicationem. Ita cum S. Th. in 1. a. P. Suarez d. 6. s. 7 n. 3. P. Fons. l. 5. c. 28. q. 10. s. 3. PP Conimbr. q. 6. vniuers. a. 4. P. Rub. ibi q. 6. n. 72. P. Compt. d. 31 s. 3. P. Suar. Lusit. tr. 3. d. 3. n. 242 P. Quiros d. 20. n. 17. P. Lync. d. 8. tr. 5. n. 142. P. Stauden. p. 1. c. 11. s. 6. P. Olcina n. 1007. Thomistę communiter cum M. Ioan Th. q. 5. a. 1. & Complut. d. 3. q. 6. imo, & Scotistæ cum Poncio d. 3. q. 6. qui solum nobis cum negant, vniuersale primo fieri per judicium, fauent q. Scotus Capreol. Caiet, & antiquiores apud PP. Conimbr.

3 Probant RR aliqui. Quia per iudicatiuam prædicationem minime destruitur prævia apprehensio abstrahens vniuersele, qua ipsum fit, & constituitur; sed manente causa, & forma constitutiua, manet cõstitutum, ergo manet, minime que destruitur vniuersale in prævia abstractione, adhuc adueniente prædicatione judicatiua.

4 Contra 1. Quia hoc sensu, eiã Aduers. fatentur Vniuersale per manere; solum que dubitatur, an intra ipsam prædicationem conseruetur? 2. quia adhuc eo modo dici non potest, quod per prædicationem conseruetur Vniuersale, quia si vniuersale, vt tale, non enuntiatur per prædicationẽ, hæc non prærequiret apprehensionem præuiam abstrahentem ipsum vniuersale, quia solum prærequiritur per judicium apprehensio obiecti, quod per ipsum attingitur; ergo si per judicium non attingitur siue enuntiatur vniuersale, vt tale, nec ipsius, vt talis, apprehensionem prærequiret. 3. Quia eo pacto etiam per prædicationem prædicati singularis, v.g. *Petrus est hic homo*, conseruaretur vniuersale, si præcederet similiter apprehensio termini vniuersalis, *Homo*.

5 Probatur ergo 1. expressa autoritate S. Thomæ op. 56. ajentis, *Homo non prædicatur de Sorte, secundum quod est particularis. Cuius ratio est. Quia terminus idem. prædicat, quod significat; ergo qualiter significat, taliter prædicat. Modo: Iste terminus Homo, significat naturam humanam absque omni participatione, & particularitate, ergo sic prædicabit eam.* Unde sumitur triplex à ratione subsequens probatio: ex qua

6 Prob. 2. Idem prædicatur per judicium, quod significatur per terminos præuiæ apprehensionis, quia nihil judicatum, nisi quod præcedit apprehensum. Sed per præuiam apprehensionem attingitur vniuersale, quasi tale, ab omni differentia præcisum, vt ipsi Aduers. fatentur, ergo per judicium idem met objectivum

tium vniuersale prædicatur.

Confirm. Quia um dico *Petrus est Homo*, idem, & eodem modo ex parte prædicati obiectiue attingitur, quod repræsentatur per apprehensionem ipsius termini, *Homo*; ergo sicut in apprehensione est vniuersale, ita conseruatur, & minimé destruitur in prædicatione. Antec. patet quia alias similiter ex parte subjecti, *Petrus*, posset confingi non esse idem met obiectum, quod in prædicatione attingitur, ac quod præcesit apprehensum. Conseq. liquet.

7 Prob. 3. Quia quando prædicatur vniuersale de pluribus inferioribus expresse, v.g. *Omnis homo est animal*; item, *omnis risibilis est homo*. &c. Prædicatum repræsentatur per modum vnius communis pluribus subjectis cum de pluribus, & non, vt plura, sed vt vnum quid, enunrietur, vt patet. Sed quod repræsentatur, vt vnum commune pluribus ac præsentatur formalissimé, vt vniuersale; ergo prædicatur, vt vniuersale ac proinde, vt tale conservatur, & minime destruitur intra prædicationem.

Confir. Quia prædicatio *omnis homo est animal*, æquivalet huic; *omnis homo conuenit simpliciter, & omnino in ratione animalis*: vbi de singulis hominibus prædicatur præscisse ratio conueniendi in esse animalis, ac proinde prædicatio præscindit ab omni differentia, & ratione disconueniendi in esse animalis. Ergo prædicatio illa, vt talis præscindit ratione conueniendi, ab omni ratione differendi; ac proinde, vt talis facit vniuersale, cum hoc non aliter fiat ac constituatur, quam per illam præscisionem.

8 Probatur. 4, Ut ajebat S. Thm. *Homo non prædicatur de Sorte, vt particularis*, cum dicitur v. g. *Sortes est homo*, quia longe aliter prædicatur tunc, ac cum enuntiaretur cõtractus per hæcceitatem particularem dicendo, v. g. *Sortes est hic homo*. Ergo prædicatur, vt terminus vniuersalis, præscisus ab hæcceitate intra ipsam prædicationé, intra quã vt vniuersalis proinde conseruatur.

9 Prob. 5. ad hom. contra P. Hurt. P. Arr. &c qui fatentur, quod quando vniuersale prædicatur de subiecto æquali, tunc prædicatur, vt vniuersale; quia tunc per prædicationem non contrahitur, sed in suæ vniuersalitatis extensione conseruatur; v, g. dicendo, *omnis rationalis est homo*. Sed nihilominus tunc ex parte subiecti repræsentatur cum omnibus hæcceitatibus inferiorũ quæ non minus repugnant vniuersalitati, quam contractio ad aliquas tantum; vnde propterea terminus *omnis homo*, non potest esse vniuersalis, nec prædicabilis de pluribus, ex d. 13. n. 4. Ergo sicut hæcceitates inferiorum, adjectæ quasi determinatiué ex parte subiecti æqualis, non obstant vniuersalitati ex parte prædicati intra prædicationem; ita neque contractio terminatiue adjecta ex parte particularis subjecti, vniuersalitati prædicati dum a prædicationẽ

10 Prob. 6. Vniuersale, qua tale est prædicabile de pluribus, ergo qua tale etiam, prædicatur intra prædicationem. Conseq. prob. Quia frustra est potentia quæ non reducitur ad actum, siue actus primus otiosus est, qui non conjungitur cum suo actu secundo, & per ipsum perficitur; vt quid enim esset potentia ad chimæram, siue ad nihil? Intellige quando actus secundus est simpliciter, seu positiue actus. Si enim sit tantum negatiuus actus, seu negatio ipsa potentiæ, qualis est destructio, corruptio, seu non esse rei, v.g. respectu destruibilitatis, corruptibilitatis, diuisibilitatis, siue potentiæ rei ad non essendum; sic fateor, actū secundum, quia talis positiue nō est, nō conjungi cum actu primo. Atqui actus secundus prędicationis est actus positiue talis, cum sit actus physicè existens, & prædicabilitas vniuersalis est potentia, & actus primus, ad prędicationem, vt suum actum secundum positiuum; ergo cum eo actu secundo conjungitur, & per illum completur & perficitur, minimé vero per ipsum dissoluitur ac destruitur.

Sect. 2. Obiectiones.

11 Obij. 1. Contractio est opposita abstractioni constitutiuæ essentialiter Vniuersalis, ac proinde ipsā destruens: sed prædicatio vniuersalis de inferioribus est ipsius cōtractio; ergo opponitur abstractioni, ac proinde ipsam, & consequenter vniuersale per ipsam constitutum destruit.

Resp. dist. maj. est opposita abstractioni constituenti Vniuersale, contractio adjectiua, afficiens terminum obiectiuum prædicati, intrinsecè, vt per ly, *hic homo*, *omnis homo*, &c. concedo; contractio pure terminatiua, aut connotativa, quæ quasi extrinsecè, & de connotato se habet respectu prædicati, & solum adjectiue intrinsecé ex parte subiecti, vt fit in omni prædicatione vniuersalis, de subiectis particularibus, nego. Quia hæc est vis nostri *judicij*, quod virtualiter multiplex est, & ita repræsentat terminos suos, quasi vnus esset extra alium, quia differentiæ cōtractiuæ ex parte subjecti officiant vniuersalitati ex parte prædicati, non minus quam si per duos actus, & conceptus formales distinctos realiter attingerentur.

12 Obij. 2 Quando dico *Petrus est homo*, singularizatur Ly. *homo*, & determinatur ad identitatem Petri, ergo nō manet indifferens, cōmunis & vniuersalis ad alios homines.

Resp. distinq. similiter anteced. singularizatur ly *homo* terminativè, & connotatiue ex parte subiecti, cōcedo; obiectiue intrinsecè ex parte ipsius prædicati, nego; vnde ex hac parte manet obiectiue vniuersalis, & indifferens, vt dici possit, *Petrus, & Paulus, &c. sunt homo*, vel sunt eiusdē essentiæ *in esse hominis*, &c.

13 Obij. 3: Si cognoscatur materia prima, vt determinata ad formā humanam in Petro v. g. non potest vt taliter cognita, cōsiderari, vt indifferens ad formam equinam: ergo pariter

patiter *Homo*, vt singularizatus ad Petrum, non potest attingi, vt vniuersalis, & indifferens ad Paulum.

Resp. nego antecedens, imo inde roboratur nostra conclusio, quia materia, quarumcumcumque determinata, & vnita consideretur in *actu secundo* ad vnam formam, potest, vt talis considerati tunc etiam, vt *in actu primo* secundum suam essentiam præscisa ab illa determinatione, & indifferens ad formam aliam quamcumque; imo ita concipitur, quotiens definitiuè consideratur secundum essentialem indifferentiam ad omnes formas, etiam, vt conjuncta cum determinatione quasi accidentali ad vnam formam. Ergo ita attingi potest vniuersale secundum suam indifferentiam in esse prædicati, licet simul cum determinatione quasi accidentali differētiali ex parte subiecti prædicetur.

14 Obj. 4. Ideo dicēdo *Petrus est hic homo*, destruitur vniuersale, quia per ly *hic* determinatur ly *homo*, quod ex se est vniuersale ad hæceitatem Petri: sed ita dicendo, *Petrus est homo*, per identitatem subiecti determinatur ly *homo*, ad Petri hæceitatem: ergo ęque destruetur vniuersale.

Resp. dist. maj. Ideo, quia per ly *hic*, determinatur ly *homo* ad hæceitatem, *adjectivè*, *intrinsece*, sive intra eundem terminum obiectiuū complexum formaliter, concedo: si purè connotative, quasi extrinsece, subjective, & materialiter determinetur, secundum distinctum terminū obiectivum, connotatum ex parte subiecti, vt sit in prædicatione vniuersalis, *Petrus est homo*, Nego. Sic enim determinatur pro pluralitatē vel singularitatem subjecti pure terminatiuam, subiectiuam, & materialem, sicut Natura diuina per pluralitatē Personarum, pure terminatiuam, & materialem, quæ propterea diuinam naturam non multiplicat, merito distinctionis virtualis; qualem etiam habet, in ordine ad cognosci præscisiuū, vniuersale respectu singularium ex d. 76. n. 60.

15 Obij. 5. Animal prædicatur realiter siue in sensu reali de singulari; sed animal insensu reali, est animal in singulari, quia tantum in singulari datur animal realiter. Ergo tantum prædicatur animal in singulari, ac proinde non vt vniuersale in prædicatione.

Resp. dist. maj. Animal prædicatur in sensu reali, & realiter, per reflexionem sensus præscisiui, supra ipsum sensum realem, & physicum, concedo: in solo sensu physico materiali, nego. Quia quomodocumque exprimatur realitas, seu sensus realis, & physicus, per ipsum modum prædicandi præscisiuum fit reflexio modi præscisiui, quo prædicatū physicum verificatur, vt dixi d. 31. n. 40. Imo etiam si exprimatur, *Petrus est homo in singulari*, prædicatur ratio communis *hominis in singulari*, siue *individui*, implicitè, & signatè talis, quæ potest vniuoce præscindi, vt dicam *in Metaph.* imo, & ipsa ratio, *huius hominis*, sumpta pro individuo, vel vno signatè, potest esse ter-

terminus communis, vt dixi d. 13. n. 5. solũ enim vt exercite talis per hæcceitatẽ fcientẽ exercite numerũ, siue hoc, & hoc demõstrabiliter, est ratio differẽtialis, ex d. 83. n. 30. Vnde licet prædicaretur *animal, vt singulare*, signate implicite, adhuc posset esse vniuersale; multo ergo magis cum non exprimitur.

16 Obij. 6. Vniuersale per nos solum fit per actum abstrahentem ex d. 82, non per actum comparantẽ, qualis est prædicatio. Ergo.

Resp. 1. ex ea d, 82. n, 12. supponi, quod licet primo solum fiat per actum abstrahentem, secundo tamen seu conseruatiuè etiam per cõparantem. 2. Ibidem n. 16. ostendi, Quod comparatio solum, vt est abstractiua ex parte prædicati, facit vniuersale.

17 Obij 7 Si comparatio, & prædicatio subsequens facit, & conseruat vniuersale, non erit cur comparatio antecedens illud nõ faciat, atque ita jam primo non fiet per abstractionem. Ergo.

Resp. neg. antec. Tum quia cõparatio antecedens, vt pote facta per species sensibiles, seu non abstractas, quia intuitiuas singularium, non attingit plura similia per modum vnius in ratione, in qua sunt similia; quia hoc proprium est solius intellectus abstrahentis rationem conueniendi; sed vt plura, sive quod vnum fit sicut aliud pluraliter, ex ea d. 82. n. 1. & d. seq. n. 10. Tum quia ea comparatio non omnino necessaria est, vt dixi d. præc. n. 12.

DISP. LXXXVI.

Vtrum Vniuersale fiat per sensus, voluntatem, &c.

1 QVæst. 1. *Vtr. per sensus fiat?* Affirmant P. Hurt, ea d 5. §. 199. P. Arr. d. 6. s. 7. P. Maça d 8. s. 10. saltem de vniuersali Metaphysico. Item Scaliger & Geruasius apud P. Lync. 1. Quia sensus est præscisiuus ex d. 76. n. 29. & cognoscit albedinem in communi, præscindens a singularitate, quã non cognoscit. 2. Quia sensibile in communi est vniuersale, sed definitur *obiectum sensu perceptibile*; ergo vniuersale est sensu perceptibile. 3. Quia dum corpora magna apparent visui parua, vt sol, & stellæ, ideo est, quia eorum partes quam plurimæ repræsentantur, vt vna, quia nõ aliter plura representantur, vt pauciora, nisi quia adunantur, & confũduntur; sed repræsentare plura, vt adunata in vnum est facere Vniuersale. Ergo. 4. Quia imago picta hominis, vel equi, non particularis, repræsentat hominem, & Equum in communi, ergo sensus ipsum in imagine in communi cognoscit. 5. Quia saltem possibilis est sensus vniuersale percipiens.

2 Nego tamen cum S. Th. 1. p. q. 85. a 3. & sæpius ex Aristotele passim; apud P. Lynceum, statuente proprium intellectus esse cognoscere vniuersalia, sensuum vero solum singularia; P, Suarez 4. de an. c. 3. dub. 3. P. Fonseca l. 5. c. 28. q. 6. s. 2. PP. Cõnimbr. q. 5. p. 2. P. Valent.

P. Abert.

P. Albert. P. Salas & alij, quos laudant P. Tellez d. 4. s. 3. P. Lync. l. 8 tr. 6. c. 1. P. Quiros d. 20. n. 14. &c.

3 Prob 1. Quia licet sensus non percipiat singularitatem, siue indiuiduationem explicitã completã, & vltimo explicite differentialem sensibilium, vnde ovum ab ovo omnino simile distinguere nequit, nisi aduertat separabilitatem; attamẽ singularitatẽ incompletã explicnã omnino cognoscit, imo ab illa præscindere nequit; necessario enim cognoscit sensibile, v. g. coloratum vt hic, & nunc in singulari demõstrabiliter per ly *hoc*, existens. Sed quod ita cognoscitur non est vniuersale; tum quia vniuersale non est singulare hoc, & hic & nunc determinate in singulari existens, sed potius ab ijs conditionibus loci, tẽporis, & monstrabilitatis præscisũ, vt patet: tum quia quod est determinatum hic, & nunc in singulari, nõ potest esse indifferens, & indeterminatum ad plura singularia, vt petit aptitudo vniuersalis ad plura. Ergo sensibile, vt cognoscitur a sensibus non est, neque esse potest vniuersale. Maj. patebit d. 92. vbi indiuiduationes completę, & incompletæ definientur. Reliqua constant.

4 Confirm. Quia sensus adhuc internus semper cognoscit suum obiectum sensibile vt hic, & nunc positiue condistinctũ ab alijs sensibilibus, vnde si illa simul percipiat statim illa condistinguit, sed quod concipitur, vt cõdistinctum ab alijs non est vniuersale aptum, in esse illiss ergo.

5 Prob. 2. Quia saltem vniuersale Logicum juxta Aduers. fieri nequit per sensus: tum quia cognitio sensitiua præscisiua materialiter se habet ad prædicationẽ judicatiuã; tum quia cum sensus cognoscat sensibile, ut hic, & nunc in singulari existens, non cognoscit illud, vt vere prædicabile nisi de hoc vno singulari sensibiliter designato per ly *hoc*, vel *illud*, proprio sensus ita demonstrantis obiectum; ac proinde, vt non verificabile de pluribus: sed eo ipso nec metaphysicũ vniuersale facere potest: quia Logicum est attributum necessarium, & inseparabile illius, sicut veritas formalis respectu veritatis obiectiuæ ex d. 81. præsertim n. 5. vnde sicut repugnat rationale non risibile; ita repugnat vniuersale metaphysicum, vbi implicat Logicum, Ergo Hinc

6 Ad 1. e n. 1. patet jam ex n. 3 Quod præscisio intuitiva dum cognoscit gradum specificum albedinis, vel ovi, sine differentiali completo & explicito, concipit illum cum hæcceitate, & indiuiduatione incompleta, scilicet, vt est hoc album in singulari exercitè designabile, & distinguibile, quod sufficit nesit vniuersale, ex d. 83 n. 30.

7 Ad 2. sensibile in communi solum est sensu perceptibile signatè, non vero exercitè; sicut differentia in communi est ratio differendi solum signatè, exercitè enim potius est ratio conueniendi: vnde exercitè, & re ipsa sensu percipi nequit

sen-

sensibile in communi (quis enim vidit visibile, vt sic?) sed solũ in particulari, sicut differentia solũ in particulari est exercita ratio differẽdi.

Ad 3. corpora magna a longe visa, parua apparent, non quia partes adunentur, sed quia non omnes illę videntur, ex d. 82. n. 14. Aliam P. Lync. solutionem facete ridet ac reijcit P. Arriaga.

8 Ad 4. Jmago picta, tam in singulari videtur a sensu, quã si esset homo verus; in esse vero signi, & significati in communi solum percipitur ab intellectu, cuius est in signo significata cognoscere mediatè, ac discursiue, atque etiam præscisiue, si speciẽ præscisivã ministrent.

Ad 5. multus est P. Lync, de quo in lib. de anima. vbi disputo an sẽsus insensibilia percipiens sit possibilis? Et nego.

9 Quæst. 2. *Vtrum per species singularium, ministerio sensus comparatas, sufficienter determinetur intellectus noster ad fabricã vniuersalis?* Resp hic attingi grauem quæstionem de *primo cognito* nostri intellectus, *ex lib de Anima*: ex qua

Affirmant Scotistę cum & apud P. Suarez l, 4. de Anima. c. 3, quia putant, per sensationem internam sensus communis siue phantasiæ, distam *phantasma formale*, eleuatã ab intellectu agente concurrente cum ipsa, produci primas species intelligibiles spirituales de ipsis singularibus sensu perceptis; per quas sufficienter determinatur intellectus possibilis ad intellectionẽ primam singularium; & ex hac sine noua specie, ad actum abstrahentẽ ex ipsis vniuersalia. Quia non sunt multiplicandæ species sine necessitate, sufficit autem cognitio singularium, loco nouæ speciei, pro vniuersali in ipsis contento.

Negant Thomistæ. Tum quia in esse obiectiuo valde diuersa fũt vniuersale, & singulare; vnde non sufficit spécies vnius pro cognoscendo alio, v.g. species hominis a longe, pro cognoscendo Petro, ergo neque é conuerso. Tum quia determinatio cognitionis est purè illuminatiua ex parte principij, vnde non est apta supplere determinationem motiuam ex parte, & loco obiecti, quã habet species. Ex quo fit primam speciem intellectus agentis ex, & post, phantasma de singularibus, esse de vniuersali, ac proinde primum actum, & cognitum intellectus vniuersale fore.

10 Medium teneo ex dictis d. 82. a n. 1. & dicendis *in lib. de anim.* scilicet 1. cum Scotist. primam cognitionem intellectualem nostram esse de singularibus, sicut sensatio ipsa interna, per quam, & per cujus speciem immediaté determinatè determinatur intellectus; quia per sensationem, ipsiusque species de singularibus, non nisi ad singularia intelligenda immediaté determinari potest. 2. Cum Thomistis dico, necessariam esse speciem præuiam vniuersalem, pro Vniuersali per formalem abstractionem præscindendo. Tum quia pro intelligẽdo vniuersali requiritur species vniuersalis, sicut pro equo equina, pro sin-

singulari singularis. Tũ quia postprimã abstractionẽ fatentur, Aduers. relinqui speciẽ solius vniuersalis, quia experimur memoriam illius sine singulari; sed non minus prima abstractio est cognitio solius vniuersalis sine singulari, ergo per speciem vniuersalis solius. 3. Iam infero, speciem vniuersalem produci, & abstrahi ab intellectu agente post primam intellectionem singulariũ, & ex illa: quia cum hæc, vt potè spiritualis, subtilis, & penetratiua rei *quoad quid est*, saltem implicitè partiatur, & multiplicet conceptus rei singularis; optimè ex illa potest intellectus agens eruere multiplices species obiecti singularis, secundũ omnes, & singulas formalitates cõceptibiles, vt easdem intellectus possibilis explicitè præscindat, per actum formalis abstractionis, expresse cognoscentẽ vnam sine alia, quo primum fit vniuersale: vti ex crassa materiali sensatione non posset eruere. Sed de his loco citato.

11 Quæst. 3. Vtr. *per voluntatem fiat vniuersale?* Affirmant P. Hurt. & P. Arriag. *supra*, P. Lynceus n. 24. P. Maça *sect.* 11. Bonesp. tr. 2 d. 2. disp. 11. n. 217. Tum quia voluntas est præscisiua, & amat bonum in communi, v.g. diuitias; & auersatur malum in communi, v.g. ægritudinem, &c. Tum quia voces sunt signa præscisiua vniuersaliũ, vt vox homo &c Sed constituuntur per voluntatem institutoris in esse signi; ergo ipsa voluntas erit taliter præscisiua ipsorum vniuersalium.

12 Nego cum P. Suarez, P. Fonseca, PP. Connimbr. P. Quiros, & plerisque laudatis n. 2. quibus addo Spinulam *d. 5. sect. vlt.* & Joanniz d. 7. c. 4. Tũ quia sicut ad efficiendũ ens rationi requiritur, quod potentia præstet objecto existentiam aliquam intentionalem, ita ad efficiendum vniuersale Ergo sicut voluntas defectu virtutis ad eam existentiã, ens rationis non facit ex d. 71. ita nec vniuersale efficiet. Tum quia vniuersale fit per actum mentaliter metaphoricum, seu reddentem vnũ objectum instar alterius, scilicet objectum multiplex instar vnius, ex d. 65, & passim hoc, & *præc. Tract.* Sed hoc proprium est solius potentiæ, & actus significantis, cuius est is modus similitudinarius metaphoricus repræsentandi vnum instar alteri; non enim datur amor, vel volitio metaphorica, etiam si in objecto metaphoricè repræsentato complaceat, vt patet. Ergo solius cognitionis seu repræsentationis, minime vero voluntatis, est facere vniuersale, siue objectum multiplex instar vnius. Tum demum, quia materialiter se habet ad prædicationem, sicut sensatio ex n. 5. ergo pariter ad vniuersalitatem.

13 Ad 1. *e num.* 14. Sicut præscisio sensuum non sufficit ad vniuersale, ita neque præscisio voluntatis, quia non sit tribuendo existentiam intentionalem, & metaphoricam instar vnius. Ad 2 sicut voluntas judicandi non est judicium, nec voluntas loquendi locutio; &c. ita neque

voluntas imponendi significationẽ vniuersalẽ, est præscisiua vniuersalis sed solũ est lex, vt quoties quis velit manifestare conceptum vniuersalẽ mentis, vtatur ea voce, quam propter eum vsum, & suppositionem, vocamus vniuersalem, quia ex ea lege habet vim ducendi nos in cognitionem conceptus præscindentis vniuersale.

14 Quæst. 4. *Utr. Diuinus intellectus faciat Vniuersale?* Affirmant qui putant facere ens rationis, ex d. 70. n. 1. Nego cum ibidem negantibus: Tum quia ad minus cognitio factiua vniuersalis est confusa respectu singularium. Tum quia est metaphorica, & instar alterius, siue plurium instar vnius: quod imperfectionem arguit, vt ex S. Th. & P. Suar. ibi a n. 4, ad 6. ostendi.

15 Quæst. 4. *Utr. Angelus eformet vniuersalia?* Resp. affirmatiuè, ex d. 39. n. 12. circa obiecta, quæ immediatè, intuitiuè non cognoscit, vt circa supernaturalia, diem judicij, secreta cordis, &c. vt de ente rationis dixi d. 68. n. 9. cum Sapientiss. nostro P. Gen. Thyrso. T. 1. d. 39, n. 22. Quia in ijs componit & discurrit per principia vniuersalia, sicut nos. Imo liberè etiam potest aliquando circa immediatè cognita in particulari, applicare etiam media discursiua vniuersalia, vt nos licet videamus intuitiuè lucem, possumus pro libito ejus existentiam mediatè probare, vt cum P. Suarez tradunt P. Martinon 1. p. d. 40. n. 24 & P. Mare. d. 2. *de Ang.* c. 4.

16 Quæst. 5. de *Christo.* D. Resp. per Scientiam infusam eodem, imo superiori modo ac Angelum se haberet per adquisitam, discursiuè eodem modo ac nos, proportione seruata, præscindere; vt DD. cum S. Th. 3. p. q. 11. & 12. statuunt.

DISPUT. LXXXVI.
DE GENERE, PRIMO PRÆdicabili: qui definiatur?

1 HActenus prior pars Tractationis, circa Vniuersalia, seu Prædicabilia in communi decurrit; mox circa singula in particulari procedit; & primum de Genere, quod primum Prædicabilium à Porphyrio c. 1. quia principalius, notius, & quasi generè nobilius, designatur. Eius tres acceptiones, ex Arist. 5. Metaph. c. 28. recensent: 1. pro multitudine aliqua ab vno progenitore, vt Heraclidum genus ab Hercule, & Israelitarum a Jacobo, siue Israele: 2. pro natali principio á parẽtibus, vel patria; vt Orestis a Tantalo, Thæbanorum a Thæbis: 3. & ad rem Dialecticam, pro Termino Vniuersali, sub quo plures species, ideſt, plures naturæ notabiliter diuersæ, conueniunt, ac continentur; vt *animal*, sub quo *Homo*, & *brutum*. Cuius definitio hic jam quæritur.

Definitur ergo Genus a Porphyrio hic ex Arist. 1. *Topic.* c. 4. *Quod prædicatur de differentibus specie, in eo quod quid*: & recipitur ab omnibus Dialecticis, vt restantur PP. Conimbr.

nimbr. ibid. Card. Tolet. & P. Alph. d. 8 f. 1. Ly *quod prædicatur*, siue Prædicabile (nam verba in definitione non sonant actum, sed aptitudinem) est genus proximum ad omnia Prædicabilia, vt dicam d. 103. Reliquæ particulæ sunt differentiales. Per Ly *de differentibus specie*, differt ab Specie ipsa, quæ prædicatur de differentibus tantum numero siue individuatione, vt *homo* de Petro, & Paulo, genus vero de differentibus specie seu notabiliter diuersis in essentia, vt de homine, & Bruto v.g. animal, prædicatur. Per Ly in *quod quid*, differt à differentia; quæ licet *in quid*, idest, quidditatiuè, siue essentialiter, vt pars essentiæ, & quidditatis etiam prædicetur, non tamen *in quod*; id est, substantiuè, & vt per se stans, sed vt adjacens dicitur, idest, *in quale quid*, siue per modum qualitatis adjacentis, & adhærentis ipsi generi; vt dum dicitur de homine esse *animal rationale*, Ly *animal*, vt substantiuum exprimitur, *rationale* vero, vt adjectiuum, seu adjacens, & contrahens animal. Conuenit tamen eatenus cum specie, quæ etiam in *quod quid*, siue vt essentialis substantiuè, & non adjectiuè prædicatur, vt, *homo*. Differt etiã præcipue ipsa tenus a Proprio, & Accidente, quæ neque *in quod*, neque *in quid*, sed *in quale purè* enuntiantur, idest, adjectiuè, & extra essentiam; siue necessario, vt *Proprium*; siue contingenter, vt *Accidens*.

3 Addunt nonnulli particulas alias quæ superfluunt, contra definitionis regulam ex d. 30. Imprimis ipse Porphyrius apponit *de pluribus differentibus*. Sed vox pluralis, *Differentibus*, correspondet expresse *pluribus*. Addunt alij cum P. Arr. d. 7. n. 1. *in quid incompletè*. Sed æque redundanter: eo enim ipso, quod, vt ratio conueniendi de differentibus specie prædicabile sit, exprimitur formalissimè, quod subjecta inferiora addant specificã siue essentialẽ differentiam, ac proinde aliam partem inadæquatam essentiæ, quæ Genus faciat etiam compartem incompletam quidditatis, siue *in quid incompletè* prædicabilem, atque adeo eadem formalissimè est vtraque prædicabilitas.

4 Obij. 1. Committi circulum definiendo genus per speciem, scilicet vnum relatiuum per aliud, & ignotum per ignotius. Ergo non rectè.

Resp. ex d. 30. n. 5. non esse vitiosum circulum, si relatiua, quæ essentialiter sunt circularia, & correlatiua inter se, circulariter definiantur: maximè si alterum sit antecedenter notum, vt sunt species, siue naturæ specificæ rerum; quæ notantur ab omnibus, ex eo quod notabiliter differant, vt *homo* a *bruto*: quæ enim non differunt notabiliter, vt Petrus, & Paulus apud omnes reputantur individua eiusdem naturæ, & speciei.

5 Obij. 2. Genus etiam prædicabile est de differentibus genere, vt *viuens* de vegetatiuo, sensitiuo, & rationali; ergo non tantum de differentibus specie.

Resp. ea genera, quæ sub alio genere vniuersaliori continentur, respectu illius species subalternas dici, & esse; vnde de illis, vt de differentibus specie genus etiam prædicatur. Quo autem notabilior fuerit diuersitas, idest, quo plures diuersitates notabiles minus vniuersales continens subse, eo erit maior specifica & generica differentia, tũ in specie, tum genere, magis ac magis superiori; Vt g homo magis differt ab arbore, quã á bruto, quia in genere sensitiui; magis à *Lapide*, quam a b arbore, quia in genere viuentis superiori; magis à calore, quam à Lapide, quia in genere supremo substantiæ.

6 Obij 3. Et replic. Ideo genus est diuersum prædicabile ab specie, quia illud est prædicabile de notabiliter magis differentibus, quam hæc quæ solum de numero differentibus prædicatur; sed genus remotum, siue superius, & vniuersalius est prædicabile de longe notabilius differentibus, quam proximum, & infimum, scilicet illud de differentibus etiam genere, hoc vero de diuersis solum specie infima. Ergo.

Resp. tum esse de nomine, aliqui enim probabiliter cum Poncio d. 4. q. 3. n. 28. nullum absurdum putant genus remotum facere sextum prædicabile: reliqui vero negant cum & apud P. Alph. d. 6. n. 7. ex P. Fons. l. 5. c. 8. q. 11. s. 2. Quia quod formaliter multiplicat prædicabilia [illegible] prædicandi di[illegible] alias aliud genus poneretur, vt prædicabile de speciebus, aliud vt de indiuiduis. Sicut ergo hic nõ multiplicatur, ita nec ibi; quia vtrobique seruatur idem modus prædicandi, *in quod quid incomplete*, in quo formalissime consistit prædicabilitas Generis, secundum quod est prædicabile de pluribus differentibus specie, vt pars essentiæ.

7 Obij. 4. Ens est prædicabile in quid de notabiliter differentibus, scilicet de substãtia & accidenti; sed non est genus, cũ non sit compars componens cum differentia, quia illam transcendit. Ergo.

Resp, neg, min. ex dicendis, tũ in Meth. tum d. 100. de differentijs sub alternis transcendẽtibus, & componentibus non mutuo cum infimis, per modum compartis & generis.

8 Obij. 5. Si tantum essent possibilia, vnum brutum, & vnus homo adhuc *animal* esset genus ad vtrumque; sed non vt ad species, cum non differãt in natura cõmunicabili pluribus indiuiduis, sed solũ vt ad indiuidua; vt tenet Aversa hic s. 4. Ergo.

Resp, neg. min. Quia licet non differrent specie prædicabili, & cõmunicabili pluribus, differrent specie subijcibili, quæ juxta Arist. 5. Metap. c. 1, definitur, *Quæ sub eodẽ genere diuersam habet definitionem essentialem*. Vt Deus est species diuersa sub viuenti, licet immultiplicabis in pures Deos.

9 Obij. 6. Si nullum aliud animal esset possibile præter hominem, adhuc tunc animal esset genus; sed

tunc animal non esset prædicabile de differentibus species; sed solum de hominibus individualiter differentibus; ergo genus non est prædicabile solum de specie differentibus. Mai. prob. Tum quia eadem maneret tunc essentia, & definitio hominis, ergo cum eodem genere. Tum quia animal tunc prædicaretur in quid, vt pote de essentia hominis, sed non, vt species; quia non esset tota hominis essentia; neque, vt differentia; quia non in quale, & adjectiue prædicaretur; ergo vt genus. Tum demum quia possibilis est species immultiplicabilis in individua, vt Deus; ergo & genus immultiplicabile in species.

10 Resp 1. P. Lync. lib. 9. Tract. 2 n. 26. & 23. in ea hypothesi, *animal* siue *sensibile* futurum in homine differentiam essentialem specificã, *rationale* vero ipsius attributũ: ideo enim nunc rationale est vltima specifica differentia primaria hominis, non vero risibile; quia rationale est primum prædicatum, per quod differt homo ab specie opposita, risibile vero est secundum, siue secundarium, per quod differt. Sed tunc sensibile esset primum prædicatum per quod homo differret ab specie opposita, scilicet arbore, prius enim est sentire quam ratiocinari; ergo tunc sensibile esset differentia primaria hominis, rationale vero secundaria, seu propia.

Contra, quia ex d. 81, n. 3. si prædicatum prius, seu præcedens, sit minus nobile ac præcipuum, quã posterius, seu consequens, non debet esse primariũ adęquatum, sed integratiuum vnius differentiæ primariæ cum posteriori perfectiori prædicato; vt se habet apprehensiuum, propterea cum indicatiuo, & discursiuo integrans differentiam essentialem hominis. Ergo pariter tunc sensibile, quia longe minus perfectum, ipsam integraret cum rationali posteriori, perfectiorique.

11 Resp. 2. P. Arr. n. 15. eo casu prædicationem animalis de homine futuram speciei, seu *in quid cõplete*; quia in animali tunc includeretur rationale, eo quod tunc valeret consequentia; est animal, ergo rationale.

Contra 1. quod valeat consequẽtia, non arguit inclusionem formalem; nunc enim valet, est rationale, ergo risibile, siue mutua inclusione; item valet nunc: est rationale, ergo animal; nec tamen hoc includitur in illo. 2. Sicut nunc ratio apprehẽsiui rationalis non prædicatur, vt species, sed vt partialis differentia de homine, quia non est tota essentia illius; ita etiam tunc animal, seu sensibile prædicaretur, vt pote pars essentiæ specificæ simul cum rationali.

13 Resp. ad argum. e n. 7. neg. maj. cum Fnomid. apud Complut. d. 6. q. 2. Card. Fol. P. Rub. &c. apud ipsos n. 21. P. Yzq. d. 17 n. 121. P. Ovied. Cons. 4 punct. 3. n. 2. P. Alph. d. 6. n. 40. quia ea hypothesi animal minime se haberet, vt genus cum subse non contineret species.

Item

Item quia sensibile se haberet, vt differentia primaria partialis specifica, sicut ratio apprehensiui, ac proinde non, vt generica. Vnde terminus substantivus animal reductiue pertineret ad speciem, sicut nunc ad illam pertinet *ratio animalis rationaliter apprehensiui*, quatenus involuit rationem genericam cum differentiali specifica partialiter licet simpliciter species non sit, quia totam essentiam seu totam differentiam nõ involuit. Vnde absolute esset prædicabile anonymum seu mixtũ, qualiter ex varijs prædicabilibus potest pro libito concipientis commisceri, ex dictis d. 71. n 4.

13 Ad 1. prob. maj. optime notat P. Lync. quod licet rerum essentiæ physice variari non possint, logice tamen quoad considerationes, & denominationes Logicas variantur, si earum connotata vario modo comparentur. Cum ergo tunc auferatur per mentem possibilitas bruti, sine quo consistere nequit animal vt ratio proxima conueniendi in homine, nil mirum quod eius essentia, secundum hanc considerationem, varietur. Ad 2. constat, tunc prædicari animal, vt speciem reductiuam seu mixtam, atque adeo non vt genus. Ad 3. neg. patitem, quia quãdo diuersitates notabiles plurium conceptuum cõdistinguunt speciem ab vna alia tantum opposita, adunãtur in vnam differentiam specificam, quasi gradualiter ipsam integrãtes, vt rationes diversæ visiui, auditiui, &c. intra speciem, & genus sensitiui; & similiter rationes apprehensiui, iudicatiui, &c. intra speciem infimam rationalis. Vnde cum genus animal, v.g. condistingueret tunc hominem, ab eadem specie *arboris*, per sensitivũ, sicut per ipsum rationale, vtrũque hoc distinctivũ adunaretur quasi integraliter in vnam differentiam specificam. Alia ratio quam addunt Complutenses ea q. 2. multum habet de metaphora, nec refellere vacat.

DISP. LXXXVIIJ.

Quod nam sit definitum in Definitione Generis?

1 Supponendum 1. pro titulo disputationis intelligendo, in Genere, sicut in quovis cõcreto, duplicem partem considerari, materialem, quæ se habet vt subiectum denominatum, scilicet natura præscissa v.g. animal, quod denominatur genus; & formalem, vt est genereitas, siue secunda intentio, & abstractio intellectualis, quæ est quasi forma denominans in esse generis.

2 Supponendum 2. omne concretum dupliciter concipi, ac proinde etiam definiri posse. 1. Specificative, & quasi directe, ita vt concipiatur in recto ea pars concreti, quam ipsum secundum se, & absolutè, principaliter, & directe importat, in obliquo vero illa, quam de connotato, & quasi terminative requirit. Variantur autem recta, & obliqua pro varietate concreti: nam concreta acci-

accidentalia, sive adiectiua important in recto subiectum, formam vero in obliquo; vnde album dicitur esse *subjectum habens albedinem*: è cõtra vero substantialia, siue substantiua formam in recto, & subiectum in obliquo dicunt, vnde Deus a Deitate est vnicus, non à personis multiplex in esse Dei, quia attenditur Deitas vt forma substantialis in recto, persona vero, vt subiectum materiale concreti *Deus*, in obliquo. 2. Potest definiri concretum reduplicative, vt tale, siue concretiue; & tunc sub ea reduplicatione vtraque pars concreti importabitur in recto. Vt si definiatur album esse *totum accidentale ex substantia, & albedine*; aut amatum, esse *concretum ex bono & amore in illud*. Tota autem diuersitas vtriusque acceptionis venanda est ex diuersitate prædicati, vel definitionis. Si enim prædicatum de solo subiecto, vel forma concretiue verificetur, ea sola pars in recto importabitur, talia enim sunt subiecta qualia exiguntur a prędicatis ex d. 13. n. 22. vt amplius patebit n. 20.

3 Hinc oritur præsens difficultas, quæ alias pro omni concreto communis est, vtrum ex modo quo genus ab Aristotele, & Porphir. definitur, importetur ex parte definiti sola natura obiectiua, vel sola genereitas formalis, vel vtraque simul in recto?

Sectio 1. inter sententias verior eligitur.

4 Prima sent. tenet solum definiri in recto naturam, & nullo modo neque in obliquo attingi generalitatem, seu secundam intentionem, sed hanc tantum prærequiri & supponi vt conditionem, qua natura sit abstracta. Ita nouiter, & acriter Spinula disp. 7. s. 1. conc. 3. a n. 15.

Contra 1. quia natura secundum se habet propiam essentiam physicã primo intentionalem, v. g. animal, quod definitur viuens sensibile &c. quod autẽ sit prædicabile de pluribus, ita non cõuenit; alias sicut natura obiectiua dicitur de illis, diceretur etiã prædicabilis de pluribus. 2. Quia si definitio generis solum conuenit *naturæ vt præscissæ* (vt fatetur ipse Spin.) ergo præscisio per definitionem attingitur, saltem in obliquo, cum attingatur natura secundum quod ipsi connenit definitio. Dicere autem quod se habeat, vt conditio, non vero vt connotatum in obliquo, lis est de nomine. 3. quia prædicatum quod conuenit igni, vt approximato, v. g. ratio *proxime combustiui*, connotat in obliquo, vt formam constituiuam proximitatis ipsam conditionem approximationis. Ergo pariter definitio generis, quæ non conuenit naturæ nisi, vt præscissæ, in obliquo connotabit conditionem necessariam præscisionis. 4. Quia sibi non constat Spin. defendens, totum esse obiectiuum, tum entis rationis, tum vniuersalis, & cuius obiecti cõsistere in ipsa met cognitione ex d. 83. n. 3. Ergo esse obiectiuum naturæ præscissę ipsam præscisionem importat obiectiue, & secundum illam in esse generis obiec-

objectivi definietur.

5 Secunda sent. quæ tribuitur Caj. Sot. & Thomistis veteribus apud Lyuc. docet; solam secundam intentionem, siue abstractionem mẽtis, vel genereitatem, quæ est forma concreti *genus*, esse definitum in ejus definitione.

Contra 1. Quia definitum in recto est *quod prædicatur* &c. Sed genereitas non est quæ prædicatur de inferioribus generis, v. g. de homine, leone, &c. sub animali contentis, vt patet. Ergo illa non est definitum in recto. 2. Quia natura non potest non esse rectum definiti, cum de ipsa, imo sola, verificetur definitio, quod scilicet prædicetur de inferioribus; cum enim dicimus *homo est animal*, sola natura animalis verificatur de homine, &c. Ergo.

6 Tertia sent. tenet cum RR. Thomistis Joan. Th. q. 7 a 2. Cõplut. d. 5. q. 3. & Ioannitz tr. 3 d. 9. n. 37. & 38, definitum in recto esse secundam intentionem siue genereitatem, vt connotando tamen naturam in obliquo, veram prædicatam, quia licet genereitas non prædicetur *vt quod*, prædicatur tamen, *vt quo*; siue est, id quo prædicabilis redditur natura.

Contra 1. Quia Genus quod in recto denotatur, est simpliciter, & propriè prædicabile, ac proinde, vt quod, siue quod vere prædicatur; cũ definitio debeat propriè definito cõuenire. Sed quod prædicatur, *vt quo*, prædicatur impropriè; sicut *odium* ogio habetur vt quo, & *auditio* auditur vt quo, & tamen impropriss. simè; potius enim odium amatur, & auditio nullo modo auditur: Ergo si genereitas solum vt quo prædicatur, impropriè prædicabilis est, ac proinde propriè non potest participare definitionem prædicabilis. 2. Si sufficiat prædicabilitas, vt quo, adverificandam definitionem, neq; in obliquo attingi debebit natura ex parte definiti: non minus quam dum de amore, & cognitione dicitur, quod est actus amatus *vt quo*, cognitus *vt quo*, neque in obliquo attingitur obiectum. 3. Quia concreta accidentalia specificatiue in recto non dicũt formã, vnde numquam ex illa multiplicantur, vt dicam d. 18. Si enim specificatiue *humanum* dicunt in recto *subiectum habens*; si vero reduplicatiué concretiue, vtramque partem. Ergo.

7 Quarta sent. propterea vtramque in definitione concreti, ac proinde etiam Generis, in recto importari dicunt: Quia cum definitio sit prædicatum essentiale, debet ex parte subiecti totam essentiam, quæ æquè resultat ex subiecto, & forma repetere, atque adeo in recto simul vtrumque. Ita P. Rub. q. 2. P. Ovied. c. 4. p. 1. n. 15. cũ Caber. tr 3 d. 2. d. 1 & RR. cũ P. Maça hic l. 2.

Contra 1. Quia æque repugnat, quod genereitas simul cum natura prædicetur in recto, de inferioribus v. g. quod dicatur de homine *esse genus animalis*; ac repugnat quod sola prædicetur, vt patet. Ergo. 2. Quia solum se habent partes concretorum

ut

tum in recto simul, quando concretiue sumuntur, siue reduplicatiue, vt sunt composita ex subjecto, & forma; sed Genus non ita definitur per definitionem Aristotelis, vt patet ex verbis illius; ergo.

8 Quinta proinde, apud nostros communis, & nostra sententia asserit Definitum in recto esse solam naturam, connotando in obliquo genereitatem, siue secundam intentionem. Ita Card. Toret. P. Amic P. Hurt P. Arr quos laudant P. Alph. d. 6. n. 15. P. Santacruz n. 653. P. Peñaf. d. 3. q. 3. a 6. P. Lync. l. 9. tr. 1. c. 3. P. Quiros d. 21. s. 1. n. 5. P. Peyn. hic d. 1. n. 16. P. Rhodes d. 2. q. 2. s. 2. §. 1. ad 3. &c. Sumitur que ex Arist & Porphyr. post definitionem subdentibus; *vt animal*: quasi definitum.

9 Prob. 1. Quia omne concretum accidentale ita definitur specificatiue, vt subjectum se habeat in recto, forma vero in obliquo, vt cum albũ definitur *subjectum habens albedinẽ*; cognitum vero, *objectum terminans cognitionem*; vt patet ex vocibus subjecti & objecti in *nominatiuo* seu recto; formæ vero in *accusatiuo*, siue obliquo, collocatis Sed Genus est concretum extrinsecum accidentale, scilicet, *cognitum præscisiue taliter*. Ergo tum absolutè directè, & specificatiuè ab Aristotele definiatur subjectum siue objectum, quod est natura objectiua, erit definitum in recto, forma vero siue genereitas in obliquo.

10 Prob. 2. Definitum huius definitionis debet esse id, quod propriè & simpliciter est prædicabile, vt quod; & id quo fit prædicabile, vt quo, cum ita exigat prædicatum ipsum definitionis, vt de definito verificetur. Sed *quod* est simpliciter prædicabile, est natura obiectiua, quæ sola prædicatur; *Quo* vero fit prædicabile est secũda intentio, seu abstractio, qua fit unum aptum ad plura præscisiue. Ergo natura erit definitum, *vt quod*, siue in recto, secunda vero intentio, *vt quo*, siue in obliquo. Maj. patet, paritate hominis, & cuius vis definiti, quod tale est secundum quod importat, vt quod; nec non secundum id, quo constituitur, vt quo, in esse hominis. Min. & conseq. constant.

11 Prob. 3. Quia si nec sola natura, nec sola genereitas, nec vtraque in recto; nec demum genereitas in recto, & natura in obliquo, locum habent pro definito Generis; vt patet ex rejectis sententijs, non restat alia combinatio, nisi natura in recto, cũ genereitate in obliquo. Ergo.

Sect. 2. Objectiones.

12 Obij 1. pro 1. *sent.* Sola natura est prædicabilis de inferioribus, adhuc vt quo, cum sola illa fit cum illis identificabilis; minimè vero neque, vt quo, identificabilis sit genereitas. Ergo soli naturæ tã vt quod, quam vt quo, conuenit definitio Generis, seu esse definitum illius.

Confirm. Secunda intentio neque *vt quo* constitutiua est natura in esse prædicabilis, quia impossibile est

quod ipsa præstet naturæ quod in se non habet: ideo enim albedo constituit album, quia ipsa in se est alba, seu visus dísgregatiua. Ergo si secunda intentio in se prędicabilis non est, nequit naturã constituere, adhuc vt quo, in esse prædicabilis.

13 Resp. neg. antec. Quia vt secunda intentio sit prædicabilis, & identificabilis, *vt quo*, non requiritur quod identificetur, & prædicetur, hoc enim modo jam identificaretur, *vt quod*; sufficit ergo, quod sit ratio tribuens vnitatem, & aptitudinem præscisiuam, merito cuius natura est identificabilis prędscisiuè cũ pluribus, & vt talis constituitur ex dictis d. 82. n. 4. 21. & 27.

Ad confirm. neg. antecéd. & suppositum, quod albedo *sit alba*, quid quid velit Spinula, licet sit disgregatiua visus, seu ita visibilis: quando enim denominationes sunt heterogeneæ, vt ratio albi, non requiritur quod forma illam in se præhabeat, adhoc vt subjecto communicet: alias odium deberet odio haberi, vt objectum redderet odio habitum, & prohibitio diuina prohiberi, vt redderet objectum prohibitũ. Taliter ergo heterogenea est denominatio prædicabilis, qnę proinde poterit constitui, & communicari per formam, scilicet secundam intentionem, licet in se non prædicabilem simpliciter.

14 Obij. 2. pro 2. *sent.* Sola forma est, quæ dicitur de formali in cõcreto, ac proinde quæ in illo debet definiri in recto, vt humanitas in definitione hominis. Ergo pariter sola genereitas in definitione Generis.

Resp. conc. antec. quoad concretum substãtiale, quale est homo; neg. quoad concreta accidentalia, quale est Genus, album, cognitum, &c. vt præmissum, 2.

15 Obij. 3. Definitio explicat essentiam *rei*, non vero rerum seu entium; vnde juxta S. Th. c. 7. *de ente & eff.* concreta, & entia per accidens non possunt definiri, nisi tantum secundum partem formalẽ, scilicet accidens, aquo denominantur; cum non sint *ens*, aut *habens essentiã*, vt concreta sunt. Sed Genus est ita concretum extrinsecum, & per accidens, ergo solum secundum accidens genereitatis definiri debet.

Resp. neg. major. ex d. 30. n. 11. Quia licet entia per accidens non possint simpliciter definiri, cum nõ sint vnum ens simpliciter, sicut substantia, &c. attamen secundum rationem *entis logici*, secundum quam aliqualem objectiuam vnitatem habent, possunt logicè definiri; vt multis exemplis ibi ostensum est. Quod ex Aristot. tradit̃ a S. Th. 7. Metaph. lect. 4. ajente: *Quare, & albi hominis, erit definitio: alio tamen modo albi, & substantiæ* &c.

16 Obij. 4. pro 3. *sent.* Hæc definitio Generis, sicut, & aliorum Prædicabiliũ, pertinet ad Logicã, quæ agit, & attingit præcipuè, & primario, siue in recto actus intellectus, siue secundas intentiones, solũque secundario, indirectè, & in obli-

quo

quo cõceptus objectiuos. Ergo hæc definitio primario, & in recto respiciet secundam intentionẽ, secundario vero, & in obliquo conceptum objectiuum naturæ.

Resp. neg. maj. ex d. 45. n. 11. 15 & 16. Eæ enim definitiones, quâ ad Animasticam, qua ad Metaphysicâ spectant Ad logicam vero aliæ definitiones actus abstrahentis vniuersalia, directiuæ quæ ipsius seu practicę, solum pertinere possunt.

17 Obij. 5. Quod hic definitur Genus, vt vniuoce commune entibus realibus, & rationis; sed sola secunda intentio ita communis esse potest, quia in esse objectiuo omnino opposita sunt. Ergo.

Resp. ab alijs negari *maj.*, ab alijs *min.* de quo in Metaph. vbi andetur vna ratio entis logici supertranscendens, & vniuoca proreali, & rationis; ex d. 63. Vide d. 9. an. 11

18 Obij. 6. pro 4. *sent.* Definitio debet conuenire, essentialiter subjecto definito in recto; at soli naturæ vt *abstracte, & denominatæ per* secundam intentionem potest essentialiter conuenire, quod sit prædicabilis de pluribus, aut quod sit genus, &c. vt patet; ergo vtique solum in recto essentialiter cõueniet.

Confirm. Naturæ solum potest conuenire essentialiter definitio, sicut conuenit essentialiter ipsum definitum, vt patet: sed definitum siue esse Genus solum conuenit essentialiter naturæ, reduplicatiuè, & concretiuè, vt abstractæ per secundam intentionem, siue vt inuoluenti ipsam abstractionem in recto; aliter enim accidentale est naturæ, v.g. esse genus, sicut cognosci, & præsciri: vt est manifestum. Ergo definitio Generis solum conuenit naturæ, vt reduplicatiuè concretiuè in recto inuoluenti abstractionem, & secundam intentionem; atque adeo vtraque in recto erit definitum.

19 Resp. concessa maj. dist. min. at soli naturæ, vt denominatæ per secundam intentionem essentialiter conuenit, quod sit prædicabilis, seu genus; se habente natura denominata solum in recto, & forma denominante, siue abstractione, solum in obliquo; concedo se habente etiam forma in recto, nego. Quia eæ reduplicationes solum sunt subjectiuæ non concretiuæ, atque adeo solum cadent in recto supra subjectum; sicut cum dicitur, *Petrus vt albus est essentialiter subjectum albedinis*; quæ solum cadit supra Petrum, siue subjectũ. Vnde longe aliter se habet ac reduplicatio concretiua, *Album, vt album est concretum ex substantia, & albedine* &c. vbi totum concretum in recto sumitur; & ita etiam se haberet, si Genus definiretur concretiuè, v.g. est *concretum ex natura, & abstractione ipsius a differentijs notabilibus.*

20 Ad confirm. concessa maj. n. g. min. Quia duplicem modam habet intellectus noster reduplicandi supra concreta, ad enuntianda prædicata: alium totalem, & concretiuũ, alium partialem, & discretiuum. *Concretiuus* est, quando enuntiat prædi-

catum, quod soli tori, & nulli parti seorsim, *vt quod*, conuenire potest, v.g. *quod album sit essentialiter concretum*, &c. Partialis vero, & *discretiua* est reduplicatio, quando prædicatum vni solum parti conuenit, *vt quod*, & tunc ea pars ponitur in recto, de qua vt de subjecto, *quod*, prædicatum verificatur, vt dixi d. 14. n. 30. Et ideo aliquando reduplicatio est formalis, si prædicatum soli formæ concreti conueniat, vt quod, & in recto; v.g. *Petrus inquãtum albus est essentialiter visibilis*, vbi sola albedo est in recto, quia illa solum vt quod, propriè, & essentialiter visibilis est, vt dixi d. 23. n. 23 & d. 45. n. 5. Aliquando vero reduplicatio solum est subjectiua, & materialis, quãdo soli subjecto, *vt quod* conuenit prædicatum, vt cum dicitur, *Petrus in quantum albus est subjectum albedinis*, vel, *inquantum corpus libere mouetur*, &c. Vbi solus Petrus, seu subjectum, se habet in recto, cui soli conuenit, vt quod prædicatum. Et talis est prædicatio definitionis Porphyrianæ de Genere, *est predicabilis* &c. Quia cum solum subjectum, seu substratum generalitatis, scilicet natura objectiua, sit *predicabilis*, seu quæ prædicatur simpliciter, & *vt quod*, solum illa erit in recto, vt definitum, de quo ea definitio verificatur; etiam subtilis reduplicationibus, *Naturæ vt abstractæ*, &c. Quia est reduplicatio pure subjectiua. Qualis enim sit reduplicatio colligitur ex ipsis prædicatis, juxta illud n. 2, *Talia sunt subjecta, qualia exiguntur a prædicatis.* Vnde si soli formæ conueniat propriè prædicatum, illa sola ponetur in recto; econtra si soli subjecto. Imo quæ vis prædicatio ita est virtualiter reduplicatiua in ordine ad rectum subjecti, v.g. *Album essentialiter est visibile*, solum albedinem dicit in recto: hæc vero, *Album essentialiter informatur albedine*, dicet solum subjectum; ac demum hæc, *Album essentialiter est totum accidentale*, dicet vtrumque. Quod si conuenientia prædicati sit æquiuoca, sub distinctione erit determinandum rectum ex d. 17. n. 17. &c vt ratio colorati, respectu subjecti, vel concreti, *album*. Cum ergo prædicatum Porphirianæ definitionis non sit *concretum*, sed subiectiuum, solum facit reduplicationem partialem, subjectiuam supra rectum specificatiuum concreti accidentalis, scilicet supra subjectum, seu naturam objectiuã, connotando in obliquo formam generalitatis, ratione cuius denominatio generis conuenit recto.

21 Obij. 7. & replic. Quomodo cunque subiectum consideretur reduplicatiuè in quantum subjectum, semper est extra formam, vt pote pars respectu comparis, atque adeo altera pars seu forma est extra essentiam talis subiecti, proindeque non potest essentialiter de illo prædicari in denominatione. Ergo si reduplicatio, subqua definitur genus, est solum supra subiectum, non poterit conuenire essentialiter definitio.

Resp. neg. maj. Quia si subjectum

tum consideretur reduplicatiue, vt inducens denominationem a forma obliqua, jam consideratur ut intra denominationē a forma acceptam, atque adeo illo modo poterit denominatio reduplicatiué essentialiter prædicari: vt illa *Petrus inquantum currit, necessario essētialiter mouetur*; licet per se libere, & contingenter.

22 Obij. 8. & replic. iterum, Eæ reduplicationes *Petrus in quantum habens vestē essentialiter est vestitus*, & similes, sunt relatiuæ, & connotatiuæ secundum dici, & extrinsecæ, atque adeo constituuntur æque ex ipso fundamento relato, & termino connotato, vt dicā in Prædicamēto *Relationis*, & *Habitus*: sed similes sunt omnes reduplicationes concreti extrinseci, vt connotatiui ad formam, siue vt habentis illam, quale est *genus*, &c. Ergo æque in recto constituitur illa habitudo, ex fundamento habente seu subjecto, & termino relationis, seu forma habita, scilicet genereitate.

Resp. conced. æque essentialiter ex vtroque constitui, sed nego æque in recto, sed altero in recto, & in obliquo altero, imo inde arguo: Quia denominatio relatiua, quantū cumque reduplicetur essentialiter supra illam, semper dicit vnum cōstitutiuū in recto, scilicet fundamentum, & aliud in obliquo scilicet terminum: v.g. *Pater vt pater essentialiter habet filium*; vbi filius semper est in obliquo licet Patrē constituat in esse Patris, Pariter ergo &c.

23 Obij. 9. & tandem replic. Hæc propositio: *substratū genereitatis, seu obiectum generice præscissum, est prædicabile de differentibus specie*, distinctum prorsus subiectum habet in recto, ac propositio hæc: *Genus est prædicabile de differētibus specie*: quia prima est prædicatio accidētalis, secunda vero essentialis; implicat autem, quod de eodem subiecto simul essentialiter & accidentaliter idem prædicatum enuntietur. Sed prima propositio solum importat subiectū genereitatis in recto, hanc vero in obliquo. Ergo secunda propositio aliquid amplius in recto, scilicet ipsam genereitatem, ex parte subiecti seu definiti, importabit.

Resp. neg. maj. quia diuersitas vtriusque prædicationis non se habet ex parte recti, sed ex parte obliqui rectum ipsum subjectiuum afficientis; quia etiam termini obliqui immutant, & variant terminos rectos propositionis, quos afficiunt propter diuersum modum quo concipiuntur, ex d. 2. n. 10. Vnde hæ propositiones: *Petrus vt albus est subiectum albedinis contingenter*; item *Petrus vt albus est coloratus essentialiter*, licet semper ex parte subiecti importetur albedo in obliquo, attamen diuerso modo obliquum concipitur, vt afficiens subiectum: scilicet in prima propositione, vt accidens respectu subiecti; in secunda, vt pars essentialis respectu denominationis tributæ subiecto, & ratione vtriusq; modi variandi obliquū, variatur etiam modus verificandi prædicationem, tum vt accidentalem,

sem, tum, vt essentialem. Cuius ratio est, quia reduplicatio facit sensum suppositionis connexæ cum prædicato, & iuxta variũ modũ connexæ suppositionis tũ contingentis, tũ necessariæ, variari potest verificatio prędicati de subjecto. Vt g. *Quod ex suppositione quod Petrus sedeat, necessario sedet*; item *quod ex suppositione quod libere sedeat, contingenter sedet*: quia variatur modus suppositionis, & reduplicationis supra eandẽ sessionem liberam semper in obliquo se habentem, & veritates variantẽ ex ea d. 23. n. 23. Pariter ergo suppositio *generèitatis*, licet semper in obliquo se habeat in vtraque illa propositione obiectionis: Quia tamen in 1. reduplicatur, vt suppositio contingenter connexa cum subiecto; in secunda vero vt suppositio essentialiter connexa cum denominatione generis, facit diuersam verificationem prædicati de eodem subiecto in recto, tum accidentalem, tum essentialem. Et ex dictis facile cognoscetur magna æquiuocatio, qua fieri solent reduplicationes, & prædicationes concreti accidẽtalis; ex qua tota huius quæstionis difficultas orta est.

DISP. LXXXIX.

Vtrum Genus sumatur a materia; & Differentia a forma; non vero a tota rei entitate?

2 PRima sententia mordicus affirmatiua est Thomistarum, cum & apud Complut. d. 5 q. 6. M. Joann. Fa. q. 7. a. 3. Philipp. a SS. Trin. q. 5. a. 6. Imo antiquiores adeo excesere cũ Alberto, Durãdo, & Ægidio, apud P. Suarez, vt non solum Deum, sed etiam Angelos, & accidentia, quia carent materia & forma, genere, & differentia carere dixerint, licet ipsis rationes conueniendi, & differendi notabiliter negari non possint. Recenciores tamen prudentius temperant suum Axioma, dupliciter 1. Vt locũ non habeat in rebus carentibus materia, nisi per analogiam, & metaphoram quandam, scilicet, quod genus sumatur a potentialitate seu indifferentia entis ad differẽtias, quæ se habet instar materiæ indifferentis ad formas. 2. Quod in rebus materia constantibus, solum materia se habeat, vt principium radicale, & quasi remotum generis, siue genericę vnitatis, licet formale, & proximum sit tota entitas, qua cum identificatur tam genus, quam differentia.

2 Secunda nostra, & vera sententia negat, aliter quam per metaphoram illam, genus sumi a materia, & differentiam a forma; re enim ipsa a tota entitate indiuisibiliter sumuntur. Ita Scotista cum & apud Poncium d. 4. n. 55. qui etiam meliores Thomistas pro nobis laudat: & nostri omnes cum P. Suar. d. 6. Metaph. s. 11. & 1. de Angel. c. 5. P. Fons. l. 5. c. 8. q. 4. s. 3. §. Tertiũ vero, P. Uaz q. 1. p. q. 179. c. 1. & 3. P. Mol. 1. p. q. 50. a. 2. §. Propter. P. Arr. d. 3. de Angel. n. 21. P. Compt. hic. d. 33. s. 8. n. 5. P. Santacruz n. 730.

P

P. Yzquierdan 285. P. Lync. l. 9 tr. 1. n. 46 &c.

3 Prob 1. Quia quodlibet Genus est ens completum vere, & realiter, omne enim ens, & consequenter génus omne illud participans, non nisi completé in singulari ens est. Ergo a toto ente singulari, siue a tota entitate illius vere, & realiter desumitur.

Confirm. 1. Quia genus, & differentia, & quivis gradus metaphysici realiter sunt idem, ergo realiter ab vna eadem que tota reali entitate desumentur.

Confirm. 2. Totum singulare v. g. Petrus totus est animal, necnon totus est rationalis, non minus quã totus realiter est homo: ergo sicut propterea homo, siue species a tota entitate singulari desumitur, ita genus, & differentia ab ipsa tota desumentur.

4 Prob. 2. Quia entia quæ carent materia prima, vt sunt Angeli accidentia que, v. g. albedo &c. gaudent æque proprio genere, & æque propriè de sumpto, ac ea quæ ex materia componuntur, cum æquè ab illis rationes genericè conueniẽdi, ac ab istis præscindantur, vt patet. Sed ea genera optimè cõsistũt quin a materia physica desumãtur, per solam materialitatem analogicam potentialitatis, siue indifferentiæ communis; ergo pariter per eãdem reliqua genera salua consistẽt: quin amplius Arist. & S. Th. voluerint, vt 2. contra Gent. c. 95. declarat.

5 Prob. 3. ad hom. Quia juxta Adversi. proximè, & formaliter Genus a tota entitate desumitur: ergo etiam radicãliter: quia explicari nequit, quid sit ea deruptio radicalis a materia, cum hæc non sit radix entitatis totius, aqua formaliter genus desumitur.

6 Vrg. 1. Thomistæ tenent a materia sumi individuationem rerũ, quia hæc est differentia materialis; cum tamen sit vltimus actus, tollés omnem potentialitatem, & indifferentiam entis, ergo multo melius sumi poterit differentia specifica, quæ aliquam potentialitatem seruat ad individuales differentias.

7 Vrg. 2. quia vix est vllum genus præter ens, quod non habeat aliquam differentiam subalternam generis superioris, v. g. animal respectu viuentis, hoc respectu corporis, hoc respectu substantiæ; ergo vix erit genus, quod non gaudeat actualitate desumenda a forma: præsertim que genus *animal*, quod ab anima, seu forma desumitur, vt a vitę radice.

8 Obij. 1. S. Th. *Opusc. 42, c. 2, & & quæst. de spiritual. creaturis a. 1. ad 24. & 1. p. q. 50. a. 2. ad 1.* vbi expresse determinat substantias immateriales, a materialibus, & in his genus a materia sumi decernit: vniuersaliter amplectens illud Principium *Genus sumitur a materia, differentia a forma.* ergo.

Resp. Angel. D. solum voluisse, quod ex materia prima nunc existente determinetur compositũ ad aliquos solum gradus generícos corporis, substantiæ, entis cõpleti, &

& Ideales; non vero quod omne genus debeat sumi, vel determinari ab entitate; alias, & genus *animalis*, & etiam *intellectiui* ab ipsa sumerẽtur, quę tamen ab anima determinantur, vt patet. Similiter etiam docet a forma gradus reliquos speciales & specificos determinari, rũ vltimos, vt rationale, tum subalternos, vt sensitiuũ, intellectiuũ, &c. ex communi axiomate, *Quod forma dat terminat, & tribuit speciem compositoi*, non quia non tribuat etiã multos genericos, tum communissimos ẽntis completi, substantiæ, &c. tum specificos sensitiui, & intellectiui; sed quia specialiores a forma determinari, & hoc sensu dici sumi, soleant: licet in esse completo, indiuisibiliter a tota entitate sumantur.

9 Obij. 2. Differentia *rationalis* in homine, solum a forma rationali desumitur; sicut genus *Corporis* solum a materia; ergo pariter, &c.

Resp. neg. antec. Quia cum vnusquisque gradus, vt potentia realis existens, sit ens completum; licet ab alterutra parte ij gradus determinentur incomplete, vt nuper dicebam, attamen in esse rationalis, & corporis completi, &c. ab vtraque parte indiuisibiliter constituuntur. Adde rationale, vt dicit, ideale & dici dependenter a phantasmatibus seu sensationibus, etiam importare materiam; sicut & genus animalis rationem materiam quam forma importat, licet a forma solã determinetur.

10 Quinta, Materia, vt pote para potentia est radix totius potentialitatis; ergo & generis, quod potentiale seu indifferens est.

Resp. dist. antec. materia est radis totius potentialitatis physicę, transeat; metaphysicę, nego: quia hæc prouenit a conceptibilitate entis secundum rationes communes; imo & physica datur in anima, vt indifferenti ad suos actus, &c.

DISP. XC.

Vtrum Genus prædicetur, vt totum potestatiuum,

1 PRima sent. negans tribui solet Ueneto cap. de specie & Cantero cap. de Genere dub. 2. Sanchez ibi q. 9. & Oña art. vlt. quibus non nihil favet P. Lynceus lib. 9. tr 8. n. 16. & 17. Accedunt Nominales, qui supposita præscisione obiectiua Realistarum, putant vniuersale quodcumq; vt pote conceptum obiectivum inadęquatum, & a differentijs præscisum necessario se habere, vt partem seu compartem obiectiuã respectu differentiarum.

2 Secunda sententia affirmans est omnium Dialecticorum cũ S. Th. q. 3. de ente & ess. & opusc. 48. n. 2. c. 4 & sæpius ex Arist. 2. Post. c. 8. quos sequuntur nostri cum P. Suarez d. 15. Metaph. s. 11. n. 16. Conimbr. hic q. 1. a. 1. & in præfat. Prophyr. q. 3. a. 1. §. ad maiorem, P. Hurt. d. 3. §. 26. P. Arr. d. 7. s. 1. P. Compt. d. 33. s. 7. P. Fonsec. d. 3. q. 3. s. 2. P. Alph. d. 6. n. 49 P. Sanctius n. 648, P. Lynceus cit. lib. 9. tr. 2. n. 41, & alij passim

de

de omni vniuersali objectiuo totalitatem potestatiuam statuentes.

3 Prob. 1. supponendo, quod prædicatio partis de toto, aut e conuerso, vera esse nõ potest in recto, licet esse possit in obliquo, propterea enim vera non est hæc, *Homo est materia, est anima, est caput*, licet vera sit, *est materialis, animatus*, siue, *habens materiam, animam, caput*. Vnde in Concil. Constantiensi damnatur propositio Ioannis Hus, *Christus est humanitas, est diuinitas*, vt colligitur ex sess. 12. 15. & 45. & in vniuersum similes propositiones partis de toto Christo damnantur a Theologis, cum S. Th. 3. p. q. 16. P. Suarez ibi d. 25. s. 2. §. vltimo randẽ. P. Vazq. d. 16. c. 5. n. 1. Card. Lugo d. 25. n. 25. &c. Et ratio est, quia pars, & totum non solum distinguũtur vera distinctione includẽtis ab incluſſo, sed etiam interse opponuntur, vt dici nequeat, quod pars sit totum, & totum sit pars. Vnde S. Th. eo cap. 3. inquit: *Si animal non esset totum quod est homo, sed pars eius, non prædicaretur de eo, cum nulla pars prædicetur de suo toto.* Ergo cum genus, & quodvis vniuersale vere, & absolutè prædicetur de inferioribus, se habere debet, vt vere totum respectu illorum: At non totum actuale, & explicitum, cum non exprimat totum, quod inferiora important, scilicet eorum differentias explicitas; plus est enim homo quam animal; cum etiam sit rationale. Ergo, vt totum saltem potentiale, & implicitũ, vt jam explicatur.

4 Prob. 2. exponendo rationem totius potestatiui, quæ à RR. non vno modo solet explicari: ea autem in duobus consistit; Primo, quod aliquo modo objectiuo, saltem implicite, dicat totam rationem subiecti, respectu cuius est totum, vt requirit S. Th. nuper laudatus, statuendo *quod animal est totum quod est homo*, vt vere possit de homine prædicari. Non sufficit autem identitas subjectiua realis materialis, & positiua, quam habet subjectum cum prædicato (vt volunt RR.) quia ea solum verificatet prædicationẽ purè identice materialiter, prædicatio autem vniuersalis est formaliter, & objectiue vera; vnde in conceptu objectiuo prædicati ea totalitas idẽtificabilis cum subjecto, debet inveniri. Secundo requiritur, quod prædicatum sit superius respectu subjecti, id enim denotat continentia potestativa, qua non nisi superius sua sub potestate continere potest inferiora, vt singulis latius patens.

5 Tum hic. Sed Genus, & quodcumque vniuersale, objectiue implicite dicit totam rationem subjecti inferioris, quia cum sit a tota entitate desumptum, & vt ens totale, & completum objectiue præscisum, vt constat ex d. præced. in hac totalitate objectiua involuitur saltem implicite, quidquid constituit singulare in ratione entis implicitè totalis, ac proinde omnis differentia, & etiam vsque ad singularitatem, secundum implicitam rationem entis totalis, & completi importabitur

in ipso vniuersali. Sed aliunde ipsum vniuersale est superius, vt pote latius patens quolibet inferiori subjecto, ac proinde singula continens sua sub potestate: Ergo gaudet duplici requisito totius potestatiui respectu inferiorum.

6 Obij. 1. Genus est pars respectu inferiorum: tum quia prædicatur in quid incomplete, siue vt pars essentiæ; tum quia componit speciem cũ differentia, ac proinde vt compars: tum quia diuerso modo prædicatur ac species, quæ prædicatur in quid cõplete, & vt totum; ergo genus nõ vt totum prædicabitur.

Resp. negato antec. Genus esse partem, & esse totum respectu inferiorum, partem quoad explicitum inferiorum; quia solum est totũ secũdum quod est ens completum, ac proinde secundum implicitum totalitatis, & complementi inferiorum in esse entis: non vero secundum explicitum differentiarum, tum essentialium, tum individualium, quas superaddunt generi. Ad 1. prob. anteced. respectiue ad has explicitas rationes supperaditas dicitur genus prædicabile incomplete, quia illas non inuoluit; sicut neque ens differentias, vt tales. Ad 2. compositio similiter est generis, & vniuersalis, cum explicito differentiarum non cum implicito entis cõpleti; inquo sunt vnum ens. Ad 3. etiam species respectiue ad differentias individuales est pars, quoad explicitum, solũque dicitur prædicari complete, vt totum, quia inuoluit totam essentiã, eiusque differentiam explicitam, quam ita non inuoluit genus, sed solum in esse implicito entis cõpleti.

7 Obij. 2. Genus est pars potentialis, cum vt genus præscisum non sit pars actualis, neque actualiter componens, sed solum potens componere cum differentia; ergo si esset etiã totum potentiale seu potestatiuum, esset in eodem genere totum, & pars, quod implicat.

Resp. neg. conseq. Quia est totum secundum totalitatem implicitam entis, & est pars secundum explicitã speciem quam constituit, atque ita sub diuerso genere potentialitatis. Ubi aduerte magna dissidia de voce hic misceri inter RR. ex P. Ovied. p. 2. n. 4. qui putant, cum actu prædicatur genus, prædicari, vt partem actualem, licet cum præscinditur sit pars potentialis. Quo etiam sensu dicere pollent, prædicari, vt totum actuale; quæ tamẽ est actualitas extrinseca prædicationis, non per intrinsecam obiectiuã contractionem, aqua præscindit vniuersale etiam intra prædicationẽ, ex d. 85.

8 Obij. 3. Ad veritatem prædicationis sufficit quod vniuersale prædicetur, vt pars metaphysica, quia eo ipso est totum subjectum physicè & realiter, cum pars metaphysica identificetur cum tota entitate: ergo nõ requiritur quod prædicetur, vt totum metaphysicum.

Resp. 1. Ad veritatem etiam metaphysicam, & formalem prædicationis vniuersalis, vt præmisi n. 4. nõ suffi-

ſufficere eam materialem, & ſubjectiuam totalitatem. 2 Si hæc ſuffi ciat, potius illa probat, ita partem metaphyſicam prædicari, & verificari, vt totum ſubjectiuè, quam vt partem formaliter.

9 Obij. 4. In prædicatione accidentali, *Homo eſt albus*, non prædicatur niſi pars prædicati, cum non prædicetur albedo; ergo pariter &c.

Reſp. nego antec. quia prædica tio ſolum enuntiat identitatem inter rectum prædicati, & ſubjecti; ex d. 2. n. 9. rectum autem prædicati eſt tantum *ſubjectum habens* albedinem, quod identificatur cum homine, vt totum cum toto.

10 Replicas, Ratio *ſubjecti habentis albedinẽ*, quę prædicatur in recto eſt partim quid contingens, & accidentale, ſed cum homine non identificatur aliquid accidẽtale, eſt enim ſubſtantia; ergo ſolum prædicatur pars prædicati in recto ſecundũ quod dicit de ſubſtantia, & non pars recti, ſecundum quod importat dẽ habitupine accidentali.

Reſp. in prædicatione Accidentis quinti prædicabilis, ſolum prædicari identitatem ſubſtantivam, inter ſubjectum ſubſtantiale, & rectum ſubſtantiale prędicati, illa vero accidentalis habitudo, per quam concipitur vt habens formam accidentalem, non prædicatur identicè de ſubjecto, ſed ſolum in quale, ſiue adjectiue, eo modo quo ſubjectum ipſum adiectiue, & extra ſubſtantiam habet qualitatem accidentalem: atque ita optime totum prædicatum toti ſubjecto correſpondet in recto, quo ad identitatem.

11 Obij. 5. Hæc prædicatio indirecta, *Album eſt paries*, æquivalens huic, *aliquod album eſt paries*, prædicat partem, ſcilicet ſubjectum de toto albo; ergo vere prædicatur pars de toto.

Reſp. rectum illius prædicationis eſſe, *Aliquod ſubiectum*, habens albedinem; *paries* autem adæqnatè identificatur cum ſubjecto aliquo, licet non cum concreto, *Albo*.

12 Obij. 6. Cum dicitur, *Chriſtus eſt homo*, ſolum prædicatur partialis natura humana de Chriſto D; ergo pars de toto.

Reſp. neg. antec, quoad implicitum, & poteſtatiuũ, quia cum *homo* dicat non ſolum naturam, ſed etiam *ſuppoſitum*, & hoc in Chriſto D. etiã importet diuinitatem, ratio ſuppoſiti totalis, & completi ſiue hominis, & entis ſubſtantialis completi, prout ad Chriſtum D. contrahibilis, dicet etiam diuinitatem, ſecundum implicitum illud poteſtatiuum in eſſe vnius entis totalis.

13 Obij. 7. Hoc modo de media tolli præciſiones objectiuas, cum jã differẽtię implicitè cõtineantur in vniuerſali præciſo; nihil enim aliud volunt Nominales, niſi implicitam hanc continentiam; ergo.

Reſp. nego antec. Quia Nominales contenti non ſunt ea continentia implicita, ſecunddum gradum tranſcendentementis realis completi, ſecundum quem eiusque præci-

sam, & implicitam rationem etiam differentiæ omnes conueniunt, & in ratione conueniendi superiori includuntur implicitè; sed vltra volunt differentias explicitas, vt pote æque identificatas, in vniuersali involui. Quomodo autem ab his non mutuo præscindatur ratio entis, indico d. 76. n. 50. & d. 100. patebit.

14 Obij. 8: Prædicatio *homo est animal*, potest habere eundem sensum suppositi tantum in recto, *Homo habet animalitatem*, juxta P. Suar. ea. s. 11. n. 16. sed ita prædicabitur *animal* de parte hominis, scilicet de supposito. Ergo.

Resp. 1. neg. maj. Quia ita fieret, quasi accidentalis, prædicatio substantialis, & quidditativa generis; vnde ea habitudo, per Ly *habet* intelligitur tunc, vt essentialis, ac si diceretur, *Homo constat ex animalitate*, & per Ly *constans*, implicitè importatur totum quo constat homo. 2. neg. min. Quia eo sensu prædicaretur tantum substantivè rectum prædicati de recto subjecti, sicut in prædicatione accidentis, scilicet suppositum habitum, de supposito habente, & sic totum de toto.

15. Obij. 9. Saltem quando prædicatur genus in abstracto de specie, prædicatur, vt pars, v. g. *homo est animalitas*, &c. cum non prædicetur, vt totum concretum, sed vt forma illius; ergo.

Resp. 1. a P. Rubio, & alijs, propterea, eas prædicationes fallas reputari in sensu formali. 2. luxta alios, DD. objectiue important illa abstracta ratione entitatis totalis, quæ sumuntur a tota entitate concreti, & secundum eam rationem sunt totum potestatiuum respectu concreti inferioris de quo verificantur: expecta disp. 107.

16 Obij. 10. Hæc prædicatio *Homo est rationalis*, vel *omne rationale est homo*, vera est, licet non sit totius potestatiui, sed solius æqualis de æquali. Ergo superfluit totalitas potestatiua prædicati?

Resp. non superfluere totalitatem, quia hæc requiritur etiam in prædicatione singulari v. g. *hic homo est Petrus*, atque adeo etiam cum est æqualis de æquali: solum ergo quando est de prædicato vniuersali, requiritur ratio potestatiui simul cum totalitate implicita identitatis.

17 Obij. 11. aliquando a SS. PP. admitti prædicata totalia Xpti. D. de parte ipsius, juxta illud, *Peccat caro, mundat caro, regnat Deus caro*. Ergo.

Resp. cum Sapientiss. P. Leon. d. 11. de incarn. a n. 55. esse prædicationes figuratas, per synecdochem, non dialecticas proprias, & scientificas, quales esse debent pro Vniuersalibus.

DISP. XCI.

Vtr. Genus immediate prædicetur de individuis completis?

1 PRima sententia affirmat cum P. Smigles. d. 5. q. 1. P. Ov. c. 4. p. 4. n. 7. P. Compt. d. 33. s. 4. n. 5. P. Th. Polen. d. 4. q. 11. diff. 3. Bonesp. apud P. Arr. infra.

Secun-

Secunda nostra sent. negat immediationem objectiuam, licet non dubiter de immediatione expressiua actus, quivis enim prolibito potest immediate expresse affirmare de *Petro esse animal*, quin exprimat conuenientiam prædicati ratione *hominis*. Ita P. Suar. d. 6. meth. s. 9. n. 15 P. Fons. lib. 5. c. 28 q. 14. s. 3. PP. Connimbr. c. 2 de specie q. 1. a 1. & 2. P. Tellez d. 3. s. 4. n. 2. P. Alph. d. 6 n. 28. P. Yzq. d. 17. n. 254 P. Lync. l. 9. tr. 2. n. 79. exteri, Joanniz d. 10. n. 11. & Spinula d. 7. n. 31. &c.

2 Prob. 1. Quia non alio ordine & modo objectiuè prædicatur vniuersale de inferioribus, nisi quo ad ipsa cõtrahitur; prædicatio enim est cõtractio extrinseca, quæ intrinsecã objectiuam consequitur: sed Genus objectiuè contrahitur ad indiuiduũ mediatè, seu media specie, & differentia specifica; ergo ita etiam mediatè objectiue de indiuiduo prædicatur. Maj. & conseq. constant. Min. ostenditur, ex differentijs subalternis, quarum supremę non contrahuntur ad infimas, nisi mediantibus intermedijs. v. g. substantia non contrahitur ad vegetatiuum, nisi mediante corpore, nec viuens corporeum ad rationale, nisi mediante animali; ergo pariter nec ratio animalis contrahitur ad Petrum, Paulum, &c. nisi mediante specie hominis, & differentia rationalis.

3 Prob. 2. Eo modo genera prædicantur, quo diuiduntur, sed genera non diuiduntur immediate in indiuidua, esset enim improba diuisio animalis, in Petrũ, Bucephalũ &c. sed in species *hominem*, & *brutum*. ergo pariter de speciebus erit immediata prædicatio, mediata vero de indiuiduis.

4 Prob. 3. Quia transitus, & descensus superioris ad inferiora non potest fieri, nisi prius descendendo per intermedia; sed genus, & quodvis prædicatum vniuersale, quo latius patet est superius, species vero quo minus late patent, sunt intermediæ; indiuidua vero, quia nullã habent vniuersalitatem sunt infima. Ergo per prædicationẽ non potest genus transire & descendere ad indiuidua infima, nisi mediate, & prius transeundo per species intermedias.

5 Prob. 4. & a priori. Quia licet genus secundum se æque præscisiue se habeat respectu differentiarũ indiuidualium, ac specificarum, cum vna indiuisibili abstractione ab omnibus præscindatur; attamen cum contrahitur ad indiuidua, siue de illis prædicatur, v. g. *animal de Petro*, non potest coniungi cum Petro nisi eo modo, quo Petrus participat ipsum genus. Sed Petrus per prius participat rationem specificã hominis, quam generica animalis, ideo enim Petrus est animal, quia est homo, non vero ideo est homo quia est animal. Ergo per prius debet genus contrahi ad speciem hominis, quam ad ipsam indiuiduationem Petri.

6 Obij. 1. Hæc est immediata

Pra-

prædicatio *Petrus est animal rationale*, non minus quam hæc *Petrus est homo*; cum non sit mediatior definitio, quam definitum: ergo æque immediate prædicatur genus animal, quam rationale de Petro.

Resp. In definitione non prædicari genus vt formaliter tale, siue vt abstractum, sed vt contractum, & actu constituens speciē cum differentia, & ideo tam immediate quam illa.

7 Obij. 2. Æque præscinditur genus a differentia specifica, ac individuali, cum per omnimodam præscisionem conceptus obiectiui constituatur; ergo æque erit aptus & indifferens ad differentias individuales, ac ad specificas, cum eius aptitudo sit omnino præscisiua, & in sola præscisione consistens, ex dicto.

Resp. ex n. 5. quod licet æqualis præscisiue, imo vna sit ex parte generis aptitudo ad species, & individua; attamen inæqualiter participatur ab speciebus & individuis; ab his scilicet mediate, & immediatius ab illis, iuxta maiorem vel minorem contractionem; quo enim minus contrahunt, seu limitant rationem superiorem; eo immediatius accedunt ad illam, ipsam que proximius participant. Cum autem prædicatio enuntiet prædicatum de subjecto, non solum iuxta præscisiuam indifferentiam prædicati, sed etiam iuxta modum quoobie eius participatur a subjecto; ratione huius metienda erit mediatio, vel immediatio prædicationis.

8 Obij. 3. Hæc est prædicatio immediata; *Equus est animal, Deus est animal*, licet medier inter subiectum & prædicatum ratio bruti; ergo pariter immediata erit, *Petrus est animal*, licet medier ratio hominis.

Resp. cum P. Arr. n. 54. in rigore tam prædicationem esse generis mediati, atque adeo obiectiuè mediatam; licet animal dici soleat genus immediatum, eo quod tale sit respectu speciei humanæ, esto ita non sit immediatum respectu equinæ & leoninæ.

9 Obij. 4. Vlna immediate diuidi potest tā in duas semiulnas, quā in quatuor palmos contentos sub semiulnis Ergo pariter æque immediate diuidetur, & prædicabitur genus, tam de duabus speciebus v.g. *animal de homine & bruto*, quam de individuis contentis sub speciebus ipsis duabus.

Resp. neg. paritatem; quia vlna est totum actuale, quod æque immediate diuidi potest in maiores, vel minores partes, ex quibus componitur: at genus, vel vniuersale, est totum potentiale, quod non actu cōponitur ex inferioribus tamquā ex partibus, sed ab illis participatur tā quam a contrahentibus eius vniuersalitatem. Vnde quo minus cōtrahitur, eo immediatius participatur, atque adeo eodem ordine immediatius in ipsa erit diuidendum, de ipsis que prædicandum.

10 Obij. 5. Ita fore Genus duplex prædicabile, vnum, vt prædicabile immē-

immediate de speciebus, alterũ, vt prædicabile mediate de indiuiduis, cũ varietur modus prædicationis mediatæ, & immediatæ. Ergo.

Resp. ex consensu DD. contra Lo vanienses apud P. Lync. n. 68. quod sicut non multiplicatur duplex Genus remotum, & proximum, quia vtrumque seruat eundem modum prædicabilitatis *in quid incomplete*, siue vt pars essentiæ, siue sit latior, sine minus lata, ex d. 87. n. 6. ita etiã eum æque de indiuiduo, ac de specie prædicetur. Major autem, vel minor immediatio materialiter se habebunt, quia notabiles non sunt; sicut major vel minor proximitas generum; eo quod ad regulas, & directiones Dialecticas de Termino communi syllogismi, materialiter se habeant, vt bene obseruat P. Alph. n. 26. Eo modo quo licet sub Sacramento ordinis, septem illi multiplicentur, non ideo multiplicantur quatuordecim Sacramenta, quia illi adunantur sub vna specie ad vnum sacrificij ministerium: nec similiter Eucharistiæ duplicãtur sacramenta, propter vnitatem moralem duarum specierum in vnum conuiuium, vt cum S. Th. 3. p. q. 73. a 2. tradunt Theologi apud Card. Lugo d. 2. de Eucha. s. 2. & P. Dicast. d. 1. dub. 3.

11. Obij. 6. Eadem est relatio Generis ad speciem, & indiuiduum, tum quia per eandẽ conuenientiã, perquã indiuidua diuersa Petrus, & Bucephalus subijciuntur generi, subijciuntur species: tum quia sicut potentia refertur ad actũ, huiusque obiectum, eadem relatione, pariter, &c. Ergo si eadem est relatio, æque immediata erit ad vtrumque.

Resp. 1. neg. conseq. quia eadẽ relatio potest immediate vnum terminum, & huiuis connotata mediate respicere: vt relatio potentiæ ad actum, & obiectum illius, quia subordinata sunt. 2. Neg. antec. de relatione positiua (nã de præscisiua cõstat esse vnam ex n. 5. & 7.) de quo multi sunt supra PP, Conimbr. P. Fonseca, & P. Lynceus totis cap. 6 & 7. cum enim relationes, præscisse secundum dici multiplicentur, multiplicatis terminis; consequenter cũ species, & indiuiduũ obiectiue multiplicentur, Generis relatio ad vtrũque multiplex erit. Ad 1. prob. in indiuiduis est duplex conuenientiæ secundum duplicem diuersitatem, quam habent, aliam respectu generis, aliam respectu speciei; & ideo fundant duplicem positiuum respectum generis ad illa, per diuersos actus comparantes; licet præscisiuus respectus vnicus sit. Ad 2. relatio potentiæ ad actum, & obiectum est transcendentalis, & identificata potentiæ, & ideo est vnica pro potentiæ vnitate; licet etiam per mentẽ diuidi possit in formalitates, per comparatiuos respectus, qua ad actum, qua ad obiectum.

12. Obij. 7. Ideo prius participat Petrus rationem hominis, quam animalis, quia probatur esse animal ab eo quod sit homo; sed similiter probatur hominem esse animal, quia Petrus, Paulus &c sunt animal: ergo prius,

prius, aut saltem simul, participatur animal à Petro Paulo, &c. ac ab homine.

Resp. dist. maj. ideo prius participatur, quia probatur esse animal, eo quod sit homo, præscisse, nego; & quia non valet probatio mutua, & e conuerso, vt patet e. n. 5. concedo. At mutuo valet quod homo sit animal, quia Petrus, & Paulus sunt animal, & e conuerso, quod hi sint animal, quia homo animal est: & ideo non seruant prioritatem causalitatis, sed simultatem; sicut inter essentiam, & attributa, definitum, & definitionem, quæ mutuo se inferunt.

DISP. XCII.

Vtrum dentur indiuidua incompleta immediata Generi?

1 PRima sent. neg. pro qua citari solent Thomist. & P. Suar. d. 6. s. 9, n. 15. de quorũ mente dicam n. 12. & eam tenet Spinul. d. 2. n. 33.

2 Secunda nostra sent. affirmat cũ P. Hurt. d. 4. s. 5. §. 28. P. Arr. d 7. s. 1. sub 6. P. Ovied supra punc. 4. P. Compt. d. 33. s. 4. n. 3. P. Peñaf. d. 3. q. 7. s. 3. P. Alph. d. 6. n. 23. P. Santacruz a n. 679. P. Lync. eo Trac 2. n. 47. P. Sua. Lusit. Tract. 4. d. 1 n. 11. P. Quir. d. 21. s. 2. citaturque P. Moli. 1 p. q. 3 art. 4 dub. 2. §. *Gradus autem*, accedunt NN. RR. & Joaniz d. 10 n. 13. sumiturque ex S Th. 1. p. q. 78 a 5. ad 1. & 2. & *opusc.* 55. *ad med.* vt ostẽdit P. Peñaf.

3 Præmitenda est distinctio indiuidui completi, & incompleti. *Completum* est, quod vltimo exprimitur secundum gradum explicitum, non vlterius determinabilem, in ratione huius singularis, intra speciem infimam, vt est Petrus, vltimo explicite determinatus intra speciem infimam hominis, in esse huius singularis humani. *Incompletum* est, quod licet cognoscatur, vt hoc singulare explicitum, non tamen, vt vltimo determinatum, sed vt vlterius determinabile; v. g. cum a longe videmus aliquod corpus, primò cognoscimus, illud esse vnum singulare in esse corporis; deinde cum videmus illud moueri, cognoscimus esse singulare animal; deinde esse singularem hunc hominem: semper tamen hę singularitates, & individuationes, vt incompletæ cognoscuntur in singulis gradibus, vsque dum cognoscitur vltimum indiuiduale explicitum in esse Petri. Vnde *illæ* constituent indiuiduum incompletũ, tantum secundum gradus, quos non vltimo singularizant, ac determinant explicite. Iam hinc

4 Prob. 1. Concl. Quia hæ rationes indiuidui incompleti secundũ gradus genericos v. g. *huius animalis, huius corporis, huius viuentis*, immediate afficiunt, ac determinant solum rationes illas genericas, cum nullo modo attingant, aut cognoscant specificas rationes, a quibus omnino præscindunt. Ergo illa indiuidua erunt omnino immediata generi. Non quidem completa, cũ non cognoscãtur explicita, Petrus aut Bucephalus: ergo penitus incompleta erunt.

5 Conf.

5 Confirm. quia ab hoc. & illo, & illo animali, a longe viſis, vt conuenientibus in eſſe animalis, vna *animalis* ratio præſcindi poteſt, quæ tam generica ſit, ac ſi præſcinderetur ab omnibus ſpeciebus animaliũ vt pote ad omnes præſciſsiue apta, & indifferens. Sed eam rationem immediate participant, hoc & illud animal, cum ab ſpeciebus ſint præſciſſa. Ergo ratio generica *animalis* immediate participatur ab incompletis indiuiduis.

6 Prob 2. Concl. ſupponendo, totam indiuiduationem entis ſumi á connotatione terminorum modalium, qui alteri cuicunque indiuiduo, vt modales ſunt, eſſentialiter conuenire repugnant; v.g. ab vbicationibus, durationibus, actionibus, vnionibus, ſecundum quod ſunt diuerſæ non notabiliter ab alijs, quas alia indiuidua terminare, aut elicere poſſunt. Atqui in ſingulis gradibus entis reperitur hæc diuerſitas non notabilis modorum, ſeu terminorum modalium, quos ſingula indiuidua connotare poſſunt. Ergo in ſingulis gradibus entis tam generícis, quam ſpecificis reperitur propria cõnotatio differentiæ, aut diuerſitatis indiuidualis. Mai: & conſeq. liquidæ ſunt; Min. inductione patet, quia in Petro v.g. *hoc ens* petit has numero vbicationes, durationes, & terminationes actionum, cognitionum &c. quas Paulus, aliud ve indiuiduum exercere non poteſt: *Hæc ſubſtantia*, ſimiliter has numero accidentiũ inhæſiones; *hoc viuens* eas numero vitales actiones; *hoc animal* tales ſenſationes numero; *hoc rationale* eiuſmodi numero ratiocinationes; & ſic reliqua connotata ſecundum eos modos indiuidualiter Petio affixos, ſecundum quos adhuc diuinitus Paulo & cuivis alij repugnant. Ergo per ſingulos gradus generícos, eorum que connotationes, dantur in Petro, & quovis alio ente differentiæ indiuiduales incompletæ, ſingulis que immediatæ in ſuis ipſorum conceptibus.

7 Obij. 1. hoc modo dari etiam indiuidua incompleta immediata ſpeciei. Quia cum videmus a longe hominem cognoſcimus illum eſſe ſingulare indiuiduum humanum, ſine *vnum hominem*, quin cognoſcamus Petrum, vel Joannem. Sequella autem videtur abſurda, quia ſpecies immediate prędicatur de indiuiduis completis, ſi autem mediaret incompleta indiuiduatio, prædicaretur de completis mediate; ergo.

Confir. quia indiuiduum, dicens totam eſſentiam ſpecificam completam, eſt indiuiduum completum; ſed tale eſt quodcunque indiuiduũ hominis, etiam illud a longe viſum, & non cognitum in eſſe Petri, ergo eſt completum.

8 Reſp. RR. qui diu nobis placuerunt, ſub ſpecie infima non cognoſci indiuiduationes incompletas heterogeneas, ſed hæccitates, & vnitates homogeneas, quibus ſunt *hic, & hic homo*, omnino ſimiles, non indiuidua diſſimilia.

Contra 1. Quia ex d. 33. ſ. 4. re-

pugnat, quod exercitè, & comparatiuè inter vnum, & aliud, fieri possit numerus, inter *hoc*, & *hoc*, quin fiat cum individuali diuersitate, & differentia 2. Ideo ex d 86. a n. 3. quid quid cognoscitur per sensum est individuum singulare, quia cognoscitur, vt demonstrabile, per Ly. *hic*, & *hoc*; sed ita cognoscuntur homines a longe; ergo. 3. Quia hoc pacto etiam inter gradus genericos, per Ly. *hoc animal*, *illud corpus*, &c. non cognoscerẽtur individua incompleta. 4. Quia solum potest dari ratio *vnius*, vel *individui* omnino similis, signatè & implicitè secundum præcisam rationem conueniendi, non tamen, vt explicitè, & exercitè cõparatiuè faciens *hoc* & *hoc*, ex ea d. 83. n. 48. sed ita se habent vnitates, seu pluralitas hominum, quos secundum non vltimum explicitum cognoscimus, ergo.

9. Resp. itaque concef. sequel neg. absurd. Ad prob. absurdi: nullum esset inconueniens, si vna partialis individuatio explicita, integratiua vltimi explicili differentialis, mediaret inter speciem, & vltimum gradum explicitũ individuationis; quia non tollit quod respectu totius integri completi individui sit immediata species infima. Sicut etiam genus proximum v. g. animal immediatũ est respectu rationalis, licet in hoc inueniatur ratio apprehensiui, ratio nalis, quæ mediat inter animal, & vltimã differentiam discursiui, quia illa tantum est integratiua vnius cõpletę differentię infimæ *rationalis*, quæ, vt completa specifice, dicitur immediata generi; & ita sufficeret, quod differentia individualis, vt vltimò completa, esset immediata speciei, licet mediatet, vt incompleta secundum explicitum non vltimum singularitatis. Absolutè dico, quod sicut individuatio incompleta generis, v. g. *hoc animal*, non mediat inter genus, & speciem, quia Genus prædicatur immediatè de specie, & non medio eo individuo incompleto; ita nec individua incõpleta speciei media erunt respectu individui completi. Ratio, quia conceptus individui, si sumatur implicitè, est æqualis rationi superiori, quam individuat, v. g. ratio *individui sensitiui*, æqualis est animali siue sensitiuo, vt sic, ratio individui humani æqualis est homini, vt sic. &c. Si vero sumatur explicitè, & exercitè pro vno singulari numero, æqualis est *individuo* cõpleto disjunctiuo. Quod autẽ æquale est extremis, non potest inter illa mèdiare.

10. Ad confir. Individuum incompletum speciei, dicitur completum substantialiter, siue quo ad essentiã, & substantiam specificam, cui solũ attenditur, vt prædicabile dicatur tale complete, vel incomplete, juxta definitionem Arist. Licet sit incompletum integraliter, siue secundum gradus integratiuos individuationis, qui nihil tollunt de complemento essentiali, vel substantiali; sicut homo substãtialiter integer est, licet dentes, vel etiam digiti deficiant.

11 Obj.

11 Obij. 2. Differentia indiuidualis eſt vnica indiuiſibilis; ergo indiuiſibiliter conuenit infimo gradui ſpecifico completo, quin afficiat, vel contrahat gradus genericos incompletos immediate.

Antec. prob 1. Quia ſi multiplicaretur partialiter differentia indiuidualis pro ſingulis gradibus, etiã poſſet multiplicari pro ſingulis differentiis ſpecifica; ita vt in homine v.g. detur ratio ſubſtantiæ rationalis, viuentis rationalis, imo entis rationalis &c per inadæquatas rationalitates. 2. Quia vt per nos ex d. 79. n. 4. non datur multiplex vnitas formalis inadæquata, ſecundum ſingulos gradus genericos, ſed vnica omnes afficiens: ergo pariter vnica vnitas indiuidualis differentialis erit &c.

12 Reſp. 1. dato antec. quod vnice intendunt P. Suarez & Thomiſtæ n. 1. citati, vt patebit d. ſeq. n. 1. & cum illis l. Quiros ſupra; nego conſeq. quia ſicut per vnicam vnitatem ſingulis gradibus conuenit ratio vnius completi prædicati, ita per vnicam differentiam indiuidualem poſſet conuenire ratio vnius incompleti indiuidui. 2. neg. antec.

Ad 1. prob. Non tenet paritas. Tum quia experimur quod poſſimus cognoſcere *hoc corpus*, &c quin cognoſcamus indiuiduum completum, vel ſpeciem; non tamen poſſumus cognoſcere *ſubſtantiam rationalem*, quin cognoſcamus hominem; vnde ſignum eſt, differentiam ſpecificam ſemper contrahere immediate formaliter genus proximum ad ſpeciẽ, non vero remota. Tum quia ſingulis gradibus genericis correſpondẽt ſua cõnotata modalia indiuidualia, quæ non ſolum important diuerſitatem notabilem, & ſpecificam reſpectu ſpeciei oppoſitæ, ſed etiam non notabilem, & indiuidualem interindiuidua eiusdẽ ſpeciei, vt patet ex n. 6. Vnde ſingulis gradibus correſpondebit formaliter ſua partialis differentia indiuidualis. At non ita ſe habet differentia ſpecifica; non enim correſpondet ſingulis gradibus ſimilis connotatio, v.g. ſubſtantiæ non correſpondet aliqua partialis raciocinatio, ſicut correſpondet differentiæ ſpecificæ &c.

Ad 2. neg. item paritatem, quia vnitas eſt attributum entis, vt eſſentialiter vnius, & totaliter completi; vnde non reſultat, niſi ex ente vt completo, & vno per omnes ſuos gradus entitatiuos; ac proinde non niſi vnica vnitas eſſe poteſt, ſicut non eſt niſi vnum ens, & vna entitas. At differentia indiuidualis ſolum eſt numerica diuerſitas non notabilis, cuiuscumque gradus obiectiui conceptibilis, atque adeo in ſingulis multiplicatur.

13 Obij. 3. *Hoc animal* fore indiuiduum completum, quia per ly *hoc* ſaltem implicite involuit differentiam ſpecificam, ſecundum quod eſt cõmunis homini, & bruto; eo enim ipſo quod ſit indiuiduum animal, vnam ex duabus ſpeciebus neceſſario involuit. Ergo per Ly *hoc* non denotatur ſolum gradus indiuidualis

immediatus generi, sed specificus.

Resp. neg. antec. Quia ex eo quod necessario indeterminate aliqua specifica differentia debeat importari in individuo animali, potius sequitur quod ab vtraque objecti ve præscindat, sicut ipsum *animal*; & quævis ratio communis, quæ necessario indeterminate sub aliqua specie repetiri debet, & tamen non ideo importat intrinsece, sed tantũ terminatiué connotat aliquam rationem specificam, adhuc in communi talem. Pariter ergo &c.

14 Obij. 4. Ideo genus est totum potestatiuum, quia sumitur a tota entitate, & proinde est ens totale, & completum, ex d. 90. sed non minus Ly *hoc animal*, siue hoc individuum, viuens, sumitur a tota entitate, & est ens completum; ergo erit individuum completissimum, & minime incompletum.

Resp. dist. c. a seq. erit individuũ completum, implicitè, & secundũ implicitum gradum entis completi, quo sensu non est dubium, concedo: individuum completum explicitè, & secundum explicitum objectiuũ vltimum, in esse differentiali individui, de quo est quæstio, nego. Vide d. 76. n. 50. qualia sint hæc explicita objectiua, non solius expressionis formalis, seu vocis.

15 Obij. 6. ex Spinula. Dum dico *hoc animal*, vel ly *hoc* cadit supra ipsum animal, vt est præsens, & existens extra intellectum? & ita erit ens individuum completissimum. Vel vt objectiue in intellectu? & ita reduplicatur supra cognitionẽ, qua fit & constituitur objectiuè præsens, quæ etiam est cognitio realis completè in individuo, & singulari existens. Ergo nullo modo est individuum incompletum.

Resp. hoc modo probari, nullum esse conceptum objectiuum inadæquatum, & incõpletum metaphysicè aut logicè. Pro omnibus ergo dico, ex d. 76. n. 54. ly *hoc animal* cadere supra conceptũ objectiuũ, nõ vt in actu secũdo formaliter dicit mentis conceptũ, sed prout in actu primo, & virtualiter dicit virtualitatem objecti, vt conceptibilis inadæquatè, seu præscindibiliter; ita, vt licet realiter inse completum, & adæquatũ sit individuum, concipi possit incomplete, & inadæquatè, quasi esset multiplex inadæquatum, & incompletum, secundum vnumquemque gradum cõceptibilitatis, & virtualitatis suæ, in ordine ad cognosci præscisiuum.

DISP. XCIII.

Vtr. Genus de individuis incompletis prædicetur, vt Genus?

1 PRima sent. affirmat cum P. Hurt. d. 4. s. 46. P. Cõpt. d. 53 s. 6. & vno vel altero R.

Secunda nostra sent. negat, statuens de illis individuis, Genus, vt speciem solum prædicari. Ita reliqui DD. d. præced laudati P. Arr. P. Ovied. P. Lync. P. Quiros &c. quibus accedunt Thomistæ cum M. Prado l. 2. qu. 9. §. 5. Cõplut. d. 6. q. 1 n. 12. citato nostro C. Tol. & alijs.

2 Pro-

2 Prob. 1. Genus vt tale prædicatur inquid incomplete, siue de differentibus specie seu essentia; sed individua incompleta vt talia non differunt specie seu essentia; ergo de individuis incompletis, vt talibus, non prædicatur Genus vt tale. Maj. & conseq. constant. Minor prob. Tum quia *hoc animal*, & *illud animal*, vg. quæ sunt individua incompleta, nullum aliud essentiale prædicatum important, nisi *animal*, inquo minimè differunt; hæcceitates enim quas addunt, & inquibus differunt, non pertinent ad essentiam, sed ad individuationem. Tum quia *hoc animal*, & *illud animal*, vt talia, apta sunt cõtrahi ad individua eiusdẽm speciei, v.g. humana; ergo de illis non prædicatur Genus animal, vt de differentibus specie, ac proinde neque formaliter, vt Genus.

3 Prob. 2. Quia Genus *animal* debet prædicari vt species, *de hoc, & illo animali*, scilicet, vt tota essentia eorum, secundum, quod, vt individua incompleta concipiuntur; quia vt ita concepta, nihil aliud essentiale objectiue important, nisi solam rationem animalis; hæcceitates enim, quas solum addunt, ad essentiã pertinere non possunt: vnde ratio animalis siue genus erit tota essentia eorum. Sed quod prædicatur, vt tota essentia, siue inquid cõplete, prædicatur, vt species; propterea enim *homo*, de hoc, & illo homine, vt species prædicatur. Ergo Genus prædicatur, vt species de individuis incompletis.

4 Obij. 1. Individua incompleta *hoc animal*, &c. tum ly *hoc* involuunt essentiam specificam; ergo de illis non prædicatur *animal*, vt tota essentia, siue ut species. Conseq. liquet. Anteced. prob. Quia si non involueret essentiã specificã, præscinderent ab vtraque specie hominis, & bruti, & sic jã essent genera, potius quã individua, cum essent ab speciebus præscisa, quod propriũ est generis. Ergo.

5 Resp. neg. antec. ad prob. disting. propositionem subsumptam: proprium est generis ab speciebus præscindi, tanquam una ratio ipsis communis, concedo; tanquam vnũ singulare indeterminatum ad ipsas, nego. Quia hoc modo etiam præscinditur individuum vagum, seu terminus disjunctivus, v.g. *aliquod animal*; qui indifferens est, & indeterminatus ad vtrãque speciem, atque adeo ab vtraque præscindit; quia tamen præscindit, vt terminus singularis, non se habet, vt genus, neque vniuersalis. Propterea similiter dixi d. 86. q. 1. pertensum non fieri vniuersale, licet præscindatur *albedo* v.g. ab individuatione, quia præscindũtur similiter, vt singularis hic, & nunc existens. Pariter cum individuum incompletum, vt singulare exercitè per ly *hoc* concipiatur, licet sit ab speciebus præscisum, genus nõ erit. Fateor tamen, quod si concipiatur secundum implicitum in esse individui signatè, vt ly *hoc animal*, solum significet, *vnum animal*, siue *individuum sensitivum*, sic poterit præ-

scindi

ri dicitur nam genus, sicut de ratione *individui* d. 83. n. 30. & 48. & sæpius dixi; in ista ratio, *huius animalis*, signatè sumpti, potest esse generica, ex d. 85. n. 15, scilicet, in qua conueniant *hoc & hoc animal exercite singularia*. At ratio individui incompleti, de qua loquimur, nõ est illa signata, & vniuersalis, quæ æqualis est ipsi generi, sicut *vniam* æquale est enti; sed hæc, vt exercitè talis, & quæ generi sit inferior, & æqualis singulari inferiori, vt disjunctivè concepto.

6 Obij. 2. Animal est prædicabile in quid incompletè, vt pote genus; ergo de quocumque prædicabile est, erit inquid incompletè, siue vt pars essentiæ prædicabile, ac proinde etiam de incompletis individuis.

Confirm. quia si esset prædicabile de ijs individuis in quid complete, illa dicerent exclusionem alterius prædicati essentialis præter genus, v.g. præter *animal*; sicut quia species v.g. homo, est prædicabilis inquid complete de individuis, hæc dicunt essentialem exclusionem alterius prædicati quidditatiui, præter specificum hominis: sed individua incompleta, *hoc*, & *illud animal*, non dicunt talem exclusionem alterius prædicati essentialis, cum potius illud exigant realiter, vt patet: ergo de illis, *inquid complete*, genus animal non prædicatur.

7 Resp dist. antec. Animal est prædicabile, *inquid incompletè*, de ijs de quibus prædicatur, vt genus, vt de individuis completis, & speciebus, concedo; de ijs de quibus, non vt genus formaliter, sed vt species prædicatur, vt individuis immediatis incompletis, nego.

Ad Confirm. Licet species infima ita prædicetur completè, vt inferiora dicant exclusionem vlteriorís complementi quidditatiui, id tamen non exigitur positiuè ab ipsa specie prædicabili; quæ ex se contenta est exclusione præscisiua, idest quod inferiora præscindant ab vlteriori complemento quidditatiuo, vt præscindunt individua incompleta, & propterea potest se habere genus respectu illorũ, vt essentia præscisiuè completa ipsorum, licet non vt cõpleta exclusiuè. Uid. d. 95. n. 2.

8 Obij. 3. Eo pacto hæc prædicatio, *Hoc ens est ens*, esset similiter prædicatio speciei de individuo incompleto: sed *ens* non potest esse species, cum supra se non habeat genus. Ergo.

Resp. concet. maj. disting. minor: sed ens non potest esse species, subjicibilis, quia non est sub genere, concedo; prædicabilis, respectu individui præscisiuè incõpleti, nego. Sicut e conuerso *Deus* est species subijcibilis, non prædicabilis.

9 Obij. 4. *Hoc animal*, & *hoc*, & *illud*, &c denotant differentias individuales *Petreitatis*, *Succephalitatis*, &c. Sed hæ sunt species diuersæ; ergo important aliquid specificè diuersum, de quo animal prædicetur, vt genus, vt pote de differentibus specie,

Resp.

Resp. dist. maj. Hoc animal, & hoc, &c. denotant differentias Petreitatis, & Bucephaleitatis, secundum vltimum explicitum, in quo diuersæ sunt speciei, nego; secundū non vltimum, in quo tantum numero differunt, concedo: quia tantum secundum hoc posterius sunt indiuidua incompleta, secundum illud vero prius completa.

10 Obij. 5. Genus non descendit ad indiuidua incompleta, nisi mediatè, & media specie, vel differentia specifica; aliàs e contra ad speciem descenderet medijs indiuiduis incompletis; & ita non prædicaretur immediatè de specie, cōtra dicta d. 91. Ergo cum descendit ad indiuidua incompleta, seu de illis prædicatur, jam in ipsis inuenit differentiam specificam quidditatiuā, ac proinde solū descendet, vt pars quidditatis siue inquid incomplete, & vt genus formaliter.

Resp. neg anteced. neutra enim differentia, neque specifica, neque indiuidualis incompleta, invicem se præceduñt vt constat ex disp. præced. n. 9. sed vnaquæque se habet in diverso ordine. Sicut enim materia prima (quam imitatur genus ex d. 89. & seq.) respicit æque immediate, tam formam substantialem, quam subsistentiam, in suo vnamquamque genere, illam in esse compositi; hanc in esse suppositi; ita genus respicit vtramque differentiam (quæ imitatur similiter formam determinatiuam materiæ) specificam in esse quidditatiuo, in diuidualem incompletam in esse quasi subsistentiali (persona enim subsistens definitur *individua natura*, ex Boetio.) Atque ita, sicut vna quæque pars substantiæ habet suam partialem subsistentiam (vt dicam *in Metaph.*) quæ immediatè perficit substantiam in esse indiuiduæ partialiter physicè, quin tollat immediationem formæ eandem perficientis in esse completo cōpositi: ita immediatio indiuiduationis incompletæ partialiter singulos gradus reddētis incōplete indiuiduos, non tollet immediationem differentiæ specificæ, essentiam complete componentis.

11 Obij. 6. Implicat quod duo tantum numero, siue indiuiduo distincta identificentur rebus specie diuersis; sed hoc animal, & illud animal, &c. identificātur Petro, & Bucephalo, specie diuersis, ergo implicat quod solo numero siue individuo differant.

Resp. dist. mai. implicat quod identificetur rebus specie diuersis, quæ sunt tantum numero indiuiduali distincta, si ita tantum distincta sint, tanteitate exclusiua, vt Petrus, & Bucephalus, & alia indiuidua completa, concedo; si tanteitate purè præscisiua, qua tantum distincta sunt indiuidua incompleta; nego. Constat ex n. 7.

DISP. XCIU.

De qualitatibus Generis, vbi an sit nobilius Differentia?

Q. 1. *Quousque Genus imitetur materiam, & Differentia formam?* Resp. Genus imita-

sualitatur materiã: 1. in indifferẽtia, ad differentias, vt ad actus determinatiuos speciei, qualẽ habet materia ad formas, quæ illã vt formales actus determinãt ad speciale cõpositũ. 2 In eo quod sicut mãteria cõponit physice cum forma substantiale compositum, ita genus cum differentia metaphysice componit speciem, quę est totum essentiale. 3. Quod sicut materia continet sub virtute sua passiua, seu potentiali, omnès formas, licet actu determinate cũ vna tantum coniungatur; ita genus continet potestatiue omnes differentias; licet actu determinate, & in re, non nisi cum vna in singulari coniungi valeat 4. Quod sicut materia est prior formis, ita genus habeat quãdã prioritatẽ, quæ dicitur in subsistendi consequentia erga differentias; quatenus a genere non valet consequentia ad differentiam determinate, e contra vero ab specie, vel differentia, v. g. *est rationale, ergo animal*; non tamen, *est animal, ergo rationale*, 5. Quod se habeat genus, vt pars materialis, & quasi subiectũ substantans, sicut materia; differentia vero, vt pars formalis, & adiacens, sicut forma: vnde illud per nomen substantiuũ, hæc per adiectiuũ, generi adiacens, significatur, v. g. animal rationale.

6. In eo quod Genus se habet, vt pars minus perfecta, seu perfectibilis, sicut materia; differentia vero vt perfectior, seu perfectiua, sicut forma. Circa quod sequitur

2 Quæst. 2. *Vtrum Genus possit esse nobilius, ac perfectius differentia?* Affirmant tripliciter. 1. enim Oña q. 1. *de diff.* a. 5. Serna d. 2, s. 2, a. 6 Sanchez l. 3. q. 30. Prado *de diff.* §. 8. P. Alphoni. d. 8. n. 63. *Rogat.* 4. & P. Oscina n. 1462. putant, differentias aliquas a suo Genere nobiliori quidditatiue vinci posse. 2. vero P. Arr. hic s. 1. subs. 5. P. Cõpt. d. 33. s. 8 n. 7. & P. Ovied. c. 6. p. 3. n. 7. Genus dicunt esse perfectius in modo prędicandi, imperfectius vero in modo essendi. 3. E contra Bonasp. d. 5. a n. 644. 651. & 661. in modo essendi perfectius, in modo vero prædicandi imperfectius differentia Genus esse contendit.

3 Nego vniuersaliter, Genus differentia sua perfectius vllo modo esse posse, cum S. Th. de spiritual. creatur. a 8. ad 9. sic loquente: *Illud quod constituit speciem est nobilius eo, quod constituit genere. sicut determinatum indeterminato; habet enim se determinatum ad indeterminatum, vt actus ad potentiam. Non autem ita quod semper illud, quod constituit in specie, ad nobiliorem naturam pertineat, vt patet in speciebus animalium irrationalium. Non enim constituuntur huius modi species per additionem alicuius naturæ nobilioris, supra naturam sensitiuam, quæ est nobilissima in eis; sed per determinationem ad diuersos gradus in illa natura. Et similiter dicendum est de intellectuali, quod est commune in Angelis.* Idem repetit 1. p. q. 50. a. 4. ad 1. & q. 75. a. 7. ad. 2. Vbi Ducem sequuntur Thomistę cum Caiet. & M. Gonzalez hic d. 4. q. 6. s. 4. Complut. d. 7. q. 5. P. Suarez

Suarez d. 15. f. 11. n. 12. P. Rub. hic q. 6. n. 44. P. Valle, q. 2. de Gen c. 5, fin. P. Smigles d. 5. q. 5 conclus. 4. ex consensu Dialecticorum antiquorum, vt testantur Complut. Hinc

4 Prob. 1. Quia conceptus primarij, siue essentiæ rerum taxantur judicio, & prima apprehensione sapientum, ex d. 30. n. 18. & d. 81 n. 3. At sapientes ita sanxerunt, vt differẽtia essentialis semper se habeat, vt forma substãtialis perfectiua respectu generis, vt materiæ perfectibilis: ac proinde, vt nobilior illo. Patet. Tum ex S. Th. nuper: item Arist. 3. Metaph. tx. 11. & l. 8, tx. 6. & lib. 10. vbi Averroes comm. 26. necnon Porphyr. hic cap. 1. & 3. & omnium antiquiorum Dialecticorum consensu, vt DD. plerique testantur. Tum ex omniũ DD. cura & studio, designandi pro vltimo differentiali cõstitutiuo cuiuscumque rei, prædicatum, quod in eo principalius, & nobilius fuerit, modo explicato eo n. 3. vt in homine *rationale*, in Angelo *intellectiuũ purum*, in Deo *omni comprehensiuum*, vel *omni perfectum*, &c. Ergo.

5 Prob. 2. inductione. Omnes enim differentiæ, aut sunt *contrahentes*, quę limitant ipsum genus per *tales tates*, sæpius innominatas, vt sũt omnes specificæ Brutorum, ex S. Th. n. 3. & hæ, vt ostendam d. 100. includunt ipsum genus, atque adeo ipso perfectiores erunt, cum *tantundem, & aliquid amplius faciant natus*. Aut sunt *extrahentes*; & hæ dupliciter: vel *eleuantes*, quæ ad aliud nobilius genus extrahunt, vt *rationale* extrahit animal ad genus *intellectiui* nobilius; de quibus non dubitatur perfectiores esse genere extracto. Vel sunt *deprimentes*, quatenus ad genus depressius, minus nobile extrahunt, vt est ratio *rugitiui*, *latratiui*, *hinnitiui*, &c. quæ sensitiuum Leoninum, Caninum, Equinũ &c. extrahunt ad *locomotiuũ*, quod minus nobile est sensitiuo: & hæ differentiæ concipiuntur, vt attributales, non minus quam ratio *locutiui*, & *admiratiui*, in homine, licet ob penuriam vocum, soleant in ordine ad illas definiri differentiæ specificæ brutorum, per *rugibile*, *latrabile*, &c. vt dicam n. 12. Ergo de primo ad vltimum differentiæ specificæ semper sunt perfectiores; aut eleuatiores; & quæ imperfectiores sunt, nunquam sunt specificæ, sed attributales reputantur.

6 Prob. 3. ad hom. contra RR. qui fatentur Genus esse minus nobile, vel secundum modum essendi, vel secundum modum prædicandi; sed eo ipso minus est secundum vtrumque: Probatur, quia *modus prædicandi sequitur modum essendi*. Ergo si modus essendi, vel prædicandi differentiæ est perfectior, quia vel se habet, vel prædicatur, vt forma perfectiua de genere, vt de subjecto perfectibili, & potentiali; ita vterque (aut neuter) perfectior erit. Sicut esse Regem, & tractari, vt Regem, æquè nobilius est, quam esse Rusticum, & tractari vt Rusticum, quia

modus tractandi sequitur modum essendi, vnde non potest esse nobilius, secundum vnum, & non secundum alterum.

7 Resp. P. Arr. propterea se non inde probare majorem nobilitatem differentiæ, quia sit, vel se habeat, vt forma; sed quia magis distat ab ente quo ad modum essendi.

Contra 1. Quia etiam prædicatur, vt magis distans a genere, cum juxta P. Arr. vniuersale, vel genus prædicetur, vt mediatius, vel distantius, secundum modum essendi suæ contractionis distantioris, vel indistantioris ab individuo, vt d. 91. vidimus. 2. Quia differentiæ attributales, vel accidentales deprimentes genus, præhoc distantiores sunt ab ente, & tamen sunt ignobiliores genere extracto, ex n. 5. etsi minus distanti. 3. Quia non est cur, quæ magis distant ab ente, debeant esse perfectiora minus distantibus, si his possint illa superaddere aliquid minus nobile (de quo est quæstio) nisi recurratur ad rationem formæ, vel actus substantialis, quæ distantioribus conuenit respectu indistantiũ, quia hæc determinantur ab illis.

8 Ob. 1. pro 1. *sent.* e n. 2. Quod differentiæ sæpe sunt imperfectiores genere. Probatur. 1. Quia actus intellectus sunt minus perfecti ipso intellectu, cujus sunt formæ, siue actus, ergo pariter differentiæ &c. 2. Differentia Talpæ, vel ostrei, quæ excludit gradum visiui, & fortasse olfactiui, imperfectior est animali, vt sic, apto ad omnes sensus. 3. Differentia *peccati* vel *odij in Deum*, cũ sit infectiua actus voluntatis, nõ potest non esse hoc, seu genere suo minus perfecta. 4. Differentiæ Brutorum v. g. *Rugibile, hinibile*, &c. cum extrahant animal ad genus minus nobile *loco motiui*, per voces illas brutales. 5. Quia genera per se sunt perfectiones simpliciter simplices, ac propterea dignæ Deo, vt substantiæ, spiritus, viuentis, &c. differentiæ vero, etiam Angelicæ, tales *non* sunt, sed admistæ imperfectionibus, & propterea Deo indignæ; ergo hæ illis minus perfectæ sunt.

9 Resp. neg. antec. Ad 1. prob. non quicumq; actus, seu forma, perfectior est subiecto, cum accidens perfectius non sit substantia, neque personalitas composito seu *natura*, quorum sunt actus; nisi *cæteris paribus*, & in eodem ordine; ac præsertim actus substantialis siue essentialis, cuius instar se habet differentia essentialis, vt pote primario substantiam, siue essentiam constituens. Alij enim actus, qui attributales sũt qualis est subsistentia, vel accidentales, qualis est intellectio, quarum instar sunt differentiæ secundariæ, seu prædicabilia, *Proprium & Accidens*, non sunt perfectiores subjecto.

10 Ad 2. Adhuc differentia Talpæ, &c est perfectior animali, vt sic, quia hoc nõ habet positiuã aptitudinem ad quinque sensus [alias non posset identificari cum differentia exclusiua vnius eorum] sed tantum præscissiuam; & eandem præscisiuam apti-

aptitudinem habet ad exclusionem sensuum, quorum Talpa, & ostrea expertia sunt. Sicut ergo materia ex eo quod sit apta constituere hominem, vel Leonē, non est perfectior quā forma vermis inepta ad ea perfectiora composita; quia illa perfectio aduenit materiæ ratione formarum nobiliorum, quibus conjungitur, nec tollit ipsi aptitudinem eandem ad ignobilia; pariter Genus, cui ratione differentiarum ea perfectio aduenit.

11 Ad 3. Licet affectus *peccati, & odij in Deum*, in genere moris inficiatur per differentias, in genere entis, & metaphysico perficitur, & completur, vt formalizatus per illas; sicut ipsum peccatum in esse physico, & metaphysico est ens, ac proinde bonum, seu perfectum in suo esse.

12 Ad 4. neg. suppositū, quod differentiæ *rugibilis, hinnibilis*, &c. sint extrahentes ad eum gradum imperfectum loco motiui rugitus, hinnitus &c. licet ob penuriam vocum *taleitas sensitiui*, quæ est differentia cōtractiua essentialis, explicetur in ordine ad eas proprietates extractiuas minus perfectas, vt dixi n. 5. ex d. 30. n. 17. Quod ex Arist. 7. *Metaph.* sapienter explicuit S. Thibi lect. 12. inquiens: *Necessitas cogit, vt vtamur loco differentiarum per se, differentijs per accidens, inquantū sunt signa quædam differentiarum essentialium nobis ignotarum*. Idem que repetit 1. p. q. 29. a 1. ad 3. Unde supra n. 3. differentias essentiales brutorū, non nisi determinationes, ideſt, *taleitates* sensitiui, esse docuit, explicatas licet per eas voces *rugibilis*, &c. instar attributalium *rugitiui*, &c. quæ subsunt *loco motiuo*.

13 Ad 5. Perfectio *simpliciter simplex*, ex genere suo, major non est perfectione nō simplici positiuè; sed tantum præscisiuè; ideſt, quod ex suo conceptu præscindit ab omni imperfectione, vel minoritate, aut majoritate (vt optimè tradit P. Leonard Tom. 2. d. 29. de Trin. n. 2.) cum indifferens sit, vt ad vtramvis contrahatur. Alias ratio spiritus, quæ in accidente spirituali reperitur, perfectior esset homine, & rationalitate illius, quia hæc ab imperfectionibus nō præscindit, sicut illa. Vnde nihil juvat pro majoritate positiva generis respectu differentiæ, ea ratio perfectionis simpliciter simplicis purè præscisiua, & ex hoc capite præscisiuè digna Deo, vt cōtrahibilis ad perfectissimam differentiam diuinitatis, aqua pōsitiuam majoritatem accipit.

14 Obij. 2. pro 2. *sent.* Genus prædicatur per modum per se stantis, & quasi substentatis differentiam; hæc autem per modum adjacentis sive *in quale*, & instar qualitatis; sed perfectior modus est perse stantis, qui ēst proprius substantiæ, quam adjacētis, qui proprius est qualitatis minus perfectæ substantia. Ergo quo ad hunc modum prædicandi Genus nobilius erit differentia.

Resp. dist. min. perfectior est modus per se stantis, quam adjacentis,

si sit adjacentia, vt formæ substantialis, & *in quid*, nego; si sit adjacentia, vt qualitatis, siue accidentis, & *in quale purè*, concedo. Differentia autem essentialis adjacet, vt forma substantialis, & ideo *in quale quid*, ita vt per ly *quid*, elemetur ly *quale* ad nobiliorem modum adjacendi; quam sit modus perse stadi, vt potentialis, & perfectibilis, pro prius generis; qualis est etiã in materia prima ignobiliori respectu formæ, etiam quoad eum modum.

15 Obj. 3. pro 3. *sent.* Genus proximum includit genera superiora; sed ea nõ includuntur in differẽtia; ergo plures perfectiones, siue plus perfectionis est in Genere proximo.

Resp. 1. neg. conseq. quia vna perfectio specialis, v. g. rationale, plus intensiue continere potest valoris, quam multæ, quæ solum extensiue illam excedunt: sicut vnus homo plures, imo infinitas, formicas superat. 2. Nego min. Quia differentia contrahens includit genera superiora, ex d. 100. & juxta omnes, saltem transcendentia.

26 Ex dictis patet 1. a fortiori speciem esse Genere nobiliorem, vt pote quæ ipsum, differentiam que illo perfectiorem includit; & præterea *in quod quid*, substantiue prædicatur. 2. Contra P. Vazq. 1. 2. d. 11. n. 42. Speciem contentam sub genere minus nobili, nobiliorem esse posse specie sub nobiliori genere contenta, quia per differentiam excellentiorẽ potest generis excessum compensare; vt Angelus contentus sub ente naturali, nobilior est quibusve qualitatibus sub ente supernaturali nobilioti comprehensis, vt optime docent P. Arr. d. 43. *de gratia* s. 3. P. Ripald. d. 2. *de supern.* n. 6. P. Herice d. 49. n. 40.

17 Quæst. 3. *Utr. genus ab entibus incompletis præscindi possit?* Negant Thomistæ communiter cum M. Joan Th. q. 7. a 3. & Card, nostr. Toleto hic q. 1, ad 3. Probant. 1. Quia siquod tale genus esset, maximè substantia incompleta; sed hæc minimè, quia transcendit differentias, quæ incompletæ substantialiter sunt: ergo. 2. Quia vbi non datur species, non datur Genus, sed species in incompletis esse non potest, cum debeat prędicari in quid completè, ergo. 3. Quia ita darentur in homine plura genera, & sub vno genere simpliciter proximo non esset, si aliud esset pro materia, aliud pro forma, &c. 4. Quia sub prædicamẽto incompleta non sunt, juxta Arist. ergo nec sub genere.

18 Affirmo cum PP. Conimbr. & nostris fere omnibus, quos laudant P. Alph. d. 5. a n. 90. P. Lync. l. 9. tr. 3, n. 34. Tum quia inter incompleta potest dari conuenientia vniuoca, tam generica, quam specifica, vt inter omnes formas substantiales, deinde inter viuentes, &c. Tum quia ab Aristotele definitur Anima, l. 2. de An. ergo per verum genus; necnon etiã diuiditur, ergo in veras species. Tum quia magis incompleta sunt accidentia, quam plerąque incompletæ substantiæ, cum

magis

magis indigeant subiecto sustentante; sed nihilominus subgenere sunt, & prædicamento, imo omnia prædicamenta, præter vnum, accidentalia sunt. Ergo.

19 Ad 1. en. 17. neg. min. Tum quia etiam transcendentia sunt vniuersalia, ex d. 74. n. 6. & d. 100. Tum quia ratio *incompletæ substantiæ* non transcendit differentias; hæ enim solum præscisiuè incompletæ sunt per rationem, ideſt, inadæquate conceptæ, re enim ipsa completissimæ sunt, & tota potestatiua, vt pote a tota entitate de sumptæ, ex d. 90.

20 Ad 2. Entia physicè incompleta, sunt completissima in esse entis, siue in essentia sua metaphysica; nihil enim illis deficit ad suum esse perfectum, cum sint ens, atque adeo bonum, & perfectum. Vnde species formæ *rationalis* in esse talis, est tã completa, quam homo vel Petrus, atque adeo completè prædicabilis de suis inferioribus.

21 Ad 3. homo vt potè ens physicè; etiam completum, non collocatur, nisi sub genere completo physicè, materia autem, forma, &c. sunt genera physice incompleta, atque adeo sub illis homo non est.

Ad 4. dicam tract. seq. optimè posse fieri prædicamenta per genera physice incompleta, licet de facto Aristoteles sola cõpleta numerauerit.

22 Quæst 4. *Vtrum Genus præsindatur etiã a non existentibus?* Affirmo cum S. Th. Opusc. 42. c. 5. & 1 p. q. 13. a 9. c. & omnibus Dialecticis, supponentibus rationem Solis communem, & vniuersalem esse pro omnibus Solibus specie, vel numero diuersis possibilibus, licet vnicus existat. Tum quia ad similitudinem & conuenientiam in aliqua ratione, sufficit existentia objectiua, & secundum rationem conceptibilis. Tũ quia eo ipso, quod apprehendatur *animal*, v. g. sine differentijs etiam purè possibilibus, ab illis etiam præcinditur, ac proinde ipsis commune est, non minus quam ideo sit existentibus. Tum quia licet putè possibilia nihil sint actu, objectiue tamen seu conditionate, & conceptibiliter entia realia sunt, ex d. 75. n. 30.

23 Quæst. 5. *Vtrum dentur Genera negatiua, & rationis?* Affirmandũ modo vniuersaliter dicto d. 74. q. 3. cum ibi laudatis, & P. Yzq. d. 17. n. 249. Vtrum vero cum entibus realibus in ratione Generis cõueniant, alibi agitur, ex d. 78. n. 17. Et de Primo Prædicabili hactenus.

DISPUT. XCV.

DE SPECIE SECVNDO PRÆdicabili. Quid, quotuplex que sit?

1 QVæst. 1. Quid, & quot? Resp. Porphyriũ c. 2. præmittere, speciem pro forma seu pulchritudine alias vsurpari, vt de *specie digna imperio*, dici solet. Hic autem sumi pro *Natura, siue essentia adæquata rei notabiliter specialis*: vt est humana respectu equinæ, &c. Diuidit autem illam prius in speciem *Subijcibilem*, & *vniuersalẽ*, siue

siue prædicabilem; & vtramque singillatim definit. Primam, *qua subijcitur Generi*, seu *de qua Genus inquod quid prædicatur*. Secundam: *Id quod de differentibus numero, hoc ipso quid est prædicatur*: idest, *inquid complete* siue, vt *quidditas completa rei*. Quia eo ipso quod de differentibus solo numero prædicetur, solum addunt inferiora differentiam numericam, seu non notabilem neque essentialē; & consequenter de illis prædicabitur species *complete inquid*, vt tota essentia: sicut è contra dixi de genere d. 87. n 3. prædicari *inquid incomplete*, eo ipso quod de notabiliter differentibus. Definitio hæc recta, vt potè sumpta ex Arist. 2, Top c. 2. & l. 4. c. 2. & hic a Dialecticis approbata: constat genere, ly quod prædicatur, siue *prædicabile*, Per ly *quod quid* differt, sicut genus, a differentiâ, quæ *in quale quid*, & a proprio & accidenti, quæ *pure in quale*, prædicantur. Differt etiam a Definitione, quæ completè quidem dicitur, sed non pure substantive *in quid quid*, sed simul adiectiue, complectendo modum duplicis prædicabilis, scilicet generis & differentiæ; licet aliqui cum P. S. Cruz n. 724. & P. Izq. d. 17. n. 277. ad speciem definitiones reducant. Conuenit autem omni definito hæc definitio, scilicet tam speciei subalternæ, quam infimæ, cum illa etiam sit suo modo prædicabilis de indiuiduis, nimirum incompletis, vt hæc de completis. Propterea ergo

2 Diuidit rursum Porphyrius speciem in subalternam, & infimam. *Infima* est, quæ sub se non continet species, sed sola indiuidua completa, vt homo Petrum, Paulum &c. *Subalterna*, quæ sub se alias species continet, vnde simpliciter respectu earum est genus, solum que species est, tum *subijcibilis*, respectu alterius generis superioris; tum *prædicabilis*, respectu suorum individuorum incompletorum. V. g. *animal* est species subalterna subijcibilis respectu viuentis, prædicabilis respectu *huius* & illius animalis, incomplete indiuidui, ex d. 93. genus vero est respectu hominis & bruti. Vbi nota speciem subalternam solum præscisiue esse totam essentiam rei, cum cōtrahatur per alias differentias essentiales, quia saltem ab illis præcindit; & ita est tota essentia generis totalitate præscisiua, sicut similiter indiuidua incompleta illius, tantū dicunt vt totā essentiā suā genus ipsum, præscisiua tantùm totalitate, ex d. 92. n. 7.

3 Obij. 1. *contra* 1. *definitionem* Porphyrij. Tum quod fiat per circulum inter Genus, & speciem. Tum quod conueniat indiuiduo, quod etiam subijcitur Generi. Tum quod correlatiuum generis debet esse *subijcibile inquid incomplete*, vt sic, vt continens speciē, & indiuidua, sub ipso æquè subjecta, vt tenent aliqui DD. apud PP. Conimbr. q. 1. a. 1.

Resp. ad 1. circulum definitionis inter correlatiua vitiosum non esse, ex d. 82. n. 4. quia vnum non definitur

finitur per alterum, sed ad alterum, vt se habent essentialiter mutuo: quod notant ipsi PP. Conimb q. 1. a 1. ex Alb. M. Ad 2. indiuiduum non subijcitur immediatè Generi, subijcibilitas autem absolutè talis intelligitur immediata a Porphyrio. Quod si indiuidua incompleta immediatè subijciãtur Generi non tamen, vt Generi, sed vt speciei ex d. 90. Ad 3. licet illud *subijcibile*, *vt sic*, sit adæquatum correlatiuum Generis, non tamen immediatum, per quod solum definitur species, vt cum P P. Conimbr. ibi, P. Fonseca, l. 5. c. 28. q. 14. s. 3. ex Alb. M. Cajet & alijs, communiter traditur.

4 Obij 2. *contra* 2. *defin.* Deus nõ est species, sed tamen est prædicabilis de Personis differentibus numero, cum faciant numerum ternariũ. Ergo. Antec probatur a Thomistis cum Complut. hic q. 1. & M. Joan Th. a 3. Tum quia Deus non collocatur sub prædicamento, nec genere. Tum quia est essentialiter singularis, ac proinde repugnans omni vniuersalitati speciei.

Resp cum pleriſque nostris DD. Deum esse tantũ speciem subijcibilem sub genere, & prædicamento substantiæ intellectiuæ, vt dicam Tract seq. singularitas autem, solum tollit ne sit species vniversalis, quia non est communis pluribus in ratione *Dei*, sed solum pluribus Personis, juxta d. 13. n. 6. de quo d. seq.

5 Obij. 3. Adhuc ratio Personæ diuinæ est species. Tum quia tres Personæ solum indiuidualiter differunt, si enim different specie, different essentia. Tum quia sunt omnino æquales, quæ autem omnino æqualia sunt eiusdẽ sunt speciei. Sed nihilominus prædicatur denotabiliter diuersis, cum tres personæ diuinæ sint omnino oppositæ, & personaliter dissimillimæ; ergo species prædicatur de notabiliter, atque adeo non solum numero differentibus.

Resp. neg. maj. contra P. Hurt. d. 5. s. 16. Quia ratio Personæ diuinæ est genus, ad tres personas, vt ad species subijcibiles, licet non prędicabiles, vt ex earum oppositione, & diuersitate notabili optimè probãt P. Arr. hic s. 2. & 1. p. d. 46. s. 4. P. Compt. d. 34. s. 2. n. 3. P. Lync. l. 9. tr. 7. n. 2. &c. Vnde licet non differant essentia, sumpta pro natura, differunt tamen illa, sumpta pro quidditate personali. Æqualitas autem etiam inter species diuersas, v. g. sapores, & colores, esse potest.

6 Quæst. 2. *Vtrum definiri possit vniuersespecies, prout abstrahit a subijcibili, & Prædicabili?* Negant Thomistæ cum & apud Complut, d. 6 n. 14. & 34. ex nostris PP. Cõnimbr. q. 1. a 1. s. 15. Priusquam, & perdoctus P. Maza hic s. 1. quia nõ est assignabilis ea definitio.

Affirmo cum P. Arr d. 7. n. 67. P. Ovied c. 5. p. 1. n. 6. & RR. Non tamen probo eorum definitiones.

7 Definit. 1. P. Ovied, dupliciter. 1. Species infima *est natura essentialiter completa, intentionaliter indivisa, & physicè divisa in plura individua*

diuidua non notabiliter differentia. 2. Species vt communis infimæ, & subalternæ, *est vniuersale metaphysicum.*

Contra. Tum a prolixitate, & varietate definitionum. Tum quia species immultiplicabilis, v. g. Deus; Pater æternus &c. non est physice diuisa in indiuidua. Tum quia ipse species infima immultiplicabilis, nec est diuisa in indiuidua, nec vniuersalis; vt cum ipso P. Ouied. dicam d. seq. Tum quia, vt cum ipso dicam d. 97. Species vt subijcibilis, non est vniuersalis, adhuc meth ipsy sice; sed tamen est species: ergo hæc non conuertitur cum vniuersali.

8 Definit. 2. P. Arr, species secundum se est *conceptus per modũ vnius ex genere, & differentia constitutus.*

Contra. Tum quia juxta ipsum P. Arr. nobis cum d. 93. n. 8. quodvis genus supremum, v. g. *Substantia vel ens*, se habet vt species subalterna respectu indiuidui incompleti. Sed non constat genere, cum aliud superius illo esse non possit. Ergo. Tũ quia etiam definitio constat genere, & differẽtia, per modũ vnius termini cõplexi, & tamen nõ est species, sed complexio duplicis prædicabilis. ex d. 75. n. 4. Ergo.

9 Definio itaque: Species, vt sic, est *Terminus quidditatiuus implicite completus.* Conuenit imprimis speciei infimę [quam *atomam*, id est, indiuisibilem in alias species, & etiam *specialissimam*, quia non confunditur cum alio prædicabili, scilicet genere, apellare solent] v. g. *homo*; quæ dicit *quidditatem completã*; non solum præcisiue, sed etiam exclusiue; non tamen *explicitè*, sicut definitio *animal rationale*, sed tantum implicitè. Conuenit item *subalternæ*, id est, speciei superiori, quæ sublet alteras species continet, vt genus; quæ similiter, totam suam quidditatem habet, solum in suo conceptu præscisiue completam, ex n. 2. & implicitè similiter constitutam, siue ex alio genere superiori, siue ex conceptu vtcumque communi (quando genus supremum ipsa sit, juxta d. 30. n. 10.) & differentiali ab opposito. Conuenit speciei purè subijcibili, vt est *Deus, Pater æternus*, &c. quæ non minus continet suam quidditatem completam implicitè, quã species ipsa prædicabilis: vnde, & huic etiam conuenire patet, atque adeo omni definito. Nulli autem a definito, scilicet indiuiduo, quod non est *Terminus quidditatiuus*, sed vltra quidditatem; sicut etiam *Proprium*, & *Accidens* sunt extra illam. Ex conuenit omni Definito, & nulli ab ipso; cumque etiam per genus proximum, scilicet ly *Terminus*, commune omnibus terminis, tum vniuersali metaphysico, & logico, tum singulari, qualis est species non multiplicabilis, seu purè subijcibilis, tradatur, Leges essentiales bonæ Definitionis obseruabit. Erit ergo optima speciei vt sic definitio, supta ex n. 1.

DISPVT. XCVI.

Vtrum Species immultiplicabilis sit Vniuersalis?

1 PRima sent. Thomistarum affirmat, supponens defacto, &

& ex natura rei speciem Angelicam talem esse, vt vnaquæque in vno in diuiduo saluetur, singuli enim Angeli specie differunt, eo quod careant materia, aqua solam pluralitas, & differentia indiuidualis desumi potest, juxta Thomistica principia. Quo supposito, adhuc dicunt, quod Natura Angelica Michaelis, v g. licet sit immultiplicabilis in indiuidua, quia tamen non est essentialiter singularis, & vnica, sicut natura diuina, sed præscindibilis a singularitate sua per rationem, potest concipi, quantũ est ex se, quasi per rationem communis, & indifferens ad plura indiuidua, licet ea plura sint impossibilia ratione immateria litaris. Ita Cajet. Capreol. Soncin. Araux. Javellus, Gallego, Sanchez & quasi facto agmine Thomistæ fere omnes, quos laudant Complut. d. 6. q. 4. n. 39. & M. Ioan. Th. q. 8. a 4. censentes Thomistico nomine, & Angelica Schola S. Thomæ indignos, qui hanc Angelicam speciem vniuersalem non tuentur: item Caram. in Meta. n. 745. & P. Yzq. d. 17. q. 14. n 265. ex fundam. speciali, de quo n. 12. 17. & 18.

Sect. 1. Conclusio negans.

2 Secunda nostra sententia negat, possibilem aut conceptibilem esse eam speciem in plura immultiplicabilem, quæ sit Uniuersalis, seu prædicabilis de pluribus. Ita Scotistæ omnes cum, & apud Poncium d. 3. q. 4. & Thomistæ aliqui minus rigidi, quos non sine laude refert M. Ortiz tr. 3. conf, 4 §. 3. Nostri præter vnum Yzquierd. omnes cum P. Suarez d. 5. Metaph. s. 2. n. 28. P. Molina P. Rub. P, Hurt. P. Tellez, P. Cõpt. P. Ovied, PP. Conn, q. 8. a 3 P. Lynceus l. 8. tr. 1. n. 11; P. Alph. d. 5 n. 79. P Quiros d. 21. n, 8. P. Peñaf. d, 4. q. vlt. s. 2. P. Santacruz n. 594, P. Olcina a n. 1212. laudans Pasqualig. Aversam, Spiuulam, &c.

3 Prob. 1. Impossibilis est prædicabilitas, & vniuersalitas, vbi impossibilis est prædicatio vniuersalis de pluribus; sed in natura immultiplicabili Angelica impossibilis est prædicatio vniuersalis de pluribus; ergo impossibilis est prędicabilitas siue vniuersalitas. Maj est euidens, quia impossibilis est potentia ad actum impossibilem, propterea enim impossibilis est in igne potentia cõburendi Angelum, vel Deum, quia talis actus est impossibilis; prædicabilitas autem nihil est aliud, quam potentia passiua ad prædicationem vt ad suum actum, vt patet. Minor etiam est manifesta, quia prædicatio vniuersalis est vera affirmatio prędicati de subjectis, impossibile autem est, quod vere affirmetur Natura Angelica specifica, de pluribus indiuiduis Angelicis, cum ea sint impossibilia, & potius vere negetur de ipsis. Iam conseq. liquida est,

4 Confirm. Ideo enim juxta Thomistas Deus non est species vniuersalis, quia natura diuina, vt pote immultiplicabilis, affirmabilis non est de pluribus dijs, seu quia repugnat vera affirmatio diuinitatis de pluribus

vere indiuidualiter multiplicatis in esse Dei. Sed non minus repugnat, quod natura Angelica immultiplicabilis verificetur de pluribus, vere multiplicatis in natura illa specifica Michaelina v. g, quia tam impossibiles sunt ac plures dij. Ergo tam singularis & minime vniuersalis erit natura Angelica specifica, quam natura Diuina.

5 Resp Thomistæ naturam specificam Michaelis, ex se & essentialiter, non involuere singularitatem, quia hoc est proprium naturæ Diuinæ, quæ essentialiter est vnica & singularis; vnde secundū se, & præcisiue potest concipi, vt communis, indifferens, & vniuersalis per rationem, licet re ipsa vniuersalis non sit positiue, quia repugnant plura, quibus re ipsa identificetur.

Contra 1. quia deserunt sua castra Thomistæ: si enim naturæ specificæ Angelicæ secundū se, & ex conceptu suo, non repugnat multiplicitas, hæc erit eo ipso non repugnans seu possibilis realiter, non enim alio modo probamus rem esse realiter positiue possibilem, nisi quia in prædicatis obiectiuis non involuit repugnantiam. Ergo tota repugnantia multiplicitatis Angelicæ orietur ex singularitate, & Michaelitate, seu differentia singulari, quam vocamus indiuidualem, non secus ac in homine ex sola Petreitate, atque ita erit multiplicabilis species Angelica in indiuidua, non minus quam homo.

6. Contra 2. quia non potest non esse iuxta Thomistas tam essentialis repugnantia in natura specifica Angelica ad multiplicationem indiuidualem, quam in ipsa natura Diuina; repugnantia enim illa oritur ex immaterialitate, siue inreceptibilitate in materia; sed non minus essentialiter natura specifica Angeli est immaterialis, & inreceptibilis in materia, quam ipsa natura Diuina est singularis; ergo tam essentialiter erit immultiplicabilis erit natura specifica Angeli, quam natura Diuina iuxta Thomistas.

7 Cōtra 3 repugnat enim, quod vere concipiatur natura Angelica cum multiplicabilitate seu communicabilitate oppositā suæ intrinsecæ immultiplicabilitati, alias vere cōciperetur, vt identificata duobus prædicatis inuicem repugnantibus. Ergo non potest vere, & realiter cōcipi cum communicabilitate vniuersali oppositā suæ incommunicabilitati.

8 Nec dicas, esse communicabilitatem naturæ præcisiuam, qualem habet etiam *homo*, vt sic, simul cū incommunicabilitate indiuiduorū sibi identificata.

Contra enim 1. ideo enim homini vt sic conuenit communicabilitas præcisiua, quia in conceptu hominis non datur positiue oppositum communicabilitati, vel saltem exigens incommunicabilitatē: propterea enim in ente non possumus concipere adhuc præcisiuam diuisibilitatem in plura sub eodem nomine, & ratione v. g. in Petro divi-

sibi

sibilitatem in plures Petros, quia habet exigentiam positiuam in diuisionis in se, siue vnitatis suæ: sed Angelicæ naturæ secundum suum esse essentialem immaterialitatem conuenit saltem positiua exigentia incommunicabilitatis individualis; ergo adhuc præscisiue non potest ipsi conuenire opposita communicabilitas. 2. Per similem præscisionem possemus etiam prædicata diuina præscindere a sua singularitate formali, & facere præscisiue multiplicabilia. 3. Ideo homo est præscisiuè multiplicabilis; siue aptus præscisiue ad multa, quia potest terminare identitatem multorum inferiorum, a quibus præscinditur; sed Natura Michaelis non ita potest multorum Michaelium identitatem terminare, ergo.

9 Prob. 2. *Animal* (juxta Thomistas quos d. 87. n. 13. sum secutus) repugnaret esse genus, siue vniuersale, sub hypothesi, quod vna tantum species esset possibilis, *homo* sum: v. g. quia in vna illa specie genus saluari non posset. Ergo pariter nec in vno singulari poterit species vniuersalis saluari. Consequ. & paritas ostenditur, Quia non minus species vniuersalis definitur essentialiter per aptitudinem ad plura individua, quam genus per aptitudinem ad plures species; vnde si contenta esset species ea aptitudine præscisiua, quantum ex se, licet individua impossibilia essent; pariter, & genus eadem contentu esse deberet, licet ad impossibiles species; vel si hoc non sufficiat pro Genere, nec pro specie vniuersali sufficiet.

10 Quod autem dicunt Thomistæ cum Complut. n. 22. Genus imitari materiam, & ideo petere plures species, sicut illa formas: necnon Naturam magis curare species, quam individua: & metaphora pura est, & infirma. Tum quia in puncto aptitudinis ad plura omnia vniuersalia imitantur materiam. Tum quod possibilis est materia capax vnius tantum formæ, vt de cælesti aliqui putant. Tum quia cura naturæ forte major, imo tota, est pro individuis, cum nihil nisi in individuo attingat: & materialiter se habet ad conceptus metaphysicos formales rerum illa cura adeo materialis.

11 Prob. 3. Si Natura immultiplicabilis esset vniuersalis, esset vna in multis, sed vna in multis esse non potest: quia vel essent possibilia? & ita jam esset multiplicabilis; vel essent impossibilia, aut ficta (vt certè sunt) & de his non est verificabilis, vel prædicabilis, cum ens reale positiuum vere dici nequeat de impossibili, aut ficto. Ergo.

Confirm. Quia si sufficeret concipere naturam Angelicam, vt vnam in multis impossibilibus, aut fictis, quantum est ex se, sic etiam Deus, & Petrus posset concipi, vt vniuersalis in multis, dijs, & Petris impossibilibus, vel fictis; atque ita omnis terminus singularis fiet vniuersalis, vt amplius vrgebo n. 21. Ergo.

12 Resp Caramuel a n. 748. Naturam specificam Angelicam esse vnam in multis, quia omnes individua

duationes possibiles ejus naturæ vg. Michaelinæ, identificantur cum illa, & ita hæc erit in multis; sicut ratio formalitatis Michaelinæ est vniuersalis in multis formalitatibus Michaelis.

Contra 1. Quia ita erunt in vno infiniti Michaeles, imo eodem modo in vno Petro possent infinitæ indiuiduationes Petrinæ multiplicari: quod cum ipse fere conceda, exemplo Gerionum tricorporũ, quos possibiles putat, vt multos homines in vno; ex dictis d. 72 a n. 5. erit reijciendus. 2. Quia hoc est sine fundamento fingere formalitates, si absque nouo connotato, vel modo diuerso illæ multiplicentur, vnde, & rationalitates, & vitalitates, & entitates in vno ente &c. possent prolibito multiplicari. 3. Quia licet prædicata secundo intentionalia saltem connotatiuè (vt ratio obiecti, & formalitatis) possint multiplicari absque distinctione reali, non tamen prædicata entitatiua, vt est ratio entis, indiuidui, &c. ex d. 73. n. 8. & d. 80. n. 6. & satis contra laruas, & Chymeras Caramuelis.

13 Prob. 4. Quia Natura specifica Michaelis, vt a Gabrielis specie distinguitur, nullo alio modo potest concipi, ut distincta, nisi vt est Natura Michaelina, vel assignent quo alio nomine, vel conceptu distinguibilis est. Sed vt est natura Michaelina, jam est natura singularis, non minus quã *Diuina*, Petrina, Paulina, &c. Ergo Natura specifica Angelica [illegible] multiplicabilis, non potest cõcipi nisi, vt formalissimè singularis, ac proinde vt minimè vniuersalis, non minus quam Diuina, Petrina, &c.

Sect. 2. Objectiones.

14 Obij. 1. Natura ab vno indiuiduo præcisa est vniuersalis, ex d. 84. quia ex se & præscisiue est indifferens ad plura, licet positiuè sit idem cum indiuiduo, a quo præscisa est. Ergo pariter natura Angelica, &c.

Resp. neg. antec. & suppositum, quia vt ibi dixi, eo ipso quod natura ab vno indiuiduo præscindatur, præscinditur ab omnibus, quia omnia participant illam naturam secũdum identitatem similitudinariam, & intelligibilem. At natura Angelica non ita participatur a pluribus, cum supponatur immultiplicabilis in illis, atque adeo *neque ab ipsis* præscinditur, neque ad *ipsa* indifferens præscisiue esse potest.

15 Obij. 2 Prædicatio naturæ specificæ suæ de Michaele, non est pure singularis, sicut esset prædicatio ista *hic Angelus est Michael*, cum in illa priori præscindatur a singularitate ex parte prædicati. Ergo erit prædicatio vniuersalis.

Resp. neg. antec. Quia supposito quod sit immultiplicabilis, non aliter potest natura specifica Angeli concipi, explicari, aut prædicari vt talis, nisi sub singularitate, dicendo v. g. *Hic est Angelus Michaelinus* ex n. 13. Vnde erit prædicatio singularis, non minus quam *Hic est homo Petrinus*.

16 Obij.

16 Obij. 3. Angelus est species collocabilis in prædicamento substantiæ; sed species prædicamentalis est vniuersalis. Ergo.

Resp sufficere quod sit species pure subijcibilis, vt possit collocari in prædicamento, non quidem, vt prædicabilis, sed vt singularis, sicut collocatur Deus, vt dicam Tr. seq. quia huiusmodi species simul collocatur vt [illegible]. Quomodo autē definienda sit species, vt a prædicabilitate præscindens, constat ex d. præced. q. 2.

17 Obij. 4. ex Caramuele. Si nunc manente albedine, vt nunc est, tolleretur possibilitas totius potentiæ visiue, maneret albedo visibilis, cum definiatur disgregatiua visus, licet esset impossibilis visio illius. Ergo ita potest manere natura immultiplicabilis prædicabilis de pluribus licet sit impossibilis prædicatio ipsius vera de pluribus.

Resp. hoc argum. probari, etiam Petrum fore prædicabilem de pluribus, licet sit impossibilis vera illius de pluribus prædicatio: *nego* itaque *antecedens*, quia impossibili actu secundo, fit impossibilis actus primus, & potentia ad illum; vnde propterea dicam 2. *Physi*. impossibili creatura reddendam impossibilem Omnipotentiam. Vnde & implicat manere albedinem vt visibilem, impossibili visione &c.

18 Obij. 5. pro P. Yzquierd. a Michaele actuali, & ab alio impossibili, omnino simili in natura, posse præscindi rationē vniuocam, vt sunt similes in conceptu obiectiuo, licet in esse reali dissimiles sint: pro conuenientia enim & identitate intentionali, & obiectiua seu similitudinaria, non attenditur realitas entitatum. Ergo respectu illius vtriusque Michaelis erit vniuersalis natura specifica illius.

Urgetur ad hom. contra RR nostros, qui putant, dari entia realia negatiua tam propria, & vera realiter, quam physica, quia tenebras putant non minus realer, quam lucem, & tam proprie dari impossibilia realia negatiue, quam possibilia realia positiue; eo quod non minus realiter & vere impossibilis sit alius Deus, quam possibilis, & existens est realiter verus Deus. Ex quo etiam inferunt, tam realiter vere cōuenire negatiua cū positiuis, in prędicatis supertranscendentibus, cognoscibilis, & volibilis realiter, quā positiua inter se in ipsis conueniunt; quia æque vere, & realiter negatiua cognoscuntur, & amantvr, vel odio habentur; ac proinde æque realiter cognoscibilia, & volibilia sunt, quam positiua. Tum sic. Ergo æque realiter, & vere Michael impossibilis erit Michael, sicut talis est Michael existens; ac proinde æque cōueniens in ratione Michaelis, Consequētia mihi videtur euidens: quia sicut præscinditur ratio obiecti, cognoscibilis, &c. a negatiuis, & positiuis, eo quod ante omnem fictionem ens negatiuum est realiter negatiue cognoscibile; ita quia ante omnem fictionem Michael impossibilis

bilis est realiter negatiuè Michael, debebit præscindit ab ipso, & a Michaele existente ratio Michaelis.

19 Resp. R.R. Michaelem impossibilem esse realiter negatiuè Michaelem, sicut homo pictus realiter, & physice est homo pictus, atque a deo improprie: quia esse negatiue, est idem ac proprie non esse, sicut esse pictè, & apparenter.

Contra. Quia semel admissa illa sententia de ente negatiuo reali vere & propriè existente, non minus quam positiuum, non subsistit paritas cum picto, & apparenti, quod veré, & propriè tale non est, ea ratione qua ens pictum est. Ergo si ens negatiuum reale per vos proprié reale est in rationibus supertranscendentibus, non erit solum pictè, & apparenter tale in illis. Ergo pariter neque in ratione Michaelis, & alia quacunque, in qua per vos est ens negatiuū realiter tale, seu realiter impossibile.

20 Resp itaque ad argum. negando suppositum anteced. contra P. Yzquierd. quod esse obiectiuum rerum sit aliquod esse phantasticum & fere chymericum, vt vult. P. Yzquierd. cum sit ipsum esse reale obiectorum, vt præscisiue conceptibile, secundum suum esse primarium, in ea ratione, in qua concipitur. Vnde cum esse reale Michaelis possibilis, vt conceptibilis, secundum prædicata vera, & realia, conuenire nó possit cum alio Michaele impossibili, vt conceptibili secundum prædicata falsa, & rationis, suæ impossibilitatis, consequenter adhuc obiectiuè non poterunt vere conuenire; neque ab illis vera ratio conueniendi præscindi: non minus quã nec a chymæra, & ente reali vna ratio ẽtis obiectiui, siue ẽtis realis.

21 Ad confirm. nego antec. quod propterea negabo in Metaph. teneor ad conseq. Nego tamen vlterius, quod licet cõcederetur ea præscisio, ea ratio Michaelis esset tunc solũ ratio speciei infimæ, vt volunt Thomistæ; sed generis, imo generis remotissimi, scilicet cõmunissimi positiuo, & negatiuo, possibili, & impossibili, quæ plus quam genere diuersissima sunt. Nego etiam vlterius quod hoc supposito admisso, maneret species secundum prædicabile, quia non maneret individuum, quælibet enim ratio individui completi, v.g. Petrus, posset præscindi a Petro possibili, & impossibili, & ita Petrus, & quodvis individuum fieret genus: vnde cuerteretur Prædicabile *speciei*, cùm non esset possibile eius correlatiuum, scilicet individuum.

22 Obij. 6. auctoritas S. Thomæ quæ in hac re summi, & vnici ponderis mihi est. Expresse enim S. D. 1. q. 50. a 4. asserit Angelos singulos esse specie diuersos, & minimè individualiter multiplicari, quia carent materia signata quantitate, a qua sumitur tota multiplicitas individualis: aliunde vero æque patenter statuit 1. p. q. 13. a 9. & de spiritual. creat. a 4. *Quod natura huius Angeli non prohibetur esse in multis,*

ex

ex hoc quod pertinet ad rationem ſpeciei. Ergo juxta S. D. etiam ſi ſit natura immultiplicabilis in indiuidua, eſt vna in multis ſecundum ſpeciem, atque adeo vniuerſalis.

Reſp. cum P. Fonſeca 5. Metaph. c. 6. q. 4. ſ. 4. non omnino diſſentiente P. Suarez d. 5. ſ. 3. n. 34. hinc probari ſolum, quod S. Th. vere conceſſerit multiplicationē Angelorum intra eandem ſpeciem, licet illam nolit appellare indiuiduales, quia non ſumuntur a ſigillationibus quantitatis figuræ, ſitus, & motus, qualiter apud nos dignoſcitur indiuiduatio; & hoc ſenſu optimē S. D. conceſſit Angelicam ſpeciem eſſe vniuerſalem, quia multiplicabilem in ſingularibus eiusdē ſpeciei, licet nō in indiuiduis: quæ eſt lis de nomine. Quod vero ſolum de facto negauerit S. D. multiplicari Angelos ſingulares intra eandem ſpeciem, probabile eſt, non tamen huius loci.

DISP. XCVII.

Verum Species, in quantum ſubijcibilis, ſit Vniuerſalis?

1 PRima ſent. adeo ſtricta ſub reduplicationē formali affirmat, vt per ipſum reſpectum, quo ſpecies ſubijcitur generi formaliter, vt inferior illo, fiat & conſtituatur vniuerſalis, ſuperior, & prædicabilis de indiuiduis. Ita dubitatiue Auicena hic ab omnibus reprehenſus; quem tamen a reprehenſione, duplici nouo tramite, vindicarunt ſapientiſſ. Magiſter meus P. Gregor. Lopez, & perdoctus Comagiſter P. Maça hic, ſ. 4.

2 Secunda ſent. affirmat facta reduplicatione cauſali, quatenus ſubijcibilitas ſpeciei eſt radix vniuerſalitatis, ſicut homo in quantū rationalis eſt riſibilis, cauſaliter. Ita Caiet. hic, quem ſequuntur Araujo 3. Metap. q. 4. a. 3. Prado l. 1. q. 20. §. 4 &c.

3 Tertia ſent. e conuerſo, radicē ſubijcibilitatis eſſe vniuerſalitatem & ratione huius connexionis verificari, quod ſpecies in quantū ſubijcibilis eſt vniuerſalis; ſicut verum eſt hoc ſenſu, quod homo eſt rationalis in quantum riſibilis. Ita Card. N. Tolet hic, q. vn. ad 1. & M. Ioan. Th. q. 8. a. 1. &c.

Sect. 1. Conclinegans.

4 Quarta vera & cōmunis ſent. negat cum P. Rub. P. Hurt. P. Arr. P. Ouied. P. Compt. & noſtris reliquis, quos laudant P. Alph. d. 7. n. 14. P. Olc. an. 1244. P. Peñaf. d. 4 q. 5. Joaniz d. 9. n. 8. Complutens. cum pleriſque Thomiſtis d. 6. n. 31. & Poncius cum omnibus Scotiſtis d. 5. q. 2. &c.

5 Prob 1. Quando duo prædicata ſunt per ſe, & exſe ſeparabilia, licet in aliquo ſubiecto coniungantur, manent perſe, formaliter incō nexa, & diſparata, nec ſub vlla reduplicatione aut formali, aut cauſali, aut conditionali vnius, poteſt alterum affirmari: propterea enim dici nequit *quod panum, in quantum album, eſt dulce*, aut e conuerſo; vel *quod homo in quantum animal eſt intellectiuus, aut vicißim*. Atqui rationes ſubi-

subijcibilis, & Prędicabilis, quæ in specie coniunguntur, possunt omnino separari; nam species immultiplicabilis, v. g. *Deus, & singula Personæ diuinæ*, sunt species subijcibiles substantię, non tamen vniuersales, nec Prædicabilee de pluribus: & e contra Genus supremum est species subalterna prædicabilis de indiuiduis incompletis, non tamen subijcibilis, vt sæpe diximus. Ergo eæ rationes sunt inconnexæ, & disparatæ, & quæ sub nulla reduplicatione alterutrius possunt de specie affirmari.

6 Resp. P. Maçi, reduplicationem intelligi iuxta subiectam materiam, ideſt, de speciē quæ simul sit prędicabilis, subijcibilis; eo modo quo illa reduplicatio D. Augustini *Eo verbū quo filius, & eo filius quo verbum*, intelligitur in diuinis, alias etiam verbū mentis nostræ esset filius, & filij hominum essent verba. Sicut etiam illa reduplicatio; *Christus in quantum homo est filius Dei naturalis*; intelligitur *inquantū hic homo, qui sit Deus*, alias de omni homine affirmaretur filiatio Dei naturalis. Ita ergo species vt taliter sub *Genere multiplicabiliter subijcibilis, erit prædicabilis*; quâ vt talis, est superior indiuiduis.

Contra 1. Quia hoc sensu etiam reduplicationes de prædicato omnino disparato, inconnexo, & accidentali, possunt verificari, v. g. *Pomum, in quantum taliter dulce, ideſt, disgregando visum, est album*, &c. & *homo in quantum taliter albus, ideſt, discurrendo, est rationalis*. Quæ sunt ridiculæ reduplicationes. 2. Quia sensus illius duplicis Theologicæ reduplicationis, non est ita illusorius, reduplicando supra coniunctionem subiecti cum ipso prędicato: quia Verbum adhuc, *vt Verbum Diuinum*, non exprimit rationem filij; & Christu, D. adhuc, *vt homo in Verbo subsistens*, non exprimit formalitatē filij naturalis. At vero reduplicatio supra speciem, vt multiplicabiliter subiectam, in ipsa multiplicabilitate exprimit vniuersalitatem.

7 Prob. 2. Quia subijcibilitas est relatio, qua species comparatur, seu refertur ad Genus, vt ad superius; Prædicabilitas vero qua refertur ad indiuidua vt ad inferiora: sed hę relationes distinguuntur, vt pote ad Terminos diuersos, (nemo enim quatenus respicit Patrem suū respicit nepotes) & inter se non cōnectuntur, quia potest intellectus referre speciem ad genus, & non ad indiuidua, pro libito contingenti, sicut contingenter qui habet Patrem potest non habere nepotes, vt Abel, aut e conuerso, vt Adamus. Ego sicut propterea nullus est Auus, in quantū est filius, nec filius in quantū avus, ita neq; species erit vniuersalis in quantū subijcibilis; neque subijcibilis, in quantum prędicabilis.

8 Resp. P. Gregor. Lop. non esse paritatem: quia species respicit Genus, in quantū superius continens indiuidua, atque adeo medio genere ipsa respicit indiuidua, vt inferiora. & consequenter euadet superior.

tio. Eo modo quo Beatus videns omnipotentiam, videt creaturas in omnipotentia contentas, & multas, vt sibi inferiores, licet in causa sibi superiore, & vnica.

Contra 1. Quia respectus speciei ad Genus, fit per comparationem intellectualem ad ipsum, vt præscisum ab indiuiduis, & inferioribus omnibus, cum sit ad illud, vt vniuersale: at visio beata attingeret omnipotentiam, vt connexam cū creaturis, & ideo illas videret. 2. Quia visio beata non videt omnes creaturas possibiles, quia non attingit connexionem omnipotentiæ cum omnibus, vt tradunt communiter DD: ergo cum species referatur ad genus, vt præscisum ab omni connexione cum indiuiduis, species ad illa non referetur. 3. Quia eo modo species sibi ipsi superior esset, respiciendo se ipsam inter inferiora generis. 4. Eo etiam modo non solum propria indiuidua, sed etiam omnia aliarum specierum respiceret, cum omnia sub genere contineantur.

9 Prob. 3. reijciendo præcipuum fundamentum RR. quod scilicet species fiat subijcibilis per eundē actū, per quē fit vniuersalis. At non ita est, quia vniuersalis fit per abstractionem ab indiuiduis inferioribus, vt vniuersaliter dictum est d. 82. subijcibilis vero fit per comparationem cum genere superiori. Probatur. Tum quia species positive subijcitur Generi, sicut omne subiectum in prædicatione vniuersali attingitur, vt ex parte sua positiuè identificatum cum prædicato, vt dixi d. 83. n. 43. Unde solum potest fieri subijcibilis prædicato vniuersali, per actum, quo vt positiue idē tificabile cum prædicato vniuersali repræsenterur subiectum. Sed solū per actum comparatiuum repræsentatur subiectum vt positiue identificarū prædicato vniuersali, apprehendendo v. g. quod *homo sit animal*. Ergo solum per actum comparativum fiet terminus, siue species, subijcibilis prædicato vniuersali, seu Generi.

10 Urgeo. Quia adhuc dato, quod per eundem actum seu formam, quasi physicam, species fieret subijcibilis, & prædicabilis; solum inde verificaretur reduplicatio in sensu physico, & materiali, sicut dici identicé posset, quod *homo in quantum animal est rationale*, idest, quod per eandem formam seu animam physice habet vtrumque; formaliter vero neutrum potest verificari; quia sicut homo ex diuersa formalitate suæ formæ gaudet illis disparatis prædicatis; ita species, subijcibilis erit ex formalitate actus, vt referentis ipsam positiue ad genus, prædicabilis vero ex ipso, vt præscisiuè referente illam ad inferiora. Ergo.

Sect. 2. Obiectiones. Vbi concluditur, per quem actum fiat species subijcibilis.

11 Obij. 1. pro 1. *sent.* Species, vt subijcibilis fit per ipsum actum, per quem fit & constituitur vniuersalis; ergo species vt subijcibilis erit for-

maliter vniuersalis. Consequ. liquet; quia ideo vniuersale metaphysicum vt tale, formaliter est vniuersale logicum, quia ex vi eiusdem actus, & abstractionis vtrumque fit.

Antecedens prob. 1. ex P. Cõpt. d. 31 s. 4 n. 5. & d. 34 s. 1. n. 2. Quia ex vi abstractionis eiusdẽ, qua species præscinditur ab indiuiduis, & fit vniuersalis, fieri debet subijcibilis; quod enim sit subijcibilis nihil aliud est, quam quod sit inferior seu minor, & minus late patens genere; quod vero sit vniuersalis nihil aliud est, quã quod sit superior, seu maior, & magis late pteans inferioribus, tanquam totum potestatiuum illorum. Sed per eandemmet quantitatem, & situm, quibus vna res est major, & superior alia, est minor, & inferior altera; sic enim per eandem quantitatem, qua ovis est minor boue, est major lepore; & Luna per eundem situm, quo est inferior sole, est superior aere, & mari; Ergo a. ex P. Maça. Quia ex vi eiusdem albedinis, ex qua papyrus conuenit cum niue, disconuenit cum Æthiope, & ex vi eiusdem quantitatis discreter, qua ternarius est minor quaternario, est major binario; ergo pariter ex vi eiusdem abstractionis, qua refertur species, vt minor, & subiecta ad genus, referetur, vt major, & superior ad indiuidua.

12. Resp. RR. cum P. Arr. d. 7. a. n. 66. & P. Herice d. 16. log. c. 7. du. 1. subijcibilitatem speciei fieri debere per ipsam abstractionẽ generis ab illa, ac proinde minime per abstractionẽ speciei ab indiuiduis, qua ipsa fit vniuersalis. Quia cum prædicabile, & subijcibile sint essentialia correlatiua, non potest vnũ concipi sine alio, vnde eo ipso actu quo concipitur, & fit genus prædicabile de specie, fieri debet species subijcibilis generi.

Contra 1. sicut vniuersalitas est denominatio extrinseca ab actu intellectus, ita & subijcibilitas; vnde sicut species nõ potest fieri vniuersalis per actum respicientem solum modo genus. ita neque subijcibilis, at qui abstractio generis ab speciebus nullo modo respicit species, cum potius ab illis præscindat: ergo per illam species in esse subijcibilis constitui non potest. 2. Quia licet relatiua, vt talia, sint simul cognitione, ita vt vnum positiue qua tale cognosci non possit, quin cognoscatur aliud; at vniuersale seu genus non cognoscitur positiue, & signate, qua tale, per abstractionem sui, cum hęc non reflectat supra vniuersalitatem, vel aptitudinem, sed solum exercitè, & præscisiue tale fit per actum præscindum, ex d. 80. a n. 9. & d. 83 s. 3 Vnde propterea actus ipse non debet cognoscere inferiora correlatiua seu subijcibilia, atque adeo nec ipsa, vt talia, facere ac constituere. 3. Quia in his correlatiuis secundũ dici, ex eo quod fiat vnum in recto, v. g. *Dominus*, per modum cognoscendi, nõ debet fieri alterum, quod respicitur in obliquo, v. g. *seruus* quia hoc indiget alio actu ipsum in recto cognoscente, ac referente,

vt

vt dicam in Prædicam Relation. Ergo pariter. 4. Quia ad summum ex vi abstractionis, qua genus sit prædicabile præscisiue de speciebus, hæ sient præscisiue subijcibiles: at cum subijcibilitas simpliciter debeat esse positiua, quia ex parte subiecti attingitur positiua identitas cum prædicato, consequenter hæc ab alio actu communicari debet, qui alius esse non potest, vt ostendi n. 9. nisi comparatiuus. Ergo.

13 Respondeo itaque 1. dato anteced. neg. consep, quia licet esset eadem forma quasi physice, esset tamen in ea duplex formalitas disparata, & in connexa, vt constat ex n. 5. minime vero connexa, sicut vniuersale metaphysicum, & logicum, quæ in separabilia sunt. 2. Neg. ant. Quia cum per actum, quo fit, & præscinditur species vniuersalis non referatur positiue, & explicite ad Genus, vt abstractum, & vniuersale (in quo consistit subijcibilitas speciei) sed tantũ modo præscisiue referatur ad indiuidua, a quibus præscinditur; consequenter per sui abstractionem solum, vt horum superior, non vt generis inferior, & subiecta seu subijcibilis constituetur. Unde solũ super est cõparatio speciei ad genus, per quam huic subijcibilis illa constituatur.

14 Confir 1. Quia ex d. 81. n. 18, & 20. comparatio simplex præcedens prædicationem vniuersalis, solum requiritur, vt dispositio ad prædicationem, non vero, vt constitutiua prædicabilitatis vniuersalium; sed omnis dispositio requiritur, ex parte subiecti, quod disponitur, non vero ex parte formæ, vt patet ex physicis; ergo comparatio illa solũ requiritur ex parte subiecti, seu subijcibilitatis, non vero ex parte prędicati se habentis, vt forma, in prædicatione, ex d. 19. n. 2.

Quod si dicas sufficere pro dispositione ex parte subjecti, & subijcibilitatis apprehensionem incomplexam subjecti, v.g. *homo*, vt de homine prædicetur esse animal; cum in homine implicitè cognoscatur identitas cum animali, sicut sufficit similis apprehensio incomplexa *animal*, ad huius prædicabilitatem.

Contra 1. Quod per ly *homo*, solum attingitur implicite identitas cum animali contracto, at prædicatio affirmat identitatem cum animali abstracto; vnde debet præcedere comparatio, conferens animal cõtractum ex parte subiecti, cum animali abstracto ex parte prædicati, & agnoscens identitatẽ vtriusque, vt ea vere affirmari possit. 2. Quod ex parte prædicati vniuersalis solũ affirmatur identitas præscisiua, ex d. 83. a n. 42. Unde sufficit ea, quã ex vi præscisionis ab inferioribus præsefert animal, per non repugnantiam præscisiuam cũ illis; at ex parte subiecti, seu subijcibilis, affirmatur identitas positiua subiectiua, vt ibidem vidimus; ac proinde requiritur comparatio, quæ positiue illam identitatem exprimat cum prædicato vniuersali, & ita ad illius affirmationem disponat.

16 Ad 1. & 2. prob. antecedens. 17. Licet eadem sit quantitas, & situs, albedo, & numerus, ratio fundãdi relationẽ majoris, vel minoris, similis, & dissimilis, superioris, & inferioris respectu diuersorũ, nõ est tamen eadẽ relatio formalis; quia hæc variatur pro varietate terminorum, vt apud omnes est certum. Et ita pariter in specie eadem erit quidditas completa, quæ est ratio fundãdi relationem subijcibilitatis ad genus, & vniuersalitatis ad individua; sed relatio fiet ex vi diuersi actus relatiui, seu duplicis relationis inter se disparatæ, vt probatum manet.

17 Obij. 2. Et replic. Per simplicem comparationem suasiuam v. g. *Homo est animal*, qua species *homo* sit subijcibilis generi, seu animali, etiam sit vniuersalis, cum ex parte prædicati præscindatur ly *Homo* ab in diuiduis, non minus quã ex parte prædicati præscinditur ly *animal*, ab speciebus ex d. 85, n. 2. Ergo ex vi subijcibilitatis, siue, vt subijcibilis, sit species vniuersalis.

Resp. dist. antec. Per simplicem comparationem &c. præscinditur ly *homo*, formaliter, & per se ex vi subijcibilitatis illius erga genus, nego; materialiter per accidens, & cõcomitanter, concedo. Quia genus per se contentum esset licet ly *Homo* esset species inmultiplicabilis, sicut *Deus*, vel vna quæque Persona diuina, aut Natura Angelica juxta Thomistas; solum enim per se requirit, quod subiectũ sibi immediatũ sit species, prout præscindit a prædicabili, & subijcibili, vt definita est d. præced. q. 2. Quod vero vlterius sit præscisa a pluribus, sitque prædicabilis, per accidens se habet ab subijcibilitatem. Vnde *substantia intellectiua* æque prædicatur, vt genus de speciebus subijcibilibus, de Deo, Patre Æterno, & Michaele Thomistice, non vniuersalibus subijcibilibus, ac de homine vniuersali. Vnde nego cõseq. quod ex vi subijcibilitatis conueniat homini Vniuersalitas, per ly *homo*.

18 Obij. 3. ratio speciei, vt subijcibilis præscisa ab omnibus speciebus subijcibilibus, in ea ratione conuenientibus, est ad illas vniuersalis, vt patet. Ergo species, ut subijcibilis, est vniuersalis.

Resp. Rationem speciei subijcibilis vt sic, solum esse subjcibilem signaté, exercité enim potius est prædicabilis; vt de differentia, vt sic, quæ potius est exercitè ratio conueniendi; de æquiuoco vt sic, quæ est ratio vnivocas; de sensibili, vt sic, quæ non est sensibilis, dixi d. 86. n. 7. & sæpe alias: solum ergo procedit quæstio de specie subijcibili, vt exercitè tali, & exercente respectũ ad genus, non ad inferiora, vt conuenientia in esse subijcibilis.

19 Obij. 4. Species est vniuersalis, in quantum participat rationem vniuersalis, quæ genus est ad quinq; prædicabilia: sed in quantum eam participat, subijcitur ipsi generi participato, siue est subijcibilis ipsi, ergo in quantum subijcibilis, est vniuersalis.

Resp.

Resp. dist. maj. & eius æquivocum nugatorium: Species est vniuersalis, in quantũ participat rationẽ vniuersalis, fundamentaliter, cõcedo: in quantũ eam participat formaliter, vt præscisam in ratione generis, nego: quia hoc pacto illi accidit talis præscisio, & media hac fit subijcibilis æque accidentaliter, ac homo, & quævis alia species primo intentionalis; de qua nõ potest dici quod participat suam essentiam, vt subijcibilis formaliter, vt jam explico.

20 Obij. 5. pro 2. *sent.* Ideo species est prædicabilis quia gaudet suis prædicatis essẽtialibus, ac proinde etiam genere, secundum quæ est prædicabilis de inferioribus; sed vt gaudet genere, subijcitur siue est subijcibilis ipsi, ergo vt subijcibilis generi, est prædicabilis.

Resp. dist. maj. æquiuocam: Species est prædicabilis, quia gaudet genere, vt ratione præscisa formaliter, nego: quia gaudet genere, vt ratione contracta fundamentaliter, concedo: homo enim est animal ante omnem animalis præscisionem. Disting. etiam min: sed vt gaudet genere subijcitur ipsi, vt gaudet, tãquam ratione formaliter præscisa, per reflexam secundam intentionẽ, concedo: ut gaudet tanquam ratione fundamentaliter cõtracta, nego: vnde aliter est subijcibilis, ac participat suam essentiam, secundum quam fit prædicabilis, per distinctã aliam præscisionẽ ab inferioribus.

21 Obij. 6. pro 3. *sent*, Species est prædicabilis, tanquam species atoma, pertinens specialiter ad 2. prędicabile, in quantum est species inferior; ergo in quantum species prædicabilis eo speciali modo, est subijcibilis scilicet inferior.

Resp. 1. Licet eo sensu totum, cum Card. Tolet. concederetur, solum inferretur, quod species in quantum specialis prædicabilis esset subijcibilis, nõ e conuerso. Dist. maj. Species est prędicabilis, vt atoma, in quantum species infima, idest, immediata, & proxima indiuiduis, concedo; idest, inferior alij speciei superiori, nego: Quia hoc materialiter se habet, vt sit species proxima indiuiduis, si enim per impossibile nullam rationem superiorem haberet, adhuc concipi posset vt infima, dum modo esset indiuiduis ptoxima.

DISPVT. XCVIII.

De Indiuiduo, Speciei correlatiuo.

1 QUæst. 1. *Quid sit indiuiduũ?* Resp. a Porphyr. c. 2. adfin. dupliciter vsurpari, ac definiri: tum *primo intentionaliter*, tum *secundo intentionaliter*.

Defin. 1. Indiuiduum primo intentionaliter: *Id cujus collectio proprietatum alteri conuenire repugnat.* Proprietates vero septẽ Boerius, & Albert. M. numerarunt, quæ hoc Dysticho fere ex PP. Connimbr. q. 3. a 1. comprehendentur: *Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen, Patria, Tempus, Diuiduum certa reddere lege solent.* Pressius tamen S. Th. 1. p. q. 29. a 4. c. definiuit: *Indistinctum in se distinctum ab omnibus alijs:* Quod intelli-

intelligitur de distinctione intelligibili, seu *differentiali*, ex d. 78. n. 11. Ac si diceret: *Ens vltimo differens*, idest, *vltima incommunicabile*, vt bene exponunt PP. Conimb. Quia eo ipso quod ab omni alio differat, ea ratione explicite cum nullo conuenit, atque adeo vltima differentiarum est, cum nihil habeat eatenus commune cum alio; vt Petrus, qua talis, cum nullo alio ente conuenit, cum nullum aliud sit Petrus. Imo, & indiuiduum incompletum *hoc animal*, vt vltimo distinctum ab omni alio cognoscitur, licet non explicitè secundum vltimum completè; quia hoc ipsum vltimum differentiale indiuiduale, habet gradus quam plures integrales, correspondentes singulis gradibus communibus; ex d. 92. Quod quia non possumus aliter, quam in ordine ad specialissima, proprietates vniuscuiusque gradus indiuidui dignoscere, optimè hanc ipsam differentiam in ordine ad illas Porphyri explicuit.

2 Obij. 1. à pluribus quæ DD. hic, esse definitionē purè descriptiuā, cum tradatur per proprietates, & accidentia. 2. Pleraque eorum accidentium esse communia, & in quibus multi conueniunt, vt in *nomine Patria*, &c. 3. Solum substantijs, imo viuentibus, pleraque conuenire, vt patria, nomen, &c. 4. Possibilia esse indiuidua omnino similia, vt putant P. Art. Aversa, & P. Cerda, ad illud Virg. 10. Æneid. v. 380. *Similima Proles, indefensa, suis gratius quæ parentibus error*. 5. accidentia ipsa, seu modi, & propietates per alias in infinitū indiuiduarētur ergo. 3 Resp. ad 1. Sæpe ex penuria vocum, aut connotatorum, essentiales definitiones in ordine ad proprietates explicari, ex d. 94 n. 5. & 12. imo in ordine ad accidentia, non tamen per illa, omnes substantiæ creatæ definiuntur essentialiter, vt animal ad sensationes, rationale ad ratiocinationes, &c. Quanto magis, cū definitur ens secundum indiuiduationem, non essentialem?

4 Ad 2. Subijs accidentibus, quæ vt communia sonant, *locus*, *tempus*, &c. intelligi, vt dixi d. 92. n. 6. accidentia modalia, quæ indiuidualiter singulis singularibus affixa sunt: Nimirum *forma* designat informationes, & vniones quarumcumque formarum, vel accidentium, ad hærentium indiuiduo: *figura situm*, & proportiones modales, medijs quibus ea resultat: *locus* vbicationes; *stirps* productiones quas elicit: *Nomen*, cognitiones, quibus dijcernitur ab alijs: *Patria* actionem seu originem, qua fit: *Tempus* durationes, per quas nunc, vel post exijstit; quæ minimè alteri conuenire possunt, vt potè modi a nobis autem non nisi per communia illa extrema accidentia ipsi dignoscuntur.

5 Ad 3. Prædicto sensu modorū, nullum est ens creatum, cui non cōueniant eæ indiuiduationes, licet vulgari sensu externo solis viuentibus, imo solis hominibus, aliqua approprientur. Porphyrius autem eas non enumerauit, sed in communi

earum

catum *aggregatum* nobis considerandum reliquit, juxta vnius cujusque indiuidui naturam: non enim conueniunt omnibus omnia, vt Angelis, insensibilibus, & modis ipsis.

6 Ad 4. nega possibilitatem indiuiduorum omnino similium, ex d. 82. n. 29. quia in modalibus affixionibus dissimilitudinem, non notabilem, omnia requirunt.

Ad 5. tangitur grauis difficultas de principio individuationis rerum de qua in Metaph quæ licet ab ipsa entitate sumatur, semper tamen per connotationem ad *noæn.*, siue ad cognitionem distinctiuam numero, qua vnum non esse aliud dignoscitur, melius explicatur; etiam in modis, & accidentibus insensibilibus, quæ per sensibilia discernimus & indiuiduamus. Nec inconuenit, hæc mutuo connotatiue per substantiam indiuiduari, sicut mutuo correlatiua etiã definiuntur, ex d 87. n 4.

7 Definit 2. Porphyrius Indiuiduũ secundo intentionaliter, Quod *prædicatur de vno*, vt Petrus de hoc homine. Quod intellige de indiuiduo, vt exercitè explicitè tali; de indiuiduo enim implicitè, siue de ratione *Indiuidui vt sic*, in Metaph. ostendã, de multis vniuoce prædicari, & ab omnibus simpliciter præscindi. Potest itẽ indiuiduũ secundo intentionaliter sumi *vt subijcibile*, non minus quam species; ita vt speciei sit subijcibile *inquid completè*, generi mediatè *in quid* incompletè, differentiæ *inqualequid*; imo etiam proprio, & accidenti in quale, *vt hoc risibile, hoc albũ* &c. Vt subijcibile autẽ potest cẽ specie conuenire, quando hæc immultiplicabilis fuerit, vt *Michael Thomisticus, Pater æternus* &c. Quod veto etiam *Deus* sit similiter indiuiduum, cum sit ens singulare, solum quia multiplicabile in Personas, non vero in Deos, profitetur Ecclesia canẽs, *Sacrosanctæ atque Indiuiduæ Trinitati* &c. De personis Diuinis minus est dubium, cum definiatur Persona a Boetio *indiuidua substantia intellectualis*. Tunc autẽ indiuiduum, quá simul species, erit immediatum generi.

8 Quæst. 2. *Quotuplex sit indiuiduum?* Resp. suppositá diuisione in *Incompletum*, & *completum*, ex d. 92. n. 3. necnon in species entis, quocum conuenitur, v.g. substantiale, & accidentale, &c magis dialecticè diuidi, in *indiuiduum vagum*, & *determinatum*. Hoc est, quod determinare demostrari potest, vel per signa *hic*, & *hoc*; vel per vltimum explicitũ nominis Petrus, &c. Illud vero est quod solum indeterminatè significatur, per signa, *aliquis*, *quidam*, vel per disjunctionem Petrus, vel Paulus, &c.

9 Quæst. 3. *Vtrum individuum vagum sit Vniuersale?* Affirmant Cajet. & Scotus apud PP. Conimbr. q. 7. a. 1. ad 4. & expressius P. Hurt. d. 5. s. 9. n. 101. fauet quæ M. Ioan. Th. q. 9. a 2. licet sumat rationem *indiuidui vt sic*, pro indiuiduo vago.

Negant reliqui DD. cum & apud PP. Conimbr. P. Arr. d. 6. s. 6. sub. 2. P. Ovied. c. 5. p. 5. P. Alph. d. 7.

d. 7. n. 52. P. Compt. d. 35. s. 2. P. Yzq. d. 17, n. 84. Poncius cum suis d. 6. q. vlt.

10 Distinguo cum P. Quiros d. 22 n. 26. Si individuum vagum, *Aliquis homo, quidam* &c. sumatur pro *individuo homine*, vt hic, sive pro *vno ente*; sic non est dubium, quod sit vniuersale, non minus, quã ratia *vnius, individui*, &c. Quia ita *aliquid* conuertitur cum ente, in *Reuban*, ex d. 13. n. 8. Si vero sumatur pro determinato singulari indeterminatè sepato, vel cognito, sic minime est vniuersale. Tum quia objectiue importat vnitatem singularem, ac proinde non vniuersalem præcisiue. Tum quia exprimit pluralitatem, vel hic vel ille, &c. contra essentiam vniuersalis. Tum quia Terminus vniuersalis positus prò subjecto in propositione de materia necessaria habet descensum distributiuum, v. g. *homo est animal, ergo hic, & hic*; terminus vero alliquis nunquam talem descensũ habet. Tũ quia hoc sensu male diceretur, *Omnis aliquis homo*, cũ optimè præponatur vniuersali. Atque ita conciliatur, ac conuenit vtraque sententia.

11 Quæst. 4. *Vtrum detur a parte rei, etiam quoad intellectum diuisum, individuum vagum?* Negant P. Hurt. d. 5. s. 8. P. Peñaf. d. 5. q. 8. P. Cõpt. d. 35. s. 2. n. 4. & 7.

Affirmant P. Ruiz d. 8. de Prond. s. 4. n. 11. P. Hemeim. T. 1. tr. 7. d. 3. P. Arriag. d. 7. s. 6. subs. 4. P. Lync l. 9. tr. 4. n. 81. Ioanniz d. 12. n. 25. &c.

12 Distinguo ex dictis d. 14. n. 33. Si sumatur individuum vagum in essendo, vel existendo, siue in actu secundo; v. g. *aliquis homo currit* &c. sic absque dubio a parte rei nõ ita existit, vt patet. Si vero sumatur individuum vagum in actu primo, pro connexione alicujus termini cum alio, siue ad aliud. Sic absque dubio datur a parte rei, quia dantur innumeræ reales connexiones indeterminatæ, tum effectus cũ causa, tum e conuerso. Atque *ita* realiter verum est, quod aliquis Equus requiritur ad equitandum, aliquis oculus ad videndũ: aliqua causa seu ignis, vt calefiat; aliqua dispositio, vt ponatur forma: quę omnia purè indeterminatè exiguntur. Et ita absque dubio a Deo etiã cognoscitur, quì optimè scit, a me impleri præceptum per auditionẽ nuius, vel illius missæ indeterminatè; & hoc modo etiam indeterminatè præcepit offerri *par turturum aut duos pullos columbarum*; & nunc præcipit *audire hanc vel illam missam*, &c. Quomodo autem Deus cognoscat in cognitione nostra *individuũ vagum* in essendo, quin illud faciat, idest, quin vage ipsum cognoscat, constat a simili, ex dictis de ente rationis d. 70.

13 Quæst. 5. *Vtrum individuum sit de essentia individui?* Affirmat Sapientiss. Magister meus P. Greg. Lopez hic, laudans P. Hurt. d. 10. s. 14. & P. Ovied. c. 5. p. 2. p. 3. Tum quia est de substãtia metaphysica individui, alias esset accidens metaphy-

sicum;

ficum; substantia autem metaphysica est quidditas, & essentia rei. Tũ quia Personalitates diuinę sunt veluti indiuiduationes personales, atque adeo sunt de essentia personarum, imo, & vocantur essentiæ relatiuæ a grauibus DD. quos laudat P. Gran 1.p.tr.5, d.1.s.3.n.13. quibus fauent P. Ruiz. d.9. de Trin. s.7. n. 19. & d.12, s.4. n 7. P. Arr. ibi, d. 42. n. 49. & d. 49. n. 4 & 7. P. Martino n. d. 25. n. 129. & Poncius d. 9. q 8. n. 55. Ergo pariter.

14 Nego tamen cum P. Suarez d. 2. & DD. reliquis, quos sequuntur P. Yzq. d 17 n. 201. Thomistæ cũ Ioan. Th q. 9. a. 2. necnon P. Hurt. & P. Ovied. supra. Quia licet omnes fateantur, indiuiduationem esse essentialem, tum entitatiuè, & materialiter, quia est identificata essentiæ tum reduplicatiue in concreto, quia sicut albedo est de essentia albi, vt talis, ita indiuiduatio indiuidui, vt talis, tanquam constitutiua illius: non tamen absolute, & formaliter, siue specificatiuè.

Prob. 1, ex consensu Dialecticorum, cum S, Th. M Albert. &c. ex Porphyrio, definientiũ, speciem prædicari inquid completè, quia prædicatur, vt tota essentia, & quidditas: si autem ad illam pertineret indiuiduatio, jam species completa essentia non esset. Distinguere autem essentiam Logicam indiuidui, ab essentia metaphysica speciei, erit noua cusio vocum, non cuivis licita, vt monetarum. 2. Quia alias sensu aliquo vero, & absoluto posset dici, quod vnus homo essentialiter differret ab alio, v.g, a Christo D. & Adamo &c quod absonat, cũ de fide sit, ejusdẽ esse naturæ &c. 3. Propterea S. Th. & Arist. definitionẽ indiuidui negant, ex d. 30. n. 13 quia nõ pertinet ad essentiã definibilẽ &c.

15 Ad 1.em 13. fateor, indiuiduũ esse de substantia, & integritate metaphysica, non tamen per modum essentiæ, vel naturæ, sed per modũ complementi ipsius, & quasi subsistentiæ, vt bene loquuntur laudati DD. & præsertim P. Suarez n. 16, & M. Ioan. Th. §. fin. Sicut enim subsistentia cõplet, & *facit indiuiduam substantiam*, ex Boetio, ita indiuiduatio; & sicut actiones sunt suppositorum, siue subsistentium, ita & indiuiduorum; & sicut subsistentia est proprietas, connexa necessario cum natura, ita indiuiduatio est quodam modo attributalis, & saltẽ implicitè æqualis, & mutuo connexa cum essentia, ex d. 92. n. 9. & d. 93. n. 10.

16 Inferes 1. audiendos non esse RR. qui indiuiduationem, accidens metaphysicum esse dicunt. Cũ enim indiuidua collocentur sub prædicamento substantiæ, vt tract. seq. patebit; & de ipsis substantia prædicetur perse, quidditatiuè formaliter; non enim de Petro dicitur esse substantiam, eo modo quo de albo, seu ente per accidens, consequenter indiuiduum non potest non esse totũ substantiale metaphysice formaliter, & simpliciter, tam secundum subjectum, quam secundum formã,

seu indiuiduationem. 2. Quod prædicatio indiuidui est, quodammodo mixta ex specie, & proprio, sicut prædicatio Personæ de homine, & Angelo; vel suppositi de equo, & quouis alio toto substantiali non intellectiuo; quia prædicatum indiuidui dicit essentiam entis, vt completam per indiuiduationem ipsi propriam, quasi per complementum attributale, seu differentiale secundarium, & extra essentiam; eo modo quo ratio Personæ dicit naturam essentialem, vt completã per subsistentiam, tanquam per proprietatem, vt dixi d. 74. n. 4.

17 Ad 2, improbanda prorsus est locutio illa de essentijs relatiuis in Deo multiplicatis, quam grauiter reprehendit P. Leonard. tota d. 40. de Trin. cum P. Ruiz d. 24. etiam per totã, necnon P. Arr. P. Gran, in contrarium adductis, quos eruditè excusat obiter locutos, & ex professo alibi refragantes. Imo licet locutio probaretur, solum in sensu reduplicatiuo n. 14. dicto, posset sustineri; imo tunc voce quidditatum, nõ vero essentiarũ a Concilijs reprobata, esset vtendum. Et satis de voce ac de 2. Prædicabili.

DISPVT. XCIX.

DE DIFFERENTIA TERTIO prædicabili.

1 QVæst. 1. *Quid, quotuplex que sit Differentia?* Resp, a Porphyrio c. 3. primum diuidi, ac deinde definiri.

Diuidit autem, in communem, propriam, & Proprijssimam; quatũ postrema ad hoc tertium Prædicabile, duæ vero priores ad reliqua duo sequẽtia prædicabilia spectãt. Differentia enim *communis* est quod libet accidens commune, per quod subjectum aliquod discriminatur vel a se, vel ab alio; vt sanitas, per quam ab ægroto, imo a nobis ipsis aliquando ægris, sani differimus. *Propria* est, quæ non ita est contingens, sed potius proprietas necessaria, per quam vnum ab alio differt: vt Corvus a Cygno per nigredinẽ, homo a bruto per risum, seu risibilitatem, loquelam, &c. Et prior differentia ad *accidens*, posterior ad *proprium* prædicabile spectat. *Proprijssima*, & huius tertij Prædicabilis propria, est *essentialis*, per quam primario quidditatiuè, ideſt; notabiliter præcipue, res interse differunt; tum specificè infime, vt homo per rationale a brutis; tum subalternè, & genetice, vt per sensibile a lapide, &c. Huc etiam reductiue spectat differẽtia indiuidualis, quia substantialis, vt nuper dixi: sed quia non est vniuersalis, sed omnino singularis, ad Prædicabilia non pertinet, & quia *Scientia non agit de singularibus*, ex d. 41. n. 3.

2. Definit Porphyrius in communi, per hæc verba: *In vniuersum Differentia diuersum, alicui adjuncta, facit.* Ubi ly *alicui adjuncta*, sonat *adjectiue in quale*; ac si diceret, *Ratio in quale diuersificans*. Iterum definit: *Id, quo singula differunt*; ideſt, vt *quo, siue ut forma qua, & in quale*; vt

d. 87. n. 2. & d. 94. q. 2. explicuimus. Unde patet, esse vniuocam cõvenientiam triplicis prædictæ differentiæ, cum gaudeant eadem definitione, in esse talis; vt bene tradunt PP. Conimbr. q. 1. a. 2. concl. 2. P. Lync. l. 9. tr. 5. n. 15. contra Cajet. Thomistas, & Scotistas communiter, P. Ovied. P. Tellez, P. Alph. d. 8. n. 16. & alios. Quomodo autem differentia, vt talis, siue vt ratio explicita, & exercita differendi possit esse implicitè, siue secundũ implicitam essentiam, & definitionem suam, ratio vniuoca conuenien di, demonstrabitur in *Metaph.* vbi de ratione *inaiuidui*, siue ultimæ differentiæ indiuidualis, vnIuoce præcisa, agendum est.

3 Hic obseruant PP. Conimbr. a. 1. differentiam a diuersitate differre, quia diuersitas etiam dici potest de ijs, quæ nullo modo conueniunt, vt de contradictorijs: at differentia aliquam conuenientiam supponit, *vel specie, vel genere, vel proportione*, idest, analogia, vt loquitur Arist. 5. meth. c. 9. text. 16. Quæ vero etiam supremo genere, sub ente, differunt primo diuersa nuncupantur, vt substantia, & accidens: quod etiam ad rationes ipsas differẽdi extẽdi solet.

4 Quæst. 2. *Qui definiatur Differentia propriissima?* Resp inter quinque Definitiones, quas Porphyrius colligit, hanc esse præcipuam, & celebrem: *Quod prædicatur de differentibus specie, in qualequid.* Ubi per similitatem prædicabilitatis *in quid*, & *in quale*, differt a genere, & specie, quæ prædicantur puré *in quid* & a proprio, & accidenti, quæ purè *in quale*; per prædicabilitatem vero cum omnibus conuenit, vt explicui loc. cit. n. 2.

5 Obij. 1. Solum conuenire hanc definitionẽ differentiæ subalternæ, quæ, vt pote generica de differentibus specie prædicatur, vt *sensibile* de homine, & Bruto: non vero infimæ, & atomæ, quæ solum de numero differentibus dicitur, vt *rationale*, de Petro, & Paulo, ergo.

Resp, Cajet. Speciei infimæ non repugnare prędicari de differentibus specie, secundum quod est species, sed secundum quod infima est; ideoq; vt species bene ita definietur. Contra. Quia sic definiri posset *animal*, esse viuens rationale, quia Bruto non repugnat esse rationale, vt animal est: & sic alia genera per differentias inferiores definirentur.

6 Resp. 1. Et absolute cum P. Suarez d. 6. l. 8, PP. Conimbr. q. 2. §. fin. & alijs communiter, Ly *specie* redundare, vnde optima manet Definitio, eo ablato, scilicet, *est prædicabile in qualequid de differentibus*. Porphyrius enim præcipuè definire voluit subalternas differentias: tum quia infimæ sunt minus notæ, & plerumque innominatæ, quando sunt formales contrahentesque: tũ quia infima ex subalternis solet cõponi, & ideo ex his illa melius cognosci, ac definiri debet: Quod Auerroes, Themistius, Philoponus, & Alexander hic, apud PP. Conimbr. obseruarunt, vt dicam d. seq. n. 13.

7 Resp. 2. probabiliter ex Avicen na, apud ipsos PP, Connimbr. etiam speciem infimam prædicari de differentibus specie, non quidem interse, sed ab alijs speciebvs; vt vere differunt Petrus, & Paulus a brutis. Quod autem obijcitur, eo sensu etiã speciem infimâ definiri posse, *Quæ prædicatur de differentibus specie*: fateor ita posse: sed quia *prædicari de differentibus specie*, facit sensum prædicationis *in quid incomplete*, vt dixi de genere, d. 87. n. 3. ideo de specie, quæ completè prædicatur, valde æquiuocè diceretur: quod tamen differentiæ, prædicabili *incomplete*, non incongruit.

8 Obij. 2. in Definitione deficere expresionem *incomplete*, cum differentia prædicetur vt pars: ergo.

Resp. neg. anteced, eo enim ipso quod exprimatur, ly, *in qualequid*, ideſt, prædicari, per modum formæ substantialis: dicit aliam compartem substantialem per modum materiæ, ac proinde, quod incomplete, vt pars substantiæ, siue essentiæ prædicetur.

9 Obij. 3. Prædicari *inquid*, juxta Porphyrium, est responderi, quæstioni *inquid est rei*? Prædicari vero *in quale*, fit respondendo quæstioni *qualis est res*? Sed per vnum terminum nequit responderi duplici quæstioni adeo oppositæ: ergo neque conjungi duplex ille modus prædicationis in Differentia.

Resp. vni quæstioni, *quid est rei*? responderi simul per duplicem terminum, tum *in quod quid*, scilicet substantiuum quidditatiuum; tum *in qualequid*, scilicet adjectiuum etiam substantiale; nimirum per definitionem, quæ vtrumque explicitè complectitur; vt cum quæstioni, *quid est homo*? respondetur, *esse animal rationale*. Quia intellectus noster cum concipiat essentiam rei metaphysicam, componendo ad instar nostræ compositionis ex materia, & forma (quia *modus concipiendi, & cognoscendi sequitur modum essendi*, vt ex S. Thom. sæpe dixi,) consequenter essentiam seu quidditatem, & quid rei, explicabit per terminos qui se habeant, tum vt materia, siue *in quod quid*, tum vt forma siue *in quale quid*; vnde quæstioni *in quid* per ambos terminos, absque implicatione vtriusque modi, respondebit.

10 Replicas, hinc definitionem fore differentiam, *cum in quale quid* prædicetur de definito. Ergo.

Resp. neg. antec. quia definitio complexe explicitè vtrumque modum in duplici termino suæ complexionis exercet: at differentia vtrumque incomplexè importat: vnde hæc ad vnum prædicabile simplex, illa ad mixtum ex duplici pertinebit, vt supra dixi.

11 Quæst 3. *Quotuplex sit Differentia proprissima*? Resp. diuidi primo in *subalternam*, & *infimam*. *Subalterna* est, quæ sub se habet differentias alias essentiales, per quas contrahitur, vt superior per inferiores, v. g. *sensibile* per rugibile, hinnibile &c. *Infima*, quæ nullã aliam inferiorem-

essen

essentialem sub se habet, vt rationale, hinnibile &c. 2. in *Contrahentem, & Extrahentem*, ex d. 94. n. 5. *Contrahens*, quæ & formalis, & limitans dicitur, quia est determinatiua, & contractiua generis intra rationē ipsius. Etiā dicitur innominata; quando explicatur per voces modales v. g. taleitatis, vt *taleitatis sensitiui*, prospeciebus bruti, *taleitatis intellectiui* pro speciebus Angeli, juxta S. Thom. ea d. n. 3. Ali quando vero nominabilis est, vt *perseitas, inalietas* pro differentijs entis, contrahentibus illud ad substantiam, & accidens. *Extrahens*, quæ differentia materialis etiam dici solet, extrahit vnum genus ad aliud materialiter identificatū cum extra &o, vt rationale &c. ex dictis ibidem. 3. In *Metaphysicam*, quæ propie est prædicabilis, & in Physicam qualis est forma physica compositi quæ solum oblique prædicatur, vt pars compositi adiacens, & de terminans materiam communem, tanquam genus. 4. In *Relatiuam formaliter*, quæ est relatio diuersitatis seu dissimilitudinis; & in Relatiuā fundamentaliter, quæ est formalitas seu ratio fundandi relationem: & hæc est propie differentia, cum pertineat ad substantiam, prior vero ad accidens; sicut etiam contingit in ratione conuenientię, quæ solum est genus, vel species, secundum relativum fundamentale, de quo late PP. Conimbr. 5. Tandem diuiditur in *Diuisiuam*, & *Constitutiuā*, iuxta sua munera diuidendi genus in species, necnon ipsas species constituendi. Addūt R. R. *Contractiuam*, & *Contrahibilem*. Sed ratio contractiuæ alia non est a diuisiua; eo enim ipso quod contrahat genus, dividit illud. Ratio autem contrahibilis nō est speciale munus, sed ipsa ratio vniuersalis indifferentis ad plura.

12 Quæst. 4. *Quæ horum munerū realiter, quæ vero per rationem, differentiæ conueniant?* Resp. de hoc multos esse RR. cum P. Alph. d. 8. s. 4. P. Yzq. d. 17. n. 273. &c. Iudico tamen, omnia ea munera tam diuidendi, quā cōstituendi, fundamē. aliter realia, formaliter vero rationis.

Ratio est, quia omnia illa fundantur, & consistunt in identitate reali conuenientiæ, quam supponit differentia, cū dissonenientia, in qua formaliter sita est. Sed idēti as illa est quid reale; ergo ea munera fundamētaliter sunt omnino realia. At vero formaliter consistunt in denominatione rationis, per quam referuntur, & considerantur tamquam superior & inferior, pars, & totum, communicabile, & incommunicabile; quæ omnia important distinctionem, & ordinem rationis inter identificata realiter. Ergo de formali omnia ea munera differentiæ conueniunt per rationem.

Quæstio 5. *Vtrum differentia solum sit vniuersalis respectu inferiorum*, v g. *individuorum?* Neg Cajet & Seina hic, quos sequitur P. Yzq. d. 17. n. 277.

14 Affirmandum tamen est cum Thom. & Scotist. quos laudant Joan. Thom

Thom quæst. 10. arc. 3. & Ponc. d. 7. q. 4. NN. quę omnes cum PP. Cõ nimbr. P. Hurt. P. Arr. P. Ovied. P. Compt. P. Lync. lib. 9. Tract. 5. n. 2. &c.

Prob. Tũ quia vniuersale, vt tale, est superius; sed differentia respectu generis est inferior, respectu speciei est æqualis, solum quę respectu inferiorum, siue indiuiduorũ est superior, siue singulis latius patens; ergo solum respectu eorum erit vniuersalis. Tum quia vniuersale tale est respectu termini, quem respicit, vt plura; quia definitur *prædicabile de pluribus*; sed tam genus, quod contrahit, quam speciem, quã constituit, Differentia respicit, vt vnum, solum quę indiuidua & inferiora respicit, vt plura, ad quæ præcisiue est apta, ergo solum respectu eorum erit vniuersalis.

15 Obij. 1. Differentia solum prædicatur *in quale* respectu generis, quod per illam quasi per formam qualificatur, & determinatur; ergo.

Resp. Differentiam respectu generis se habere *in quale* contingenter, quia contingens est *animali*, v. g. *esse rationale*; eo modo quo materiæ contingit habere formam rationalem. Vnde sicut hæc solum de toto dicitur, vt forma essentialis, licet rationem formæ exerceat cõtingenter respectu materiæ; ita differentia dicetur *in quale*, siue vt forma de toto indiuiduo, licet in illo contingenter exerceat rationem formæ respectiue ad genus, quod cõtrahit.

16 Obij. 2. Hæc prædicatio, *Homo est rationalis*, est differentiæ, vt prædicati vniuersalis; cum non sit vt purè singularis; at prædicatur de specie; ergo.

Resp. nego maior. Quia respectu speciei se habet differentia, vt æqualis, cum dicatur ad conuertentiam, ac proinde non vt superior siue vniuersalis. Solum ergo materialiter, & respectiue ad indiuidua sub specie contenta, ad quæ habet descensum distributiuum illa prædicatio, quia est in materia necessaria, se habet prædicatum illud vt vniuersale, quia de singulis hominibus dicitur vt superius, & latius patens, quod sit rationale.

17 Obij. 3. Differentia non fit per solam pręscisionem ab inferioribus, sed etiam per actum relationũ ad genus, cuius debet esse contractiua essentialiter; ergo non est vniuersalis respectiue solum ad inferiora.

Resp. neg. maior. quia sicut species, vt vniuersalis, solum fit per actum præscitiuum ab inferioribus, vt subiscibilis vero per comparatiuum ad superius; ita differentia: & licet esset essentialiter generis contractiua, dum tamen non respiciret, vt talis explicitè, non debet ad genus comparari; sicut licet homo sit essentialiter relatiuus ad Deum, dum tamen vt taliter relatiuus explicitè nõ cognoscitur, Deus per cognitionẽ hominis non attingitur, vt de omni relatiuo dixi d. 45. n. 22.

18 Quæst. 6. *Quomodo prędicetur differentia defuis indiuiduis incompletis:*

pletis: v.g. *Hoc rationale est rationale?* Resp. prædicari tunc vt speciē, sicut de Genere dixi d. 93. Quod si individuum incompletum sit solius gradus superioris, v.g. *hoc ens, hoc animal est rationale*; prædicabitur, vt accidens logicum, quia in quantum *hoc animal* indifferens est vt sit rationale, vel irrationale, non minus quam ipse gradus superior *animal*.

DISP. C.

Vtrum aliquæ differentiæ Generica superiores includantur in inferioribus formaliter?

1 PRima sententia negat omnino. Ita Thomistæ cum Joan. Th. q. 10. a. 4. Scotistæ cum Poncio d. 7. q. 4. nostri plerique laudantes P. Suarez d. 6. s. 9. n. 23. P. Fonsec. Card. Tolet. PP. Conimbr. quorum eadem mens est, ac Arist. & S. Thomæ infra n. 23. P. Hurt. d. 6. s. 20. P. Ovied. c. 1. metaph. p. 4. n. 11. P. Compt. hic d. 63. s. 3 & 4. P. Santacruz n. 747. P. Yzq d. 17. n. 280. P. Lync. l. 9. tr. 5. c. 4. P. Thom. Polon. d. 4. q. 2. diff. 2. P. Rhodes d. 2. q. 2. s. 4. §. 2. P. Suar. Lusit. tr. 4. n. 75. P. Olcina n. 1443. P. Peynad. tr. 2. d. 3. s. 1. P. Quiros d. 23. n. 21. & R. R. cū P. Maça hic s. 4, quia putant differentias inferiores non posse cōcipi sine superioribus, solum connotative; non vero per inclusionē harum formalem.

2 Secunda sententia vniversaliter de omnibus affirmat includi formaliter: cū Nominal. post Ocam. Themistio, Boetio Philopono, Averroe, & Soncinate, quos sequitur M. Sotus C. de Gen. q. vn. ad 3.

Sect. 1. temperate affirmans.

3 Tertia nostra sententia temperatior affirmat, in differentijs pure cōtrahentibus, seu formalibus, & limitantibus; d. præc. n. 11. expositis, formaliter omnino superiores includi. Ita P. Arriaga d. 8. sect. & subs. 1. Aversa q. 13. s. 5. Spinula d. 7. s. 3. & Bone spei d. 5. res 4. n. 633. Fauent multum P. Rubius hic q. 5. n. 41. Pr Alph. d. 8. n. 45. Ioanniz d. 13. c. 6. n. 41. & Compl. d. 7. n. 44. quatenus concedunt superiores differentias substantiæ, corporei, viuentis, seu vitalis, differentijs infimis formaliter conuenire. Multo que expressius fauent Aristotel. 7. *Metaph.* tr. 43. & S. Th. c. 4. de ente & ess. dum ex simultate superiorum generum differentias infimas componi permittunt, vt n. 13. patebit.

4 Prob. 1. Supponendo differentias contrahentes apellari illasq, uæ per taleitates generis contracti cōcipiuntur & explicantur, quin possint aliter a nobis definiri. Sed eo ipso genus, seu differentiam superiorem contractam, obiectiue, atque adeo essentialiter, inuoluunt. Ergo differentiæ contrahentes inuoluunt differentias superiores cōtractas obiectiuè essentialiter, siue formaliter. Minor probatur. Quia nihil aliud est cōceptus obiectiuus & essētialis rei, quā id sine quo res ipsa cōcipi aut definiri nō potest,

vt

vt constat inductione omnium definitionum, quæ propterea ad conceptum obiectiuum definiti formaliter spectant ; & ex communi consensu DD. non aliter explicantium conceptum objectiuum rei, quam per id quod primo concipitur de ipsare, ex 76. d. n. 41. Sed ita se habet differentia contrahens, vt per taleitatem generis contracti explicetur, nec nisi per ipsum genus contractum definiatur. Ergo.

5 Minor hæc, non aliter potest declarari, quam exemplis, & inductione. 1. Taleitatum sensitiui, per quas differentiæ infimę brutorum explicantur, v. g. hinnibilis pro equo, rugibilis pro leone, &c. item taleitatum intellectiui, per quas similiter differentiæ infimæ Angelorum cõcipiuntur, juxta S. Th. d. 94. n. 3. Non enim possunt aliter definiri, nisi dicendo, quod sit *ratio taliter sentiendi*, vel *ratio taliter intelligendi* quæ rationes in suo conceptu dicunt formalissimè radicem, & principium sensationum, & intellectionum, quod est esse formalissime sentitiuum, & intellectiuum, nec aliter possent explicari. Ergo. 2. exemplo differentiarũ omnium actuum vitalium, præcipue in linea intellectiouis, & volitionis: Differentiæ enim apprehensionis, & judicij; practici, & speculatiui, &c non nisi per taleitates repræsentandi intellectualiter, quæ sunt formalissimè specialis intellectio, seu repræsentatio intellectualis obiecti. Similiter differentiæ amoris, & odij, affectus efficacis, & ineffacacis, &c, numquam poterunt definiri nisi inuoluendo ipsam rationẽ tendentiæ vitalis appetitiuæ, quin alio modo definiri, & cõcipi queãt Et sic de omnibus alijs differentijs per taleitates explicatis, quę ideo solent dici innominatæ, quia alio nomine explicari nequeunt, nisi ipso rationis genericę, seu specificę, & differẽtialis subalternæ, & superioris, juxta Porphyr. d. præc. n. 6

6 Urgetur, quia ex d. 83. n. 37. Exigentia inter formalitates identificatas, cum non possit esse relatiua realiter (quia relatio realis dicit realem distinctionem, & oppositionem, ex d. 80. n. 1. & 13.) solum potest esse connotatiua secundum dici, consistens in ipsa identitate formalitatum, per modum relationis explicata. Qua ratione sæpe negaui in Deo actum primum intelligendi, & volendi, proprie connotatiuũ actus secundi, & nunc constantius nego, doctus a doctissimo R. P. N. Generali Thyrso. T. 1. d. 2, & 3. per totas; quia non potest inueniri inter formalitates diuinas indistinctas, obiectiuum fundamentum talis connotationis, vere proprie, & secundum esse talis, sine propria, & reali distinctione. Unde in taleitate, seu differentia contrahente, respectu contractæ, solum potest inueniri exigentia, & connotatio secundum dici, consistens in identitate vtriusque differentiæ. Ergo si differencia contrahens seu taleitas *rugibilis* v. g. dicit exigentiam contractæ superioris, v. g. *sensitiui*, sine qua concipi nequit

quit, inuolret essentialiter identitatem cum ipsa differentia superiori contracta, ac proinde, & hanc ipsã essentialiter involuet; cum identitas sit formalissime ipsa entitas, vel formalitas, cuius est identitas, ex d. 6. & d. 63. n. 37. 51. & seq.

7 Resp. Advers. taleitátem differentialem, v. g. *rugibilis*, solum esse *modum* quemdam, seu *determinationem* (vt eam vocat S. Th. d. 94. n. 3.) essentialiter affixam, & exigitivam differentiæ superiori, v. g. *sentiui*, vnde per superiorem explicatur solum connotatiuè, eo modo quo sensibile per ordinem ad sensationẽ & rationale ad ratiocinationem, minimè verò constitutiuè. Solum enim *rugibile* adequatè sumptum, prout recurrit cum specie *Leonis*, constitutiuè explicatur per sensitiuum, nõ verò sumptũ inadequatè, pro ea *taleitate*, differentiali, & modali, quam ob penuriam vocũ explicamus per *rugibile*, & per sensibile ipsum.

8 Contra 1. Quia connotatio solum potest respicere terminum connotatum vt extrinsecum, siue, vt extra connotantem; vel quia respicit illum, vt realiter distinctum, qualiter se habet actus primus ad secundum, & sensitiuum ad sensationem: vel quia connotatio, aut exigentia ipsa est extra essentiam, seu primum conceptum aut definitionem connotantis; & ita concipitur quasi extrinseca ipsa identitas, & exigentia, & a fortiori ipsius exigentiæ seu connotationis terminus, etiam si sit idẽtificatus, quia identitas illius est purè materialis, eo quod non sit de cõceptu formali, siue de essentiali definitione rei exigentis terminum: & ita se habet exigentia differentiarum, & attributorum, ex eo n. 37. d. 63. vt amplius a n. 14. patebit. At exigentia identica, siue identitas illius taleitatis seu modi differentialis respectiui generis contracti, est de conceptu formali, & definitione ipsius, neque aliter potest concipi, aut explicari. Ergo non respicit genus cõtractum vt extrinsecũ, seu purè materialiter identificatum, sed vt essentiale formale constitutiuum.

9 Contra 2. Illa taleitas differentialis modalis inadæquata rugibilitatis, vt talis, inuoluit essentialiter objectiue rationes superiores contractas; ergo, Antec. prob. 1. Quia saltem rationes, connotatiui, relatiui, determinatiui, modi &c. per vos inuoluit. 2. quia etiam inuoluit rationem principij, siue causæ, seu radicis, respectiu taleitatis *rugitus*, seu sensationis rugitiuæ, quam connotat, vt actum secundum suum. 3. Quia non solum includit rationem principij vtcumque, sed principij immanentis, & viuentis per illam taleitatem actus: cum diuerso modo connotet in *rugitu* illam taleitatem, seu effectum suum, ac ipsam connotat Deus, cui non conuenit ea differentia *rugibilis*, quia ipse est causa solum transiens, non immanens, nec viuens, per taleitatem rugitus. 4. Quia vt ostendã n. 11. eo ipso quod ratio principij taleitatis *rugitus* inhibatur in taleitate *rugibilis*, debet

ea ratio principij inueniri contracta per suam differentiam immediatam formalem, scilicet *immanentis*, & hæc per suam scilicet *vitalis*, & hæc per suam etiam, scilicet *sensitiui*, cum per alias oppositas ibi non contrahatur. Ergo de primo ad vltimum illæ subalternæ differentiæ, vsque ad specialissimum, in illa talitate *rugibili* formaliter inueniantur.

10 Contra 3, Quia illa penuria, quam appellant, *vocum*, non est nisi *conceptuum*. Sicut enim in æquinocis v.g. *Canis*, licet nobis supperat vna illa vox, pro terrestri, & marino significandis, deficit tamen vnus conceptus, ob penuriam vnicæ definitionis essentialis, qua vtrumque definiamus secundum vnam essentiam, & ideo vnam siue vniuocam rationem *Canis* non habemus: ita e contra, quia nobis non supperit distincta definitio talitatis, differentialis contractiuæ, eo quod illam minimè nisi per differentiam generica contractam definire possimus, non defectu vocum (nam hæ supperunt) sed defectu definitionum, & conceptuũ, mutuo sepatabilium, debemus dicere, superiorẽ in inferiori includi conceptibiliter ob, effectiue, quia hæc sine illa, vt identice connotata, siue vt identificata, nequit definiri, aut explicari.

11 *Prob.* 2, Concl. supponendo ex Metaph. rationem entis imbibi, tanquam transcendentalem in omni differentia, etiam vltima, & atoma, vsque ad individualem: quia quælibet est formalissime non repugnãs, atque adeo possibile, seu ens in suis prædicatis, alias repugnaret, & esset impossibilis. Sed eo ipso vna cũ ente, etiam differentia substantiæ transcendit differentias, cõtinentes intra lineam substantiæ, vt rationẽ viuentis, quæ nõ potest non esse ens substantiale. Probatur: quia ratio entis in differentia viuentis non est abstracta, sed eo ipso debet contrahi per proprium formalem, & immediatam differentiam entis, quia ens sicut, & quæuis alia ratio superior, non potest contrahi ad differentias mediatas, nisi mediis suis immediatis, propterea enim genus non potest prædicari immediate de individuis completis, vt cum ipsis Aduers. dixi d. 92. quia debet contrahi ad illa, media specie, & differentia specifica, sibi immediatiori. Ergo non potest contrahi ens ad differentiã viuentis, nisi media per scitare, seu differẽtia, substãtiæ, ac proinde hæc simul cũ ente differentiã viuentis transcendet. Idemque cõuincitur de ratione accidentis, respectu inferiorum suarum specierum.

Tum sic. Ergo similiter differentiæ, *vegetatiui*, *sensitiui*, & *intellectiui* transcendentur per rationem viuentis, cum hæc sit contractiua immediate substantiæ ad illas species: & rursum rugibile per rationẽ sensitiui, contractiuã viuentis, similiter quæ rationale, & cognoscitiuum Angelicum, per rationem intellectiui, per quam viuens, substantia, & ens immediatè ad eas omnes species, & differentias infimas contrahuntur.

Ergo

Ergo de primo ad vltimum differentiæ contrahentes, non solum innominatę per *taleitates*, sed etiam *nominatæ*, includam formaliter, siue obiectiue, differentiam superiorē contractā formaliter, eo ipso quod ens includant.

12 Resp. Complut. P. Compt. & alij n. 3. hoc argumento solum conuinci, rationem substantiæ, & viuentis incompleti esse transcendentem, quia differentiæ sunt etiam substantiales, vitales, &c. non tamen complete substantia, viuens, &c quia hoc substantiue non verificatur, nisi de generibus, quæ collocantur in recta linea prædicamentali: illud vero conuenire etiam differentijs latealibus, quia eo ipso quod non sint accidentales, sunt incomplete, & adjectiue substantiales, &c.

Contra 1. Quia substantiale, & substantia non differunt, nisi in modo significandi adjectiuo, & substantiuo: quoad esse enim obiectiuum, vtrúque æque definitur ens per se. 2. Quia hoc etiam modo reliquæ differentiæ subalternæ, adjectiuè sumptæ, imbibentur in infimis, vt in *rugibili* ratio sensibilis, seu sensitiui, & ita in alijs. 3. Quia sicut *rugibile* non est accidens, & propterea est ens substantiale, ita nō est inanime seu insensibile, ac proinde erit sensibile. 4. Quia quæcumque definitio assignetur substantiæ cōpletæ, seu entis per se, conuenit cuicúque differentiæ substantiali, vsque ad infimam, vt singulas consideranti patebit: v.g. *quod pertineat ad suppositum: quod sit prima radix &c.* 5. Quia cum differentia sit totum potestatiuū, a tota entitate cōpleta desumptum, non minus quam genus, ex d. 90. æque erit ens, & substantia cōpleta. 6. quia re vera solum individuum substantiale est substantia cōpleta, reliquæ vero rationes, tam genericæ quam differentiales, eximo do concipiendi inadæquate æque se habent vt actualiter incōpletę. Ergo.

13 Prob. 3. Supponendo ex doctrina Aristotel. 7. Meth. text. 43. & 2. Post. c. 14. & 1. Top. c. 7. & lib. 6. c. 3. necnon ex Porph. c. de communit. D. Thom. eo lib. 2. lect. 13. & c. 4. & 3 de ente & ess. Boetio, Themistio, Averroe supra, quos ex Aduers. sequuntur P. Ovied. c. 6. log. p. 3. n. 4 P. Compt. d. 36. s. 5. n. 4 Ponc. d. 7. q. 5. n. 46. & & alijs, scilicet, quod dantur quā plures differentiæ infimæ, compositæ ex simultate superiorum, in vnam coalescentium; vt sunt in eodem actu, differentia simultanea practici & speculativi; fidei scientiæ, & opinionis; amoris, & odij; affirmationis, & negationis, & diuersarū virtutum respectu diuersorum moriuorum. Item rationale resultat ex simultate *apprehensiui, iudicatiui*, & *discursiui*; imo etiam sensitiui, & intellectiui, juxta aliquos DD. differentia differentiæ in *quale quid*, ex vtraque *quid*, & *quale*: & in Deo differentia *omni perfecti*, ex simultate omnium perfectionum excogitabilium: vt tandem inter alias omittam

sic etiam individualem completam, quæ ex individuationibus incompletis singulorum graduum resultat, ex d. 94. Sed hæc simultas differentialis contrahens, objectiue inuoluit differentias, & genera superiora, ex quibus coalescit. Ergo vltima differentia ita contrahens, qualis, inuoluit differentias superiores, quas contrahit. Min. ostenditur; quia simultas, vt talis, non est aliquid superadditum rebus simultaneis; vnde, Ternarius non est aliquid supra ipsas tres vnitates; neque totum est aliqua tertia entitas adhuc metaphysice superadita partibus simul sumptis, & vnitis, ex quibus resultat, vt contra Sco. ist. reliqui DD. tuentur. Conseq. itaque legitime infertur, nisi velint Scotizare Nostri, & Thomistæ.

Ex dictis fit, genera etiam superiora in differentijs contrahentibus includi, quia genera ex vna differentia superiori, & alia intermedia resultant, vt *animal* ex *viuenti sensitiuo*, vnde vbi includuntur hæ differentiæ, genera etiam includentur. Qualiter autem in differentijs extrahentibus non includuntur, dicetur disp. seq.

Sect. 3. Obiectiones.

14 Obij. 1. Licet essentia metaphysica habeat necessariam, & mutuam connexionem cum attributo per identitatem, non tamen mutuo obiectiue seu formaliter se includũt; ergo pariter licet taleitas differentialis contrahens, v. g. rugibilitas, habeat exigentiam & connexionem identicam, hæc per identitatem, cũ differentia superiori *sensibili*, non ideo illam obiectiue inuoluet formaliter, & metaphysice, sed tantũ materialiter, identice, & quasi physice.

Resp. neg. conseq. & paritat. quia essentia non definitur, neque explicatur in primo conceptu suo per attributum, ac proinde nec per illud obiectiue constituetur, vt neque per exigentiam identicam illius, sicut neque è conuerso attributum per essentiam, nisi quando essentia fuerit transcendens respectu attributi, vt *ens* respectu suorum attributorum. At quævis differentia modalis contrahens, vt *rugibilitas*, seu *taleitas sensatiua*, &c. minimè potest aliter definiri, vel explicari secundum primum seu primarium suum conceptum, quam per illam exigentiã differentiæ superioris cõtractæ, vnde illam exigentiam idẽticam essentialiter involuet, consequenter que etiam terminum, cuius est identitas, vt ostensum est. n. 6.

15 Obij. 2. Et replic. Aliquando definisi posse essentiam rei, ob penuriam vocum, vel connotatorũ per proprietates, & attributa, ex d. 30. n. 17. & d. 94. n. 12. & sæpius; & tamen non ideo tunc essentia obiectiuè involuit attributum, alias hoc esset de conceptu primario essentiæ, & jam desineret esse de secundarie, seu attributum. Ergo licet ob similem penuriam definiatur taleitas inferior modalis, & differen-

ren-

nentialis, per differentiam superiorem, non ideo hanc objectiue includet.

Resp. in ordine ad proprietates physicas, seu physice distinctas, ob eam penuriam definiri essentiam, quia exigentia earum non est identica, siue per identitatem cum ipsis, sed per realem relationē, vnde manebunt proprietates extra essentiā, licet in ordine ad illas definiatur: non ita tamen si per exigentiam siue identitatem attributi indistincti definiretur, quia tunc eius identitas fieret de primo conceptu.

16. Obij. 3. Et replic. iterum. Licet essentia non definiatur per exigentiam attributi, illam tamen debet inuoluere implicite, cum explicatis ipsius essentiæ prædicatis, ex eorum connexione necessaria inferatur attributū; sicut etiam e conuerso: ergo, & attributi exigentiam, & per consequens ipsum, objectiue inuoluit essentia.

Resp. neg. anteced. quia solum inuoluitur objectiue, siue in essentia, quod est de conceptu primario, idest, primo, quem habemus seu cōcipimus de obiecto, & per eius definitionem explicamus, & quasi euoluimus: quod enim per discursum ex connexione mediata, & per secundum conceptum deducimus, ja n pertinet ad secundarium conceptū, seu secundum, vnde propter a dixit cit. d. 83. n. 37. exigentiam indeterminatam differentiarū esse extra vniuersalis essentiam, quia non est de primo conceptu, qui habetur per definitionem, seu primum apprehensionem rei, ad quam spectat definitio ex d. 30. n. 20. sed de secundo, qui habetur per diuisionem judicatiuam, & secundę operationis propriam, ex d. 31. n. 8. non minus quam attributum ad secundum, non tertium conceptum rei, discursu cōparatum spectat, cum ex connexione mediata, & per definitionē primam minimè explicata, inferatur.

17. Obij. 4. Omnis ratio generica, vel superior simpliciter præscinditur, siue intentionaliter separatur ab inferiori, sed quod separatur ab alio non manet inclusum in illo, vt patet ex physice separatis: ergo ratio superior non manebit objectiue inclusa in inferiori.

Resp. neg. min. de separatione intentionali, quæ fuerit non mutua, (vt inter transcadens, & transcensum) quæ proinde nō imitatur physicam absolutam, quæ mutua esse debet, sed solū reduplicatiuam quoad locum multiplicibilem, quæ nō mutua esse potest. V.g Christus D. prout existens in Eucharistia Limæ, separatus est ab speciebus Eucharisticis Romanis, licet illis etiam sit Romæ conjunctus absolutè. Pariter genus omne transcendens, vt *ens, substantia, viuens* &c. habet quasi duplicem locum intentionalem, vnum abstractionis, per quam est separatum non mutuo a differentijs, & alium contractionis essentialis, per quam semper tenetur in illis. Ratio: quia hæc separatio præscisionis consistit in cognitione vnius sine alio, cum

que

que hæc possit esse non mutua; quia conceptus communis seu superior potest sine inferioribus semper cognosci, non tamen mutuo inferior sine superiori, ideo separatio hæc intentionalis non mutua esse potest, licet physica absolute non mutua esse nequeat. De quo rursum in Metaph. & d. 7. 6. n. 49.

18 Obij. 5. *Si genus transcendere differentias, esset vitiosa definitio, quia bis repeteretur genus, semel explicite, in se, & rursum implicite in differentia: ergo.*

Resp. neg. ant. tum quia optimæ sunt istæ definitiones: *Substantia est ens per se: accidens ens in alio* &c. Licet ens ita repetatur in differentia perfectatis, & inalterabilis, quas transcendit. Tum quia iuxta Aduersarios saltem in rugibili, hinnibili, &c. adæquate sumpto, includitur animal; atque adeo in definitione Leonis v. g. *animal rugibile*, fit illa repetitio sine nota vitij.

19 Obij. 6. *Differentiam fore indistinctam ab specie, si etiam, sicut hæc genus includat, ergo confunditur vtrumque prædicabile.*

Resp. neg. antec. quia prædicabilia præcipue distinguuntur ex modo prædicandi, & prædicabilitatis, vnde idem nec obiectiuus conceptus v. g. animal, est genus respectu speciei & individui cõpleti; species vero respectu individui incompleti, ex d. 9. 3. & similiter differentia se habet, vt species respectu ipsius individui, ex d. prec. n. 18. item coloratum est accidens respectu Petri, species vero respectu huius coloratti, & genus respectu albi, & nigri, ob diuersam prædicabilitatem, & modum prædicationis. Pariter ergo licet differentia, & species idẽ sint obiectiue, quia tamen illa in *quale quid adiectiue*, & quasi pars formalis, prædicatur; hæc vero in quod *quid substantiue*, & vt totum, diuersa prædicabilia constituent.

20 Obij 7. Vltima differentia, vt talis, non potest esse ratio conueniendi, cum sit ratio omnino differendi: at si involueret rationem genericam superiorem, secundũ hanc esset ratio conueniendi; ergo desineret esse vltima differentia.

Resp. dist. maj. vltima differentia vt est ratio differendi, non potest esse ratio conueniendi, secundũ explicitum vltimum obiectiuum v. g. Petreitatis &c. explicite, exercite, qualiter est ratio differendi concreta, reduplicatiue, vt talis; *concedo*: secundum ipsum explicitum implicite, & specificatiue, vt præscisum a reduplicatiuo exercitio differentiali; quemodo includit essentialiter multas rationes transcendentales cõueniendi, vt entis, termini, obiecti, &c. implicite & involute latentes in obiectiuo, & essentiali cõceptu implicito: *nego*. Sicut enim ipsum explicitum speciei vltimæ, vt talis, est ratio differendi ab specie opposita, non enim ideo in esse hinnibilis, sed in esse Equi, datur disconuenientia vltima ab omni alio animali; & tamen in ipso explicito speciei, vt talis, datur implicite mul

multiplex ratio conueniendi constitutiua implicita eius, vt ens, substantia, &c: ita in explicito differentiæ eadem conuenienti a implicita reperietur, quin officiat explicito, vt explicite exercite facienti differre; i. dest, vt sub est speciali cognoscibilitati exercitæ relatiuæ in esse diuersi, vt plerique Aduersarij fatentur de ente, & alijs transcendentibus, contra Scotistas. Quomodo autē hoc explicitum, vt exercite differentiale, sit tantum non mutuo superadditum implicite transcendenti, vt enti, &c cit. d. 76 n. 49. infinuo, in Metaph. late explicandum: vbi etiā qualiter transcendentia vniuocationi, & præscissioni simpliciter non officiat.

21 Obij 8. Prædicatum transcendens differentiam, genus, esse non posse, quia nequit cum illa componere, alioqui componeret secum ipso, sicut propterea cum specie non componit, quia includitur in illa; ergo.

Resp. neg. anteced. ex d. 74. n. 9. vel quia non requiritur eiusmodi compositio ad vniuersale. Vel quia ad illam sufficit distinctio non mutua, penes explicitum obiectiuum, quod vt exercite est ratio differendi non est explicite exercite ratio conueniendi; & vi huius negationis præscissiua inter vtramque, potest cōponi negationem obiectiuam subire; vt partis explicitæ cum comparte implicita: at explicitum speciei est totale, & ideo incapax componendi.

22 Obij. 9. Petreitas est differentia per modum taleitatis contractiua hominis, & omnium generū superiorum illius; ergo in illa totus homo, & eius prædicata obiectiue includuntur.

Resp. conc. totum. Tum quia Petreitas, vt potè individuatio completa constituitur ex omnibus taleitatibus incompletis singulorum graduum superiorum, quas ipsi obiectiue constituunt, ex d. 92. Tum quia se habet per modum abstracti metaphysici a toto Petro, eiusmodi autem abstracta totum concretum obiectiue includunt, vt patebit d. 106.

23 Obij 10. Arillot. 4. Top. c. 2. inquiens: *differentia generis non est particeps*; quem sequitur, & laudat S. Thom. 3. Meth. Text. 10. lect. 8. & 7. Meth. Text. 47. inquit S. D. *peruenire ad vltimas differentias, quæ non diuidunt vlteriùs in alteras differentias.* ergo eximente Arist. & S. Thoma, qui instar legis est pro modo concipiendi, sicut pro modo loquendi, vltima differentia indiuisibilis est, & generis minimè particeps.

Resp. 1. Aristotelem, & S. Thomam solum excludere participationem generis a differentijs prædicamentalibus, seu exhibentibus ad aliud genus: quia de Prædicamentis, & prædicamentalibus, fuit ipsis contra præcipua; ejusmodi enim differentiæ non imbibunt genus extraditum, vt patebit d. seq. 2. Dant differentias atomas, siue vltimas esse indiuisibiles, sed esse addu[illegible] alteras differentias, quia alias vltimæ

[illegible]

nen essent, si super essent aliæ, non tamen, esse indiuisibiles in alia prædicata communia, sui intrinsece constitutiua; quia optimè nouerant prædicata transcendentia entis, obiecti &c. in ipsis imbibi. Solum ergo eo sensu indiuisibilis, & simplex ab illis dicitur differentia, quo etiam species vltima, & infima, est indiuisibilis in alias species, non tamen in prædicata sui constitutiua: eum ipsâ supra n. 13. differentias compositas agnoscant. 3 Dicuntur etiam genera esse extra differentias, reduplicatione facta supra ipsas, vt exercitè explicite tales, siue, vt exercentes modum differentialem, quia hoc modo non important explicitè exercitationem conueniendi, modo explicato, n. 20.

DISPVT. CI.

Vtrum etiam Genus includatur in Differentia extrahente?

1 PRima sententia affirmat, quia negat suppositum, quod sit differentia extrahens. Iua D D. 2. sent. ex d. præced. sed quia quæstio procedit, sub eo supposito;

Secunda nostra sententia negat, cum DD. 1. & 3 *sent. ex d. præced.* quibus adde Caramuel l. 6. Metalm. 7 81. Non enim potest negari extrahens differentia, juxta Aristotelem, qui sua prædicamenta studiosè composuerit ex differentijs, quæ genus contractum extrahunt ad alia genera, sæpius oppositis speciebus communia. V.g. Substantiam, quæ est primum genus, contrahit per differentiam *corporei*, id est, diuisibilis, siue impenetrabilis, quæ etiam accidentibus, & præcipuè quantitati modis, cõmunis est: *Corpus*, per differentiam *viuentis*, quę etiam conuenit incorporeis: deinde *viuens* corporeum vegetatiuum [quod juxta D. D. communiter cũ & apud P. Yzq. d. 17. n. 281; & P. Art. d. 7. n. 41. collocatur tertio loco ab Aristot.] per sensitiuum contrahitur, quod saltem de possibili conuenire potest, *non vegetatiuis*, qualia in actu secundo erunt corpora beata post resurrectionem *sentientia*, nec tamen *nutrientia*: *Animal* demum per *rationale*, quod, extrahit ad lineam intellectiui, communem Angelo. Hoc supposito:

2 Prob 1. Quia eiusmodi differentia extrahens, qua extrahens est, pertinet proprie ad aliud genus, respectu cuius solius est contrahens, vt rationale respectu *intellectiui*, corporeum respectu *impenetrabilis*, &c. & per hoc tantum modo genus, vt sibi proprium, minimè per genus extractum definitur; vt patet in prædictis prædicamentalibus differentijs: *corporeum* enim per impenetrabilitatem vel diuisibilitatem, communem substantiæ, & accidenti, nulla horum generum mentione facta, definitur: *rationale* similiter per intellectiuum, sine mentione animalis, & sic de reliquis. Ergo non continet in suo conceptu differentia extrahens ea genera extracta, cũ per illa minimè definiatur.

3 Prob. 2. Quia differentia extrahens

liens potest se habere, vt genus respectu generis contracti, siue extracti, & hoc vicissim tanquam differẽtia illius. Sed genus præscinditur simpliciter a differentia, atque adeo hanc minimé obiectiue inuoluit. Ergo differentia extrahens minime inuoluit obiectiue genus extractum. Min. & conseq. liquidæ sunt. Mai. patet, percurrendo singulas extrahentes differentias. Nam corporeũ v.g. potest præscindi tanquam genus a substantia, & accidenti, quibus est commune. Rationale prout est discursiuum ab animali homine, & Angelo: viuens a corpore & spiritu; &c.

4 Obij. 1. Una species non potest esse sub duplici genere proximo, iuxta Arist. & S. Th. Ergo neque contrahi vnum genus proximũ mutuo per aliud ad eandẽ speciẽ v.g. hominis &c. Antecedens vrgetur ex Arist. cap. 3. de Prædic. asserente: species sub duplici genere non subordinato contentas esse diuersas: ergo quia vnica species non potest esse sub duplici genere proximo.

Resp. cum P. Arr. n. 8. eandem speciem esse non posse sub duplici genere proximo adæquato; quo sensu tantum loquutus est Arist. at sub duplici genere inadæquato, maxime si alterum possit alteri subordinari, & inadæquari, tanquam differentia (quomodo se habet rationale respectu animalis in homine) bene potest in vnam speciem coadunari. Sic enim homo differet ab Angelo per animal, per quod proxime cum Bruto cõueniet; & similiter cõueniet proxime cum Angelo per rationales per quod a Bruto differt.

5 Obij. 2. Duplex differentia componit duplicem speciem: ergo si differentia extrahens, & extracta se ad inuicẽ possunt contrahere, vt differentia vltima, duplicem speciẽ constituent.

Resp. Duplex differentia vltima constituit duplicem speciem, adæquata concedo, inadæquata, nego; quia multę inadæquatæ differentiæ adunari possunt ad vnam adæquatam componendam, vt patet n. 13.

6 Obij. 3. Forma metaphysica simplicior est, quã physica: sed hæc nequit ex duplici forma physica partiali componi; ergo nec metaphysica, scilicet differentia.

Resp. neg. maj. quia etiam forma physica materialis v.g. bruti, saltem imperfecti, est integraliter diuisibilis, & forma accidentalis albedo, nigredo &c. quoad intensionem & extensionem diuisibilis est. Dein de differentia, vt forma metaphysica, cum sumatur indiuisibiliter a tota entitate, indiuisibilior erit, quã physica.

7 Obij. 4. Rationale non est differentia hominis, nisi vt indiuisibiliter contrahens tam animal, quam intellectiuum ipsum; non enim est discursivum, vt cumque, commune etiam Angelo, sed sensitiuè simul, seu dependenter a phantasmatibus, siue medijs sensationibus. Ergo non est differentia extrahens, siue exiẽs a genere & linea sensitiua, sed intra

ipsam contrahens rationem intellectiui, ac proinde definietur per ipsam rationem sensitiui, illam que objectiue includet.

Resp. concesso, anteced, & conseq. in sensu metaphysico, non tamē in prædicamētali logico. Negari nō posse, intra ipsas lineas tā sensitiui humani, quam humani intellectiui, dari quasdam taleitates modales cōtractiuas, quales dantur in vnaquaque specie brutorum in gradu sensitiui, & in singulis similiter speciebus Angelicis in gradu intellectiui; cum eadē ratio cōnotandi operationes diuersas, tū abrutalibus in gradu sensitiui, tū ab Angelicis in gradu intellectiui, detur in homine, ac in brutis interse diuersis in gradu sensitiui, & etiā in Angelis in gradu intellectiui interse se diuersis. Quæ taleitates humanæ sēsitiui, & intellectiui adunātur in homine per simultatē, & in vtraq́ consistet differentia *rationalis* metaphysice; rigorose, formaliter; ac proinde ita vt ex ipsis generibus implicitè in vtraque inclusis resultet. Quia tamen logicè & prædicamētaliter, Aristoteles voluit, vt ratio quæ in prædicamento collocaretur, tanquam differentia lateralis, esset pro scientiarū contemplatione magis accomodata; contrahentes autem differentiæ vel taleitates penitus sint ignotæ, & vix aliter quam per ipsas rationes superiores innotescant; ideo optimo jure in prædicamentales differentias ipse elegit, illa ipsa prædicata essentialia, quæ licet aliàs rationes conueniendi essent, notabilius tamen essent differendi rationes; tum quia superioribus perfectiora, vt *viuens, sensibile, rationale*; tum quia notiora & inde nobiliora, quasi noscibiliora, vt *Corporeum*; & ex hoc vtroque capite aptiora pro munere formę, quæ nobilior, & notior pars debet esse in composito etiam metaphysico, ex dictis d. 94. q. 2, & supposita hac institutione differentiarū prædicamentalium, siue extrahentium, conclusio nostra procedit, vt n. 1. præmonui.

8 Obij. 5. Hic syllogismus in Darapti concludens; *Omnis homo formaliter essentialiter est animal; sed omnis homo formaliter essentialiter est rationalis: ergo aliquod rationale formaliter essentialiter est animal.* Tū sic. Ergo in *rationali* differentia extractiua, vt tali, includitur formaliter obiectiue, siue essentialiter genus extractum *animal.*

Resp. hoc argumento concludi, quod etiam in genere obiectiue essentialiter inuoluitur differentia, quod nullus admittit: quia æque ex illa duplici præmissa valet hæc consequentia: *Ergo aliquod animal est formaliter essentialiter rationale.* Ab omnibus ergo dicendū est quod suppositio subiecti, tam se habentis, vt medium vniuersale in vtraque præmissa syllogismi, quam se habentis, vt extremitas particularis, in conclusione, est concretiua essentialis, & in eo sensu vera est, & legitima consequentia, scilicet, *quod aliquod rationale sit concretum essentialiter in*

clu-

cludens animal, atque etiam e conuerso. At ex hoc non bene infertur, quod *rationale* sumptũ abstractiuè, & non concretiue, sit formaliter *animal*, neque e conuerso, quia variatur in termino suppositionis modus: & sumitur vna formalitas, prout inadæquatè condistincta, & abstracta ab alia, quo pacto affirmari nõ potest identitas formalis, essentialis, & objectiua interillas; sicut in concreto affirmari potest, & debet, quia ita vna includitur vt totum potestatiuum in alia. Vnde nego *consequentiam*, ex syllogismo deductam.

DISPVT. CII.

DE PROPRIO QVARTO PRÆdicabili.

1 QUæst. 1. *Quid & quale sit proprium?* Resp. sumi dupliciter; & primo, & secũdo intentionaliter, idest, quoad esse, & quoad prædicari. *Primo intentionale* definiri potest ex Aristot. 1. *Top.* c. 4. Porphyr. *hic* c. 4. & S. Th. *opusc.* 48. & 1. p. q. 77. a. 1. ad 5. *Vniuersale conueniens rei necessario extra essentiam.* Enumerant autem quatuor celebres *modos illius.*

Proprium *primo modo* dicitur, quod *conuenit omni, sed non soli*: vt esse bipedem conuenit omni homini, non tamen soli, quia etiam avi. *Secundo modo*, quod *conuenit soli, sed non omni*: vt esse musicum soli homini conuenit, non tamen omni. *Tertio modo*, quod *conuenit omni, & soli, sed non semper*: vt risus, in actu secundo omni, & soli homini conuenire potest, sed non semper. *Quarto modo*, & proprijssime proprium dicitur, quod *omni soli & semper conuenit*; vt homini esse in actu primo risibilem, admirativum, volitivum, loquntivum &c.

2 Ubi notandum risibilitatẽ, vim admirativam &c. prout importat vim intellectualem, ad rationalitatem hominis spectare, & hac ratione ad Proprium, quod extra essentiã esse debet, minimè pertinere; vnde solum, vt simultanee resultat ex parte appetitiua, & loco motiua externa, quæ attributa sunt hominis, specialem etiam attributalem rationẽ induet eiusmodi passio, quæ per actum secundum risus, hominis proprium, externe manifestatur. Idem que pro admirativo, loquutivo &c. erit obseruandum.

3 Quæstio 2. *Vtrum solum modo Proprium quarto modo adquartũ hoc Prædicabile proprie pertineat?* Neg. P. Hurt. §. 31. qui omnes quatuor modos; P. Arr. 1. 2. qui tres saltem posteriores; P. Alph. d. 9. n. 7. qui primum, & quartum, proprie proprios esse dicunt.

Affirmo cum S. Thom. & Thomistis apud Complut. d. 78. q. 15. M. Ioan. Th. q. 11. a. 2. Card. Tolet. P. Rubio PP. Conimbr. hic q. 1. art. 2. P. Lync. Tract. 6. c. 1. n. 3. & alijs communiter. Tum quia id tantum est proprie propriũ, quod cum essentia cõuertibiliter dicitur, per mutuam consequentiam vnius ab alio. Vt tradit Porph. c. 4. fine inquiens:

inquiens: *quoniam his ipsis sit, & conuersio.* Et Arist. 1. Top. c. 4. definiens, *quod soli inest, & conuersim prædicatur.* Arqui tantummodo Proprium quarto modo, *quod omni soli & semper conuenit*, ad conuertentiam dicitur, vt est per se notum. Ergo. Tum quia dona supernaturalia nequeunt dici propria simpliciter rationalis naturæ, (quidquid dicat P. Arr.]solum enim est simpliciter proprium, quod est iure debitum: sed tamen sunt propria primo modo, vt constat. Ergo.

4 Quæst. 3 *Quotuplex sit Proprium?* Resp. esse duplex: physicum, & metaphysicum *Physicum* est quod physicè ab essentia distinguitur, & dicitur *proprietas*, quæ si modalis mutuo inseparabilis sit, vt vbicatio, & diuisibilitas à creatura; tunc non est dubium, quod sit *quarto modo* Proprium. At vero aliquando est separabilis, vi agentis valentioris, vt frigiditas ab aqua, humanitas Christi D.a subsistentia propria, &c. & tunc an sufficiat mutua inseparabilitas connaturalis, vt propria quarto modo dicatur, vt volunt P. Alph d. 9. n. 9. & P. Ovied. c. 6. p. 7. a n. 4. cũ Tho mistis: an vero requiratur quod adhuc violenter inseparabilis sit, vt vult Poncius d. 8. n. 15 & 21. cum Scotistis, ne confundatur cum accidente: lis est de voce. *Metaphysicũ*, est, quod realiter identificatur essentiæ, ab ea tamen objectiue distinguitur, quia in primo seu primario conceptu rei, siue in definitione illius, aut saltem ipsius modi rerum constitutivorum definitione non involuitur; & hoc appellatur *attributum*; est que proinde realiter ab essentia adhuc diuinitus inseparabile, vt pote ipsi identificatum. Hoc autem rursum est triplex: *genericum, specificum, & indiuiduale*, juxta singulos gradus entis, quibus conuertibiliter correspondet, & ratione quorum attributum conuenit ipsorum inferioribus. V.g. Vnum, verum, bonum respondet enti; Progressivum animali, risibile homini; taleitas vero Petrina indiuidualium attributorum respondet Petro; sed hæc solum secundum implicitũ erit vniuersalis, & ad hoc prædicabile pertinebit, vt est ratio indiuidui, explicite enim est singularis.

5 Quæst. 4 *Quare attributũ non sit intra essentiam, sicut differentia cum qua illud dicitur ad conuertentiam?*

Resp. hic tangi gravem difficultatem ex d. d. 81. n. 3. Cum enim attributum metaphysicum non possit esse extra essentiam, eo quod ab illa dimanet, sicut proprietas physica, quia illud est identificatum rei, & ideo vere ab illa emanare non potest. Neque itẽ, quia sit posterius; multa enim posteriora pertinent ad essentiam simul cum prioribus differentialibus, vt *discursiuum* cum judicativo, & vtrumque cum apprehensiuo priori, ad rationale hominis cõstituendum. Solum superest, vt prædicatum, quod minus præcipuum respectu alterius *differentialis*, vltimi, seu sufficienter distinctiui, reputatur in subiecto, eo quod Sapientes

in pri-

In primo subiecti conceptu, seu primaria illius definitione, præscindant a tali prædicato, ut potè minus principali; vt a *volitiuo, & risibili* in homine; illud inquam secundariũ, atque adeo attributale, seu proprtiũ reputetur. Sed de hoc plenius in Metaph. vbi de vltimo Dei constitutiuo primario.

6 Quæst. 5. *Quid sit Proprium secundo intentionale, siue ut prædicabile.* Resp. a DD. ex Atist. Porphyr & S. Thoma supra definiti: *Prædicabile de pluribus in quale conuertibiliter.* Conuenit cum reliquis, per ly *Prædicabile*: differt a Genere, specie & differentia, quia hæc sunt *in quid*, ab accidente, quia hoc est *in quale contingenter*; Proprium vero *conuertibiliter*, seu necessario, *quarto modo*. Per ly *de pluribus*, indifferens est, vt sit de *differentibus specie*, vel *numero*, si sit genericũ, vel specificũ, ex n. 4. Quomodo autem sit signare proprium, & exercitè commune, seu prædicabile de pluribus, a simili cõstat ex d. 99. n. 2. & d. 98. n. 18.

7 Obij. Proprium siue attributũ respectu speciei, de qua dicitur cõuertibiliter, vt *risibile de homine*, nõ est vniuersale, cum sit æquale; respectu vero inferiorum de quibus dicitur vt superius, v.g. de Petro, non dicitur conuertibiliter, cum non valeat, *est risibilis, ergo est* Petrus. Ergo non cohæret vtrumque.

Resp. quod sicut differentia se habet *in quale*, respectu generis, sibi superioris, vt superior vero respectu inferiorum, ratione vero, & connotatione generis; ita proprtiũ se habet *conuertibiliter* respectu speciei sibi æqualis, vt superius vero, & vniuersale respectu inferiorum ipsius speciei; de quibus etiam reduplicatiuè secundum eam rationem conuertibiliter dici potest, v.g. Petrus est homo, ergo, est risibilis; Petrus est risibilis, ergo est homo.

DISPVT. CIIJ.

DE ACCIDENTE QVINTO Prædicabili.

1 QVæst. 1. *Quid sit Accidens?* Resp. a Porphyr. c. 5. duplicitèr definiti. 1. *Quod potest ad esse vel abesse absq; subiecti corruptione.* Quod non intelligit in sensu physico, quia si absint accidentia necessaria ad conseruationem, subiectum corrũpitur, vt patet in morte *animalis*, & in extinctione ignis. Sed solum de connexione metaphysica, quod scilicet secundum suam definitionem non diffiteret subiectum, licet accidentia etiam necessaria deficerent; v.g. homo idem essentialiter permaneret, adhuc per locum extrinsecum, licet non maneret *coloratus, nec calidus*, si a Deo v.g. omnis calor, & color tolleretur. Si vero tolleretur ipsi ratio *volitiui*, vel *admiratiui* aut etiam *exigentis colorem, & calorem*, licet per *locũ intrinsecum, seu definitionem* ita mediatè non deficeret, per *locum tamen extrinsecum*, vt ajunt, ratione necessariæ identitatis cum suis proprijs attributis deficeret. Unde patet discrimen inter accidens, & proprium,

prium, cessat que multiplex objectio ex P. Hurt. d.6.n.34.& P, Arr. d.8. n.31.

2 Definit.2. Porphyr. Accidens dicit, *quod eidem in esse, & non in esse potest*: ex Arist. 1.Top.c. 4. ajente, *Accidens est q uod contingit affirmari, vel negari de subjecto.* Ex quibus clarius a DD. hic definitio desumitur. Tú Primo intentionalis: *Est quod cõtingenter conuenit*: Tum secundo intentionalis: *Est prædicabile de pluribus in quale contingenter.* Vbi patet discrimen, tũ a tribus prædicabilibus in quid; tum a proprio prædicabili in quale, quæ necessario conueniũt, & prædicantur.

3 Conuenit autem hæc definitio 1. prædicatis entitatiue substantialibus, si tamen sint logicé accidentalia, quia contingenter cõueniunt; v.g, homini esse vestitum, argento esse deauratum; corpori esse esse animatum; Deo esse hominem; homini esse prædestinatum; imo etiam ipsi Deo prædestinare, velle, incarnari, &c. Conuenit 2. proprio non quarto modo, vt homini esse bipedem, musicum, &c. imo etiam esse *calidum, humidum*, &c. quia licet tẽ peramentum harum primarum qualitatum sit proprium tertio modo, atque adeo etiam, & secundarum ex illo resultantium, vt figuræ, coloris &c. potest tamen homo secundum essentiã & definitionẽ obiectiue ab illis præscindi, aut etiam diuinitus separari; atque adeo non est quarto modo, & conuertibiliter proprium, sed accidens simpliciter. Econtra exigentia temperamenti, cum identificata sit, & inseparabilis etiam diuinitus, erit attributum metaphysicum hominis, vt n.1 dixi. Conuenit 3. differentijs respectu generis, vel rationis communis, quæ de illo in quale accidentaliter logicé prædicantur, cum ad oppositas differentias sit indifferens, vt animal ad rationale, & irrationale. Et e contra non connenit accidenti, vt prædicatur de inferioribus *in quid*, v t color de albedine, coloratum de albo: quia sic est prædicatũ logicè, & formaliter substantiale, licet physice materialiter accidentale.

4 Quæst. 2. *Vtrum quintum hoc Prædicabile differat a quarto formaliter.* Negant aliqui cum P. Hurt. §. 39. P. Arr. n. 56. quia modus prædicandi in quale idẽ est in vtroque, necessitas autem, vel contingentia se habet materialiter, & ex parte rei prædicatæ.

Affirmo cum P. Fonseca 5. Metaph. c.28. q.19. P. Ovied. hic cõtr. 7. p.1. n.1. & alijs communiter. Tum quia modus prædicandi sequitur modũ essendi, necessario vel cõtingenter; vnde variatur modus prædicandi, in duplici hoc prædicabili, sicut ex modo obiectiue essendi vel conueniendi, complete, vel incomplete variatur modus prædicandi speciei, vel generis. Tum quia modus prædicandi accidentalis fit per verba adiectiua, connotatiua temporis, v.g. *existit*, &c. modus vero prædicandi necessarius, fit per verba substantiua *est*, non repugnat,

repugnat, &c. a tempore præscissa; v.g. Antichristus est risibilis, admiratiuus, &c. Sed illa varietas verborum pertinet ad modum prædicandi abilitatis formalissimum; ergo. Tum paritate syllogismi probabilis, & euidentis, qui licet differant ex materia, qua contingenti, qua necessaria; ex illa tamen mutuantur differentiam formalē modi tendendi probabiliter, & euidenter, siue contingenter, & necessario, Ergo pariter.

5 Quæst. 3. *Quotuplex sit Accidens?* Resp. esse duplex a materia, *Physicum*, quod forma accidentali physice intrinsece vnita subiecto componitur, v.g. *calidum, album*, &c. & hoc in nouem Prædicamenta subdiuiditur. *Purè logicum*, quod forma, seu quasi forma, siue substantiali, siue accidentali, siue intrinseca, siue extrinseca, contingenter denominante, & aduenientè subiectis, ex modo concipiendi adjectiuo resultat, & subdiuiditur in omnes terminos denominatiuos, & concretos, ex d. 13. n. 27. & 23 adjectiuè tamen sumptos; idest secundū rectum specificatiuum, per modum *subjecti habentis* v.g. album *pro subiecto habente albedinem* juxta d. 88. n. 2. Si enim substantiue, & concretiuè sumatur, v.g. *album*, pro toto resultante ex subiecto, & albedine; sic non se habebit, vt *accidens* prædicabile, sed vt prædicatum substantiuum siue substantiale logicum, quod prædicatur *in quid*, siue vt species de hoc, & illo. Non tamen refert, quod terminus sit grāmaticaliter substantiuus, si logicè, & secundum definitionem adjecti ué explicetur, per modum habentis formam, v.g. *Dux, Pater*, Rex, &c.

6 Quæst. 4. *Respectu cuius inferioris Accidens sit prædicabile, siue vniuersale?* Resp. ex consensu DD. apud Ioan. Th. q. 12. a 20. Alph. d. 9. s. 4, &c. tale esse respectu subjecti, non respectu concreti: quia respectu huius, & huius *albi* (vt dixi) fit prędicatio *inquid* siue essentialis, v.g Hoc album est album, est coloratum, &c. solum que respectu subiecti habentis fit prædicatio *in quale contingenter* v.g. *Petrus est albus*. Quomodo autem subiecto conuenire possit prædicatum accidentale per identitatem, si accidens subjecto non identificatur, cum ly *est*, prædicationis requirat identitatem inter prædicatum, & subiectum, explicui d. 90. a n. 9.

7 Quæst. 5. Utr. *Accidens in abstracto pertineat ad hoc Prædicabile?* Affirmat singulariter Bonesp t. 2. a. n. 787. quia solum albedo v. g. est quæ se *habet in quale contingenter*, & quæ prædicatur in obliquo, siue adjectiue. Ergo.

Nego cum reliquis DD. apud P. Arr. n. 26. Tum quia albedo v. g. non potest directè prędicari, nisi de hac, & illa numero albedine, ac proinde vt species. Tum quia licet illa sit, ratione cuius albū prædicatur adjectiuè, & in quale, non tamen quæ ita prædicatur; sicut licet differētia se habeat in quale respectu generis, non ideo tamen respectu illius est prædicabilis, sed de infe-

inferioribus, ratione illius. Tum quia esse prędicabile in obliquo nō est esse simpliciter prędicabile, sed esse connotatum prædicati; sicut dum dicimus, *Deus est Dominus creaturæ*, creatura non prædicatur de Deo, sed est connotatum, per cuius respectum, & habitudinē, constituitur prædicatum. Quod si hoc solo sensu velit Bonaspes esse prædicabile, idest, constitutivum in obliquo termini prędicabilis; ita non negamus, sed supponimus ex d. 2 q. 4.

8 Quæst. 6. *Vtr. accidens prædicabile requirat absolutā subiecti existentiam?* Negant RR. cum P. Arr. d. 34 P. Oviedo c. 6. p. 8. n. 4. P. Lyn. l. 9. tr. 3. n. 18. Tum quia omnia alba possibilia absque dubio conueniunt cum existentibus in esse albi, seu subiecti habentis albedinem, ac proinde ab his & illis potest præscindi vna ratio albi, quę omnibus sit Vniuersalis.

Affirmant PP. Cōimbr. hic art. 3. P. Fonſ. l. 5. c. 28. P. Alph. d. 9 n. 43. Quiros d. 24. n. 9. quia prædicatio Accidentis debet esse adiectiua connotatiua temporis, & existentiæ, ideo enim dici nequit *Antichristus est calidus, coloratus*, licet revera talis futurus sit, quia nō existit. Ergo prædicabilitas accidentis petit existentiam.

9 Distinguo 1. cum Mag. Ioan. Thea q. 12. a. 2. ad 3. Vniuersalitas seu prædicabilitas in actu primo Accidentis non requirit existentiam subiecti. Tum quia 1. sent bene probat, quod ad vniuersalitatē sufficit conuenientia, seu similitudo obiectiua, necessaria ad præcisionem, & contenta prorsus sola obiecti possibilitate. Tum quia potentia in actu primo non requirit existentiam subiecti, licet sine hac actus secundus nequeat exerceri; v. g. in igne datur potentia combustiua, licet nullum combustibile existat: ergo pariter potētia prędicabilitatis &c. At vero prædicatio in actu secundo non potest verificari sine subiecti existentia sicut nec combustio, frigefactio &c. & hoc tantum probat 2. sent. circa accidentia non intentionalia.

10 Distinguo 2. cum P. Alph. n. 45. Accidentia pote intentionalia, adhuc quoad prædicationem in actu secundo non requirunt subiecti existentiam. Tum quia adhæc sufficit existentia obiectiua. Tum quia nunc absolute verificatur, quod Antichristus cognoscitur, odio habetur, similis, & dissimilis, est &c.

11 Quæst. 7 Vtr. *possit a pluribus subiectis vna albedine informātis præscindi ratio albi, siue accidentis Vniuersalis. Affirmo* cum P. Arr. d. 8. n. 35 P. Compt. d. 29. s. 2 P. Alph. d. 9. n. 47. P. Yzq. d. 17. n. 43. P. Lync. l. 8. c. 1. n. 25. propter dicta d. 75 a n. 41.

12 Quæst. 8. *Vtrū ad hoc 5. Prædicabilia pertineant, prædicationes per communicationem idiomatum vtriusque naturæ in Christo* D. v. g. *Deus est homo, est mortalis* &c. *Homo est Deus, est omnipotens* &c.

Negant P. Ragusa d. 121. de Incarn.

carn. P. Amicus d. 33. n. 29. P. Bernal d. 45. s. 3. &c. quia sunt de prædicato formaliter substantiali & perse.

Affirmãt melius cũ S. Th. quæst. de spirit. creat. a 15. & 3. p. q. 16. a 1. P. Suarez ibi in comment. P. Uazq. d. 68. P. Hurt. d. 69. Card. Lug. d. 23 n. 19. P. Santacruz hic n. 331. P. Lync. l. 9. tr. 7. c. 2, n. 15. P. Alph d. 11. n. 24. &c. quia Deus libere, atque ita contingenter *factus est homo*, atque adeo per accidens prædicamentaliter, & logicè, licet per vnionem substantialem physicè, ex his quæ docet S. Th 1 p. q. 77. a 1. ad 5. sed prohibis sit

DISPVT. CIV.

Vtrum præter quinque, dentur Prædicabilia assumpta pro Christo D?

1 PRima sententia affirmat cũ P. Fonseca 5. metah. c. 3 q. 7. s. 6. §. denique, P. Tellez d. 5. s. 2. n. 17. P. Lync. l. 9. tr. 7. a n. 18. & perdoctis RR. nostris.

Secunda nostra sent. negat cum P. Suarez ea q. 16, a. 1. P Uazq. & alijs nuper cit. quos sequuntur P Ortega de Incarn d 1. q 5. cert. 2 n. 5. P. Quiros hic d 25. n. 2. P. Olcina n. 1505. P. Th. Polon. d. 3. q. 1. §. fin. & RR. pletiq. cum P. Maça d. 15. s 2.

2 Prob. 1. Quia nulla est necessitas multiplicandi alia prædicabilia. Tũ quia, quæ obijciatur, soluetur a n. 4. Tum quia diuisio vniuersalis in quinque est adæquata, & comprehendit omnes modos possibiles prædicationis, etiam in Christo D. vt patet ex d. 74 q. 1. Ergo.

3 Prob. 2. Quia Christus D. est eiusdem speciei physicæ, & metaphysicæ, ac proinde etiam logicæ, cum reliquis hominibus, vt est de fide, quia est eiusdem humanæ naturæ specificæ nobiscum, ex illo Apostoli *Philip. 1. habitu inuentus vt homo.* Et illo Moysis, Deut 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus*, &c Ergo eadem species vniuersalis, prædicabilis est de Christo D. & reliquis hominibus, ac proinde non eget, nouo prædicabili specifico assumpto. Tum sic. Ergo neque indiget nouo genere, &c. quia eo ipso quod sit eiusdem speciei, est etiam eiusdem generis, differentiæ, proprietatis, & accidentis specifici; ergo eodẽ modo dici debet de Christo D. quod sit animal, rationale, risibile, exigens temperamentum qualitatum &c. quia species siue essentia eadem, petit eadem prædicata, tum essentialia, tum propria, tum communia speciei. Ergo.

4 Obij. 1. De Christo D. non potest *homo* prædicari *in quid completi*, siue, vt tota essentia, cum præter essentiam humanam, habeat etiam diuinam. Ergo non prædicatur, vt species logica.

Resp. neg. anteced. Quia cum in Christo D sit duplex natura, realiter distincta, quæ minimè in vnã naturam seu essentiam completam adunantur; singulæ complexæ sunt

in sua specie; vnde prædicationes specificæ prædicatorũ, ad singulas naturas pertinentium, completissimæ sunt respectiuè ad naturam, secundum quam subiecto cõueniunt.

5 Obij. 2. Hæc prædicatio, *Deus est homo*; non potest esse speciei, cũ sit in materia contingenti, libere enim Deus, seu verbum, homo factus est: sed neque potest esse accidentis, ergo nullius prædicabilis ex quinque; nullum enim restat aliud, ad quod spectet.

Minor prob 1. quia prædicatũ quod per se substantialiter conuenit subiecto, accidens illius esse non potest, sed Deo conuenit esse hominem per se substantialiter, & media vnione substantiali, vt pote personali, & hypostatica: ergo. 2. Quia prædicatum enuntiabile, vt accidens, facit totum per accidens cum subiecto, vt *album, calidum*, &c, Sed homo nõ facit totum per accidens, sed per se, cum Deo. ergo.

6 Resp, neg. min. ad 1. probat. dist. cum S. Th. 1. p. q. 77. a 1. ad 5. quod per se substantialiter conuenit subiecto, accidens illius esse non potest; accidens physicum, *concedo*, accidens *metaphysicum, & logicum*, nego. Sic enim ex d. præc. n. 3, differentiæ essentiales, quæ substantialiter contrahunt genus, sunt logica accidentia illius: & corpori accidẽtaliter logicè conuenit esse animatum, licet toti composito essentialiter, & ipsi corpori substantialiter anima vniatur. Ad 2. similiter dist. tantũ enim quæ accidentaliter physice cõueniunt, faciunt ens per accidens, non quæ logice.

7 Obij. 3. *Hic Deus* (designato Christo D.) *est homo*, est prædicatio essentialis; ergo homo prædicatur de Deo, non vt accidens, hoc enim non prædicatur essentialiter. Antecedens prob. 1. quia *hic Deus*, designat verbum Incarnatum, seu Deum hominem factum, de Deo autem homine, vt tali essentialiter dicitur quod sit homo. 2. Quia hæc prædicatio *Hoc album* (designato Petro) *est homo*, est prædicatio essentialis, ergo pariter *hic Deus est homo*; quia tam contingenter conjungitur *hoc album* cum homine, quam hic Deus cum ipso. 3. ex hoc syllogismo in Darapti: *Christus essentialiter est Deus. Sed Christus essentialiter est homo; ergo aliquis homo essentialiter est Deus, & aliquis Deus essentialiter est homo.*

8 Resp. neg. anteced. Ad 1. probat. nego quod ly, *Hic Deus*, designat verbum incarnatum per se, quia etiam ante Incarnationem de verbo dicitur, quod sit *hic Deus*. Ad 2. Nego anteced. (quidquid dicant aliqui RR.) quia sicut *hoc animal* (designato Petro a longe viso) non potest dici, quod sit essentialiter *rationale*, quia per se, vt præcise *hoc animal est*, est indifferens, ad equum vel hominẽ; ita *hoc album*, vt sit, vel paries, vel lapis. Ad 3. in eo syllogismo in Darapti mutatur suppositio, & sensus terminorum, de concretiuo, in abstractum, & committitur fallacia, quæ d. 101 n. 8.

2 Obij.

9 Obij 4. magis per se dicitur, *quod Deus sit homo*, quam quod sit flagellatus, mortuus, passus, &c. sed hæ sunt prædicationes accidentis, ergo prior minime talis erit.

Resp. vtramque esse accidentalē, sed secundam magis, quia non solū Deo, sed etiam homini accidit; sicut magis accidentale est, parietē videri, quam esse coloratum, quia videri accidit etiam colorato.

10 Obij. 5. Si tres Personæ Diuinæ singulas humanitates assumerent, essent tres homines, & *homo* non esset species respectu triplicis *illius Christi, Dei incarnati*. Ergo neque *nunc*: quia æque tunc essent homines eiusdem speciei. Anteced. prob. 1. Quia homo non potest prædicari de Deo, *inquid complete*, cum non possit Deus perfici, & cōpleti per hominem. 2. Quia tres personæ diuinæ, vt pote oppositæ, differunt specie; ergo homo prædicaretur de tribus illis Personis compositis, vt de differentibus specie; ac proinde nō vt species, sed vt genus.

Resp. neg. anteced. Ad 1. probationem, optime dicitur, tunc Deū compleri secundum humanitatem, sicut dicitur pati, & mori. Ad 2. sicut nunc Christus D. est homo eiusdem speciei nobiscum, quia differentia personæ est materialis & per accidens respectu naturæ, ita, & tres personæ humanatæ eiusdem speciei essent. Eo modo, quo in esse albi eiusdem speciei sunt lapis, & homo, licet materialiter differant; quia species concreti sumitur a forma, qualis est albedo, non a subiecto materiali illius. Sic etiam forma hominis est humanitas, subiectum vero suppositum personale, vnde licet hoc esset, vel sit diuersum, si humanitas sit eiusdem speciei, eiusdem erit & homo, vt patet in Christo D.

DISP. CV.

Vtrum vniuersale, vt sic, sit Genus ad omnia Prædicabilia?

1 PRimasent, negat absolutè cum Boetio, Ammonio, Auicenna, Simplicio, Albert. M. Clypeo Thomist. Petro de Bruxellis, apud PP. Connimbr. *infra*; Cantero, Oña, apud Complut.

Secunda sent. distinguit, *negans*, esse Genus, secundum substratum, & quasi materiale subiectum vniuersalitatis, quia hoc potest esse ens reale, vel rationis, inter quæ non est conuenientia simpliciter; nec non substantia, & accidens, quæ juxta ipsos DD. in nulla ratione conueniunt vniuoce: *affirmans* vero, secundum formale, seu relatiuum vniuersalitatis, omnia vniuoce, & generice conuenire. Ita PP. Connimbr. in Præf. Porph. q. 7. a. 2. P. Fonseca l. 5. c. 28. q. 12. s. 2. P. Tellez d. 5. s. 2. & Thomistæ, ac Scotistæ communiter. Quia tamen quæstio solum procedit de Vniuersali formaliter, & secundum formale vniuersalitatis, pro nobis omnino sunt laudandi. Propterea,

Sect. 1. Concl. affirm. defenditur.

2 Tertia nostra communisque sententia affirmat, cum S. Th. & Scoto

Thomistis, & Scotistis, quos sequuntur Complut. d. 4. a 2. n. 58. M. Ioan. Th. q. 6. a. 2; & Poncius d. 3 q. 9. nostri cū P. Suar d. 6. s. 18. n. 6 Card. Tol. P. Rub. P. Hurt. P. Amico P. Arr. P. Ovied. quos laudant P. Compt. d. 38 s. 3. P. Alph. d. 10. s. 2. n. 11. P. Peñaf. d. 3. q. 2. P. Santacruz n. 779. P. Lync l. 9. tr. 1. c. 6. P. Yzq. d. 17. n. 190. P. Quiros d. 25 s. 2. P. Rhodes d. 2 q. 2. t. 1 §. 2. Ioannitz d. 13 c. 2. Spinula d. 7. d. 1. &c.

3 Prob quia ille cōceptus seu terminus est formalissimè genus, qui est prædicabile *in quid* de pluribus differentibus specie. Sed vniuersale, vt sic, est prædicabile in *quid* de quinque prædicabilibus specie differentibus. Ergo est formalissime genus ad quinque prædicabilia. Major, & consequentia liquidæ sunt. Minor est manifesta, quia vniuersale, vt sic, est terminus communis vni uocus, scilicet secundum vnam definitionem obiectiuam omnibus vniuersalibus conuenientes, quia singula essentialiter sunt *vnum aptum prædicari de pluribus*; aliunde autem sunt etiam inter se notabiliter diuersa in modo prædicabilitatis. Ergo vniuersale, vt sic est terminus vnius cè prædicabilis essentialiter, seu in *quid* de quinque Prædicabilibus notabiliter differentibus, ac proinde, vt genus respectu illorum.

4 Obij. 1. Genus prædicatur essentialiter de inferioribus, sed prædicabile, vt sic, non prædicatur essentialiter de vniuersalibus. Ergo non est genus. M. probatur, quia si vniuersale, vt sic prædicaretur essentialiter, omne vniuersale essentialiter prædicaretur, atque ita proprium, & accidens essentialiter prædicarentur, seu in *quid*; quod patet esse falsum: ergo.

Resp. Conced. maj & neg, min. Ad probationem distinguo antecedens, si vniuersale, vt sic prædicaretur essentialiter, omnia vniuersalia essentialiter prædicarētur; si prædicaretur essentialiter de illis, secundam *substratum* essentiale, quasi primo intentionale, intrinsecum, & fundamentale, *concedo*: si tantum secundum *formale*, accidentale extrinsecum, secundo seu *tertio intentionale*, reflexissimæ præcisionis, nego. Debet enim distingui, vt in omni concreto ex d. 13. n. 27, ita, & in vniuersali *substratum* quasi fundamentale, & abstractum *formale*, seu forma, substratum est veluti natura, & essentia vniuersalis quæ licet extrinseca sit, & formaliter per extrinsecam denominationem a præcisione formali extrinseca, vt a forma, constituatur; se habet tamen, vt fundamentum intrinsecum obiectiuū, quod substernitur reflexæ præcisioni, non minus quam subsat natura *animalis*, vel *substantiæ*, pro generibus realibus. Unde sicut hæc genera realia ex intrinseca natura, seu primo intentionaliter, non habent prædicabilitatem de differentibus specie; alias de homine prædicaretur simul cum animali ea prædicabilitas; quia illā habent vi formalis præcisionis, qua accidentali-

ter

tet extrinsecè fiunt genera: ita, & vniuersale, vt sic, habet esse genus vltæ præcisionis reflexæ, qua a singulis vniuersalibus directè præcisis, præcidiuntur de nouo ratio ipsa præcisi, seu vniuersalis. Atque hæc ratio generis, vt pote de nouo extrinsece, secundo intentionaliter aduenientis, non debet prædicari, de quinque prædicabilibus, de quibus prædicatur vniuersale secundum substratũ suum, seu secundum quasi primo intentionalem, intrinsecam, & essentialem naturam, & definitionẽ suã in esse Vniuersalis præcisi, scilicet, in eo *Quod sit vnum aptum prædicari de pluribus*. Quæ definitio se habet, sicut definitio realis aliorũ generum, v. g. *viuens sensibile*, secundum quam tantum modo prædicari debet genus *animal*, non secundũ denominationem accidentalem generis, de suis inferioribus realibus.

5 Obij 2. vt ens simpliciter, non conuenit cum ente secundum quid seu per accidens, ita neque prædicabilia simpliciter, scilicet substantialiter seu essentialiter, & in quid, nõ possunt conuenire cum prædicabilibus per accidens, seu accidentaliter, & in quale, in esse prædicabilis. Ergo tria prima prædicabilia cũ postremis duobus conuenire non possunt vniuocè.

Resp. 1. ex Metaph. substantiã & accidens simpliciter conuenire in esse entis, & ita etiam quæ, vt substantia, & accidens prædicantur conuenire in esse prædicabilis. 2. Hæc differentia æquiuoca solum est in re prædicata, vnde in modo prædicationis, seu prædicabilitatis possunt vniuoce conuenire. Sicut licet *canis* sit æquiuocus quoad rem significatam, tamen potest dari vniuocatio in esse cognoscibilis per nomẽ æquiuocum, vt certe conueniunt canes, & omnia æquiuoca.

6 Obij. 3. Prædicatum transcendens non potest esse genus; sed vniuersale, vt sic, transcendens est, vsque ad vltimas differentias, quia etiam vltima quæque differentia vniuersalis est, vt pote vnum ex quinque vniuersalibus. Ergo.

Resp. nego anteced. ex d. 100. n. 21. Deinde distinguo min. vltima quæque differentia vniuersalis est, secundum quod est subjecta ipsi vniuersali, vt sic, nego; secundũ quod est præcisa a differentijs particularibus conuenientibus in esse differentiæ, concedo: sicut species subijcibilis *vt sic*, nõ est vniuersalis, in quantũ subiecta superiori, sed in quantũ ab inferioribus præcisa, ex d. 97. n. 18. de vniuersale, vt sic non erit genus, ex vi cognoscibilitatis, secundũ quã differẽtia est vniuersalis, atque adeo neque vt genus transcendet differentiam, vt vniuersalem.

Sect. 2. Prolixior obiectiõ.

7 Obij. 4. Si vniuersale esset genus ad quinque Prædicabilia, esset etiam genus ad primum Prædicabile, scilicet ad Genus, sed hoc implicat. Ergo.

Prob. min. 1. Quia Genus primum prædicabile continet subte omnia

omnia genera, ergo nullum habet supra se. 2. Vniuersale est superius ad omnia omnino genera, ergo cum ipsum sit genus, erit superius ad se ipsum. 3. Si vniuersale, vt sic, esset genus, omnia contenta sub ipso essent species; ergo primum prædicabile erit species, & sic etiam reliqua. 4 Quia Vniuersale, vt pote genus, esset inferius respectu primi prædicabilis, continentis subse omnia genera; ergo indirecte, & vt inferius de superiori, de primo prædicabili prædicarentur: quod patet esse falsum, cum prædicetur, vt latius patens illo, & ad reliqua prædicabilia se extendens. 5. Daretur processus in infinitum; si enim vniuersale esset genus ad primũ prædicabile, quod etiã est genus, ratio generis ab hac, & illis præscinderetur; & rursum ab hac vt cõuenienti cũ illis ratio generis præscinderetur; & rursũ ab hac, vt cõuenienti cũ prioribus, præscinderetur alia, atque ita in infinitum; quod repugnat.

8 Nec dicas, secundum diuersas reflexas progressiones, has oppositas, & multiplicatas denominationes conuenire vniuersali, vt Genesi. *Contra hoc instat:* Quod secundum ipsam rationem, & formam, sua præcisionem, quã vniuersale, vt sic fit, & est superius, fieri, & esse debet inferius: est enim superius, quã formalissimè est genus ad omnia prædicabilia, & consequenter ad ipsum genus; cũ genus qua tale sit superius eo, cuius est genus. Sed eadem qua genus formalissimè est inferius genere primo prædicabili, quia hoc, vt superius continet omnia genera, atque adeo etiam vniuersale, vt sic, quod est vnum ex generibus, non minus, quam animal, vt sic &c. Ergo vniuersale, vt genus formalissime est superius, & etiam, vt genus formalissimè est inferius, respectu eiusdem primi prædicabilis; atque adeo est superius, vt inferius; quod implicat.

9 Resp, Hoc argumentum tot reflexionibus laboriosum, difficilius esse explicatu, quam solutu: Omnes enim DD. in eandem solutionem variis vocibus conflixerunt. Supponendo itaque, distinctionem *subiecti* fundamentalis, & *obiecti* formalis, ex n. 5. vno verbo dicendum: eas oppositas denominationes *superioris, & inferioris; continentis, & contenti; generis, & speciei*, &c. conuenire posse eidem formalitati *vniuersalis vt sic*, secundum distinctas reduplicationes, & reflexiones, atque etiã cognoscibilitates illius: tum secundum subiectum essentiale quasi primarium, tum secundũ abstractum formale accidentaliter, & extrinsecè aduenientes, per novas reflexas præcisiones, & comparationes; quin eã ratione repugnet.

10 Declaratur quæ exemplis. 1. Ex moralibus. Legislator enim, vt talis, & vt Persona publica legem ferens, superior est se ipso, vt conciue obligato ad observationem suæ legis, & indigente justa dispensatione per ipsum facienda, non minus quàm quivis privatus subditus, vt

do

deobligetur; vti tradunt DD cum & apud P. Salas d. 14. de Legib. s. 2 & P. Arr. d. 18. n. 33. & alios passim. 2. Pontifex, vt communicans jurisdictionē suo Confessario, est superior respectu sui, vt pœnitentis à Confessario absoluendi, vel dispensandi &c. 3. Termini formales reflexi, v. g. *Vox, nomen, dictio*, &c, vt significatiui, sunt superiores, seu latius patentiores se ipsis, vt significatis; vt significatiui enim ad omnes voces, & dictiones extenduntur; vt significati tamen sunt vna vox, & dictio singularis. 4. Quævis species latius conuenit secundū genera, quæ includit, & minus late secundum differentias; Item cōsideratur, vt radix, vel prior secundum formalitates essentiales, & vt radicata, vel posterior, secundum attributales. Ita ergo vniuersale, vt sic, poterit secundum vnam cognoscibilitatem considerari, vt superius, & secundum aliam, vt inferius &c.

11 Hinc informà ad argum. è n. 8. Conced. maj. & neg. min. quia vniversale, vt sic, optimè secundum suum substratum essentiale, seu naturam obiectiuam, & subiectivā essentialē, scilicet secundum suam definitionem, in qua omnia vniuersalia conueniunt, v. g. *Vnum aptum ad plura*, potest recipere accidentaliter, & extrinsecè per præscissionē ab omnibus vniuersalibus in eā definitione conuenientibus, rationem reflexam generis, per quam ipsa vniuersalia tanquam inferiora subse contineat. Eo modo quo animal secundum definitionem essentialem *viuentis sensibilis*, quæ est ratio conueniendi, accipit jacciden aliter rationem generis, seu superioris respectu omnium animalium. Rursumque ratione novæ reflexionis circa conuenientiam ipsius vniuersalis, vt sic, in esse generis cum alijs generibus, poterit de nouo accidētaliter & tertio intentionaliter, se habere, vt species, & vt inferius respectu generis, vt sic, ab ipso vniuersali, vt genere, & ab alijs generibus, vt talibus præscissi. Unde

12 Ad 1. probationem minoris è n. 8. concesso antecedenti, quod genus primum prædicabile contineat sub se omnia genera; neg. conseq. quod nullum habeat supra se, quia illud ipsum genus vniuersale, quod sub se habet, secundum quod est genus, supra se habere potest, secundū quod est essentialiter vniuersale; sicut Confessarius Pontificis, hunc ipsum quem sub se habet, ut Vicariū Christi habet supra se.

13 Ad 2. Conced. conseq. quod genus possit esse superius ad se ipsū, & vniuersale similiter sui ipsius, secundum diuersas cognoscibilitates, & considerationes; eo modo quo Legislator, vt dispensans, superior est se ipso, vt dispensando in lege vniuersali. Et sicut Petrus, vt ens latius conuenit cum alijs, se ipso, vt homo, vel vt Petrus est.

14 Ad 3. Conced. similiter omnia prædicabilia esse species, reduplicatiuè, vt subijcibilia respectu vniuersalis, vt generis, eo modo quo ipsa

genera

genera intermedia, seu subalterna, v.g. *viuens, animal*, &c. sunt species, respectu superiorum v.g. corporis, substantiæ &c.

15 Ad 4. Vniuersale, vt sic, solũ est inferius, in quantum genus accidentaliter respectu primi prædicabilis. Vnde ita solum prædicabitur indirecte de primo prædicabili, in hac propositione v.g. *genus est vniuersale, vt sic*; quæ propterea habet hunc sensum, *aliquod genus est vniuersale, vt sic*; non minus, quam hæc propositio: *genus est animal*, habet similem sensum *aliquod genus est animal*. At si prædicetur *Vniuersale* sine illo addito, *vt sic*, quo denotatur genereitas accidentalis, tunc prædicatur, vt superius, secundum substratum intrinsecum, & essentiale inesse vniuersalis, ac proinde prędicatur, nõ vt est inferius, & ideo absolute & directe, distributive quepræ dicatur: v.g. *genus est vniuersale*, sonat, *omne genus est vniuersale*.

16 Ad 5. Conc. in reflexionibus nostris dari processum in infinitum, atque ita etiam in cognoscibilitatibus obiectiuis reflexis; quia posita quacũque cognitione, hæc ipsa cognosci potest per aliam, & hæc per alteram, & sic in infinitum. Vnde in infinitum potest fieri noua & noua comparatio, & præcisio cognoscibilitatum vniuersalis, inesse similis ac dissimilis, seu superioris, ac inferioris. Quia est infinitudo sincathegorematica, quæ non repugnat, pro quo Complut. d. 4. n. 43. laudant S. Thomam, & plerosque DD.

17 Ad instantiã è n. 8. nego, quod secundum eandem præcisionem formaliter, qua est superius vniuersale respectu vniuersalium inferiorum, sit etiam inferius respectu generis, vt sic, primi prædicabilis. Quia sicut species fit prædicabilis, & superior per præcisionem ab inferioribus, fit vero inferior, tum præscisiue per præcisionem generis ab ipsa, tum positiue per comparationem ipsius speciei cum genere ab illa præciso, ex d. 98 s. 2. Ita Vniuersale, vt sic superius fit per præcisionem ab vniuersalibus inferioribus, inferius vero generis, tum per huius præcisionem, tum per compartionem cum ipso: vnde per formam omnino distinctã ei cõuenit superioritas, ac inferioritas. Solum autem verificari potest ea reduplicatio, vt superius, siue, vt genus, est inferius; facta reduplicatione supra genereitatem, seu superioritatem, vt circa substratum materiale, eo modo quo rarò *species subiscibilis, vt talis præcisa, est prædicabilis* facta simili reduplicatione, ex ea d. 97. n. 18. Sicut etiam Põtifex, vt superior potest esse inferior in confessione Sacramentali, quando absoluitur a peccatis, in ipso munere Pontificis, seu superioris commissis; tunc autem reduplicatio est materialis, & subiectiua supra superioritatem, non formalis: vt dixi d. 88. n. 2. & 20. quod reduplicatio aliquando cadit supra subiectum, aliquando supra formam, juxta exigentiam prædicati.

18 Replicas 1. Præter *præditabile*

vt

vt sic, ab omnibus prædicabilibus præcisum, non potest dari aliud prædicabile, quo cum prædicabile, vt sic, conueniat; non minus quam præter animal vt sic non datur aliud animal, aut præter ens vt sic aliud ens, alioquin daretur aliquid supra omne. Ergo nō potest dari aliud genus, quo cum prædicabile, vt sic, conueniat in ratione generis; ac proinde nec poterit ab illis præscindi ratio generis primi prædicabilis, sub quo vniuersale, vt sic, possit esse inferius.

Conf. Ea, a quibus fit præscisio rationis conueniendi, debent habere interse rationes differentiales, a quibus ratio communis cōuenientiæ præscindatur. Sed prædicabile, vt pote omnimoda ratio conueniendi vnivoce omnibus prædicabilibus singularibus, nullā potest in se habere differentiam a prædicabilibus singularibus, siue inferioribus; alias nō esset ratio simpliciter conueniendi, siue vniuoca; sed potius partim conueniendi, & partim differendi, seu æquivoca, vt patet. Ergo non potest a prædicabili, vt sic, & a singularibus prædicabilibus, & præsertim a genere primo prædicabili, præscindi ratio superior reflexa generis.

19 Resp. Hic tangi grauem difficultatem de præscisione vniuoca cognoscibilis, vt sic, ab omni cognoscibili, de qua in Metaph. Nunc breviter dico: posse in quibuscumque formalitatibus multiplicari in infinitum cognoscibilitates reflexas, sicut multiplicari possunt cognitiones. Unde cognoscibile, vt sic, v.g. potest considerari, vel vt cognoscibile signate, vniuersale respectu omnium cognitionum possibilium, per quas exercite non cognoscitur; alias Petrus, v.g. qui est vnus de cognoscibilibus sub cognoscibili, vt sic, in singulari cognosceretur per cognitionem repræsentantē exercite cognoscibile, vt sic. Vel potest considerari, vt *cognoscibile* exercite per præcisiuam cognitionem singularem sibi adæquatam, quam terminat ipsum cognoscibile vt sic; & respectu huius est vnum singulare cognoscibile, non minus quam Petrus, vel Paulus; & secundum hanc singularem cognoscibilitatem, secundum quam non est signata ratio conueniendi inferiorum, optime potest esse ratio differendi ab illis in ratione talis cognoscibilis. Similiter ergo ratio prædicabilis vt sic, licet prout est signata ratio prædicabilis, in qua omnia prædicabilia conueniunt, non possit esse ratio differendi; attamen prout est singulare cognoscibile, & prædicabile respectu cognitionis & præcisionis singularis, & sibi adæquatæ, potest esse ratio differendi ab alijs prædicabilibus singularibus, & fundare novam reflexam præscisionem prædicabilis, siue generis, vt sic, secundum cō venientiam, in qua reflexe possunt comparari.

20 Hinc in forma ad Replic dist. Antecedens præter predicabile, vt sic, ab omni prædicabili præscissum

non datur aliud prędicabile; vt con sideratur secundum quod est signate prædicabile, vt sic, connotans collectionem omnium præcisionum sibi non adæquatarum, & includens rationem conueniendi omnium prædicabilium, in esse Prædicabilis conuenientium; concedo: prout prædicabile, vt sic, est singulare prædicabile, reflexe & exercite connotans præcisionem singularem sibi æqualem, per quam constituitur accidentaliter in esse generis, *sub distinguo*; non datur aliud, directe; *concedo*, reflexe, *nego*. Quia per reflexionem semper potest dari aliud, & aliud in infinitum.

Ad Confirm. similiter dist. min. prædicabile, vt sic, non potest habere aliquam differentiam a singulis prædicabilibus, secundum substratum essentiale, connotans signate inferiores præcisiones omnium prædicabilium, secundum quod est ratio conueniendi, & fundamentaliter superius, *conc.* secundum quod est singulare cognoscibile, exercite connotans singularem cognitionem præscisiuam, quasi superiorem; sibi æqualem, per quam accidentaliter constituitur in esse vnius generis singularis, sicut animal est genus singulare, *nego*. Quia vt sic importat singularitatem differentialem in esse ita exercite cognoscibilis, seu præscindibilis, & prædicabilis, a qua fieri potest noua, & noua præcisio reflexa.

21 Replic. 1. Si vniuersale vt sic esset genus inferius, vt tale, primi prædicabilis, esset vnum individuum genus singulare, sub primo prædicabili, vt sub specie infima contentum; sed tale esse non potest; quia est genus notabiliter, ac proinde specie, & non solum individualiter diuersum ab alijs generibus, v. g. animali, Angelo, &c. est enim genus secundo, imo tertio intentionale, cõprehendens sub se species, & genera notabiliter differentia Ergo.

Resp. 1, data min. ad summum probari, fore individuum Genus, specifice diuersum ab alijs, siue speciẽ subijcibilem, non vero prædicabilẽ in esse generis; sicut Michael Thomisticus, vel Persona diuina Patris, &c. 2. Neg. min. quia tota illa diuersitas est materialis, & quasi entitatiua, quam Logica non considerat, nec attendit: vnde materialiter se habet ad logicales species prædicabilium. Sicut quod circulus, vel annulus, sit aureus, vel argenteus, materialiter se habet ad considerationem mathematicam de circulo, & ideo specie non differunt, in esse circuli. Pariter cum omnia genera in esse, *prædicabilis in quid incomplete*, conueniant, specie conuenient.

DISPVT. CVI.

De prædicatione Vniuersalium, in concreto, & in abstracto.

1 QVæst. 1. *Quia, quæ sit plex, & qualis sit prædicatio vniuersalis?* Resp. Hic stricte sumi, non pro enuntiatione, vt cum que (quia vniuersale, vt tale, nõ negatur, quia vt tale respicit inferiora,

riora, de quibus negari nequit:) sed pro vera affirmatione identitatis inter prædicatum, & subjectum, secũ dum rectum vtriusque. V.g. *album est dulce*, vera prædicatio est, quia subjectum vtriusque, seu rectum, est idem, licet albedo, & dulcedo obliquæ distincta sint, vt sæpe dixi.

2 Est autem multiplex, 1. Alia *essentialis*, in qua prædicatum, secundum totum quod dicit de materiali & formali, includitur in primo conceptu subiecti, v. g. *Petrus est animal, homo*, &c. Alia *accidentalis*, in qua prædicatum tantum modo secundũ materiale est intra conceptũ primum subiecti, v. g. *Petrus est albus*; & hoc sensu etiam est logice *accidentalis* prædicatio attributi. 2. Alia est *directa*, in qua modo connaturali superius dicitur de inferiori, vt *animal* de *homine*; vel æquale de æquali substantiuo, vt *rationale*, vel *risibile de homine*, non e conuerso de adjectiuo, v.g. *rationale, risibile est homo* Alia e contra indirecta quando inferius de superiori, v.g. *Homo est Petrus*, & tunc supponit pro particulari, *aliquis homo est Petrus*, nec non quando substantiuũ æquale dicitur de adjectiuo logico, v.g, *rationale, vel risibile est homo*.

3 Alia est *identica*; & est duplex; vna *vocalis*, quando idem subiectũ explicite repetitur in prædicato, v. g. *Homo est homo*; altera *materialis*, quando solum est idem physica materiali identitate, v.g. *Omnipotentia est justitia. Alia formalis*, quando saltem explicite voces differunt, secundum majorem expressionem, vt definitio prædicatur de definito, v. g, *homo est animal rationale*; vel quoties affirmatur identitas obiectiua formalis, idest, non puré physica, v.g. *homo est animal* &c. Aliæ diuisiones communes sunt pro omni propositione, ex d. 17.

3 Quæst. 2. *qualiter differant concreta, & abstracta vniuersalia?* Respondeo eodem modo differre, ac terminos concretos, & abstractos, ex disput. 13. n. 27. Vel enim sunt abstracta *physica* realiter distincta a subiecto, seu substrato concreti, v.g. *color, albedo*, à pariete, in cõcretis *coloratum, album*, item *humanitas, Personalitas* in concretis *homo, Persona*. Vel sunt *metaphysica*, solum obiectiuè distincta, vt *hominitas ab hoc homine*, aut *Petro: Deitas à Deo* involuente saltem indeterminatè Personam. Uel sunt *Logica*, solum distincta penes expressionem, seu vocem, vt *entitas* ab *ente*, *definitio obiectiua a definito*, Ubi,

4 Nota 1. Aliquando voces abstractæ physici cum abstracto metaphysico cõfundi, v.g. *humanitas*, quæ sumpta pro natura humana, est pars physica hominis cum supposito, siue personalitate, totum hominem, vt forma componens; sumpta vero pro totali ratione formali constitutiua in esse hominis completi, sumitur á tota entitate concreti *homo*, & includit etiam Personam: vnde tunc melius dicetur *hominitas*, quam *humanitas*. Et eodem modo in concreto *cognitum, album* &c abstracta to-

talia metaphysica, melius dicentur: *Cognitieitas*, *albeitas* &c. quam *cognitio*, vel *albedo*; ne cum physicis partialibus abstractis confundantur, vt optime notauit P. Suarez Disp. 6. sect. 10. n. 3.

5 Nota 2. Circa distinctionem abstracti metaphysici á concreto, magnam esse apud DD. confusionem: cõmuniter enim dicunt, vel supponunt, vtrumque obiectivè distingui, tanquam totum à parte formali, ac proinde concretum superaddere obiectiue, vel rationem suppositi, vel singularis metaphysici illud complentis, à qua obiectiue abstrahit abstractum, inde cuadens incompletum: & ita supponunt, qua expresse, quà tacitè DD. quæst. 3. & 4. referendi.

Judico tamen, abstractum metaphysicum ab ipso concreto, vnde sumitur, nudè sumpto, minimè distingui obiectiuè, sed solum in modo significandi, tum concretiuo, & vt *quod*, per modum totius v.g. *animal*; tum abstractiuo, & vt *quo* per modum partis formalis, v.g. *animalitas*. 1. Quia propterea grauiores Theologi cum S. Thoma, Exim. D. & Sapientissimo N.R.P. Generali d. 100 n. 6. laudato, negant, propriam rationem actus primi, & secundi obiectivam in Deo, quia solum differunt in modo significandi, vt *quod*, & vt *quo*, v.g. *Intelligens*, *intellectio*; qui totus est in vocibus, & expressionibus. 2. Quia ideo iuxta omnes DD. *immensum*, & *immensitas*, *infinitum*, & *infinitas*, *ens*, & *entitas*, *Possibile*, & *possibilitas*, & similia inuenta concreta, & abstracta, tum in Deo, tum in creatis, minimè obiectiue distinguntur, quia solum in modo significandi, vt *quod*, & vt *quo*, differunt; ergo pariter in vniuersũ, vbi fundamentum distinctę realis definitionis non fuerit. 3. Quia non minus concretum vniuersale, v. g. *animal* præscindit à singularitate, quam eius abstractum *animalitas*; alias Vniuersale inconcreto non esset simpliciter abstractum, si à singularitate aliquà non præscinderet, & confunderetur cum individuo, v.g. *hoc animal* &c. 4. Quia abstractum æquè sumitvr a toto supposito, v.g. *hominitas ab homine*, quam concretum *homo* cum æque sumantur á tota entitate; ergo obiectiue vtrúque importat, suppositum, seu personã. 3. Quia abstractum metaphysicum. *Personalitas*, seu *personitas*, non minus dicit rationem suppositi, seu personæ, quam concretum *Persona*, vel suppositum, ergo tota distinctio vtriusque minime est penes obiectivum, sed penes voces *vt quo*, & *vt quod* expressiuas. 6. Demũ quia abstracta metaphysica minimè distingui possunt à logicis, nisi ex parte concreti addatur explicita singularitas v.g. *hic homo*, qui exprimit *haecceitatem*, supra *hominitatem*; vel *Deus*, qui supra *Deitatem*, inuolnit personam, vel in communi, vel in determinatè, vel subsistentiã absolutam, juxta DD. ergo concretũ metaphysicũ nude sumptum minimè distinguitur obiectiue a suo abstracto.

Quæst.

6 Quæst 3. *Quomodo abstracta vniuersalia de concretis, & de abstractis concreta, vicissim possint prædicari?* Resp. ab omnibus DD. supponi concreta, & abstracta disparata, quæ in eodem subiecto non concurrunt, minimè posse inter se verificari, vt patet. 2. concreta accidentalia, quæ conueniunt eidem subiecto, optime ad invicem dici, vt *album est dulce*, & vicissim in saccharo. 3. Abstracta accidentalia eodem ordine inter se, ac ipsa concreta dici, v.g. *color de albedine*, sicut *coloratum de albo*. 4. Abstracta physica de concretis, neque e conuerso, dici posse v.g. *album est albedo*, neque è conuerso, quia pars non dicitur de toto, vt d. 90. n. 3. & 17. præmissi; & conuincit consensus DD. in re de voce, & modo loquendi, quidquid aliqui hic defatigetur.

5. Concreta metaphysica de alijs inferioribus directè, de superioribus indirectè verificari, vt *animal de homine*, distributiue, & vicissim *homo de animali*, disjunctiue. 6. Abstracta & concreta Logica ad inuicem dici, vt *entitas de ente*, &c. Solum ergo est dubium, circa abstracta metaphysica substantialia; *An de suis concretis dicantur, & e conuerso, absolute & formaliter*, v.g. *animal est animalitas* & vicissim *animalitas est animal*?

7 Negant Thomistæ cum M. Ioan Th. q. 5. a. 4. Complut. d. 4. n. 39. Scotistæ cum Poncio d. 3. q. 7. & ex nostris P. Rub. Card. Tolet. & alij infra. 1. Quia se habent, vt pars & totum, quæ invicem verificari non possunt. 2. Quia concretum addit rationem suppositi, vel indiuidui, quæ distinguitur obiectiue ab abstracto, atque adeo formaliter identificari, & verificari non poterunt. 3. Quia concretum substantiale, *homo, animal*, v.g. dicit in recto suppositum habens *animalitatem*; vel *humanitatem*; de supposito autem dici nequit natura, sicut neque de subjecto habente albedinem ipsa albedo. Ergo. 4. Demum quia ita loquuntur DD. cum S. Th.

8 Affirmo cum Durando in 1. d. 24. q. vlt. P. Arr. d. 6. s. ro. subs. 2. P. Ouied. c. 3. p. 4. n. 13. P. Alph. d. 11. s. 5. præsertim n. vlt. Tum quia ex n. 5. eiusmodi abstracta & concreta solum quoad expressionē distinguuntur sicut definitio, & definitum; ergo, sicut hæc, possunt inuicē prædicari. Tum quia licet adderēt aliquid obiectiue concreta, cum tamen abstracta a tota eorum entitate abstrahantur, verificari poterunt; sicut concreta vniuersalia de singularibus, v.g. *Homo*, de Petro & Paulo, singularitatem addentibus. Tum quia ita verū est apud omnes, quod absolutè *Deus sit Deitas*, licet Deus addat Personalitatem in communi obiectiue distinctam; ergo pariter vera erit hæc, *Petrus est hominitas*. Tum quia apud omnes vere dicitur *Ens est entitas, immensitas est immensa, vnitas est vna, quantitas est quanta*, &c. Ergo pariter &c.

9 Ad 1. e. n. 8. ea abstracta solū se habent, vt pars & totum in voce vt n. 5. dixi. Ad 2. licet addereint ex parte

parte subiecti formalitas supra prædicatũ abstractum, non obesset prædicationi, vt patet in subiecto singulari respectu prędicati vniuersalis; quando hoc sumitur a tota entitate, vt summuntur tam abstracta, quã concreta metaphysica. Sed neque talis formalitas additur, vt n. 5. dixi. Ad 3. si concretum diceret in recto suppositum, & in obliquo naturam, non posset, nec in sensu reali materiali, & identico verificari abstractum substantiale de suo concretõ; sicut propterea non potest verificari abstractum accidentale, v.g. *Albedo* de *albo*, quod nullus asserit. Ad 4. S. Thomas, & DD. Antiqui solum loquuntur de abstractis physicis v.g. *Homo est humanitas* &c vel in sensu reduplicatiuo supra præcisionẽ, vt dicam d. seq. n. 8.

DISPVT. CVII.

Vtrum abstracta superiora de inferioribus abstractis formaliter prædicentur?

1 NEgant antiquiores Thomistæ cum Caiet. necnon Scotistæ, quos sequuntur Serna d. 3. q. 3. art. 2. & Poncius d. 3. n. 89. P. Rub. Trac. 3. dub. vnico n. 15. P. Alph. d. 11. s. 4. n. 28. & 34. & alij.

Affirmo, cum P. Suarez d. 6. s. 10. n. 6. & 7. P. Hurt. d. 3. s. 3. Thomistæ q. RR. quos sequuntur Ioan. a S. Thoma art. 4. ad dub. 2. & Compl. supra n. 34. ex S. Th. 7. Meth. l. 12. asserẽte, quod *Scissipedis est pedalitas*; vnde, & *humanitas erit animalitas*.

2 Prob. 1. a priori. Animal in concreto vere prædicatur de homine, v.g. quia est totum potestatiuum, seu ens totale formaliter, ac proinde vere formaliter identificatũ cũ toto inferiori seu homine, sic ex d. 90. Sed etiam *animalitas* in abstracto est formaliter ens reale, atq; adeo vere obiectiue identificata cum tota humanitate, seu specie abstracta inferiori, cũ eadem, ac inconcretis ratio sit; ergo aque vere formaliter vt totum, prædicatur de humanitate, siue de abstracto inferiori.

3 Prob. 2. *Equinitas*, & hominitas v.g. in aliqua ratione communi proxima cõueniunt, sed nõ est alia, nisi *animalitas*; ergo in ea, vt in ratione communi generica proxima, ac proinde de ipsis prædicabili, cõueniunt.

4 Conf. 1. Quia non est assignabilis in definitione abstracti specifici v. g. *hominitatis*, alia ratio generica, qua constituatur, nisi animalitas. Ergo 2. Quia hæc est vera: *hæc animalitas est animalitas; hæc humanitas v.g. Christi, est humanitas*. Ergo sicut abstractum specificum de individuali formaliter dicitur, ita genericum de specifico &c. 3. Humanitas ad minus est animal, cum sit principium sentiendi formalissime; sed animal est animalitas, ex n. 7. ergo humanitas est animalitas.

5 Prob. 3. paritate. Tum abstracti æqualis essentialis, scilicet differentialis de specifico verificati, v.g. *Hominitas est rationalitas*, quia est essentiale constitutiuũ specifici; sed pari-

pariter genericum constitutiuum est, vel assignetur, quæ alia constitutiua habere possit specificum. Ergo. Tum abstracti physici, v.g. *albedo est color, personalitas est suppositalitas*, &c. Tum logici v.g. Deitas est entitas. &c. Ergo pariter; in his enim obiectiones retorquentur.

6 Obij. 1. Id quod concipitur, vt pars distincta, & separata, non potest affirmari, vt prædicatum cõjunctum cum subiecto, á quo vt separatum concipitur. Sed abstracta, vt abstracta, & separata interse repræsentantur. Ergo interse affirmari, vt conjuncta non possunt.

Resp. distin. maj. Si concipiatur, vt pars separata positiue, & exclusiue, sicut *lapis*, & *homo*, concedo: si vt separata, & distincta purè præcisiuè, quo pacto tantum concipiuntur abstracta: *Animalitas, & humanitas*, non minus quam concreta *Animal, & homo*; & abstracta physica: *Color, & albedo*, &c. nego.

7 Obij. 2. Non est differentia, per quam contrahatur animalitas ad humanitatem; ergo non est genus prædicabile respectu illius. Antecedens probatur, quia non est differentia adiectiua, v.g. Rationale, alioquin humanitas, non constitueretur per illam, vt purum abstractum, cum gauderet differentia in concreto: Nec item est *rationalitas*, quia non est prædicabilis in quale, seu adjectiue, nec faceret definitionem concordantem, sed absonam; v.g *humanitas est animalitas rationalitas*. Ergo.

Resp. neg. antec. ad probationem, dico cum P. Suarez, *Rationale* adjectiue esse differentiam contractiuã animalitatis, per quã humanitas in abstracto optimè definitur: *Est animalitas rationalis*; sicut definitur albedo in abstracto: *Color disgregasiuus*. Quia non tollit perfectionem abstracti, quod involvat implicitè prædicata concreta, vt esse ens, substantiale, corporeum, viuens &c. sicut etiam è conuerso cõcreta includunt abstracta, scilicet in homine *substantia, entitas, vita*, &c. Addit P. Linc. Etiam rationalitatẽ in abstracto esse differentiã, nec sibi absonare eam definitionẽ *humanitas est animalitas rationalitas*: quia in re significatà adiacet, seu determinat, licet non in voce grãmaticali.

8 Obij. 3. Abstractum v.g *Animalitas* concipitur, vt ratio formalissima sentiendi; sed humanitas nõ potest esse ratio formalissima sentiendi, alias vbi hæc datur, scilicet in Bruto, daretur humanitas. Ergo humanitas non est formaliter animalitas.

Resp. Quod quando concipitur abstractum, seu animalitas sub illà reduplicatione *rationis formalis* &c. fit reduplicatio supra ipsum modũ nostrum concipiendi, seu rationem formalem mentis nostræ; & in hoc sensu optimè negatur vnum abstractum de alio, cum prout concipiuntur per vnum modum cõcipiendi, non concipiatur per aliũ, quia modi concipiendi sunt realiter distincti. Vnde in hoc sensu adhuc realiter negari possunt prædicata pro-

pria

pria vnius abstracti de alio; vt optime notant P. Suarez l. 1. de attrib. c. 14 n. 7. & 10. P. Uasq 3. d. 16. c. 5. n. 37. Card Lugo d. 13. de Incarn. n. 34. docentes, propterea falsas esse istas propositiones adiectivas: *Deus justitia miseretur, voluntate intelligit, intellectu amat*; licet verę sint hæ substantiuæ: *Iustitia est misericordia, voluntas est intellectus in Deo*; quia priores propositiones adiectivæ, adhuc in sensu reali, reduplicatiuæ sūt supra rationes formales, sicut istæ: *Animalitas est ratio sentiendi, humanitas discurrendi*, &c. Quo reduplicatiuo sensu adhuc de concretis possent abstracta negari, quia *animal*, v. g. vt concipitur voce concretiva, non concipitur, vt præscissa ratio formalis sentiendi, sed, vt concreta simul explicitè cū singularitate, vt *quod*, quæ vt talis sentiēdi ratio non est. Et ita loquuti suat S. Thomas, & Thomistæ communiter, quos sequuntur Complut. M. Ioan. Thom. & P. Alph. supra.

16 Obij. 4 Ideo Pars physica nō potest de toto physico prędicari, v. g. Anima de homine, quia distinguitur distinctione includentis ab incluso physica. Sed abstractū metaphysicū est pars metaphysica inferioris abstracti, atque adeo distinguitur simili distinctione metaphysica; quia inferius includit aliquid amplius obiectiue superadditum superiori, alias esset abstractum pure logicum. Ergo non poterit abstractum, vtpote metaphysice distinctum, de inferiori rationali, sed potius negari in sensu formali metaphysico.

Resp. Hoc eodem argumento probari, neque concretū superius de inferiori prædicari posse metaphysice, quia inferius semper addit aliquid differentiale metaphysice distinctum. Sed quia obiectiue formaliter implicite concretum superius, vt pars metaphysica, est totum potestativum, & a tota entitate de sumptum, (quod minimé cōuenit parti physicæ) ideo vere prędicatur de inferioribus, ex d 9. & idem euenit in abstracto metaphysico, licet vt pars metaphysica prædicetur, quia æque est totum implicitè, vt à tota entitate de sumitur, ac ipsum concretum.

17 Obij. 5. Hoc pacto, quęcumque abstracta metaphysica idēntificata, quæ proinde ab eadem tota entitate sumuntur, possent metaphysicé ad invicem prædicari. Sed hoc absonat. 1. Quia abstracta inferiora de superioribus formaliter prædicari non possunt. v. g. *Animalitas est humanitas*. 2. Quia multo minus abstracta differentialia de genericis, cum metaphysice a æquate distinguantur, v. g. *Animalitas est rationalitas*. 3. Similiter e conuerso abstracta generica de differentialibus non dicuntur, cum ęque ab his distinguantur. 4. Neque attributalia de essentialibus formaliter in abstracto dicuntur, cum obiectiue omnino distinguantur, & solum adiectivē, & in *quale* verificentur; vnde substantive vere negantur, v. g. *Humanitas formaliter*

non

non est risibilitas. 5 Quia propterea similiter vna abstracta attributalia de alijs formaliter negari debent, v.g. in Deo *Iustitia formaliter non est misericordia*; cum tamen omnia ab vna indiuisibili entitate Dei, qui omnipotens, Iustus, Misericors &c. indiuisibiliter est, omnino sumantur.

18 Resp. neg. min. Quia abstracta, si seruent idem rectum secundū totam entitatem subjecti abstracti, optimè de illo prædicantur. Ad 1. prob. aliqui RR. volunt, indirecte optime dici, *animalitas est humanitas*, sicut *animal est homo*, ideſt, *aliquod*. Nego formalius: Tum quia *humanitas* non sumitur a tota entitate subiecti, seu *animalitatis*; cum hæc, vt pote superior, & latior sumatur etiam ab *entitate brutali*. Tū quia propter hanc superioritatem, inferiora solum *in quale*, & per modum accidentis logici indifferenter verificantur de superiori, ac proinde de *aliquo*; abstracta autem non prædicantur *in quale*, seu adiectiue, sed *inquid*, & substantiuè (sunt enim prædicata summè substantiua, & quidditatiua) & ideo de superiori prædicabilia nō sunt: vt jam dicā de differentijs. Nisi ad summum in abstractis accidentalibus, vt talibus, bene sonet ea indirecta: *color est albedo*.

19 Ad 2. prob. ideo pariter differentiæ in abstracto non possunt de superiori prædicari, quia de hoc solum indirecte, *in quale*, vt accidens logicum verificatur, *quod animal sit rationale*; ac proinde solum adjectivè, & concretiue; vnde cum abstractum differentiale, v.g. *rationalitas*, omnino substantiuum, & substantiue tantū sit affirmabile, de superiori dici non poterit, sicut *albedo* dici nequit substantiuè de *pariete*, sed solum adiectiue, quod sit *albus*.

20 Ad 3. Quando differentiæ abstractæ fuerint formales contractiuæ quę transcenduntur a genericis, certum est quod hæc de illis in abstracto etiam verificentur formaliter, non minus quam de specificis, v.g. *rugibilitas est sensibilitas*. Quando vero sunt extractiuæ, cum genera se habeant etiam respectu earum, vt mutuæ differentiæ formaliter distinctæ exclusiuè, non poterunt nisi *in quale* prædicari indirecte, ac proinde in concreto, non in abstracto, ex nuper dictis.

21 Ad 4. attributalia similiter, vt talia, quando secundum formam objectiuè distinguantur ab ente primario, solum poterunt de illo identicè materialiter prædicari substantive, v. g. *humanitas est risibilitas*. Quia rectum prædicationis substantiuæ, seu termini substantiui, nō est solum *subiectum habens*, sicut in adiectiuo, sed etiam *forma habita*; quæ proinde debet esse idem formaliter obiectiue cum subiecto, vt de illo verificetur substantiue. V g, de bono ine substantiue dicitur *animal*, quia non solum *suppositum* habens animalitatem, sed ipsa *animalitas* formaliter identificatur cum homine. Cum ergo *risibilitas* in abstracto

non identificetur obiectiuè cum homine, seu cum conceptu primario hominis; sed solum cum hoc identificetur subiectum habens illam, vt contingit in accidentibus; ideo solũ potest prædicari de homine, per modum accidentis logici, siue in quale, atque adeo adiectiue, & in concreto, v.g. homo *est risibile*, minimè vero substantiue, & in abstracto: *est risibilitas*.

22 Al 5. Idem omnino euenit in ter attributa, vt sunt formaliter distincta interse, v.g. *risibilitas, & admirabilitas*; quia se habẽt vt accidentia logica, quorum vnum de alio distincto dici nequit (sicut *dulcedo* de *albedine*) inuicem enim distinguũtur obiectiuè formaliter, & ideo ita nequeunt verificari, propter recti distinctionem in abstracto, solumque in concreto, in quo seruant idẽ titatem recti, inuicem adiectiue dicuntur, v.g. risibile est formaliter admiratiuum. Qualiter autem in Deo aliqua sint attributa interse in distincta, omnia vero formaliter idẽ tificata cum Deo, vt essentialiter *omniperfecto*: alibi dicam. Nunc vnde veniendum sit rectum, & obliquum concretorum, declarare oportet.

DISPUT. CVII.

De recto, & obliquo Concretorum.

1 CVM tota veritas prædicationis pendeat ab identitate prædicati cum subiecto secundum rectum, necessariũ est, inquirere, quod sit rectum concretorum, aquo tam verificatio, quã multiplicatio ipsorum desumitur? Et de recto multiplicationis d. seq. de verificationis vero recto, in præsenti agam. Quæ res implicatissima est; de qua Theologi cum S. Th. 1. p. q. 36. a 4. & q. 39. a 3. circa nomina tum absoluta, tum relatiua in Deo, & 3. p. q 3. a. 7. & q 16. circa nomina personalia, & essentialia in Christo D & ibi P. Suarez l. 3. de Trin. c. 14. & l 4. à c. 12 & l. 10. c. 6. & 3. p. d. 35 P. Vazq. 1. p. d. 155. & 156. P. Ruiz de Trint. d. 77. alijque ibidem. Dialectici etiã hic præsertim P. Peñaf. d 9. q. 4. P. Arr. d. 1. summul. s. 9. & 10. P. Ovied. c 3. p. 9. P. Alph. d. 11. s. 1. P. Linc. l. 3. tr. 3 a c 2. ad 6. P. Yzquier. d. 2 a n. 223.

Sect. 1. De recto reduplicatiue.

2 Quæst 1. *Vtrum rectum concretorũ sit vnum determinatum, de quo prædicationes, verificentur?* Affirmant P. Arr. P. Ovied. & RR. communiter. *Negat* P. Lynceus, iudicans nullum dari rectum determinatum, sed variari omnino, pro varietate prædicatorum. *Distinguo*, duplici conclusione.

3 Conclusio 1. Rectum reduplicatiuum (vt ipsi P. Lynceus, & tãdem P. Arr. auctus, vocant) idest, verificatiuum prædicati, pro varietate prædicatorum variatur in actu secundo, quia *talia sunt prædicata qualia exiguntur a subiectis*.

Prob Quia ex d. 88. n. 2. & 20. prædicata verificantur de subiecto, iuxta

juxta triplicem reduplicationem: 1. concretivam, cum conuenit prædicatum subiecto ratione totius, v.g. *album est concretum*, vel, est *partim substantia, & partim albedo*, &c. 2. *subiectiuam*, cum ratione partis materialiter, siue subiectiue constituentis concretum, v.g. *Album est subiectum albedinis, obiectum est terminus cognitionis*, &c. 3. Formalem, cum ratione formæ concreto cõuenit, v.g. *album immediate disgregat visum*. Sed tunc debet variari *rectum* terminorum seu concretorum, cum rectum sit illud, ratione cuius verificatur identitas prædicati, & subiecti, quia obliqua identificari nõ debẽt, ex d. 2. n. 9: & 12. Ergo rectum verificativum, seu reduplicatiuum prædicationis cum ipsa variatur.

Ex quo fit 1. male a P. Arr. 1. p. d. 54. n. 13. asseri, omnes reduplicationes semper cadere supra formã. 2. Æquè male docere *ibi* n. 10. ex eo quod verificetur in Christo D. *Homo est Deus*, de sola Persona, hanc dicere in recto; quia non minus verificatur, *discurrit, moritur*, &c. quod de Persona verbi formaliter in recto verum non est, sed de sola humanitate. Ergo ex recto prædicationis reduplicatiuo, non bene ad rectum absolutum, & specificatiuum terminì arguitur.

4 Confirm. ex S. Th. 1. p. q. 34. a. 4. corp. ajente *Quando quis hoc nomen* Deus, *supponit pro essentia, vt cum dicitur*, Deus creat, *quia hoc prædicatum competit subiecto, ratione formæ significatæ, quæ est Deus. Quãdoque vero supponit Personam, vel vnã tantum, vt cũ dicitur*, Deus generat, *vel duas, vt cum dicitur*, Deus spirat, *vel tres vt cum dicitur*, soli Deo honor, &c.

5 Vrgetur ex ipso S. D. 1. p. q. 36. a. 4. & eadem q. 39. a. 3. c. asserente eadem nomina, vt *adjectiue* significatiua in Deo, dicere in recto suppositum, & propterea multiplicari, vt tres immensos, tres æternos, tres omnipotentes, Duos spirantes, &c. adjectiue: e contra vero *substantiue* dicere naturã in recto, & ideo multiplicari non posse, sed solum esse *vnum immensum*, æternum, omnipotentem. ex S. Athan. &c. Ergo Terminus idem variat rectum verificatium prædicationis, juxta qualitates prædicatorum.

6 Obij. hoc modo omnes terminos concretos fieri æquiuocos, sicut *Canis*, quia sicut hic, variant significationem, & suppositionem, juxta exigentiam prædicati. Ergo nullus erit vniuocus.

Resp. neg. anteced. Quia non variant significationem, sicut *Canis*, quoad rem significatam, sed solum quoad modum significandi in recto vel in obliquo. Adde, omnem vocẽ quatenus vel se, vel objecta significat, æquiuocam esse, ex d. 11. n. 19. quid ni etiam quoad rectum?

7 Concluf. 2. Duplex *rectum* determinate distinguendum est in omni cõcreto, in actu primo, juxta duas prædicabilitates; alterum *substantiuum*, & alterum *adjectiuum*. Ita cõmuniter DD. apud citat. cum S.

Th.n. 5. distinguentes vnitatem, & multiplicitatem concretorũ in Deo, & in Christo D. iuxta varietatem substantiuam, & adiectiuam *recti*.

Prob. exponendo duplicem modum prædicationis. Alia est enim *substantiua*, qua significatur prædicatum per modum substantiæ, seu quidditatis, ac proinde, vt totum potestatiuum de toto subiecto; & tunc rectum dicitur totale, & concretivum, atque ita prædicatur *animal de homine*, imo *album* substantiue, & neutraliter de hoc, & illo, secundum totam essentiam concreti *in recto*. Unde propterea dici nequit, quod *Petrus sit album*, quia falso diceretur de Petro, quod sit totũ *ex subjecto, & albedine*, bene tamen dicitur, quod sit *albus* adjectiue. Et hæc est Alia *adiectiua* prædicatio, quæ facit rectum *adiectiuum*, partiale, & solum secundum vnam partem in recto *vt quod*, connotando aliam in obliquo, quod ideo dicitur *discretiuum* vnius partis ab alia. Hoc autem rectum proprium est concreti accidentalis, non solum physici, sed etiam logici, atque adeo etiã substantialis adjectiue sumpti. Sic enim Verbum Diuinum est *homo* adiectiue, & *homo* est Deus immortalis, &c in Christo D. similiter adjectiue. Ergo in omni concreto rectum *substantiuum*, & *adiectiuum*, siue *totale* & *partiale* distingui debet. Sed de *partiali*, an & vbi sit vel subiectũ, vel formæ jam quæritur.

8 Quæst. 2. *Quodnam sit rectũ partiale concretorum, tum substantialium, tum accidentalium, an subiectum, an forma?* Resp. quinque referri sententias, & singulas, aliquo modo veras.

Prima S. Thomæ 5. metaph. l. 9 Copreoli Durandi, &c. apud P. Lyn. 18. solam formam pro recto cuiuscumque concreti assignantium. *Et bene*, si sumatur pro principali significato [vt loquitur S. Th.) nominis, siue denominationis, quia hæc semper sumitur a forma, vt *album ab albedine*.

Secunda Scoti, Cajet. & Averſæ apud ipsum P. Lyn. n. 17. aliquando subiectum, aliquando formam esse in recto. Uere etiam, de prædicationis recto reduplicatiuo ex n. 3

9 Tertia P. Lyn. c. 3. addit rectum substantiali, concreti creati esse suppositum, & naturam in obliquo, quia suppositũ est, quod *habet humanitatem*, increati vero naturã pro nominibus absolutis, Personam pro relatiuis: in Christo vero D. vtrumque. Ubi redit ad reduplicatiuum rectum, & præterea facit semper adjectiuas prædicationes *inquid* cum supposito logice accidat natura humana &c. sicut corpori anima, & sicut Uerbo humanitas. Qui sensus licet verus sit, quæri tamen debet sensus alius quidditatiuus, in quo verificẽtur prædicabilia *inquid*, alias omnia essent *in quale*, vt voluit Caramuel, ex d. 75. n. 17, & 22.

Quarta P. Uazq. d. 156. n. 6. & P. Alph. d. 11. n. 6. assignat pro *recto* concreti accidentalis subiectũ, *substantialis* formam exprelle, simul eũ sub-

jecto confuse. Quæ solum a sequenti differt, quia substantiale cum *substantiuo* confundit.

10 Quinta ergo vera sẽ, cũ S. Th. & fere omnibus DD. d. seq. n. 3. laudandis, apud P. Ruiz, & P. Lync. P. Ovied, P. Peñaf. & RR. tenet rectum partiale, & specificatiuum cõcreti accidentalis esse *subiectum habens*, formam vero esse obliquum, v. g. *albedinem* habitam, vel aliam quãcumque formam, saltem logice accidentalem. E contra vero in *substantiali* concreto formam, a qua denominatio sumitur, esse *rectum*, subiectum vero denominatum fore obliquum. Ad probationem, quę difficilis est, nec obvia apud RR.

Præmittenda est distinctio tripliciscõcreti. *Accidentalis, substantialis, & subsistentialis*. Accidentale, quod ex subiecto, & forma accidentali siue physica, siue logica, siue intrinseca, siue extrinseca, resultat: vt *album, cognitum, dextrum, vestitum*, &c.

11 Concretum *substantiale*, quod ex partibus substantialibus vnitis resultat: & hoc dupliciter: Vel *naturale*, siue ex natura, vt forma totali, v. g. *humanitate, aut equinitate*, & suppositõ siue subsistentia constituens, in esse *hominis, Equi* &c. Dicitur forma totalis, vt distinguatur a forma partiali, v. g. *anima*, ex qua & ex corpore ipsa natura cõponitur, nisi sit simplex, vt *Deitas, Angelitas*, respectũ concreti *Deus, Angelus*, &c. Vel est

12 Concretum *subsistentiale*, quod obiectiue resultat ex ipsis met-paribus concreti naturalis, sed *inuerso* modo conceptis, scilicet ex subsistentia, tanquam ex forma, a qua nomen seu denominatio desumitur, & ex ipsa natura substantiali, quæ si intellectualis sit, accipit denominationem Personæ; si vero *non rationalis*, denominationem suppositi; & tunc ipsa subsistẽtia dicitur, vel Personalitas, vel suppositalitas: Imo etiam ipsa suppositum, & Persona dici solet a SS. Patribus, eodem nomine *Hypostasis*, tam partiali, quam totali *Personæ* accomodato, vt dicam in Metaph. Et hoc est novum *subsistentiale* concretum, Philosophis ignotum, quia solum ex mysterio Incarnationis, & Trinitatis innotuit Personalitas. Quæ inditatur tum subiectũ cõcreti accidentalis, eo quod *sit suppositũ habens naturam*, vt quod, & vt subiectum denominationis, tũ substantialem formam, eo quod tribuat substantialem denominationẽ subsistentis, suppositi, vel Personæ: vt Verbum sit homo ab humanitate, & huic tribuit esse subsistentem, & Personam. Et ex his oppositis muneribus oritur difficultas, & quasi implicatio denominationum: vt cum *Deus & Persona*, v. g. obiectiue ijsdem constitutiuis gaudeant, nihilominus *Deus sit vnus* a Deitate, & *multiplex Persona* a subsistentijs, quod solum oriri potest a variatione recti specificatiui, partialis, quod inquirimus, cum totale sit idem. His positis,

13 Prob. 1. concl. Concretũ illã partem dicit in recto, de qua verificatur

catur ipsum absolute, directe, per formalem identitatẽ; cum prædicatũ solum cum recto subiecti affirmatiue vniatur, ex d. 2. n. 9. & 12. Sed omne concretum accidentale verificatur specificatiue absolute, & directe, de solo subiecto suo; substantiale veto, & subsistentiale de sola forma denominante. Ergo omne concretum accidentale dicet in recto specificatiue, & absolute solum subiectum; substantiale vero, & subsistentiale solam formam. Maj. & conseq. liquidæ sunt. Minor probatur, singillatim quoad triplex concretũ

Primo quoad *accidentale*, manifestè apud omnes passim dicentes, quod *Paries sit albus*, *obiectum sit cognitum*, *præscisum*, *genus*, *species*, &c. minime vero, quod *albedo sit alba*, *cognitio cognita*, *præscisio genus*, &c.

14 Secundo quoad *substantiale*, quia de natura humana, siue humanitate dicitur, quod sit substantialiter, & substantiue *homo*. Tum quia Philosophi non aliunde hominem agnoscerunt (idem est de *equo* &c.) nisi *naturam*, seu compositum ex corpore, & anima rationali: illos enim suppositum prorsus latuit. *Tum* quia si Deus denudaret *naturam* omni subsistentia, sicut denudauit propria in Christo D. illa esset simpliciter principium formale sentiendi, & ratiocinandi, in quo consistit definitio hominis. Tum paritate Deitatis seu naturæ Diuinæ, de qua verificatur, *quod sit Deus*, ita vt ex Concilio Rhemensi *in nullo sensu catholico id negari possit*, licet sit pars virtualis concreti simul cum supposito; ergo pariter.

15 Tertio quoad *subsistentiale*, quia de suppositio partiali, absolute verificatur, quod sit Persona, suppositum, imo homo denominatiue, & adiectiue. Tum quia ex SS. Patribus, non minus partiale, quam totale suppositum eo nomine *Hypostasis* appellatur. Tum quia sicut Verbũ, seu Deus in Christo Deest *homo*, denominatiuè substantialiter, quia gerit vices subsistentiæ, seu *suppositi* creati partialis, ita hoc potest homo, ac proinde, & Persona dici. Tum quia juxta *S. Th. 3. p. q. 3. eo art. 7.* si tres personalitates assumerent eandem naturam humanã, dicerentur tres homines adjectiue, idest *tria suppositia habentia humanitatem*; ergo quia Personalitas secundum se est *suppositum habens* naturã, ac proinde gaudens denominatione *suppositi* seu *personæ* directe, & in recto *habentis*; ergo.

16 Prob. 2. Ea pars concreti, cui conuenit definitio absoluta, & specificatiua ipsius concreti, se habet vt *rectum* absolutum, & specificativum illius. Sed eiusmodi definitio, in concreto accidentali verificatur de solo subiecto, in substantiali vero, & subsistentiali de sola forma; ergo in accidentali subiectum, in substantiali vero, & subsistentiali forma, tantum modo se habebunt, vt tale rectum. Minor prob. Tum do accidentali, cuius definitio, v.g. albedinis est *subiectum albedinis*, negũ nigredinis; obiectum *quod ter-*

minat

minat cognitionē &c. soli subiecto de nominationis aperte conuenit. Tū de substantiali, cuius definitio v.g. *Homo est animal rationale*, cōstat *corpore, & animo*; &c. soli naturæ, vt vero principio formali sensitiuo discursiuo, &c cōuenit, nam suppositū, vt a natura distinctum, solum est principium denominationis seu attributionis, sicut Verbo Diuino tribuitur in Christo D. *sentire, discurrere, pati* &c. Tum de *subsistentiali*, quod si Persona sit definitur, *suppositum habens naturam intellectiuam*, ex S. Th nuper; si pure suppositum, *habens naturam irrationalem*; quæ definitio, de solo supposito partiali, vt connotante naturam in obliquo, directe verificatur; sicut de solo subiecto, quod sit habens albedinem. Ergo.

Sect. 3. Objectiones.

17 Obij. 1 Hæc prædicatio formalis, *Homo est Persona*, esset falsa si homo diceret in recto *humanitatem*; è contra Persona diceret *Personalitatem*; cum vtrumque rectum realiter distinguatur, & vere invicem negetur. Ergo non dicunt in recto formam.

Resp. eam prædicationem dupliciter esse veram: 1. *adiectiue*, quia ratio Personæ de homine adjectiue & extra essentiā dicitur, vt *propriū*, seu accidens logicum, ex d. 74, n. 4. & hinc Personalitas solum in obliquo prędicatur de *recto hominis*, sine humanitate, quia sonat sic, *Homo est habens personalitatem*. Sicut etiam *homo* prædicatur adjectiue de Persona, juxta S. Th. n. 15. quia tunc ille sonat, *Persona est habens seu habet humanitatem*. 2. Vera est *substantiue* totaliter, vt a tota entitate hominis ratio Personæ completæ desumitur, sicut ipsa ratio hominis, juxta n. 7. & sic optimè quasi ratio generica ad Angelum, & hominem, prædicatur de illis. Quia tunc ita sonat, *Totum ex humanitate, & Personalitate, est ipsum totum ex Personalitate, & humanitate*, quod verissimum est, quia tunc tota entitas importatur in vtroque recto subjecti, & prædicati. Neque hoc mirum est, cum etiam concretum accidentale hoc modo substantiue sumptū, vt genus prædicari possit, v.g. ratio *albi*, de albo humano, & lapideo, &c. de quo iterum n. 20.

18 Obij. 2. Si semel concedatur hoc rectum adiectiuum concretis substantiuis, posse fieri adjectiuas, & accidentales, omnes prædicationes quidditatiuas, v.g. *homo est animal*, sic sonabit. *homo est habens animalitatem*, &c. Ergo inuertuntur prædicabilia.

Resp. neg. antec. tunc enim ly *habet*, sonat, *homo constat ex animalitate, & complemento substantiali*, vnde licet aliquādo possint ea prædicata adiectiue sumi, juxta qualitatem subiecti, vt cum S. Th. supra DD. omnes supponunt, non ita tamen contingit, quando subiectum, seu prædicationis verificatio ita nō exigit, vt contra P. Lyac. & Caramuel. n. 9 notaui & hoc sufficit ne prædicabilia quidditatiua confundantur

dantur cum adiectiuis.

19 Obij. 3. Sæpe prædicata, & concreta substantiua esse perse, & specificatiuè accidentalia, vt Rex, Dux, Doctor, &c. Ergo tunc concreta accidentalia perse, & specificatiué dicent in recto formam.

Resp. nego anteced. quia licet grammaticaliter ea nomina sint substantiua, logicé sunt adjectiua, quia perse adiectiue explicantur, & definiuntur, per modum *subiecti habentis regnum, ducatum* &c. Vnde solũ substantiue accipi possent, cum metaphysicé concretiue sumerentur, *in esse Regis, Ducis*, &c per eam reduplicationem *in esse* &c.

20 Obij. 4. Concreta indiuidualia v.g. *Petrus, Paulus, Christus*, &c. vt pote personalia, dicunt in recto absolutè, & specificatiue Personam; ergo omnia prædicata naturalia, quæ de illis dicuntur, vt *animal, homo* &c adjectiuè dicentur, ac proinde non *inquid.*

Resp. nego antec. Quia æque indiuidua talia sunt in esse Personæ, vel suppositi ac in esse naturæ, vel compositi, vnde ratio indiuidui Petri, Pauli, &c. est substantiua totalis à tota entitate, *Petri*, in esse hominis, & Personæ desumpta; atque adeo prædicata tam naturalia, quã personalia, substantiué de ipso per modum vnius concreti, vt constantis in recto ex Persona, & natura dici possunt: nisi quando prædicata petant adiectiué vtificari ratione vnius partis, vt de Christo D. dicitur, quod sit *omnipotens*, ratione *Personæ*, quod sit *mortalis*, ratione *humanitatis*, communicando idiomata.

21 Obij. 5. Subiectum est rectũ concreti accidentalis, v g, *album visum*, vt est *habens* albedinem; visionem, &c. quia non est rectum illius concreti, secundum esse substãtiale precise, sed secundum illud, vt affectum ea *habitudine* ad formam accidentalem: sed hæc habitudo accidentalis, vt pote relativa secundum dici ad *visionem* &c. constituitur per hanc ipsam formam accidẽtalem, sicut simile per per consimile obiectiue constituitur, per nos. Ergo rectum cõcreti accidentalis specificatiue constituitur per ipsam formam, ac proinde hæc inuoluitur, in recto, vt illius constitutiua.

Resp. hic tangi grauem difficultatem de relatione *secundum dici*, quæ cum per nos formaliter constituatur per modum concipiendi relatiuum, obiectiue consistet in ipsa conceptibilitate, seu referibilitate obiecti ad terminum; vnde habitudo recti nihil aliud est, quam conceptibilitas illius ad obliquum, quæ licet hoc essentialiter requirat, non tamen in recto, seu intra rectum ipsum, sed vt connotatum; sicut licet Pater vt talis requirat essentialiter filium, non tamen vt in recto constitutiuum Patris, alias filius esset Pater, sed vt in obliquo importatũ, ex d. 8. n. 22.

22 Obij. 6. si rectum adhuc in concreto substantiuo variati adjectiue possit, non manere, vnde possit certo desumi multiplicatio concreti,

creti, cū hæc a recto sumatur: ergo.

Resp. neg. antec. Quia multiplicatio concreti solum est a recto specificatiuo in variabil. Sed de hoc sit

DISP. CIX.

Vnde sumatur Multiplicatio Concretorum?

1 PRima sent. asserit concreta, vel nomina substantiua solum multiplicari simpliciter, multiplicatis significatis illorū, tam formali, quam materiali. Ita omnes antiqui Summulistę, cū Cardin. Toleto l. 2. summul. c. 11. §. 9. P. Fōseca P. Ualent. & alij, vt testatur P. Peñaf. ea d. 9. q. 4. n. 1. vnde Richard. Cajet. Durad. Canarien, & Ferrar dicūt apud P. Ruiz ea d. 77. s. 6. & P. Lync. c. 5. si tres divinæ Personæ vnam humanitatem, aut si vna Persona tres humanitates assumerēt nec tres homines, nec vnum simpliciter esse dicendum: quia adæquatum constitutivum non gaudet vnitate, nec multiplicitate; quod etiam docet P. Lync. n. 44. eo excedens, vt fere dicat, nec in Deo simpliciter esse *vnum*, aut *plura*, quia adæquatē non datur vnitas in Deo, secundum personas, nec pluralitas etiam in natura.

2 Secunda sent. tenet, pluralitatem omnem concretorum desumendam a subjecto denominationis, seu habente formam, tam in substantialibus, quam in accidentalibus, vt Marsilius & Aliacensis, Ocham, & Gabriel, apud P. Ruiz s. 1. n. 5. & 6.

Sect. 1. Communis sent. probatur.

3 Tertia nostra, & vera sententia totam vnitatem, aut pluralitatem absolutam numericam concretorum desumendā ducit a recto specificativo eorum; scilicet, in substantialibus a forma, & in accidentalibus a subjecto denominationis. Ita omnes fere Scholastici cum S. Th. 1. & 3. p. ex d. præced. n. 1. S. Bonau. Scotus, P. Suarez, P. Uazq. P. Val. P. Mol. &c. apud P. Ruiz d. 77. s. 2. & P. Ortegā d. 14. de Trin q. 1. itē P. Fonseca. P. Hurt. P. Arr. P. Peñaf. P. P. Alph. Aversa, & alij apud P. Lync. n. 16. & 39.

4 Prob. 1. Quia ex d. præc. rectū specificativum concretorum est de quo verificantur prædicata absoluta, nō reduplicativa, vt & absoluta, non reduplicativa nec concretiva, definitio ipsorum. Ergo sicut de illis verificātur ea absoluta prædicata, ita eōdē verificanda erunt prædicata numeralia, *vnum, duo, tria, &c.* secundū ipsum rectū, si de illis ea prædicata enuntientur; atque adeo ea secundū illud rectum numeranda, & multiplicanda erunt.

5 Confirm. 1. a concretis accidētalibus. Quæ apud omnes certū est a subjecto habēte multiplicari. Propterea enim, ex d. 74. a n. 43. Si multa subjecta eadem albedine informarētur, essent multa alba, scilicet multa habentia albedinem. Item Deus visus a beatis, est tantum vnū visum, licet infinitis fere visionibus attingatur, quia est vnum subjectum denominationis *visi*. E contra creaturæ iuntsimiliter plura, imo infinita cognita, & amata a Deo,

quia sunt quam plura denominationis subiecta, licet vnica sit forma denominans, scilicet vna cognitio, & volitio diuina. Ergo.

Confirm. 2. a substantialibus cõcretis, quæ a sola forma, vt a recto multiplicari debent. Tum quia, ea non definiuntur, vt subiectum habens, sed vt forma in subiecto *ipsum habens* subsistens, vt inquit S. Th. ea q. 39. a. 4. c. Tum quia forma in concreto substantiali, & est præcipuum illius significatum, cum ab ea denominatio sumatur; & aliunde non significatur, vt ens in alio, sicut accidentalis, quæ propterea non per se, & in recto attingitur, sed vt ens per se, & in se, ac proinde directe attingendum. Tum quia substantialitas concreti præcipuè desumitur a forma, cum etiam in accidentalibus concretis primum subjectũ necessario substantia sit; vnde significatum primarium directum substantialium est forma: sed vnitas concreti sumitur secundum primarium directum seu rectum significatum illius, ergo a forma sumitur vnitas, atque adeo, & multiplicitas concreti substantialis.

6 Prob. 2. a prædicatis, & concretis diuinis. Tum a substantialibus, quæ multiplicantur a forma, v. g. *Persona* est triplex a triplici Personalitate; *Deus*, est vnicus a Deitate vnica. Tũ ab attributalibus, & logicè accidentalibus, quæ a subiecto prorsus multiplicantur; vnde *substantiue* sumpta multa non sunt, quia nunc sumuntur secundum Deitatem seu *substantiam*, & in recto, vt subjectum habens; vnde solum est vnus *æternus*, & vnus *immensus*, &c. juxta symbolum S. Athanasij, quia subiectum in recto habens est vnicum, scilicet Deus. E contra quando *adjectiue* sumuntur, id est, secundum suppositum, vt habens in recto, sunt *tres æterni*, *tres immensi*, &c. id est tres Personæ habentes æternitatem, vt cum S. Th. ea q. 39. a. 3. loquuntur omnes fere Scholastici, teste P. Ruiz ea d. 77. s. 2. Ergo sicut in diuinis concreta substantialia multiplicantur a forma, accidentalia vero a subiecto, ita in vniuersum &c.

7 Confirm. ex concretis hypostaticis. Vt enim cum S. Th. in 3. d. 1. q. 2. a. 5. ad 2. tenent P. Amic. d. 14. de Incarn. a. n. 134. P. Orteg d. 14. de Trin. q. 4. cert. 2. casu quo tres Diuinæ Personæ, eamdẽ humanitatem assumerent, licet essẽt tres Personæ compositæ a triplici Personalitate; essent tamen *vnus homo*, ab vna humanitate, sicut sunt a b. vna Deitate vnus Deus. Atque e converso, si vna Persona triplicem humanitatẽ assumeret, esset triplex homo in vna Persona, quia esset triplex compositum humanum ex animo, & corpore in recto. Quicquid alij dicant cum P. Ruiz, P. Arr. &c. conati S. Thomã pro se adducere, eo quòd 3. p. q. 3. a. 7. dixerit, tunc pro numero Personarum vnam habentium humanitatem, futuros tres homines *adjectiue*; vbi potius supponit substantiue concreta substantialia, a forma

tantum multiplicari debere.

8 Prob. 3. auctoritate S. Th. pulcherrime rationem a priori sic exponentis, 1. p. ea q. 39. art. 3. c. *Ratio est: quia nomina substantiua significant aliquid per modum substantiæ, nomina vero adiectiua per modum accidentis; Substantia autẽ sicut perse habet esse, ita perse habet vnitatẽ vel multitudinem. Vnde singularitas nominis substantiui attenditur secundum formam significatam per nomen. Accidentia autem sicut esse habent in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt vnitatem, & multitudinem; & ita in adiectiuis attenditur singularitas, & pluralitas secundum suppositum.* Quæ autem ab Scoto obijciuntur, ex dictis, & ex P. Ruiz t. 2. facili negotio soluentur.

Sect. 2. Obiectiones.

9 Obij. 1. Ens non multiplicatur simpliciter, nisi constitutiua ipsius simpliciter, atque adeo adæquate multiplicentur. Ergo neque concreta, quæ enim sunt, possunt simpliciter multiplicari, nisi adæquate tam secundum rectum, quam obliquum multiplicentur.

Resp. dist. antec. ens non multiplicatur, nisi adæquate constitutiva multiplicentur; reduplicatiue totaliter, concedo; specificatiue, absolutè, nego. Alias neque simpliciter in Deo plures Personæ, neque vnus Deus simpliciter esset, quia nõ omnia physica constitutiua Dei, habent vnitatem, scilicet Personæ, nec pluralitatem, scilicet Deitas. Et similiter vnum obiectũ visum Deus non esset in visione beata, quia visiones quibus constituitur visus essent plures. Neque *Creaturæ* essent pluta supercomprehensa à Deo, quia supercomprehensio ipsius est vnica. Ratio, quia vt S. Th. inquit ea q. 39. a 4. in *locutionum proprietate non tantum attendenda est res significata, sed etiam modus significandi*, vnde infert; quod licet idem sint *Deus & Deitas, Persona diuina, & Deus*, quoad rem, modus tamen significandi attendendus est, pro vnitate, vel multiplicitate eorum concretorum; vt secundum rectum, secundum quod directé significantur, singularizentur, vel pluralizentur. Quia noster intellectus concordat tam grammaticè, quam logicè prædicata numeralia pluralificatiua concreti cum recto illius, vt pote cum significato directé, & præcipue significato, vt adductis exemplis conuincitur.

10 Obij 2. Etiam ex forma multiplicari concreta accidentalia: nam in pomo v. g. sunt plures denominationes, distinctæ, imo diuersæ, *albũ, dulce, frigidum, humidum*, &c. vnde qua, album, non est dulce; ergo cũ inuicem negentur, a forma multiplicantur.

Resp. eas denominationes solum reduplicatiue, vt tales, *quà albnm, qua dulce*, &c. distingui, specificatiuè enim, & absolutè, potius inuicem affirmantur, *album est dulce* &c. Vnde nec dici potest, quod pomum sit multiplex concretum, sed solum quod in eo multa concreta consi-

rentur, per reduplicationem reflexam supra formas denominantes: atque ita non fit multiplicatio termini absoluta, & specificatiua, secundum directam significationē illius.

11 Obij. 3. Et replic. omnis multiplicatio concretorum est reduplicatiua: quia substantialia multiplicantur, in quantum substantiue concipiuntur secundum formam in recto; accidentalia in quantum adjectiue concipiuntur secundum subiectum. Ergo per ly *in quantum* erit reduplicatiua, atque adeo non specificatiua & simpliciter, tota concreto-rum multiplicatio.

Resp. nego anteced. Quia quando multiplicatio terminorū fit secundum modum, quo concipiuntur per definitionem directam specificativam, quasi connaturalem, tunc non dicitur reduplicativa, sed absoluta, & specificativa, & ita fit concipiendo concre a accidētalia adjectiuè, & substantialia substantiuè, quia accidēris natura petit adjacere alteri, substantiæ vero esse, seu subsistere perse; vt ait S. Th. n. 9. At quando hic modus concipiendi inuertitur, & substantiale concretum adjectiue concipitur, vt *homo* in triplici supposito ex d. præced. n. 15. & supr. n. 7. aut accidentale substantiuè, vt *album* neutraliter: tunc multiplicatio vel admatio est reduplicatiua, & reflexiua, non simpliciter absoluta, & specificatiua.

12 Obij. 4. Per nos d. preced. n. 7. rectum concreti substantiui est totum concretum; ergo non est sola forma rectum concreti substantialis, seu substantiui, aqua tantum debeat multiplicari.

Resp. dist. antec rectum concreti substantiui, reduplicatiue reflexe vt concreti totalis, concedo: specificatiue, & vt directè substantialis, nego. Sicut enim substantia diuidi-tur in *incompletam, & completam*, ita modus substantiue concipiendi, aut est completus, concretiuus, & totalis, & cùc illius rectū est forma metaphysica totalis, siue abstractum reflexum a toto concreto, v. g. *humanitas* ab homine, *Personitas* a Persona, &c. aut est partialis directus, & secundum formam quasi physicam, vt *humanitas* in homine, *Personalitas* in Persona, &c. & ab hac tantū sumitur multiplicatio absoluta concreti, à reflexionibus, & reduplicationibus præcisa.

13 Obij. 5. Casū quo vna diuina Persona assumeret humanitatem, nō esset triplex homo, alias tunc esset *alius, & alius*, ratione naturarum, vnde etiam nunc esset *alius, & alius*, ratione naturæ diuinæ & humanæ in Christo D. vt finxit Nestorius, contra quem clamant Patres, & Concilia. Ergo licet multiplicetur forma seu rectū substantiale, non multiplicatur concretum.

Resp. nego anteced. juxta n. 7. nego item quod tunc esset *alius, & alius*, masculinè, quia hoc sonat alietatem Personæ, quam Nestorius cō finxit in Christo D. At vero *aliud, & aliud*, quod designat *alietatem* in naturis, optime nunc etiam concedi-

tur,

ditur, vt ex SS. Patribus probat P. Orteg. d. 14. q. 4. c. 1. & tota q. 5. Unde in Christo D. dici potest, quod sit aliud, & aliud *viuens, intelligens*, vt bene etiam, notat P. Amicus ibi laudatus. Ergo casu quo verbum tres humanitates assumeret, licet non posset indefinitè *alius, & alius* dici, quia denotaret alietatem Personæ, bene tamen *alius, & alius homo*, sicut *aliud & aliud rationale humanum*.

14 Obij 6. Licet Pater, & Filius sint duo habentia vim spiratiuam siue spirationem actiuam Spiritus Sancti, per modum accidentis logici, relatiui, non minus quam attributa alia logice accidentalia; non tamē dici possunt duo Spiratores, ex Concil. Lugdun. & Florentino, S. Aug. & consensu Theologorum, contra Durandum, & Gregor. apud P. Martinon d. 30. de Trin. s. 3. P. Leonard. d. 56. de Trin. P. Ruiz d. 70. Ergo non omnia concreta accidentalia multiplicantur a subiecto habente.

Resp. Antec. negant docti Theologi apud P. Ruiz s. 2. n. 14. asserentes, *adiective* dici posse duos *spiratores*, sicut omnes concedunt duo *Spirantia*, & sicut S. Hilarius *duos Authores*; imo aliqui apud P. Ortegam ea d. 14. q. 8. cert. 3. etiam nomen *Deus*, adiectiuè plurificant, ex mysterioso illo primo totius Sacræ Scripturæ textu Hebræo: *In principio creauit Dij cœlum & terram*: & ex symbolo, *Deum de Deo*, &c. Sed nego conseq. Quia ideo *Spirator* non multiplicatur *adiectiue*, quia vi huius nominis substantiui in Ecclesia determinata est significatio substantiua illius, ita vt nunquam cadat directè supra duas personas vim spirandi habentes, atque adeo neque adjectiue, sed supra ipsas vt sunt *vnum principium*, juxta Concilia, & Patres, sicut sunt vnus Deus, relatiua speciali identitate, & immultiplicabilitate *in esse principij* Spiritus Sancti. Sicut ideo non possunt dici pluraliter adhuc adjectiue tres Dij, seu solum tria diuina; quia nomen *Deus* determinatum est ad *substantiuam* significationem, secundum quod est singulare ens a se absolutū essentiale seu substantiale in recto, quod immultiplicabile est. Nota tamen, hanc immultiplicationem *spiratoris*, dici *substantiuam*, non quia reduplicet supra *substantiam absolutā* Dei, quin potius supra vim notionalem relatiuam in esse principij spiratiui in recto; sed solum quia non est *adiectiua*, seu reduplicatiua supra personas, quæ se habent, *vt quod* respectu cuiusvis denominationis, vt *adiectiuæ*; quia imitantur modum habendi accidentales seu adiectiuas denominationes creatas; vnde dum hæ denominationes attributales diuinæ dicuntur *substantiuæ*, alio sensu tales sunt, ac creatæ. n. 7. indicato. Sed hæc Theologis.

15 Obij. 7. ex P. Lync. Licet Natura obiectiua vniuersalis sit multiplex, sit tamen vna per cognitionē, quæ est forma accidentalis; ergo a forma accidentali habet vnitatem. *Confirm.* Vniuersalia quidditatiua, *genus, species, & differentia*, sunt vna

entitas simpliciter; & tamen multiplicantur in esse vniuersaliũ a cognitionibus præscindentibus eas rationes; ergo a forma accidentali obiectum habet pluralitatem, in denominatione præcisiue cogniti, sive Vniuersalis.

Resp. dist. vtrumque anteced. *Concedo* quod per cognitionem, seu modum cognoscendi præscisiuum, reddatur formalis obiectiua vnitas, vel pluralitas vniuersalium. *Nego* tamen, quod non præcedat realiter in obiecto, tum fundamentalis, tum virtualis vnitas, & pluralitas formalitatum vniuersalium, ex d. 75, & 76. a quibus proinde vna, vel plures fiant. Vnde licet per vnam met cognitionem, v.g. per propositionẽ, *Homo est animal*, attingatur duplex vniuersale, tum specificum, ex parte subiecti, tum genericum ex parte prædicati, non ideo ambo sunt vnũ ratione cognitionis, siue formæ, propter virtualem pluralitatem obiectiuam realem obiecti, denomina ti subiecti. E conuerso etiã licet per innumeras cognitiones præcisiuas, attingatur *animal*, non ideo fiet multiplex vniuersale, sed vnum, ratione obiectiuæ vnitatis fundamentalis, & virtualis.

17 Obij. 8. Abstracta multiplicantur a toto adæquato cõstitutiuo suo; ergo pariter concreta.

Resp. neg. conseq. quia abstracta non concipiuntur connotatiue secundum vnam partem directam, & præcipuam, vt connotatiuam alterius minus præcipuæ, qualiter concreta omnia concipiuntur; sed secundum totam essentiam suam absolutè, & directe; & ideo secundũ totam illam multiplicari debet: secus vero concreta, quæ solum secũdum rectum directe concipiuntur, secundũ ipsum erunt multiplicãda; quia multiplicatio terminorum fit secundum quod a nobis significantur, vt docet S. Th. n. 10. Et de laboriosis Vniuersaliũ reflexionibus, non vltra.

TRACTATVS QVINTVS DE PRÆDICAMENTIS.

HIc incipit Aristotelis Dialectica, vbi desinit nostra. Vt enim bellorum ac temporum vicissitudine, Vrbium, imo Regnorum, habitationes fusque deque feruntur; & dum victoribus victi locum cedunt, vix nobiliores incolæ, & indigenæ patrias sedes retinere queunt, reliquis aut in suburbia detrusis, aut vltro in viciniores Prouincias commigrantibus: vt sacri profanique Chronologi circa Gentiũ dispersiones commemorant. Ita sane Logicæ nostræ antiquis tractatibus contigisse videmus, qui recentiorũ disputationum bello, & Scholarum

invicem

invicem sibi adversantium conflictu, præcipuas doctrinæ sales victricibus copijs cedere (non compulsi; & qua in Metaphysice campos libro integro de Ente ac Prædicamentis commigrare; qua in Animasticos tractationem de veritate, ac multiplici mentis operatione, ex libris Perihermenias, ac de Analysi vtraque, sensim traijcere; quæ demum pleraque de Terminis, Propositione, syllogismo, modo sciendi, ac Scientia, vnitate que ipsius, ex eisdem libris, ac Topicis, in Summularum, ac Prooemialium subsidia coercerí, pertulerunt; paucis leuisque armaturæ capitibus, patriæ propria ve in sede relictis. Nec solo quidem jure belli, sed etiam æqui, ac boni. Tractationum enim earum Materia, ad altiorum Scientiarum abstractiones, quæ aut essentias vniuersalissimas, aut naturam intellectualium actionum contemplantur, prorsus spectabat: vt omittam loca Topica, quæ majori ex parte ad Rhetoricos attinent; nec non Elenchos, qui ad Sophistarum fines, jam diu per Dialecticos exularunt; vt de singulis suo loco præfabor. Nunc ergo tria, quæ hoc opere Aristoteles comprehendit, *Ante prædicamenta*, *Prædicamenta*, & *Postprædicamenta* breuiter, vt præsentis videtur instituti, percurram.

DISPVT. CX.

De Ante prædicamentis.

QVæst. 1. *Num Tractatio de Prædicamentis ad Dialecticam, vel ad Metaphysicam spectet?* Respondeo ex Doctorum communi consensu, quem laudant P. Fonseca l. 5. Metaph. c. 7. q. 1. PP. Connimbr. hic *in proœm. §. communis tamen*. P. Suarez d. 1. s. 2. & 32, & 39. Metaph. P. Poza §. 2, *de Placitis Philosoph.* & facto ipso plerique cum P. Hurt. P. Ovied. P. Rhodes, & P. Lynceo sequuntur: ad Metaphysicam spectare, secundum res obiectiuas: ad Dialecticam vero, tantum secundum ordinationem, & directionem terminorum formalium. Quia Logica, vt pote practica, & directiua, non res, sed mentis operationes curat: e contra Metaphysica, vt citis abstractissimi contemplatiua. Vnde licet integra Prædicamenta hic olim in Manuscriptis dictauerim, & huc etiam nunc transcribenda parauerim; opportunius modo Metaphysicæ reseruabo, contentus leui disputatione, circa ordinanda Prædicamenta, seruiens etiam tempori.

2 Quæst. 2 *Quæ, & quot sint Ante prædicamenta?* Resp. esse quatuor, scilicet totidem Documenta, quæ Aristoteles hic cap. 1. 2. & 3. pro ordinandis suis Prædicamentis præmisit: de quibus late hic Card. Tolet. & PP. Connimbr. breuius P. Alph. d. 13. & d. 15. n. 33.

Primum *Anteprædicamentum* est circa distinguenda Vniuoca, Æqui-voca, Analoga, & Denominatiua; quæ definita sunt d. 13. a num. 8. & 28. tractanda in Metaphysica, vbi de Analogia, vel vniuocatione *entis*. Supponit autem hic Philosophus Prædicamentum, vniuocum esse

esse debere, vt pote genus, vel etiã genera, & species subse comprehendens.

3 Secundum *Antepredic.* duas continet Regulas. 1. De Termino *complexo, & incomplexo*, qui etiam cad. 13. n, 24. explicati sunt. Prædicamentũ autem *incomplexum* fore definit Aristoteles, quia solus est vnus terminus; complexus autem continet duos, vnde non potest esse vnum vniuersale, vt opus est Prædicamento. 2. Regula continet diuisionem quamdam *Eorum quæ dicuntur*, in quatuor membra: duo pro sustantijs, & deinde alia duo pro accidentibus, tum vniuersalibus, tum singularibus: quæ hoc ordine

4 Dividit Philosophus. 1. *Aliqua dicuntur de subiecto, & in subiecto non sunt.* Idest, dicuntur vt de subiecto inferiori, & non sunt vt in subiecto in hæsionis; scilicet *substantiæ* vniuersales, v.g. *animal*. 2. *Alia non sunt in subiecto, nec dicuntur de subiecto*: vt substantiæ singulares, v.g. *Petrus, Sol*, quæ nec de inferiori dicũtur, nec subiecto vlli inhærent. 3. *Alia dicuntur de subiecto, & sunt in subiecto*; vt accidentia vniuersalia, quæ de inferioribus dicuntur, & in subiecto inhæsionis recipiuntur, v.g. *color*. 4. *Alia sunt in subiecto, non tamen de subiecto dicuntur*; vt accidentia singularia v. g. *hæc Albedo A.* quę inferiora subiecta nõ habet, recipitur tamen in subiecto. Circa quas locutiones Philosophi latè otiantur, doctèque interpretes.

5 Tertiũ *Antepræ icamentũ* est de prædicatis essentialibus, de quibus statuit hanc Regulam: *Cum quidpiam de quopiam prædicatur, vt de subiecto, ea quæ de prædicato dicuntur, dicuntur etiam de subiecto*, V.g. si *homo* dicitur de Petro, dicetur etiam *animal*, quod dicitur de homine, juxta illud *Dici de omni*, de quo d. 36. n. 10. Quod non tenet in ijs, quæ accidẽtaliter dicuntur de prædicato; v.g. de *animali*, accidentaliter dicitur, quod sit *genus*, item quod sit *irrationale*, vnde de homine hæc dici non possunt.

6 Quartum *Antepredic.* eodem 3. cap. tradit Aristot. duabus Regulis. 1. *Generum diuersorum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt speciei differentiæ.* Idest, quod generum in diuersis Prædicamentis positorum, si alteri non subalternantur, non possunt in differentijs conuenire: vnde propterea substantia, & quantitas, earum que immediata genera easdem differentias non participant, præter transcendentales. 2. Reg. *Subalternorum vero generum nihil prohibet easdem esse differentias*: & hoc dupliciter. Tum v.g. Quia Planta, & animal sunt genera subgenere viuentis, gaudent eadẽ differentia vitæ vtrisque communi. Tum quia *practicum, & scientificum* ad inuicem sibi subalternantur, sub genere actus intellectus, gaudent eisdem communibus differentijs intellectionis affirmatiuæ, vel negatiuæ; iudicatiuæ, & discursiuæ, &c. Alij aliter explicant, sed obscurius.

DISP.

DISPVT. CXI.

De prædicamentis, quid, quot, & qualia sint?

1 QVæst. 1. *Quid sit Prædicamentum?* Resp. communi consensu, apud PP. Conimbr. hic c. 4. d. 2. græcè dici *Categoriam*, ab enuntiatione, siue prædicatione, sumpto vocabulo; hic autem vsurpari pro *supremo vnoquoque genere entis vniuersalissimi, continente ferè m generum, & specierum suo ordine vsque ad individua descendentium.* Vtg. Substantia, quæ continet genera *corporis, viuentis*, &c. vsque ad speciē, & individua hominis, descendendo. Ita etiam Qualitas Quantitas, &c. continent sua. Ex qua definitione, quæ eodem sensu, licet non eisdem vocibus, tradi solet ab omnibus,

2 Infertur 1. Prædicamenta plura semper esse debere, & sub aliquo *Ente*, seu genere vniuersalissimo contineri, vt *decem* statim ab Aristotele numerāda sub *ente vt sic*. Nec enim bene diceretur in ente politico, vg. Republica, esse vnum prædicamentum ciuium, scilicet *Homo socialis*; sed potius sub hoc quasi genere, multæ Categoriæ diuiderentur, *Nobilium, ppidanorum, & Plebeiorum*; aut etiam Magistratuum, Laureatorum, Militum, Opificum, &c. Item in Religiosa Republica, suæ etiam sunt Categoriæ, Magistrorum, Concionatorum, Operariorum, & c. nec bene diceretur vnum esse Prædicamentum, vel Categoriam, scilicet *Religiosi*; quia hoc potius est genus entis politici, vel moralis, subquo Prædicamenta sua numerantur. Ita etiā in opere suo de *ente supernaturali* d. 2. diuisit P. Ripalda Prædicamenta sua, vt *Gratiam actualem, habitualem*, &c. & P. Oñate T. 1. tr. 1. d. 2. de *contractibus*, illos in Prædicamēta, *juris, & bonæ fidei*; *nominatum, & innominatum partitur, & c.*

3 Infertur 2. Prædicamentum dupliciter sumi: aliquando enim pro solo supremo Genere Prædicamentali, alia continente, v.g. *substantia*: aliquando pro tota *Arbore* siue ordinatione generum, & specierum sub genere ipso collocatorum: ex quo varietas aliqua definitionum oritur, apud DD.

4 Infertur 3. Prædicamenta non esse speciale aliquod Sacramentum Dialecticum, indispensabile pro aliis generibus: sed sicut Aristoteles, pro vniuersa Philosophia comprehendit præcipua genera, quæ sub *ente* Metaphysica abstractissimè, alię vero Scientię Philosophicæ suis sub motiuis minus abstractè contemplantur: ita pro singulis eisdem Scientijs specialia prædicamenta possent coordinari. Atque ita Mathematica poterit sub genere vniuersalissimo *Quantitatis*, quod respicit, sua Prædicamenta suprema, quā ad figuras, qua ad numeros, qua ad lineas, spectantia dividere.

5 Quæst. 2. *Quæ, quot ve sint Entis Prædicamenta?* Resp decem ab Aristotele numerari. Quorum rationem ex S. Th. 5. Metaph. l. 7. colligere solent Dialectici cum Ocham hic.

c. 4. apud PP. Conimbr. Quia de ente substantiali decem prædicata possum interrogari. 1. Quid sit? seu quidditas; & hoc est *Substantia*. 2. Si corporeum est, quantum, seu quam extensum sit? & hoc est *Quantitas*. 3. Quale, vel qualiter affectũ sit per accidentia absoluta? & hoc est *Qualitas*. 4 Qualiter ad alia referatur? & hoc est *Relatio*. 5 Vbi sit, vel existat? & est *Vbi*, siue vbicatio. 6 Qualiter in loco situm sit, an stet, vel jaceat? & est *Situs*. 7 Quãdiu duret, quando ve incipiat, aut desinat? & est *quando*, seu durationis. 8. Quid agat, aquo agatur? & est *Actio*. 9 Quid recipiat, vel patiatur, & est *Passio*, 10, Quid habeat, quo se habitu induatur? & est *Habere*, seu habitus. Sed præter hæc nullum aliud genus, siue species entis, prædicari potest. Ergo optimè ad ea decem, omnia entis Prædicamenta redigun tur: præsertim cum omnia ea entia, siue distincte, siue indistincte existe re experiamur, vt optimè addit P. Suar. d. 39. s. 2.

6 Quæst. 3. *An numerus hic Prædicamentorum, neque augeri possit, nec minui?* Affirmant cum S. Thoma supra, & Opusc. 48. & Scoto in 4. d. 13. q. 1. a. 1. diuisionem *famosam & omnibus obseruandam* apellãte, ipsorũ Scholæ, & interpretes omnes Philosophi nostrique communiter cum PP, Conimbr. Card. Toleto, P. Rubio, & antiquioribus, quos ex RR. sequuntur P. Tellez d. 52. metaph. s. 3. P. Maurus q. 49. & P. Rhodes d. 2. q. 3. s. 2. nixi vna Aristotelis auctoritate; omnes tamen præter Gilbertum apud P. Suarez d. 53 s. 1. fatentur, non nulla ex his Prædicamentis, & præsertim *Habere*, si ve vestiri, esse puras denominationes extrinsecas, non minus quam esse dextrum, vel sinistrum, &c. ac proinde, non esse simpliciter entia, siue species entis, sed aggregatum quoddam entium.

7 Negant propterea, sacrum adeo esse hunc numerum, vt quasi Decalogum aliquem obseruare Dialecti cus teneatur, ita, vt vel in vno delinquens factus sit omnium reus; cũ potius, septem capitalibus vitijs laborare demonstretur, cum Nominalibus, P. Hurt. disp. 9. Metaph. sect. 2 & 3 P. Compt. P. Ovied. P. Alph. quos laudant P. Lync. l. 3. metaph. tr. 2. c. 3. & 4. Nostri RR. in præsenti communiter.

8 Probant. 1. Quia multa ex ijs Prædicamentis nõ sunt Ens vnũ reale simpliciter, vt *habere*, apud fere omnes: *situs* item est ab vbicatione indistinctus: *Passio* similiter ab actione; imo *quantitas* a re quanta, & Relatio Prædicamentalis a fundamẽto, per nos, & graves DD 2. Quia si semel detur locus denominationi extrinsecæ *habendi* vestes, & arma; cur non, & habendi nummos, seruos, & ancillas, item Dominum, & Maritum, vel vxorem? & quancumque aliam extrinsecam denominationem, amari, cogniti, honorati &c. De quibus, & similibus sudant, ac tident non parum citati DD. Tum quia sufficit reali prædica-

men-

trentorum diuisioni, quod ens in substantiam, & accidens diuidatur. Si enim species subalternæ substantiæ, cum plurimæ sint, & genericè diuersæ, & longè accidentibus nobiliores, vt *corporea, incorporea viuens, & inanimé*, specialia prædicamenta non faciunt; cur illa facere debeant accidentales species longè inferioris ordinis?

9 Iudico itaque, hanc diuisionem solam Aristotelis, S. Thomæ, Scoti, & Antiquorum Doctorum auctoritate firmatam, & politicam magis, *ac popularem* esse, vt loquitur P. Fō seca l. 5. c. 7 q. 2. s. 4. ad 5. quam Dialecticam stricté.

Prob. 1. Quia ipsi Aristot. & S. Th. supponunt, analogicè diuidi ens in hæc Prædicamenta, ac proinde in entia simpliciter, ac secundū quid talia. 2. Quia omnes DD. fatentur, latere sub *Habere* denominationes pure extrinsecas, quæ simpliciter ens non sunt, sed aggregatum entium, continere. 3. Quia, cæteri que DD. cum S. Th. Ferrariens. Soncin. Henric &c. quos laudant P. Fonseca q. 3. s. 2. & P. Suarez ea d. 39 s. 2. n. 2 1. fatentur, cæteraque accidentalia prædicamenta nondistinguuntur realiter, sed per rationem, vi formalitates, vel modi essendi, vel prædicandi. 4 demum quia secundū diuisio Scientiarum per abstractiones, facta est ab Aristotele, & S. Thoma, magis politicè, ac popularitèr, pro communiore traditione ipsarū, quā juxta naturā, & realē partitionem entis, ex d. 40, & 41. ista & Prædicamentorū diuisio fieri oportuit; cum hæc pro Scientiarum obiectis, & enunciationibus prorsus diuidantur. Unde cum tot Scientiæ præsertim Moralis, & Dialectica, denominationibus extrinsecis, tum moralitatum, tum vniuersalitatū a deo impendantur, forte sub habitu seu *Habere*, ijs locus est datus.

10 Quæst. 4. *Quæ sint Leges pro vnoquoque prædicamento Entis ordinando, juxta Philosophum?* Resp. Esse conditiones octo, quarum tres ad voces, seu Terminos formales spectant; quinque vero reliquæ ad res ipsas obiectiuas; ut celebri distichō, à PP. Conimbr. c. 4. Quæst. 2 concinnius concinnato, comprehenduntur.

Vox vna, & simplex, rebus concinna loquendis;
Entia, per se se, finita, realia, tota.

Tres ergo vocales conditiones, quæ primo versu clauduntur, sunt. 1. *Vox vna*, quod scilicet sit vniuoca, vt d. præc. n. 2. ex Arist. prämissi. 2. Quod sit *simplex*, seu incomplexus terminus, vt n. 3, ibidem admonui. Unde propterea definitio in prædicamento non collocatur, nisi quando vocū penuria in lege dispenset. 3. Quod sit *Vox, cōcinna* siue *accommoda rebus*; id est, abstracta pro accidentalibus, v. g. *color, alvedo*; concreta pro substantijs, v. g. *Corpus, vinens animal &c.* Adiectiua pro differentijs; substantiua pro generibus, & speciebus.

11 Quinquplex deinde conditio pro rebus sic præscribitur. 1. *Entia*

sint, nō figmēta, seu entia rationis. Non quia nō possint prædicamenta aliqua entium rationis, & moralium eformari ex d. 74. n. 12. sed quia Aristoteles hic prædicamenta solius entis realis distinxit. 2. *Per se*, idest, ne sint entia per accidens, sed simpliciter, saltem per vnionem, non per puram aggregationem, vt exercitus, Religio, vel per artificialem compositionem, vt domus, Cathedra, &c. licet similiter ac prædicta, alias, & alibi possint, tum in Politicis, tum in Mæchanicis ea prædicamenta distingui, maxime cum Habitus seu Habere, nihil sit amplius.

3. *Finita*, idest, quod secundum *genus* in linea recta collocatum, infinita non sint, licet secundum speciem & differentiam talia esse possint, vt d. seq. constabit. 4. *Realia*, i. e. ñ, nō sint puré secundo intentionalia, scilicet, quæ in his Prædicamentis, entis realis collocentur; si vero alia *Entis obiectiui*, vel puré *denominatiua dialectici*. Prædicamenta quis instituerer, sicut de contractibus dixi n. 2. nulla lex posset prohibere. 5. *Tota*, sint videlicet entia *completa*, seu per modum entis metaphysicè considerij, quæ in recta linea collocandi: licet nihil prohibeat entia physice incompleta esse genera, & in aliis Prædicamentis, extra hoc territorium Aristotelicum, vbi hæ leges non obligant, collocari, ex d. 94. n. 16.

12 Ex dictis sit 1. plures quæstiones esse tantum de nomine, ac libi Aristotelis, circa harum conditio-

num necessitatem, vt nostri, cum P. Hurt. P. Arr. & P. Lync. bene observant. 2. Prædicamenta nōn in solis vocibus consistere, vt Nominales voluerunt, cum etiam res obiectiuas requirant, vt de prædicabilibus etiam ostendi, d. 74. n. 14. sed circa conditiones sit

13 Quæst. 5. Utr. *abstracta substantialia in prædicamento collocari possint?* Negant, qui d. 107. n. 1. negarunt, ea esse prædicabilia. *Affirmo*; tum ex ibi dictis, tum quia genus ipsum, seu prædicamentum primum *substantiæ* etiam est abstractū, eque de abstractis, ac de concretis prædicabile. Ergo.

14 Quæst. 6. *Utrum accidentia solum in abstracto*, v. g. color, albedo, *collocentur* in *prædicamento*? Affirm. Themistæ plerique cum, & apud Cōplutens. d. 5. q. 2. & d. 11. n. 61. & ex nostris P. Fons. lo. c. 7. q. 5. s. 5. Pl. Conimbr. hic q. 2. a. 1. P. Oicina a n 1612. Tum quia Accidentia in concreto sunt entia per accidens, & ex duplici prædicamento, tum substantiali, vt subiecto, tum accidentali, vt forma, conflurgunt. Tum quia in concreto directe potius supponunt pro substantia in recto, seu subiecto, quam pro accidente ipso. Tum quia in concreto non sunt vnum ens simpliciter, seu *per se*, vt requirit lex n. 11.

15 Nego cum Card. Toleto q. 2 P. Hurt. d. 9. s. 33. & 37. P. Oviedo. 2. metaph. p. 1. P. Alph. d. 15. s. 2. n. 11. Tum quia Arist. 7. Metaph. c. 10. Aristotelis, circa harum conditio- 4. asserit in prædicamento accidentium

tium directe poni substantiam, & in præsenti etiam ea Prædicamenta in concreto numeravit, scilicet, *quantum, quale, ad aliquid*, &c. *Tum* quia concretum accidentale est vnũ simpliciter, per intrinsecam vnionẽ subiecti, & formæ, non minus quam substantiale, cum vnio propria faciat vbique propriè vnum: & hoc sensu est vnum *perse*. Tum quia licet subiectum sit substantia, cum accidẽti, tamẽ media vnione accidẽtali, fit vnum accidentale, siue accidens vnum compositum, non minus quam partes albedines faciunt vnam albedinem. Tum quia licet faceret vnum per accidens, nõ ideo esset excludendum; cum *Habere* seu habitus vnum per accidens sit: & per hæc patet ad opposita.

DISPUT. CXII.

Vtrum Deus in Prædicamento possit collocari?

1 PRima sent. negat cum Aristotele, S. Thom. & Scoto, quos vtraque Schola sequitur, cum & apud Complut. d. 12. q. 5. n. 30. M. Ioan. Th. hic q. 11. a. 1 Poncium d. 12. q. 3. n. 24. nostri plerique cum P. Suarez, P. Mol, P. Vazquez, P. Valent. P. Rub. PP. Cõimbr. P. Fonseca, &c. quos laudant, P. Tellez d. 6. s. 2. n. 4. P. Amic. 1. p. d. 5. n. 16. P. Fasol. 1. p. q. 3. a. 5. dub. 2. P. Maur. q. 51. P. Rhodes d. 4. q. 3 s. 2. §. 2. P. Alph. d. 16. a. n. 28. &c.

2 Secunda nostra sententia affirmat cum Nominalibus, & Aureolo Boneto, & Scotista Smiling. quos laudat P. Yzquierd. 1. p. d. 11. q. 5. n. 50. P. Hurt. d. 9. metaph. s. 4. P. Arr. 1. p. d. 2. s. 3. & d. 3. metaph. s. 2 P. Quiros 1. p. q. 3. a. 5. P. Lync. l. 9. Dial. tr. 7. c. 1. P. Ovied. c. 5. metaph. p. 2. n. 5. P. Olcina n. 1516. & 1655. & nostri RR. communiter cum Caramuel in Metalog. n. 761.

3 Prob. 1. ex SS. PP. S. August. 5. de Trin. c. 8. inquit: *Sacram Scripturam de Deo loqui secundum Categorias, seu quasi Prædicamenta, aliquando propriè, vt cum spiritus, & substantia dicitur.* S. Damascen. in Element. c. 8. *Substantia, quæ continet super substantialiter increatam Deitatem, cognoscibiliter autem continet omnem creaturam, generalissimum est genus.* Quid apertius pro collocando Deo, sub genere, & prædicamẽto *substantiæ*? Consonat l. 3. de fide c. 4. Deum apellans speciem. Nec omnino dissentit S. Th. 1. p. q. 28. a. 2. ad 1. inquiens: *Propter hoc dicuntur Deo tantum esse Prædicamenta in diuinis: scilicet substantiæ & relatio.* Affirmatur etiam Boetius, & alij PP. quorum communem consensum tessatur Aureolus in 1. d. 8. p. 4.

4 Prob. 2. Ratione, supponendo ex Metaph. inter Deum, & creaturam posse dari conuenientiam vnivocam in ratione *entis*, cum omnino conueniant in esse *possibilis*, seu non repugnantis existere. Disconuenientia enim, & excellus infinitus, se habet ex parte differentiæ vltimæ, non secus ac inter creaturas. Ergo pariter, & in genere substantiæ conuenient vnivoce, ac proinde tan

quam

quam in genere, sub quo prædicamentaliter collocetur. Conseq. probatur: Quia non minus cõuenit Deus cum creatura, in eo quod sit *ens per se*, siue *subsistens*, (quæ est definitio substantiæ) quam in definitione entis; sed conuenientia secundum eandem definitionem, est vniuoca, & prædicamentalis, vt patet inductione, & ipsa paritate entis; Ergo

5 Obij. 1 autoritas Aristot; S. Th. S. Aug. & antiquiorũ DD. quæ in re de nomine summi est nomẽti. Ergo.

Resp. 1. solum negare de facto, siue in prædicamentis, vt de facto institutis ab Arist Deum contineri; quia pro primo prædicamento *substantiæ* accipit eam rem quæ substat accidentibus, quo pacto Deus substantia nõ est. Reliqua vero prædicamẽta sub genere accidentis cõprehendit, sub quo nihil diuinum cõtineri potest. Unde si præscindantur ab ijs imperfectionibus, vt fieri potest per definitiones abstractiores, prædicamenta tam substantiæ, quam relationis, imo & vbicationis; nil verat, quod Deus eiusq; prædicata sub prædicamentis contineantur, Et hoc sensu possibili consentiunt ipsi SS. PP. n. 3. & sic procedit nostra *sent.* 2. solum negant aliquod prædicamentum entis infiniti simpliciter per modum generis, sub quo Deus collocari possit, alias essent possibiles aliæ species infinitæ simpliciter: vt dicam n. 9.

6 Obij. 2 Id Deo dari nequit obiectiua compositio, adhuc per rationem, quia adhuc per rationem Deus concipi debet, vt perfectissimum cogitabilium, ac proinde, vt simplicissimum, siue a se indiuisibiliter continens omnem perfectionem. At si in Deo esset genus, illud diceret perfectibilitatem, compositionem, & complebilitatem, quia genus nisi vt contrahibile per differentiam concipi nequit. Ergo in Deo non est genus, ac proinde nec prædicamentum, sub quo sit.

Resp. distinguendo maj. in Deo dari nequit obiectiua compositio, positiua formalis, siue actualis, quæ opponitur simplicitati, *concedo*, præcisiua, virtualis, siue concepibilitatis in adæquatæ, idest, connotantis inadæquatos præcisiuos conceptus nostros, *nego*. Quia hæc nõ est eam positio simpliciter, sed tantum ex modo nostro concipiendi; quæ solũ arguit imperfectionem conceptus nostri, non valentis Deum cognoscere adæquatè, sicut est in se, sed in adæquatè, compositiue, & præcisiue. Eo modo quo ab ipsis Adverss. admittitur inter essentiam diuinam & eius Personalitates, distinctio, compositio, perfectibilitas, & complebilitas virtualis obiectiua, nullo modo opposita diuinæ simplicitati, & infinitati perfectionis,

7 Obij. 3 Genera Prædicamentalia non sunt de essentia differentiarum; sed de essentia differentiæ Dei essent omnia genera, quia Deus secundum suam vltimam differentiam est simpliciter infinitus, ac proinde in omni genere entis, omnem perfectionẽ cogitabilem claudens.

Ergo

Ergo respectu Dei genus Prædicamentale esse non potest.

Resp, neg. maj. ex d. 100. & quia licet prædicamentum, quod de facto composuit Aristoteles, constet aliquibus differentijs extrahentibus, non includentibus genus, id tamen opus non est, pro omni genere, & prædicamento possibili, quod differentias formales transcendere posset, & præsertim quæ simplices non sunt, sed compositæ ex generibus, qualis est differentia, *omni perfecti*, siue simpliciter infiniti in Deo, ex ipsa d. 100. n. 13.

8 Obij. 4. Non solum differentia, sed etiam quodcumque prædicatum, ac proinde etiam generi cū, repertum in Deo, debet esse simpliciter infinitum, quia in quovis eorum habet Deus infinitatem formalissimè: ergo nullum eorum erit genus.

Resp, dist. causalem antecedentis, quia in quovis prædicato habet Deus infinitatem, secundū præcisam rationem prædicati, in qua cōuenit cum creatura, *nego*; secundum taleitatem divini, in qua differt, *concedo*.

9 Obij. 5. Ens prius contrahitur per differentias finiti, & infiniti, quam substantiæ, & accidentis; ac proinde si Deus esset sub aliquo genere entis, esset sub genere infiniti; sed genus infinitum debet habere speciem infinitas; ergo daretur alia species entis perfectione infiniti, præter Deum.

Resp. nego maj. quia si ens contraheretur prius per differentias infiniti, quā *per se*, & *in alio*, ens infinitum diuideretur in substantiale, & accidentale; quod absonat. Differentia ergo infiniti non est propria & immediata entis, nisi, vt contracti ad rationes *substantiæ*, *spiritus*, *viuentis*, *intellectiui*, quæ omnes præscindi possunt a finito, & infinito; & proinde ex illis omnibus componitur Prædicamentum substantiæ, quod contrahitur ad Deum, per differentiam *infiniti* simpliciter.

10 Obij. 6. Si Deus esset sub Prædicamento substantiæ secundum essentiam; esset sub prædicamento *Relationis* secundum Personas, quæ cōstituuntur relationibus Patris, & Filij, & Spus. S. & similiter diuina Aeternitas sub prædicamento *durationis*, & Immensitas sub *vbi*: ergo esset sub diuersis prædicamentis, secundum vnam realem entitatem.

Resp. concedendo totum, si deberentur prædicamenta reliqua a ratione accidentis, quæ de facto inficiuntur, vt est possibile, præscindendo ea prædicata, a finito, & infinito, accidentali, & substantiali; vt loquuntur S. Aug. & S. Th. n. 5. nec repugnat eandem entitatem, secundum diuersas formalitates, esse sub diuersis prædicamentis, vt cum S. Th. P. Suar. &c. dixi d. præc. n. 9.

11 Obij. 7. Deus non est species, alias ab alio solum individualiter differret, necnon definibilis seu di-

visi-

nibilis esset; neque est individuum, cum non sit omnino singulare, in ratione Personæ; neque item est genus, vt patet; ergo non potest in prædicamento collocari, in quo solum species, & individua ponũtur subtus genera.

Resp. neg. anteced, quia Deus, & est species subijcibilis non multiplicabilis, sicut Michael Thomisticus, ex d. 96. a n. 14. & est definibilis ex d. 10. n. 15. & est individuum singulare, in esse Dei, licet non in esse Personæ, vt sæpus dixi. Alias obiectiones soluam in Metaph. ostendens vniuocationem entis, & aliarũ rationum, inter Deum, & creaturam.

DISPUT. CXIII.

De ordinanda arbore Prædicæ, mentali.

QUæst. 3. *Vt componatur arbor Prædicamentalis?* Resp Componi, ex linea recta quasi trunco, & duabus lineis lateralibus quasi ramis. Vnde tribus modis collocatur res in prædicamento, 1. *directè*, siue perse, & absolute, scilicet quæ in recta linea. 2. *indirecte*, siue vt prædicabile indirectum, scilicet quæ in linea dextra lateali. 3. *reductiue, & peraccidens*, scilicet *oppositæ*; quod fit hoc ordine.

In linea scilicet recta collocantur genera & species, quę *substantiue in quid* prædicantur, ordine suæ contractionis, vt *substantia, corpus, viuens, animal, homo*; quæ quia per se vt substantiua dicuntur, *directe, & absolutè* collocari dicimus. In lineis vero lateralibus collocantur differentiæ diuidentes, cõtrahentes que genus superius, & constituentes oppositas inferiores species sibi æquales; & dicuntur *collocari indirecte*, seu lateraliter, quia adiectiuè, seu adiacenter. Sed non eodem modo: quia in dextra linea collocantur differentiæ constituentes speciem collocatam in recta linea, vt *corpoream, animatum, sensibile, rationale*: in sinistra vero oppositæ differentiæ, seu quæ repugnant speciebus directè collocatis, vt *incorporeum, inanime, insensibile, irrationale*. Dicuntur etiã reductiuè ad prædicamentum spectare, quæ quouis alio modo, vt coniuncta, vel connexa enuntiantur, vt loquitur S. Th. q. 7. de pot. a. 3. ad 7. Ordinatio tota iam patebit ad oculum in arbore statim subijcienda, pro Prædicamento substantiæ, deducto vsque ad speciem, & individuum hominis; de quo primariè agit tota Philosophia, & propterea ex Aristotele, & Porphyrio, lucas Dialecticis inferitur, in exemplar pro reliquis Prædicamentis ordinandis.



2 Quæst. 2. *Vtrum Differentiæ directe collocentur in Prædicamento?* Affirmat P. Hurt. ea d. 9. s. 30. cum Ammonio: quia etiam differentia, vt pote vniuersale, & totum ipotestatiuum a tota entitate desumptum potest in recto prædicari.

Negat cum reliquis Dialecticis, contrarium supponentibus ex conditione totalitatis completæ ad prædicamentũ requisitæ, apud P. Suar. d. 32. s. 1. n. 22. P. Conimbr. ea q. 2. a 2. conditione 8. ex P. Fonseca c. 7. q. 8. Tũ quia licet differentia sit totum

torum, siue quid completum implicitè, & in re, non tamen in modo significandi; quia prædicatur, vt adjacens, ac proinde vt incompletum & indirectum. Tum quia ita Aristoteles instituit, vt in recta linea essent, solum quæ rectè seu directè, id est, substantiue enuntiantur.

3 Quæst. 3 Vtr. *Prædicamentum, seu primum genus Arboris, debeat esse supremum, siue enti immediatum?* Resp. in hoc prædicamento substantiæ, rale reuera esse, quia licet *corporeum, & incorporeum*, diuidantur etiam in *substantiam*, & *accidens*, hæc tamen etiam vicissim, in *incorporeum & corporeum* diuiduntur; vnde sunt ad inuicem subalternatim posita, & enti partim immediata, & immediata partim. In reliquis vero Prædicamentis, omnes supponunt, *accidens* immediatius esse enti, & illa omnia subse continere.

4 Quæst. 4. *An reliqua genera arboris sint immediata?* Resp. negatiue. Quia *Corpus* prius contrahitur, per *generabile*, seu *corruptibile*, oppositum *cælesti*, deinde per *mixtum*, oppositum *elementali*; quam per *viuens*, ad *animal*, & hominem: vti suæ Arbori Complutenses inseruerunt, d. 6. q. 5. n. 44. Sed ne truncus prolixior euaderet, nostri secuti Porphyrium, vtrũque amputarunt: sicut etiã propterea viuens corpori subiecerunt, & rationale sensibili, cum ex parte sint superiora, ex d. 101. n. 4. vt mutuo subalternata.

5 Quæst. 5. *Vtrum Christus D. sub hac arbore contineatur?* Negant qui specialia prædicabilia assumptiua requirunt, ex d. 104. Affirmo cum reliquis, ibi laudatis, & Complutens d. 12. a. n. 33. P. Oleina an. 1662. Quia Christus D. vt homo, est eiusdem speciei nobiscum, ac proinde eiusdem prædicamenti. Quo Deus tamen, & homo, altioris erit ordinis sub ipso substantiæ prædicamento, juxta disp. præced.

6 De Angelis nihil est specialiter excit. DD. quod addatur, nisi eo ipso ordine generum collocandos in prædicamento, quo Deus, scilicet, *substantia viuens, intelligens, spiritus, Angelus, Michael.* Nec nego alia posse interponi genera, v. g. simplex, indiuisibilis, &c. si quis velit a possibilibus alijs spiritibus eos distinguere. Cœli, Bruta, mixta, & elementa, sub eadem arbore prædicamentali hominis requiescunt, a ramis suarum quæque differẽtiarum.

DISPVT. CXIV.

De Post Prædicamentis.

1 POst prædicamẽta sunt quinque Modi ipsorum Prædicamentorum, quos propterea post ipsa Philosophus a cap. 10. vsque ad 14, postremumque libri, pertractauit, & inde nomen eis indidit. Illi autem sunt, Modi, *Oppositionis, Prioris, simul, Motus, & Habere.* De quibus latè Commentatores; reliqui DD. & nos in Physica deplerisque.

2 Oppositio est quadruplex. *Contraria*, quæ repugnant positiuè in eodẽ subiecto, vt *Color, & frigus*: *Contradictoria*

dictoria, quæ negatiuè repugnant, vt *Lux, non Lux. Priuatiua*, quæ etiam negatiuè, sed in subiecto apto repugnant, vt Lux, tenebræ. *Relatiua*, quæ mutuo correlativè in eodē repugnant, respectu eiusdem, vt Pater, & filius. Addit Philosophus quasdam proprietates contrariorū: vt, quod malum est contrarium bono, malo autem, & bonum, & malum, vt *Auaritiæ prodigalitas, & liberalitas*; & sic alia non huius loci. Vtrum autem cōtraria sint quæ sub eodem genere maximè distant, idest summè, vt ex Philosopho vult P. Linz. Tract. 3. n. 13. An verò prudenter taxanda sit hæc distantia, vt possit esse major, vel minor, vt Albedinis cum nigredine, & rubedine? vt vult P. Suar. d. 45. s. 2 n. 9. multum habet de nomine.

3 Prioritatis, & Posterioritatis modos quinque numerat Philosoph 1. Tempore, vt inter Patres, & filios. 2. in subsistendi consequentia, vt d. 94. n. 1. inter genus, & differentiam n. 3. Ordine, vt inter præmissas, & conclusionem. 4. Dignitate, vt Principis ad Plebeium. 5. Naturæ seu causalitatis, vt inter Solem, & lucem, Causam, & effectum. Et ad hanc etiam pertinet Prioritas originis, siue influentiæ, ac processionis absque causalitate, quæ solum datur in diuinis, Patris ad Filium, & vtriusque ad Spiritum Sanctum; non agnita à Philosophis.

4 Modos *simil*, seu simultatis recensent tres Aristoteles. 1. Tempore, quæ simul incipiunt, aut coexistunt, 2. Natura, & consequentia, vt sor relatiua, 3. Ordine, seu diuisione generis, vt duæ species homo, & brutum, sub animali. Possent que alij modi simultatis, juxtamodos prioritatis excogitari; tribus tamen contentus fuit Philosophus, quia hi præsertim opponuntur prioritati alicuius successionis.

5 Motus species, sex enumerat. Duas substantiales, Generationem, & Corruptionem, quæ sunt motus, ad formam substantialem adquirendam, vel amittendam. Duas alias ad quantitatem, scilicet augmentationem, & diminutionem, quibus corpus fit majus, vel minus. 5. Secundum qualitatem, est Alteratio, per calefactionem &c. 6. Ad locum, quæ est motus localis.

6 Modos tandem habendi 7. inuenit Aristoteles, qui tribus possunt comprehendi. 1. Intrinsecus per vnionem, vt aqua habet frigiditatē, calorem, &c. 2. Intrinsecus per identitatem, vt homo habet rationalitatem, &c. 3. Per extrinsecam denominationem, vt Homo habet vestes, Arma, &c. Et sub hoc multiplicat Aristoteles, habere aliquid in membro, vt annulum in digito; item in vase, vt vinum in amphora; deinde possidendo, vt agrum; Demum cohabitando, vt vxorem. Sed ita posset multiplicare in infinitum modos habendi, jura, Dominia, debita, Amicos, inimicos, Discipulos, & Magistros; atque adeo non solū septies, sed vsque septuagies septies.

TRACTATVS SEXTVS,
IN LIBROS PERIHERMENIAS,
SIVE,
DE INTERPRETATIONE.

DVobus his libris de interpretatione agit Philosopus de enuntiatione, quã mentalem quandam interpretationem esse optimè dicunt, cum S. Thoma, PP. Conimbr. alijque DD. apud ipsos, eo quoá media illa animi sentum, apprehensione conceptũ, quodammodo exprimimus, ac mentaliter interpretamur. Unde audiendi minimè sunt Nominales, qui cum Boetio vocali interpretationi tractandæ hos libros adscribunt, cum de vocibus tantum in mente conceptuũ Logica tractet, ex d. 46. Eum ergo in scopum toto libro primo per octo capita, de *Nomine, verbo, oratione, & oppositione* Aristoteles disputat, vt toto secundo libro tractarum de *enunciatione*, præsertim modali, suis quatuor capitibus plenius absoluat. Quæ omnia cum tr. 1. Summularum abunde explicuerim; solum superest, vt quæ primo capite prioris horum librorum, de signis, in voce præcipue ac scriptura nostra contentis, breuiter prælibauit, & ipsi etiam breuiter deliberemus: remissis in Animasticos libros tractatione de veritate ac falsitate signorum, ac enuntiationum; si ve potius, tanquam propriori suo loco, vt præfatus proxime fui, jure optimo Animasticæ restituta.

DISPUT. CXV.
De signo: quid, ac quotuplex, & quale sit.

1 QVæst. 1. *Quid sit signũ?* Resp ab omnibus hic supponi eam definitionem S. Aug ex d. 11. n. 3. *Quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit nos in alterius cognitionem venire*; tolis signis sensibilibus, & instrumentalibus conuenire, vt ibi dixi. Vnde vniuersalius definitur, ex S. Th. in 4. d. 1. q. 1. a. 1. ad. 1. 2. quæst. *Dicendum, quod signum importat aliquod notum quoad nos, quo manudicimur in alterius cognitionem.* Vnde PP. Conimbr. hic c. 1. q. 1. a. 1. P. Arr. d. 13. s. 1. P. Lyn. l. 6. tr. 1 n. 1. P. Compt. d. 41. s. 1. P. Quiros d. 39 s. 1. optime hanc colligunt definitionẽ: *Signũ est, quod facit nos in alicuius obiecti cognitionem venire*: vt fumus in cognitionem ignis. Ponitur, *alicuius*, non *alterius*, quia etiam in sui cognitionem ducit, vt dicam n. 4. & 5. Ly *obiecti*, quia etiam *entis rationis*, v.g. ab Angelo in cognitione nostra

chimæræ

chimærę, hæc cognoscitur. Ly *facit* sonat actum primum pro signo *instrumentali*, secundum vero pro *formali*, jam explicandis.

2 Quæst. 2. *Quotuplex sit signum?* Resp. dividi qua triplicem. 1. in formale, & instrumentale. *Formale* dicitur cognitio, quæ se habet, vt forma, eo quod se ipsa formaliter ad notitiam ducat, scilicet per se ipsam notificando objectum. *Instrumentale*, quod vt medium objectiuũ, media sui cognitione movet ad aliud cognoscendum, vt fumus ad ignem, voga ad Senatorem cognoscendum. 2. in Naturale, & Arbitrariũ. *Naturale*, quod ex natura sui, & connexione intrinseca ducit, vt fumus ad ignem. *Arbitrariũ*, quod artificiale, & ad placitum etiã dicitur, quod ex institutione agentis intellectualis significat, vt vox obiecta, Sacramentum gratiã. 3. in *practicum*, & *speculativum*. Illud quod significando mandando, vt Sacramenta gratiam, lux calorem. Hoc quod pure significat, vt Scriptura vocem. 4. in *Rememorativum*, designans rem præteritam, vt solet cinis ignem extinctum, Eucharistia mortem Domini: *demonstrativum*, rem præsentem signans, vt lux solem; & *Prognosticon*, rem futuram, vt pulsus mortẽ. Ita S. Th. 3. p. q. 60. a. 3. c.

3 Quæst. 3. *Vtrum signum formale sit propriè, & vniuoce signum?* Negant PP. Conimbr. hic. c. 1. q. 2. a. 3. f. 3. P. Alph. tib. 1. sum. c. 3. n. 4. &c. Tum quia ducens, *vt quo*, ad cognoscendum, est impropriè ducens, licet albedo est alba, *vt quo*, atque adeo improprie. Tum quia non est assignabilis vnus conceptus communis, in quo conueniant ducere *vt quo*, & *vt quod* ad notitiam objecti. Tum quia etiam obiectum ducit in notitiam sui, sicut cognitio, neque est signum sui.

4 Affirmo cum S. Th. expresse ita affirmante, q. 4. de ver. a. 2. ad 7. & quod l. 4. a. 17. & Scoto in 3. d. 14. q. 3. quos laudant Thomistæ cũ Joan. Th. q. 22. a. 1. & Scotistæ cum Poncio d. 19. q. 1. n. 3. probematico, P. Lyne, eo l. 6. tr. 1. n. 13. P. Suarez tr. 5, d. 2, n. 18. P. Fons. P. Hurt. P. Arriag, &c.

Prob. 1. Quia cognitio vere designat, & significat obiectum suum, sicut imago suum imaginatum. 2. Quia sicut causa formalis quæ est causa *vt quo*, & efficiẽs quæ *vt quod*, conueniunt in esse causæ facientis effectum; ita signum vt *quo*, & vt *quod*, in esse medij facientis nos venire in notitiam obiecti; ergo æquè proprie, atque vniuocè. 3. Quia albedo non est *alba* absolute, at cognitio facit absolute nos cognoscere. 4. Quia etiam objectum secundum vnã formalitatẽ potest esse signũ sui secundũ aliã; vt essentia ducit nos in cognitionem suorum attributorum, & e conuerso. Unde patet ad argum contraria.

4 Quæst. 4. *Vtrum detur signum reflexum sui?* Negant PP. Conimbr. supra, & P. Alph. ibidem, n. 3, quia nihil est imago sui, nec sibi simile, nec ad se refertur, vt petit ratio signi. Affir-

Affirmo cum P. Arr. ea d. 18. s. 1. P. Tellez d. 9. s. 3. P. Compt. s. 2. n. 3. P. Quiros t. 1. P. Lyncæo c. 1. n. 4. Tum quia ex dictis ea d. 11. potest esse cognitio, & vox reflexè significativa sui. Tum quia ea relatio ad se ipsum, vt significatum, est relatio purè intentionalis, quæ contenta est distinctione intentionali formalitatum, seu conceptibilitatum, vt dixi d. 8. n. 3. Tum quia licet ratio imaginis, vel similis, aut dissimilis in prædicatis physicis, vel externis, petant distinctionem realem; non tamen in prædicato intentionali, vel representativo, alias neque Scientia diui a posset reflexè representare se ipsum; ergo pariter poterit esse signum sui ipsius representativum.

6 Quæst. 5. *Vtrum omnis causa possit esse signum sui effectus?* Negant Thomistæ aliqui cum Hurtiz conf. 5. P. Ovied. c. 8. q. 1. n. 3. & P. Hurt. d. 8. Log. s. 8. Quia debet esse minus perfectum, & dependens à re significata, atque adeo non potest esse causa, præsertim principalis, & perfectior effectu.

7 Affirmo cum S. Th. q. 9. de verit. art. 4. & 5. PP. Conimbr. q. 2. art. 1. s. 5. Fagabi. P. Lyc. n. 8. & 10. P. Arr. supra & P. Tellez, nostrique communiter 1. Quia quodcumque medium connexum ducit ad cognoscendum terminum connexionis, & consequenter, vt signum ipsius; sed quævis causa connexa est cum effectu. Ergo est medium, seu signum ad effectum cognoscendum. 2. Quia ex cognitione solis, vel ignis à longè v. g. cognoscimus tanquam ex signo calorem, siue calefactionem. 3. Quia Sacramenta definiuntur signa gratiæ, quam causant, & vt causæ sunt signa practica illius. 4. Quia per accidens se habet perfectio major medij, vt signum dici possit; vnde in Deo tanquã in signo optimè possunt Beati Creaturas dignoscere, nisi fiat quæstio de nomine.

8 Quæst. 6. *Vtrum species impressa sit signum formale obiecti?* Negant P. Hurt d. 1. Summul. n. 29. P. Arr. d. 13. s. 2. Quia non est medium representativum formaliter, seu ducens formaliter se ipsa ad notitiam obiecti.

Affirmant P. Tellez d. 9. & d. 10 s. 1. P. Compt. d. 41 s. 1. n. 3. P. Lin. supra n. 13. Quia species ducit ad cognitionem obiecti, sed non vt signum instrumentale, cum non ducat vt medium cognitum. Ergo vt signum formale. Iudico item de voce maximè si hi DD. velint, quod etiam intellectus sit signum, quatenus ipso, vt determinato per speciẽ, etiam ducimur ad notitiam obiecti; vt asserit P. Arr. ea s. 1. contra P. Tellez, P. Lync. & alios.

9 Quæst. 7. *Vtrum Respectu Dei detur signum?* Negant P. Vazq. 1. p. d. 57. n. 23. P. Alarcon de Scient. d. 2. c. 3. P. Hurt supra s. 2. Quia signum juxta S. Th. & Thomistas, quos sequitur Ioan. Th. q. 21. a. 1. debet esse manifestius, quam signatum, cũ sit huius manifestativum; respectu autẽ intellectus diuini omnia sunt æquè manifesta.

Affir-

Affirmant P, Suarez. P. Gran. P. Ruiz. & alij, quos sequuntur P. Telles d. 9. s. 4. n. 6, & P. Suar. Lusit. tr. 5. d. 1. n. 86. afferens etiam S. Th. Cajet, &c, Quia Deus cognoscit connexiones causarum cum effectibus, & effectuum cum causis, ergo in illis vt in medijs cõnexis, ac proinde vt in signis, cognoscit terminum connexionis, vt signatũ. *Confir.* Quia Deus in vocibus humanis cognoscit significata, de quibus loquimur. Ergo vt in signis.

10 Iudico litem esse de nomine, si quis velit medium obiectinum â signo distinguere. Aliter autem lis pertinet ad Theologos in 1. p. ubi inquiritur: *An Deus cognoscat vnum in alio, vel ex alio, & an ex vitalis actus possit vnum cognoscere expressius alio?* De quo ibi egimus.

11 Quæst 8. Vtr. *Motio siue ductio signi ad cognoscendum signatũ, effectiua sit, per species excitatiuas cognitionis?* Affirmant aliqui apud Ioan. Th. q. 21. art. 2. Nego cum ipso, & cum omnibus nostris DD, laudatis d. 40. q. 2. Tum quia ratio objecti motiui est puré intentionalis, nõ physice causatiua respectu cognitionis, vt patet respectu intellectus diuini; sed ad rationem signi sufficit quod sit obiectum motiuum. Ergo. Tum quia ratio signi solum consistit in reali connexione medij cũ significato termino, ex qua intellectus comparat speciem discursiuam, & illatiuam termini signati, ad quod minimé requiritur, quod medium ipsum causet speciẽ termini. Tũ quia posito signo, posset a Deo, vel Angelo produci species de connexione illius cum significato. Ergo opus non est, vt illa species â signo producatur. Tum demum quia multa, signa movent ad cognoscendum significatũ per solam similitudinem; vt tenet P. Tellez contra Ortiz, & patet ex picturis, & imaginibus; quæ per similitudinem delineamenti, & figuræ, ducunt ad cognitionem Prototypi: item ex narrationibus eventuum, quibus ad alios similes referendos excitamur. Sed obiectum simile non habet vim causandi speciem pro alio distincto consimili, alias per speciem vnius hominis, omnes alios in indiuiduo cognosceremus. Ergo

12 Quæst. 10. *Quomodo subdiuidatur signum?* Resp. *Naturale* subdiuidi secundum species connexionis intrinsecæ, *Causæ, eff. & ectus; actus & obiecti &c. Arbitrarium* vero subdiuiditur; 1. in signum ex *institutione*, & ex *consuetudine*: licet re vera etiam consuetudo ad institutionem seu legem, & placitum pertineat. 2. in *suppositiuum*, siue attributiuum, & in pure significatiuum, d. 14. n. 3. explicatum. 3. in *reale vocale & scriptum*, idest, quod rebus, vocibus, vel scriptura perficitur. 4. in *mixtum*, & *purum*. Mixtum, quod simul est naturale, & ad placitũ, vt *tris* naturaliter signans serenitatẽ, & simul. ex pacto Dei Gen. 4. & juxta P. Quiros etiam suspiria, gemitus, &c, melius vero quæ apud omnes Gentes ex placito vniuersali idem designant, mixtum etiam

etiam ex naturali dicetur; vt vestis nigra luctum, genuflexio reuerentiam &c. Addit P. Lynceus omnes Onomatopæias, vt Taratantara sibilus, &c.

13 Quæst. 10, *Vtrum signum primario constituatur per ordinem ad potentiam, cui significat, minime vero ad rem significatam?* Affirmant Scotus in 4. d. 1. S. Bonav. & alij. *Nego* cũ PP. Cõimbr. q. 1. a, 1. P. Lync. n. 9 P. Suar. Lusit. eo tr. 5. an. 21. Tũ quia significare æque essentialiter dicit esse *alicuius, & alicui*, vt patet ex definitione. Tum quia ratio signi, essentialiter dicit rationem medij obiectiui illatiui, seu attingibilis illatiue, vt præmissa illationis: sed hoc importat æque ordinem ad rem inferendam, & ad potentiam inferentem: nihil enim aliud est quam ipsa connexio ad signatum, vt cognoscibilis discursiue a potentia. Ergo

14 Quæst. 11. *Vtrum respectu potentiæ non discursiuæ detur signum?* Affirmant Thomistæ cum M. Ioan. Th q. 21. a, & Lync. tr. 2. n, 8. quia sensu percipitur, etiam a bruto, similitudo imaginis cum imaginato &c. *Negant* reliqui communiter cũ P. Hurt. d. 13. de Fide a §. 47. *Distinguo, De Formali* signo negari non potest, quia sensus etiam sua cognitione ducuntur in notitiam obiecti. *Instrumentale* vero minimè. Tum quia sensus vnum non cognoscit in alio mediatè, & discursiuè. Tum quia solum potest comparatiuè cognoscere, & inde magnitudinem, similitudinem æqualitatem, &c. non tamen ex simili dignoscere consimile. De quo in lib. de Anima, & disp. seq, n. 11.

DISPVT. CXVI.

Quæ sit forma constitutiua signi arbitrarij.

1 PRima sent. tenet formam huius, imo & cuiuscumque signi, esse relationem prędicamentalem formalem, in esse *mensuræ ad mensurabile*, superaddita fundamentali connexioni rei significantis. Ita Thomistæ communiter, cum M. Ioan. Th. q. 21. a. 1. 2. 3. & 5. Necnon Scotus. & Scotistæ apud P. Lync. tr. 2. n. 2. quos sepuitur Mastrius apud suum Pontium, infra.

Contra 1. Quia ablata per possibile a Deo illa relatione superaddita, posita tantum connexione, quã habet medium, seu signum, cum significato, in illo, vt connexo cognoscit intellectus terminum connexionis, v. g. in fumo ignem, in voce *Homo* hominem. Ergo. 2. Quia impossibile videtur, quod ex voluntate extrinseca. omnino prætenta, & variabili, hominũ, tribuentium arbitrariam significationem rebus, vel vocibus, causentur physicè in omnibus illis, quę passim pronuntiantur, tot moduli, siue relationes superaddita; maximè cũ nõ existat physicè causa, a qua determinetur illa productio, cum voluntas instituentium sit prætenta. 3. Quia in vniuersum omnes eiusmodi relationes pure prędicamentales, vt similis, æqualis, mensuræ,

&

& mensurati, &c, sunt secundum dici, & in modo concipiendi consistunt, vt dicam in Metaph. Ergo. 4. Quia juxta ipsos Adversi, relatio prædicamentalis, est ad rem existentem: significatio autem est rei sæpe non existentis, sed præteritæ, aut futuræ, vel puré possibilis, imo etiã impossibilis. 5, Quia ita adhuc signum arbitrarium fieret *naturale*, cum ducat per relationem sibi intrinsecã physice connexam, ad notitiam signati.

2 Secunda sent. quorumdam RR apud P. Raynaud. dist. 4 de moral. q. 1. a. 1. & Ioanniz infra, quibus fauet P. Lync *cit.* d. 64. n. 17. significationis formam constituunt in ente quodam medio morali, quod nec reale sit nec rationi, in quo significatio, sicut quævis moralis denominatio consistat.

Contra 1. quia repugnat medium inter ens reale, & rationis, producibile, & non producibile a Deo: de quo in Metaph. 2. Quia aliquod fundamentum reale dari debet, determinans, vt resultet potius in voce, v. g. *Leo*, hoc ens medium significationis leonis, quam Lapidis: illud ergo sufficiet pro constitutiuo vero, & reali, vltimo, & formali significationis. 3. Quia sicut hi DD. reijciunt relationem superadditam, quia, superfluam, cum illius fundamentũ proximum sufficiat; pariter ipsi sunt reijciendi.

3 Tertia sent. P. Lync. eo lib. 6. tr. 2. c. 1. constituit formam signi arbitrarij in specie impressa, quam causat de re significata.

Contra 1. Quia sicut in signo naturali supponitur connexio cum signato, ratione cuius producitur species signati; ita supponi debet in arbitrario: aliquod enim determinatiuum præcedi, ratione cuius ex voce *Leo*, determinetur productio speciei de Leone, potius quam de homine: in hoc ergo determinatiuo prius ac primario ratio signi consisteret. 2. *ad hominem*: Tum quia n. 8. reijcit, voluntatem Principis a forma signi, quia significatio cognoscitur a brutis, minimè vera ea voluntas: sed multo minus percipitur a Brutis species, quæ vix a Philosophis probatur: ergo. Tum quia ipse P. Lync. 8. metaph. tr. 1, c. 2. negat species superaditas obiectis, ergo non est vbi requiescat essentia signi.

4 Quarta sent. Caramuelis in Aud. Grãmat. p. 1. n. 14. asserit significationem esse transubstantiationem moralem, quà v. g. fit moraliter obiectum, ita vt de voce *homo*, affirmetur, quod de homine ipso reali obiectiuo.

Contra 1. Quia sunt puræ voces & abusiuæ, transferentes sacrũ transubstãtiationis nomen a cõuersione Eucharistica, ad reculã Dialecticam, quam hactenus appellarunt DD. suppositionem, seu substitutionem vocis pro obiecto, vt d. 14 s. 1. vidimus. 2. Quia adhuc manet tota difficultas inquirendi fundamentũ vltimum formale, vt vox *Leo* transubstantiata sit in Leonem, & nõ in hominem, vel Deum; & illud sufficiet

pro forma significationis, & transubstantiationis ipsius. 3. Quia non omnia signa transubstantiátur, nec enim ramus fit moraliter vnum, quia id propriú est solius signi attributiui, seu suppositiui, vt *vocis, Picturæ*, &c. ex ea d. 14. n. 3.

5 Quinta nostra sentẽtia non aliâ formam vltimo determinatiuam, & constitutiuam signi arbitrarij agnoscit, ac requirit, quam voluntatem legislatiuam, sive institutiuam signi; siue illa sit Principis, siue Reipublicæ, vel ex communi consensu, consuetudine, placito, aut consilio, proueniens; ex ipsa autem, vt forma & ex entitate signi, v. g. vocis, vel caracteris, resultat denominatio extrinseca (quam multi vocant rationis, ex d. 64. n. 8.) in esse signi, seu significantis signatú. Ita Exim. D. d. 1. de Sacram. s. 3. §. *Secundo obijci potest*. P. Uazq. ibi d. 228. n. 43. PP Connimbr. hic q. 1, a. 1. 3. 5 & quidẽ & q. 2. a. 2. ad 2. & q. 3. a 2. P. Hurt. d. 8. s. 2. P. Arr. d. 13. s. 1 P. Ovied, c. 8. p. 2. P. Alph. l. 1. summ. c. 9, n. 10. P. Cumpt. d. 41. s. 2 P. Quiros d. 29. s. 2. P. Suar. Lusit. tr. 6. d. 4. a n. 255. nostri q. RR. cum P. Maça hic s. 5. & apud ipsos P. Rubius. P. Amicus, P. Vazq. Ponc. d. 19 n. 11. & alij.

6 Probatur 1. Quia posita tantum voluntate illa, vel conuentione hominum, valente imponere significationem arbitrariam, v. g. vuci, *homo*, ablato, & præciso quocumque alio, determinatur vox ad hominem significandum, apud audientes; & quæ vis alia res ad designandum obiectum ipsi præscriptum: sed forma signi nihil aliud est, quam determinatium, quo ita res, aut vox vltimo determinatur ad significandum; sicut determinatur materia indifferens per formam ad speciem compositi. Ergo illa voluntas est forma signi arbitrarij.

7 Prob. 2. Quia significatio nihil aliud est quam denominatio quædã moralis, sicut valor in monæta, jurisdictio in Magistratu, Dominium, obligatio, &c. Sed hæ omnes denominationes sumuntur, vt a forma a voluntate legislatiua, vel donatiua, aut obligatiua, vt patet. Ergo pariter significatio a voluntate legislatiua acceptionis signi pro signato.

8 Prob 3. a posteriori. Quia cum quis ignorat significationem alicuius vocis, statim rogat, quid sibi velint per illam vocem significare, aut pro qua re jussum sit in Calepino, vel Nissolio, illam accipi? Ergo inquiritur voluntas, jussio, vel ex institutum, tanquam radix determinatiua vltima significationis, atque adeo vt forma.

9 Obij 1. Voluntas instituens, siue imponens significationem, habet pro obiecto volito ipsam vocis significationem, quam vult, siue intendit; ergo ipsam significationem non constituit, vt forma. Consequentia liquet. Tum quia alias volendo significationem, nihil aliud volet, quã se ipsam, ac proinde nihil speciale. Tum quia actus non constituit obiectum, maximè quando est directus, vt ea voluntas institutiua signi:

Ergo

10 Resp.

10 Resp. negando antecedens, quia voluntas instituens significationem solũ habet pro obiecto vsum, acceptionem, siue vsurpationem signi pro signato, quæ est actus *secundus* significationis, & ideo dici solet *significatio in actu secundo*; quę omnino distincta est à significatione *in actu primo*, quæ sola est constitutiua signi. Voluntas ergo legislatiua Principis, solum præcipit hunc vsum, seu actum secundum, volens inducere, & inducens obligationẽ, vt omnes subditi proferentes eam vocem, v.g. *homo*, non nisi ad significandum hominem, & conceptum nostrum de homine, illam vsurpent & pronuntient; & alijs similiter signis, non nisi ad vsum repræsentandi sua signata, vtantur. Vnde patet distinctam esse significationem, quam ea voluntas respicit, vt obiectum, siue effectum præceptum, ab illa quæ per ipsam voluntatem constituitur; præcepta enim est vsus, & actus secundus significationis, vel suppositionis; constitutiua vero, per eã legem præcepta, solum est aptitudo, siue actus primus, vsurpabilitatis, in qua consistit signum. Fator tamen hanc ipsam aptitudinem, sicut, & obligationem vtendi taliter signo, tandem fundari in ipsa voluntate legislatiua; vnde haec reflectit inadæquatè supra se ipsã, non se ipsam tantum volendo, sed volendo vsum, vel actum præceptum a se distinctum, & se ipsam quasi suppositiuè attingendo: quod commune est omnibus legibus, & omnibus moralitatibus, quæ tandem sistunt in reflexione inadæquata supra se, vt cũ dictamen conscientiæ dictat actionem esse bonam, dicit esse conformem secum ipso, per implicitam reflexionem, & sic aliæ moralitates, de quo vid. P. Arr d. 2. de leg. s. 5. & 13. de pœn. n. 30. P. Ovied. 1. 2. tr. 8. c. 4. p. 5. s. 1. &c.

11 Obij 2. Rustici cognoscunt significationem vocis, sed non cognoscunt institutionem Principis, & c. ergo per hanc non constituitur; qui enim cognoscit constitutum cognoscit constitutiua, a quibus præscindi nequit. *Confirm.* Quia etiam Bruta significationem percipiunt, & nomina propria distinguunt, quod multis exornat P. Lync, a n. 8, sed voluntatem institutiuam cognoscere nequeunt. Ergo.

12 Resp, neg. min. Quia etiam Rustici implicitè institutiuam voluntatem cognoscunt, vnde quando de significatione dubitant, inquirunt, *quid sibi velint significare* tali voce; vbi per ly *velint*, voluntatem institutiuam exprimunt.

Ad Confirm, neg, anteced. cum P. Hurt. ex d. præc. n. 14. ne etiam brutis discursum concedamus, vnde sicut de illis dicam in Physica, non agere propter finem, sed solum agi à Causa prima, miro illo instinctu, per species commodi, vel incommodi ita sensum excitante, ac si propter finem agerent perfectissime, vti Apes, formicæ, &c. ita eodem modo excitantur per signa, ac si per illa discurrerent, Deo prouidente, cui

est æqualiter cura de omnibus. Sap. 6.

13 Obij. 3. Etiam a nobis arbitrarium fieri signum naturale, cum cõstituatur per voluntatem intrinsecè, seu naturaliter connexam cum suo obiecto; ergo.

Resp. 1. dato supposito, quod volũtas ipsa significandi in actu secundo sit constitutiua; cum tamen hæc a nobis non videatur in se, sed solum moraliter inferatur ex obligatione, vel consuetudine taliter vtendi signo, consequenter solum moraliter, & extrinsecè deriuabitur in signum ea connexio intrinseca voluntatis: quod si hæc immediatè in se ipsa videretur, tunc non dubitamus, fore ipsam signum naturale significati.

Resp. 2. neg. suppositum, quia signi constitutiua solum est voluntas legislatiua, seu præceptiua, quæ non connectitur determinatè physice intrinsecè cum significatione in *actu secundo*, siue cum vsurpatione signi in suo sensu, sed solum moraliter extrinsecè, media obligatione, quam inducit, ad talem sensus vsurpationem; vnde signum in actu primo nihil intrinsecè determinatè cõnexum cum significatione inuoluet.

14 Obij. 4. Ex P. Lync. signum in fore relatiuum prædicamentale, & secundum dici, sed relatiuum secundum dici obiectiuè constituitur etiã per terminum, vt Pater per filium, ergo signum constituetur etiam per significatum.

Resp. signum non constitui secundum quod est relatiuum, secundum dici formaliter, sed solum fundamentaliter, scilicet secundum fundamentum, quod habet ad talem relationem; hoc autem fundamentum est relatiuum secundum esse transcendentale, scilicet voluntas præceptiua significationis in actu secundo, quæ intrinsecè connectitur cum suo obiecto indeterminatè physicè, & determinate moraliter, ratione obligationis quam inducit vnde se habet, vt relatio transcendentalis moraliter, quæ non constituitur per terminum, sicut propterea vnio, & actio, per terminos suos non constituuntur.

15 Obij. 5. Signum non significat signatum, nisi media specie; ergo per speciem constituitur in esse signantis, seu signi.

Resp. dist. conseq. constituetur per speciem in esse signantis, in actu primo proximo, seu proximitatis, cõcedo; in radicali, seu virtute in esse signi simpliciter; nego. Sicut ignis nõ potest calefacere, nisi approximatus, approximatio autem non constituit ipsum in actu primo virtutis, seu causæ simpliciter, sed solum in proximo, & proximitatis.

DISPUT. CXVII.

De vocibus: quid immediatè & primario significent?

1 PRima sent. Scoti, & Gabrielis apud P. Lync. negat vocibus significari conceptus mentis, sed solas res obiectiuas.

Secunda sent. primario, & immediate res, conceptus vero mediatè solum, & secundario vult significari,

cari, cum P. Suar. P. Vazq. P. Fons. P. Smigles P. Hurt. P. Arr. P. Ovied P. Alph. & Nominalibui, apud P. Lync. eo tr. 1. n. 41. quos sequuntur P. Quiros d. 29. n. 14. P. Compt. d. 41. s. 4. P. Suar. Lusit. tr. 6. n. 354. Poncius d. 19. q. 2. concl. 1. Caram. in Grammat. aud. n. 17. Ioanniz d. 30. c. 2. nec alia fuit Scoti & Gabrielis mens.

2 Tertia sent. S. Thomæ, & Thomistarum, nec non Dur, Rich. Aegidij, &c apud. P. Lync eo n. 41. P. Vallij hic q. 1. P. Fasoli 1. p. q. 53. a. 1. du. 1. P. Amici 1. p. d. 25. n. 31. Card. de Lugo d. 1. de fide n. 209. & d. 14. n. 25. 1. è cōtra, vocibus immediate, & primario conceptus, res vero mediaté, & secundario signari contendit.

3 Quarta nostra sententia vtrāque conciliat, & tam res, quam conceptus designari immediatè, & primario affirmat; sed diuerso modo significationis: conceptus scilicet, *vt quo suppositiuè*, res vero, *vt quod, doctrinaliter, & verificatiuè*. Idest, *quod* vocibus docere, affirmare, & negare immediaté intendimus, sunt res obiectiuæ; *quo* vero modo ea veritas a loquente concipitur, non nisi manifestatione conceptus, & suppositione siue subrogatione immediata vocum pro illo, exhibetur. Ita PP. Cōnimbr. q. 3. a. 2. laudantes Henrricū Iandunum, Bassolium, M. Sotum, P. Rub. hic q. vni n. 6. P. Tellez d. 11. s. 1. P. Lync. eo lib. 6. tr. 2. c. 3. P. Yzq. d. 18. n. 10. P. Olcina an. 2425. P. Mar. r. q. 59.

4 Supponendum 1. contra Pythagoricos apud PP. Connimbr. q. 4. a. 2. voces esse signa arbitraria; cum tota eorum determinata directa significatio ab hōminum arbitrio dependeat; siue illa fuerit a Deo primum Proroparentibus infusa, siue aliter comparata, & saltem humano commercio vbique, post idiomatum Babilonicam diuisionem, non parum aucta atque immutata. Ubi ridendus venit quidam D. grammaticus, aupd P. Arr. qui latinam linguam ex natura rei adeo rebus accomodatam somniavit, vt quivis intellectus bene dispositus, & alio idiomate non præocupatus, latinum adquireret. Id tamen concedendum est Pithagoræ, vt voces naturalia signa dici possint, tum sui ipsarum, tum loquentis, tum actuum mentis loquutioni se vientium, ex d. 11. a. n. 4. Tum demum indeterminate alicuius obiecti, necnon cōceptus illud repræsentantis, quia ad hoc munus a natura datæ sunt voces; vnde licet loquentis idioma ignoremus, semper voces illius aliquem conceptum mentalem, & obiectivum, designare indeterminate cognoscimus. Solum ergo quoad determinatam significationem vtriusque conceptus fatendum est omnibus, voces signa esse prorsus arbitraria.

5 Supponendum 2. vocis significationem institutam esse ad finem humani commercij, tum pro veritate rerum docenda, tum pro internamente alijs manifestanda, vterque enim suis humanæ reipublicæ; & socie-

societati prorsus est necessarius; & inde nascitur obligatio voce non fallendi, aut decendo falsa, aut internam mentem simulando, quod est mentiri, seu contra mentem ire; quia in utroque defectu fidelitatis primarios fines, ac leges commercij humani transgredimur. Iam hinc

6 Prob. 1. concl. quia voces primario institutæ sunt ad vtrumque finem humani commercij, scilicet res obiectiuas, & conceptus mentales nostros de rebus manifestandos alijs. Ergo æque primario atque immediate vtrumque manifestant.

7 Prob. 2. Voces significant res, vt conceptas à loquente, & conceptus ipsos loquentis, vt ad res ipsas (quali suo modo terminatos; vnde res non vtcumque repræsentantur per voces, nisi vt in mente versantur, v. g. vel affirmatiue, vel negatiue, vel dubitatiue, aut præcisiue, vel quovis alio modo conceptæ. Ergo æque primario, atque immediate per voces manifestantur res obiectiuæ, & mentales conceptus; ac proinde etiam, & significantur eo modo, nisi de voce *significandi* fieri velint quæstionem de nomine.

8 Obij. 1. pro 1. sent. hoc modo voces omnes æquiuocas fieri, si habeant duas significationes, sicut *gallus* &c.

Resp. solum vocem fieri æquiuocam ex duplici significatione doctrinali, & *secundum quid*, duplicis rei obiectiuæ modo explicato d. 108. n. 6. nõ vero, si diuerso significandi modo diuersa significet.

9 Obij. 2. Voces mentientis non significant actum mentis; cum eo careat, imo inde mentiatur, quia *it cõtra mentem*: idemque euenit in vocibus dormientis, & Psittaci, quæ formant significationã totam suam, licet non significent conceptus, sed res. Ergo quia voces significant solas res.

Resp. neg. antec. ex d. 14. n. 6. quia licet voces illæ, in *actu secũdo*, non significent conceptum mentis actualem, attamen illum significant in actu primo, siue possibilem; imo inde oritur malitia mẽtientis, quia designat vt actualem, vt ibi dixi. In dormiente autem, & psittaco, similiter significabit in actu primo, & vt possibilem conceptum mentis, illa vox formaliter sumpta, pro casu, quo in homine ponatur; vnde si audiens non videat esse Psittacum, vel dormientem, putabit proferri vocem ab eo qui eundem conceptũ rei habeat in mẽte. Adde eas voces non esse formales, & humanas, aptas que locutioni propriæ, seu formaliter significatiuas (de quibus est ter mo) sed materiales, & significatiuas solum materialiter.

10 Obij. 3. Voces significant naturaliter conceptum mentis, non minus quam ipsum prolatorem; ergo, vt est significatiua ad placitum non significat mentis conceptum.

Resp. dist. antec. vox significat naturaliter cõceptũ mentis, de ipsa voce, seu modo (de articulandi sonum, qui est necessarius ad prolationem, *concedo*; de re obiectiua, siue arbitrarie

bitranè significata, nego; quia hic conceptus variatur in mente, juxta varietatem significationis impositæ vocibus: unde si vox *Equus* significaret hominem, distinctus conceptus mentis, scilicet de homine, corresponderet illi voci.

11 Obij. 4 Voces dubitatiuæ non possunt vt tales significare conceptus mentis, quia hic indubitate affirmatur, etiam cum res dubitatur, aut negatur. Ergo.

Resp. negationem, vel affirmationem, aut dubitationem solũ vertari, vt tales, circa significatum doctrinale, & *vt quod*, non circa suppositum *vt quo*; alias dum dicitur *Petrus est homo*, affirmaretur de vno cõceptu mentis esse alium, atque adeo falsissime.

12 Obij. 5. Quando puer nesciens latinè, recitat memoriter latinam historiam, optimè intelligimus totam significationem vocum, quin per illas significetur in puero conceptus de rebus obiectiuis, ergo.

Resp puerum hunc se habere sicut psittacum, aut dormientem, vnde eius voces solum in actu secundo non significabunt conceptum mẽtis, secus in actu primo, vt possibilem in homine loquente formaliter per voces formaliter significatiuis.

13 Obij. 6. pro 1, sent duplex exẽplum. 1. Quando audimus hominẽ narrantem euentus aliquos, nihil cogitamus de loquentis conceptu, sed de rebus narratis. 2. qui docet alios mysteria fidei, nihil curat de cõceptu suo ostendẽdo, sed de mysterijs significandis. Ergo.

Resp his exemplis solum ostendi: Tum finem loquentis, & significationis in actu secundo, aliquando esse res solas: sicut e contra aliquando solus conceptus mentis esse potest, si illos tantum manifestare intendat: non tamen finem imponentis significationem, seu locutionis, & significationis in actu primo pro commercio humano, vt diximus. Tum etiam probari significationem doctrinalem, siue *vt quod*, esse de rebus obiectiuis, eam quæ præcipue significatiua in actu secundo, siue ex intentione loquentis regulariter verificari cum P. Arr. præmiss. d. 14. n. 4. non vero ex intentione instituẽtis significationem in actu primo, quæ vtrumque finem æquè primario respicit, pro fine humani commercij. Vnde qui perfectè significationem in actu primo calleat, tam res, quã conceptus percalle bit.

14 Obij. 7. ex P. Quiros. Si Blictiri significaret equum, eodem modo significaret conceptum interiũ, ac nunc; sed nunc non significat conceptum internum de significato equo, sed de se vt sono latine prolato: ergo nec tunc.

Resp. neg. maj. Quia tunc significaret etiam conceptum de equo, propterea enim significatio conceptus mentalis est arbitraria, & non necessaria naturalis, sicut vocis Blictiri de se ipsa, juxta n. 4. & 10.

15 Obij. 8 Quælibet vox indicat prolatorem, conceptum quę ipsius vocis, & omnes actus necessarios ad

sui prolationem; sed illos non significat, ergo pariter, neque conceptū de re obiectiua.

Resp. neg conseq. & parit. Quia eæ significationes necessariæ vocum sunt omnino naturales, & conueniunt etiam vocì non significatiuæ; at significatio conceptus de re obiectiua est arbitraria, ex eo n. 4.

16 Obij. 9. Si ponatur imago Cæsaris picta loco marmoreæ, non repræsentaret marmoream, sed Cæsarem: ergo pariter cum vox significatiua rei, ponatur loco cōceptus mentalis, non hunc, sed rem ab ipso significatam repræsentabit.

Resp. Si depingeretur ipsa statua quasi otiosa domum, tunc pictura statuam ipsam designaret: per voces ergo intenditur non solum res, sed etiam conceptus, vt statua si depingere. Adde has omnes obiectiones esse pro 1. sent. quam secunda reiecit.

17 Obij. 10. pro 3. *sent.* Vox repræsentat res obiectiuas, vt conceptas, siue vt sunt media cognitione conceptæ, ergo illas repræsentat mediatè, scilicet, mediante cognitione.

Resp. quod licet vox repræsentet res obiectiuas, vt sunt in medio rogationis, attamen immediate vtrumque repræsentat, sicut licet quis loquatur de medio consequendi aliquem finem, v. g. de medicatione, pro consequenda salute, æque immediate attingit medium & finem, quia non attingit finem in medio dicendi, inferendo vnū ex alio, sed finem & medium, quoad modum repræsentandi vtrumque æquè primario, & immediatè, sine discursu. Pariter &c.

18 Obij. 11. Scriptura immediatè significat voces, qua pro illis subrogatur, vt dicam d. 19. Ergo pariter vox conceptum, pro quo subrogatur, & supponitur.

Resp. concedendo suppositiuè, & subrogatiuè, siuè, vt quo, pariter solum conceptum a voce designari: sed voces habent immediatam significationem rerum, quia qui res in voce non dignoscit, illarum significationem perfectè non capit; e contra Scriptura significatio perfectè capitur, si voces in illa significatæ cognoscantur, licet res maneant incognitæ, vt ibidem dicam.

DISPUT. CXVIII.

De Locutione.

1 QVæritur 1. *Quid sit locutio?* Resp. definiri communiter ex P. Hurt. d. 13. de fide, s. 1. *Est vocis significatiua rei, privat conceptæ a proferente vocem.* Ex quo quatuor requisita pro locutione formali, & propria, ab omnibus exiguntur.

2 Primum *requisitum* est ipsa *vox humana*, quæ est sonus articulatus, id est, aeris appulsu, pulmonis opera, per gutturis organa, & linguæ flexum, artificiosè fractus: qua refractione, quia caret vox ferina, locutiua esse non potest. Debet etiam esse vox significatiua, siue ad placitum, siue naturaliter, vt Blichiri, ex d. 11.

3 Se-

3 Secundum *requis.* cognitio & voluntio imperans prolationem, quæ omni actui externo eliciendo opus fuit; imo vterque actus, sensitivus, adhuc pro dormiente, psittaco, &c. ad locutionem impropriam materialem.

4 Tertium *req.* ad propriam formalem humanam locutionem, est cognitio rei significatæ per vocem, quam quia bruta, & interdum dormientes non habent, propriè, & formaliter non loquuntur. Unde, & ignari linguæ latinæ, si latinè loquantur, formaliter non loquentur, vt bene P. Arr. observat d. 13. l. 2. subs. 4. Quidquid refragetur P. Compt. d. 42. s. 3. à n. 7. coactus Psittacis propriam locutionem inde concedere: licet cum ipso non negem, eas voces propriè significare, non secus ac characteres, a Typographo linguæ ignaro impressi.

5 Quartum *requis.* voluntas loquentis suam dirigens locutionem ad audientem, ani no manifestandi rem conceptam. Propterea enim passim dicimus, *non tecum loquor*, quādo quis audit locutionem, ad ipsum non directam. Circa objectum autem huius voluntatis oritur

6 Quæst. 2. Utr. *debeat intendi à loquente manifestatio, tam rei obiectiuæ, quam conceptus formalis?* Affirmant S. Th. & P. Vazq. apud P. Hurt. quia ita petit cōmercium humanum, quod est finis locutionis. *Negant* Scotus, & Scotistæ apud ipsum, quia siquis moneat aliquem, quod lapis supra ipsum ruat, solum intendit manifestare periculum, neque curat reflexionem illam supra notitiam suam. *Mediam viam* tenet P. Hurt. à §. 16. quod scilicet saltē virtualem intentionem habeat manifestandi suum conceptum.

7 Distinguo, iuxta celebrem diuisionem, in finem operis, & finem operantis, hic etiam finem locutionis, & finem loquentis esse dividendum. *Affirmo* itaque, ex fine locutionis ab inuentoribus intento, ex pacto, & conuentione humani cōmercij, vtrumque conceptum formalem, & obiectiuum fore à loquente ex debito manifestandum, juxta dicta d. præcedenti, ex S. Th. & P. Vazq. At vero finis loquentis liber est, & aliquando intendere potest manifestationem rei; vt in casu lapidis ruenti; aliquando vero manifestationem conceptus interni, vt quādo Martyr desiderio mortis pro Xpto, suam fidem protestatur.

8 Quæst. 3 *Vtrum locutio, vt talis, constituatur per auditionem?* Negat P. Compt. sup. s. 5. n. 3. Tum quia Xpius D. imperauit ventis Matth. 8. ac pro inde illis non audientibus loquutus est. Tum quia Iosue c. 10. alloquutus est Solem. Tum quia Sacerdos alloquitur Puerum Baptizandum, qui nec audit, nec intelligit. Ergo

9 Affirmat P. Hurt. n. 33. & d. 8. Leg. §. 23. Tum authoritate D. Pauli. S. Aug. & S. Th. Tū quia locutio est denominatio relativa, quæ sine correlativo concipi nequit; ergo si-cut non est *audiens sine prædicante*,

ita nec loquens sine audiente. Tum quia locutio Dei ad nos consistit in ipsa auditione, seu cognitione nostra, media quâ nobis Deus loquitur, & reuelat. Tum quia nemo loquitur ad montes, vel saxa, neque docet, nisi docibiles &c. Tum demũ, quia solum vulgariter dicitur quis alloqui solem, ventos, surdos &c. quatenus ad circunstantes alios dirigitur locutio, vt illa Xpti D. & Iosue ad Angelos, baptizantis ad Patrinos &c.

10 Conciliandæ sunt sententiæ, distinguendo locutionem, sicut d. 116, significationẽ, *in actu primo, & in actu secundo*: Vnde licet voces nõ audiantur ab alio, integra maner locutio in actu primo, in esse signi voce prolati, & audibilis: licet non in actu secundo in esse perceptæ, & auditæ: quod sufficit pro lite de voce.

11 Quæst. 4. Vtr. *Locutio possit significare rem clarius, & perfectius audienti, quam loquenti, vel significationem imponenti?*

Negant Thomistæ, & plerique nostri cum P. Suarez P. Valent quos laudant P. Lync. lib. 6. tr. 2. n. 44. & P. Oviedo, 8. p. 3. n. 6. P. Quiros d. 29. n. 22. Quia signum solum potest excitare cognitionem, iuxta perfectionem, & claritatem suæ significationis; sed hæc omnino prouenit à modo cognoscendi, tum instituentis, tum loquentis, qui tantam expressionem obiecti communicant vocibus, quantã habent obiecti in mente; vnde qui concipiunt definitionem rei clarius illam exprimunt per vocalem definitionem, quam qui solum definitum concipiunt. Ergo juxta mensuram hanc claritatis signi, & non amplius, poterit in illo audiens cognoscere obiectum. *Vrgetur*, quia qui cognoscit rem in aliquo medio, nõ potest ex vi talis medij perfectius cognoscere, quam vt ducit ipsum medium; vnde si aliunde habeat perfectiorem notitiam de obiecto, nõ tamen ex vi illius medij illam habet. Propterea enim ex medio probabili non possumus scire euidenter existentiam Dei, licet ita illam sciamus aliunde. Sed signum vocale est medium; Ergo ex illo non potest audiens rem perfectius cognoscere, quam signum ipsum ducat ex sua significatione, vt à loquente, vel instituente accepta.

12 Affirmant melius Scotus, & Scotistæ, Nominales, & ex nostris P. Mol. P. Vazq. P. Tannerus apud P. Lync. quos sequuntur P. Hurt. d. 8. §. 4. P. Arr. d. 13. s. 1. n. 32. P. Compt. d. 42. s. 6. n. 5. &c. Tũ quia dum Rusticus, imo Institutor non doctus, proferunt: *Angelus, homo*; excitantur ad longe perfectionem notitiam de obiecto, Philosophus ac Theologus audientes, quâ loquẽs habeat: & qui oculis Limam lustrauit, audito eius nomine, clarius ipsam mente inierit, quam loquutus, aut imponens nomen, Limæ nunquam versatus. Tum a priori, quia signũ seu medium obiectiuum tale non est, æqualiter erga omnes, sed juxta qualitatẽ specierũ, quas in audiẽte potest excitare. Vnde propterea

dixi

dixi 1.p. cum Sapientiſſ.P. Leonardo laudato d. 70. n. 10. Deum ſe poſſe in creaturis, vt in medio, cognoſcere, quia licet medium, ſeu ſignum ſecundum ſe, non ſit comprehenſiuum Dei; attamen eſt excitativum, ſeu intentionaliter motiuum ſpeciei comprehenſiuæ exiſtentis in ipſo Deo. & ſimiliter voces noſtræ ſunt excitatiuæ in Angelo ſpeciei & cognitionis comprehenſiuæ, vel ſonge perfectioris noſtra, de rebus obiectiuis ſignatis per voces, atque adeo in his tam Angelus, quam Deus tam quam in ſignis, & mediis, cognoſcunt (jam patet, quanto perfectius) obiecta, de quibus per voces ipſas colloquimur.

13 Hic agunt aliqui per otium cum P. Suar. Luſit *primo* de locutione diuina nobiſcum, tum exteriori per ſigna ſenſibilia, tum interiori per ſentationes internas, vel per intellectiones. *Secundo* de locutione Angelorum interſe, ſiue immediatè per ſpecies ſuorum actuum; ſiue per ſigna externa, inſtar vocis, & ſcripturæ noſtræ, longè tamen altiora & elongatiora. Sed *neſutor vltra crepidam.*

DISPVT. CXIX.

De Scriptura: qui res, & voces ſignificet?

1 PRima ſententi. affirmat, per Scripturam res ipſas obiectiuas, *vt quod*, immediatè vero voces. Ita ad has legendas: de qua ſolum eſt P. Hurt. d. 8. ſ. 29. & d. 13. de fide quæſtio: & hinc ſ. 40 P. Compt. d. 42. ſ. 5. P. Ovied. c. 8. p. 3. n. 12. &c.

2 Secunda ſent. negat res ipſas, ſed ſolas voces immediatè per Scripturam ſignificari Ita PP. Conimbr. q. 3. a. 4. P Arr. d. 13. P. Lyne. eo tr. 2. n. 43. &c.

3 Tertia noſtra ſentent. vtrãque conciliat, *Affirmans*, primario quidem per Scripturam, non minus quã per voces, ſignificari, doctrinaliter *vt quod*, ſiue modo verificatiuo, res obiectiuas; ſuppoſitiue vero, *vt quo* conceptus mentales: *Negans* vero, hanc eſſe ſignificationem immediatam, quia immediatè, licet ſecundario, ſolum ſignificat Scriptura voces, vt quo, vt pote immediatè ſubrogata tantum pro ipſis. Ita P. Alph l. 1. Snmmul. c. 8 n. 23.

4 Supponendum tamen, ſermonẽ eſſe de Scriptura propria per caracteres, & ſyllabas legibiles, A. b. c &c, nam quæ fit per figuras, ſymbola, & cifras, vt Scriptura Sinica, & Mathematica. vel Arithmetica, v.g. per notas numerorum, vulgo *guariſmos*, &c. certo certius ſignificat res immediate. Vnde licet variẽtur idiomata, in omnibus eodem modo ſignificant ſua obiecta: vt patet in calculationibus per guariſmos 1. 2. 3. quæ eodem modo apud Hiſpanos, Gallos, Germanos, Turcas, ignaros vocum alienarũ, intelliguntur. Quia eiusmodi ſigna, potius ſunt picturæ rerum, ad eas videndas, quam Scriptura propria, ſubrogata pro vocibus ad has legendas: de qua ſolum eſt

5 Prima Concl. *affirmans* ẽ n. 3 duas cõtinet partes, alteram quoad

res, alteram quoad conceptus; &

Prob. 1. quoad vtramque simul. Quia Scriptura supponitur, & subrogatur pro vocibus, vt per illam loco vocum possimus eum absentibus, & posteris loqui, quibus cum voce non possumus: vnde ex fine humani commercij, ad munus ipsum vocum subrogari debet, vt illud supplear. Sed munus vocum est significare primario doctrinaliter, *vt quod* res obiectiuas, & suppositiue, *vt quo*, cõceptus nostros, vt est pro humano cõmercio necessarium, ex d. 117. Ergo idem munus significandi doctrinaliter res, & suppositive cõceptus, Scriptura primario prorsus obibit.

6 Prob. 2. specialiter quoad res, Quia totam suam enuntiationem, & verificationem Scriptura exercet, circa res obiectiuas, non secus ac ipsæ voces; in hac enim propositione scripta, *Christus est Deus*, non affirmatur, vocem *Christus*, esse vocem, *Deus*; esset enim falsum; sed res ipsas obiectiuè identificari, vt patet. Ergo res ipsas Scriptura doctrinaliter, seu verificatiuè significat.

7 Prob. 3. Quoad cõceptus. Quia non minus mentitur quis per *Scripturam*, quam per voces, si scribat contradicendo judicio suæ mentis: ergo quia Scriptura tunc falsò significat conceptum suum, cum deberet oppositum, quem vere habebat, significare, ex fine primario commercij humani, & institutionis suæ. Ergo ex hoc fiue primario repræsentat mentis conceptum, sicut vox, ac proinde *vt quo* suppositiuè, siue prò illo se subrogando.

8 Secunda Concl. e n. 3. *negans*, quod significatio hæc sit immediata, sed solum immediate Scriptura significet vocem; manifeste

Prob. 1. Quia Scriptura non aliã habet significationẽ rei obiectiuæ, nisi quam voces ipsæ habent, ergo non per se immediatè res obiectiuas significat, sed media significatione vocum, ac proinde mediate. Antec. prob. Quia eadem dictio scripta, v.g. *equus*, transiret ad significandum hominem, si vox *equus* ad hominem significandum destinaretur, & absque vlla immutatione dictionis *equus* in ratione Scripturæ, eodem modo legeretur & scriberetur, & eandem vocem significaret, ac de facto significat. Atqui si haberet immediatã significationem rei objectiuæ, non maneret cum tota eadem suã significatione in esse scripturæ, quam nunc habet. Ergo signum est, quod scriptura non aliam habet rei objectiuæ significationẽ, nisi qnã voces ipsæ habent, & Scripturæ communicant.

9 Prob. 2. Qui legere sciunt, & linguam latinam ignorant, tam perfectè legunt Scripturam latinã, ac si latinè scirent; ergo perfectè immediatam significationem Scripturæ intelligunt, quippe quam perfectè legunt. At absque cognitione vlla significationis circa res obiectiuas, & conceptus mentales: Ergo tota immediata significatio Scripturæ salvatur siue significatione rei objectiuæ.

10

10 Confirm. 1.] Quia voces non significatiuæ, *Blitiri* &c. tam perfecte scribuntur, & leguntur, quam significatiuæ, vt patet. Ergo independenter ab obiectiua significatione. Confirm. 2. Ex modo tradendi artē scripturæ, non enim hanc docemur, sicut voces: has enim docemur ostensa re significata per illas; at legere, & scribere, nō ostendēdo rem, v.g. panem, vel lapidem, sed singulas syllabas, & caracteres demonstrando syllabatim, vt singulas conjungere, ac legere, vel scribere, per correspondentiam vocis sciamus, etiam si significatum obiectiuum ignoremus. Ergo quia Scripturæ significatio perfecte absoluitur circa voces.

11 Obij. 1. Si quis rogetur quid significet inscriptio, *Deus*? nō dicet, significare vocem, *Deus*, sed ipsum Deum; Ergo immediate ita significat.

Resp. Ideo ita responderi, quia supponitur interrogans sciens vocē legere, atque adeo immediatiorem significationem; quam si ignoraret, prius esset docendus lectionem vocis, de inde doctrinalem objecti significationem.

12 Obij. 2. Dum nos librum mentaliter legimus, immemores vocū, sola significata obiectiua, siue historica, siue scholastica, immediatè mente percurrimus. Ergo.

Resp. Neg. antec. quod patet in jis, qui non dexteré legunt, & hispanè optimè loquuntur, qui legendo passim cæspitant, quærēdo vocū correspondentiam; vnde patet eandem, sed præfacilitate imperceptibiliter, quærere, qui faciles sunt ad caracteres legēdos; tantá ramē celeritate specierū eos intelligunt, vt vi deantur immediatè obiecta peñere re immemores vocum. Sicut dum dexter aliquis Citharædus celeriter citharizat, non expetitur in mente regulas artis, per quas tamen singuli motus necessario regulantur, vt experiuntur Tyrones, non habentes intensum adeo habitum citharizandi. Pariter &c.

13 Obij. 3. Mutos aliquos sine vlla noticia vocum, cuius sunt incapaces, scribere doctos fuisse, & Scripturę significationem callluisse Ergo sine vocum immediata subrogatione.

Resp. Mutos illos scriptura vsos fuisse, sicut pictura, vel cifra, & figuris Sinarum, vel numerorum; non legendo, vt propriam scripturam, sed immediatè per ly *panis* objectum significando, vt n. 4. supponimus.

14 Obij. 4. Posibile fuit, quod imponeretur scripturę immediata significatio obiecti, cum sit arbitraria; ergo non est cur de facto ita non sit.

Resp. dist. antec. si imponeretur significatio per modum Scripturæ Sinicæ, per symbola, vel figuras, concedo; modo quo imposita est syllabatim, nego.

15 Obij. 5. Quia scriptura subrogatur pro vocibus, significat primo doctrinaliter, & suppositiuè, ob

jectag

jecta, & conceptus, vt significátur a vocibus; ergo etiam significabit immediate vtrumque, vt a vocibus vtrumque significatur.

Resp. Nego consequentiam, quia res, & cõceptus est finis primarius, ad quẽ ordinantur voces, & scriptura, vt media proximum, & remotum; medium autem respicit eundem finem primariem proximi, v. g. vocatio Medici, eandem sanitatem, quam sisio venæ respicit; non tamen eodem modo immediationis, sed potius remotum mediatè respicit finem, proximum vero immediate, Pariter ergo Scriptura, & voces se habent circa suum finem. Et hic esto finis huius Tractationis.

TRACTATVS SEPTIMVS
IN LIBROS DE PRIORI ANALYSI *SIVE,* DE PRIORI RESOLVTIONE.

DVos hos libros Aristoteles de *Ratiocinatione* inscripsit, sicut subsequentes duos de Demonstratione, vt ex Galeno PP. Cõimbr. *in proœm.* observant; vnde solum ab interpretibus hi de *Priori Analysi*, siue *Analytici Priores*, dicti sunt; sicut secuturi proxime, de *Posteriori*, siue *Posteriores Analytici*, id est, Resolutorij, aut de Resolutione, compellati. Resolutionem autẽ sic capiunt, quasi reductionem, aut reuocationem judicialem argumentationis ad sua principia: quia Prioribus his in libris Aristoteles *consequentiam* ad principia syllogistica reducit; in Posterioribus vero *consequens* ad principia scientifica, seu demonstratiua revocat; vtriusque artis rationem Dialecticè probans, ac dirigens. Hinc syllogismus perfectus, a probabili & scientifico præscindens, *Prioristicus*; Demonstrativus vero & scientificus, *Posterioristicus* apellari solet. De priori ergo agit Philosophus primo horum librorum, per *tres sectiones*, quæ in Capita 42. commodius redactæ sunt; incipiens a Termino, Propositione, & Ratiocinatione, huius syllogisticam constructionem, formam, figuras, ac modos vsque ad c. 20. persequens. Deinde vsque ad 30 Artem inueniendi medium prolixè, & ingenio se tradit. Tandemque postrema sectione vsque ad c. 42. de resolutione, seu reductione syllogismi, tum ad impossibile, tum ostensiua pertractat. De quibus omnibus quæ vtilia sunt, tr. 1. præsertim a d. 32. vsque ad 37. tractaui. Reliqua quæ per 35. capita 2. libro Aristoteles dis-

quat

putat, de sex *Potestatibus* syllogismi, eiusque quadruplici argumentandi ratione, d. 32. q. 2. vt opus fuit, sunt comprehensa; quæ vero de vitijs, tr. 10. comprehendã. Quæ autem Dialectici circa horum actuum naturam inuestigant, cum ad materiam sensibilem, atque adeo Animasticam spectent, pauca quę supersunt, a sensibilitate abstractiora, circa præmissas, & conclusionem syllogismi, earumque tendentiam, & dependentiam, hic examinabo.

DISPVT. CXX.

De Syllogismo, & eius actibus.

QVid, quotuplex que sit *Syllogismus*, præsertim â formâ, supponitur ex d. 32. vbi eam cum Argumentatione conuerti, & ad illam omnes Argumentationis species redigi, ostensum est; cum P. Hurt. d. 10. §. 51. & d. 7. de Anim. §. 23. P. Arr. d. 15 s. 1. & nostris plerisq; e Quotuplex sit a materia, vide à n. 125. Nonem

2 Quæst. 1. Vtr. *Syllogismus dicatur ad conuertentiam cum discursu, siue cum tertia operatione mentis?* Affirmant Conimbr. c. 1. q. 2. art. 1. § discursus P. Hurt. d. 10. n. 84. P. Arr. d. 12. s. 2. Ioanniz d. 33. n. 2. qui judicant tam discursum, quam syllogismum ex præmissis, & conclusione distinctis componi.

3 Negant. P. Compt. d. 47. s. 1. P. Sanctacruz n. 1174. P. Ovied. c. 9. punt. 1. n. 1. qui discursum in sola conclusione indiuisibili, syllogismum etiam in præmissis, constituunt, ex Arist. & S. Th.

4 Prima Conclusio. Discursus animasticè sumptus consistit in sola conclusione.

Prob. 1 ex Aristot. 1. Poster. c. 1. ajente: *Discursus est actus, qui & præexistente fit cognitione.* Item S. Th. q. 2. de verit. art. 3. ad 3. ita confirmante: *Discursus est cognitio vnius veritatis per aliam, & post aliam habita.* Sed sola conclusio fit ex præexistente cognitione, & post illam habetur. Ergo sola conclusio est discursus. 2 Quia sola conclusio potest esse tertia operatio distincta â judicio, seu â secũda operatione mẽtis: vt enim involuit præmissas, involuet judicium, ad quod illæ pertinent, ac proinde secundam operationem, Sed discursus est tertia operatio, distincta â secunda, non minus quam hæc â prima. Ergo sola conclusio erit discursus, juxta Animasticam hanc definitionem, siue Animastice sumpta.

Secunda Con. 1. Discursus logice sumptus involbit etiã judiciũ, scilicet præmissas, ex quibus syllogismus componitur. § Probatur 1. Quia Arist. & S. Th. ea d. 32. definiunt, quod *sit oratio in qua quibusdã positis*, id est, præmissis 2. Regulæ Logicæ de syllogismo, siue de argumentatione dirigunt, non solũ conclusionem, sed etiam præmissas sub nomine syllogismi, seu discursus dialectici, vt patet ex Summulis à d. 32. Ergo syllogismus, seu discursus dialectice sumptus involvit conclusionem, ac præmissas. 3. Quia syllogismus vsurpatur pro re

tefacto Logico, ex varia collocatione præmissarum, & conclusionis, dispositio, secundum figuras, & modos trium Propositionum. Ergo

5 Quæst. 2. Utr. *Syllogismus, seu discursus formalis, requirat præmissas a conclusione realiter distinctas?* Negant Nomin. & Scotistæ aliqui apud P. Lync. *infra*; quibus multũ favet P. Arr. 1 p. d. 10. à n. 30. & d. 28. n. 38. concedens discursum formalem, etiam in Deo, per actus formaliter distinctos.

6 Affirmo cum reliquis DD. ex S. Th. 1. p. q. 14. art. 7. P. Suarez. P. Molin. P. Vazq. P. Ualen. P. Hurt. P. Rip. P. Tellez &c. quos laudat P. Lync. l. 7. tr. 4. c. 5. n. 36. Tum quia discursus est quasi cursus ex vno ad aliud, qui non solũ petit vnum & aliud obiectiuè, sed formaliter quoad motus actum; sicut cursus localis non solum vnum & alium locum, sed vnum, & alium motum. Tum quia judicium causale conditionale, & obiectiue illatiuum, v. g. *veracem Incarnatio, quia Deus dicit* &c. solum dicitur discursus virtualis, licet possit formaliter dispingui in duos partiales assensus, ter modum præmissæ & conclusionis. Sed quod est virtualiter tale simpliciter, & formaliter tale nõ est: vt distinctio virtualis, &c, ergo distinctio purè formalis non sufficit pro discursu, & syllogismo formaliter, & simpliciter tali. Tum quia eo modo omnia fere judicia essent formales discursus, cum formaliter dividi possint in assensum obiecti *propter quid*, seu formalis motiui, & obiecti materialis *quod*. Tũ demum, quia similiter in Deo posset poni discursus. & syllogismus formalis; vn de Deus esset simpliciter discursiuus; non minus quam homo contra sensum Theologorũ. Ergo.

7 Quæst. 3. Utr *Enthymema, seu syllogismus Truncatus vere fit in intellectu nostro?* Affirmant P. Lync. l. 3. Logicæ trac. 4. c. 1. n. 4. cum Caramuel in Logica mentali n. 1017 Tum quia ex præmissa vnica copulatiua, *homo est animal, & Petrus est homo*, optimè infertur: *Ergo Petrus est animal.* Tum quia ab vniuersali fit descensus immediatus ad particularẽ, sine interpositione alterius præmissæ. Et é conuerso ascensus per inductionẽ á singularibus. Tũ demum; quia à causa necessaria infertur effectus, sine alia præmissa, v. g. *Sol lucet. Ergo dies est.* Ergo.

8 Nego cum P. Arr. d. 13. l. 1. P. Hurt. d. 3 Summul. n. 13. P. Ovied P. Compr. Aversa q. 13. f. 5. & alijs communiter. Tum quia omnis vis syllogistica nititur eo principio *quæ sunt eadem vni tertio*, ex d. 36. &c. Ergo omnis syllogismus præmittit duo identificata vni tertio, vt identificentur inter se, ac proinde duas præmissas. Tum quia etiam, quãdo præmissa est copulatiua, sunt duæ præmissæ virtualiter, & æquivaleant duabus realiter distinctis. Tum quia vt ea d. 32. n. 5, est edi etiam argumentatio per Ascensum, & quodcumque aliud Enthymema, supponit in mente tacitum, & subsumptam, præmissam,

missã, quæ solũ vocaliter truncatur. Tũ demũ quia similiter illationes effectus à causa, & aquouis medio cõnexo, non identificato, fiunt media applicatione præmissarum, de medio alio identificato cum extremis, siuè cum existentia effectus, vt ostendi ea d. 36. à n. 8. & per hæc patet ad obiectiones.

9 Quæst. 4. Vtr. *Syllogismus dicat in recto solas præmissas?* Affirmant Philopon. Buran. Niph. & alij apud PP. Conimbr. quos sequuntur P. Uallius hic d. 2. c. 4. & 5. Spinula d. 11. n. 5. &c. Tum quia juxta Aristot. Syllogismus facit scire, sed scire seu Scientia est conclusio, ergo distinguitur Syllogismus a conclusione, quam facit, vt rectum ab obliquo.

Nego cum P. Arr. s. 2. P. Yzq. d. 2. n. 29 2 PP. Cõimb. c. 1. q. 1. a. 2. Tũ quia Syllogismus in recto est oratio, *in qua quibusdam positis, aliud sequi necesse est*, juxta Arist ergo æque in recto ex *positis*, seu præmissis, & ex *sequente*, seu consequente, consurgit. Tum quia dicitur, quod *faciat scire*, non effectiuè, sed formaliter se ipso, vt involuente conclusionẽ: vel, si effectiuè, vt causante habitũ Scientiæ, etiam per conclusionem ipsam.

10 Quæst. 5. Vtr. *Conclusio debeat esse illatio formalis?* Negant P. Ripal. d. 55. de supern. n. 20. & P. Yzq d. 2. n 193. Quia judicium quodvis eius dem speciei cum præmissis, attingens non reduplicatiuè propter ipsas, sed propter intrinsecam veritatem obiectũ conclusionis, sufficit, vt constituat Syllogismum tanquã conclusio materialis.

Affirmo cum P. Hurt. d. 7. s. 3. P. Arr. d. 15. s. 4. P. Ovied. c. 9. p. 3. P. Compt. d. 47 s. 6. n. 7. P. Quiros d. 32. s. 5. n. 32. &c.

11 Prob. 1. Quia conclusio debet esse illatiua, vt denotat, Ly, *ergo*; necnon tertia, operatio diuersæ speciei a secunda, vt pote discursus: ergo & formalis illatio, & non solum materialis affirmatio obiecti inferibilis ex præmissis. 2. Quia aliàs si simul ponantur in intellectu tres propositiones, quarum quævis possit esse conclusio, erunt tres Syllogismi, v. g. *Carolus est Rex, hic homo est Carolus, hic homo est Rex.* 3. Quia vt patebit d. seq, & d. 124. conclusio elicitur ex necessitate, & ex astringentia intrinseca motiui præmissarum, ergo semper est formalis, & diuersa à judicio, quod ita non elicitur.

DISPVT. CXXI.

De concursu Præmissarum in Conclusionem.

1 QVæst. 1. Vtr. *Præmissæ in eodẽ instanti simul cum conclusione debeãt in intellectu coexistere?* Negãt Thomistæ, & P. Vazq. 1. p. d. 22. n. 7. PP. Conimbr. 1. poster. c. 1. q. 3. art. 2. P. Tellez d. 17 s. 3. n. 4. quos laudat P. Lync. 7. Met. tr. 4. n. 81. & 106, favet que P. Quiros d. 32 n. 31.

2 Affirmo cum P. Amic. d. 3. dub 2. P. Ovied. punt. 3. P. Arr. d. 13 s. 5.

n.54. Caram. n. 1019. Averſ. q. 23 ſect. &c.

Prob 1. Quia Præmiſſæ, vel concurſus effectivus, vel illuminativè ad concluſionem; ergo ſicut ignis nequit calefacere, nec Sol illuminare, niſi in ipſo inſtanti coexiſtant; ita neque Præmiſſæ concurrere. 2. Quia amor nequit elici, niſi coexiſtat ſibi cognitio, à quâ ſibi proponitur motivum amandi; ſed præmiſſæ proponunt concluſioni motivum aſſentiendi; ergo ſunt illi coexiſtentibus, concluſio elici nequit. 3. Apprehenſio coexistere debet judicio, vt ipſum determinet; Ergo pariter Præmiſſæ, vt determinent concluſionem.

13 Obj. 1. Sufficere ſpeciē præmiſſarum per quam determinetur intellectus ad concluſionem. 2. Sufficere ſolum recordationem præmiſſarum. 3. Sæpe excitari in nobis memoriā concluſionis, ſine Præmiſſis. 4. Præmiſſa proferri, & eſſe prior concluſione; Ergo non ſimul. 5. In eodem intellectu, juxta Ariſtot. 1. Topic. c. 4. plures actus ſimul eſſe non poſſunt. Ergo nec præmiſſæ cum concluſione.

14 Reſp. Ad 1. Solum ſpeciem Præmiſſarum ad ipſas præmiſſis denuo eliciendas deſeruire, ſicut ſpecies de Petro ſolum ad Petrum cognoſcendum. Ad 2. Si datur recordatio Præmiſſarum; Ergo & cognitio objecti ipſarum, quæ non eſt aliud ab ipſis præmiſſis. Ad 3. Si excitatur ſpecies ſolius concluſionis, ſolum concluſio materialis, non vero quæ ſit formaliter concluſio, affecta illo signo: *Ergo*, excitabitur; & præterea certum eſt non requiri præmiſſas. Ad 4. Præmiſſa ſolum eſt prior naturâ concluſione, non tempore; vnde cum illâ debet coexiſtere, ſicut Sol cum Luce, poſterior natura. Quod ſi aliquando præcedat tempore, v. g. dū Major & Minor ſucceſſivè audiuntur, tunc per prævia cognitionem de bonitate illationis ſimultaneè repræſentantur, vt dicam d. 12. 3. Ad 5. Ariſt. ſolum negat concurſum plurium actuum, qui diſparati, vel valdè intenſi ſint; non aliter; cum paſſim quam plures viſiones objectorum ab eodem oculo fiant, necnon apprehenſiones cum judicio &c.

15 Quæſt. 2. Utr. *Præmiſſæ effectivè ea ſint concluſionem?* Affirmant Themiſtæ communiter cum M. Sota, Complut. PP. Complut. br. P. Rub. P. Tellez apud P. Lync. n. 90. & P. Santacruz infra; quibus faucent Scotiſtæ cum & apud Ponc. d. 20. n. 21. Necnon P. Suar. d. 18. ſ. 4. n. 3. & P. Quiros ea. d. 32. n. 29.

16 Negat cum P. Hurt. ſupra ſ. 8. P. Arr. n. 33. alii 38. P. Santacruz n. 1173. P. Oviedo punt. 3. n. 7. & punt. 3. n. 6. P. Compt. d. 47. ſ. 7. n. 3. P. Yzq. ſup. n. 3011. P. Lync. n. 81. Auerſa ſup. ſ. 3. Joan. d. 37. n. 17. & pluribus apud ipſos.

17 Prob ex d. 39. Tum quia nulla eſt neceſſitas multiplicandi hunc concurſum effectivum, cum ſufficiat illuminativus, ſeu formalis: ſicut ſufficit regulæ logicali in actu regulato, prudentiæ in actus virtuum, cog-

cognitioni in amorem, intentioni in electionē &c. Ergo. Tum quia juxta S. Aug. *Ex obiecto, & potentia paritur notitia*, scilicet effectiue ergo sola potentia, & objectum, vel species vicaria obiecti, notitiam quācumque effectiue producet, sed præmissæ non se habent, vt species, nec vt potentia, vel habitus potentiæ. Ergo non est cur effectiuè concurrant.

8 Obij. 1. Species & habitus effectiue concurrunt ad cognitionem, quia determinant ad illam; sed præmissæ determinant ad conclusionē. Ergo.

Resp. Ex ea d. 39. n. 3. distin. maj. concurrunt effectiuè, quia determinant, præcise, *nego*; & quia non habent alium concurrendi modum, saltem illuminatiuum, qualē habent præmissæ, *concedo*.

9 Obij. 1. Præmissæ concurrunt ad conclusionē loco speciei, sed species cōcurrit effectiue, ergo & præmissæ.

Resp. Neg. maj. Quia vt dicam in lib. de Anima ex præmissis desumit, & abstrahit intellectus agens speciem distinctiuam, quam agit, modo explicato d. 86. n. 10. perquam determinatur effectiuè ad conclusionem. Vnde & ex n. 2. reijciendus est P. Ar. qui solas species de objecto, præmissarum putat, sufficere pro conclusione, ita enim, & species singularium pro vniuersali sufficerent.

DISPUT. CXXII.

Vtrum præmissæ necessitent intellectu ad assensum conclusionis?

1 PRima sent. singularis P. Linc. lib. 7. Meth. Tr. 4. n. 86. negat, intellectum vllo modo necessitari per præmissas ad assensum conclusionis, nō modo *quoad exercitium*, idest, vt hic & nunc exercere debeat assensum; sed neque *quoad speciem actus*; idest, quod etiā possit actum specie oppositum, scilicet dissensum elicere, vt v. g. posito assensu harum præmissarum: *Omnis homo currit, sed Petrus est homo*: non solum possit suspendere conclusionem: *ergo Petrus currit*: sed etiam oppositum affirmare, scilicet, *Petrus non currit*.

2 Secunda sent. supponens necessitatem *quoad speciem*, negat tamen omnino necessitatem *quoad exercitium*, quia intellectus in exercitio suorum actuum dependet à vniuntatis imperio. Ita non nulli Thom. cū M. Io. m. Thom. hic q. 24. art. 3. P. Rub. q. 8. P. Tell. d. 17. s. 5. P. Rho. d. 4. s. 4. §. 3. P. Olcina n. 3001. P. Quirós d. 32. s. 2. & a fortiori P. Lyn. qui laudant Aversā Oliam, Mutc. & alios.

Sect. 1. Conclusio omnino affirmans.

3 Tertia nostra communior que sent. affirmat, intellectum, posito assensu præmissarum, prorsus, etiam quoad exercitium, necessitari ad assensum conclusionis. Ita cum Arist. 7. Et hic c. 3. ajente, *Posita vna vniuersali propositione, & altera particulari, animā statim agere necesse est*. Nec non cum S. Thom. 1. 2. q. 17. art. 6. & 1. p. q. 82. a. 4. & in 2. d. 25. q. 1. a. 2. corp. dicente: *Intellectus vi demons-*

monstrationis cogitur. Caiet, & meliores Thomist, quos laudant Complut.d.17.q.4.n.40.Scot. & Scotis. apud Ponc.d.10.q.3,n.37. Nostri etiam plerique cum P.Suar.d.44. Meth.s.1.n.8.PP Conimbr,1.post. c. 2.q.4.art.4.Fons.l.6.c.1,q.4,s.4.P. Amic.Tr.25 q.6.P.Hurt.d.7. de Anima,s.4.P.Arr.hic d.15.s.6.P. Ovied.cont.9 punt.4 P.Compt.47.s. 8.P.Suar.Lusit.tr.7.d.2,n.93.P. Sãctacruz n.1184.P.Peñaf.d.10.q. 5. n.24.P.Yzq.d.7 q.2.P.Pol.Tr.3. d.8,q.2,dif.2. & alij, quos sequuntur Spin.d.22. n.70 & Ioannitz d. 37.c.3. & Caram in log.ment. n, 1011.Sed probationi.

4 Præmittendum, totam rei difficultatem consistere in stabilienda dependentia, vel independentia intellectus nostri ab imperio, vel motione voluntatis, quæ absque dubio sæpe monet, ac determinat intellectum nostrum; in ijs tamen, *in quibus cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert*, vt loquitur S.P.N Ignatius in sua gemmea Epist. *de virtute obedientiæ.* Quod etiam docet expresse S.Thom.supra & ea q.17.art. 6.corp. inquiens: *Si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia; assensus talium, vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordine naturæ... sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeo conuincunt intellectum; & in talibus assensus, vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit.* Et ratio est manifesta: Quia solum requiritur voluntatis imperium pro determinando intellectu, quando motiua ipsa veritatis illum indeterminatum relinquunt, nec determinare sufficiunt; vt in materia probabili, vel obscura; vbi tamen veritas clara, & certa obiecti, Intellectum determinat, omnino superfluit imperiú voluntatis, ipsa enim veritas non solum quoad speciem, sed etiam quoad exercitium assensus determinat; vt ad assentiendum existentiæ solis, & principio *Quæ sunt eadem vnitertio* &c. Jam hinc

5 Prob. 1. Concl. quia: per assensum præmissarum assentimur identitari duorum extremorum cum Tertio, vt veræ; cum tota vis Syllogistica in eo principio *Quæ sunt eadem vnitertio*, fundetur. Sed posita veritate identitatis duorum vni tertio, certa & evidens est, & apparet intellectui, identitas eorumdem inter se, quæ est tota veritas conclusionis, vt in eodem principio fundata. Ergo posito assensu præmissarú, certa & evidens est, & fit intellectui, veritas obiecti conclusionis. Tum sic, sed vbi apparet intellectui certa, & evidens veritas obiecti, ipsa per se determinat, & necessitat intellectum, quoad speciem, & exercitium assensus, quin dependere possit ab imperio, vel determinatione voluntatis, vt puper est præmissum. Ergo posito assensu præmissarum, determinatur intellectus ad assensum conclusionis, omnimoda necessitate quoad exercitium, independenter omnino a voluntatis imperio.

6 Confirm.1. Ex ipsa experientia

nostræ

noſtræ argumentationis, in Scholis, vbi quoties defendens Theſim aliquam, Syllogiſmos arguentis reſumit, ſi ſint in forma, & legitimè conſequentiam inferant, conceſsis majori, & minori, apud omnes cogitur concedere conſequentiam, nec poteſt non ſolũ negare, ſed neque omittere aut ſuſpendere aſſenſum cõcluſionis, vnde eam ſolum poteſt euadere diſtinguendo, aut negando aliquomodo præmiſſam aliquã. Et ita etiam paſsim, promiſsis præmiſsis omnes dicimus, aſſentimus, quod *conſequentia ſit euidens*. Ergo apud omnes, poſito præmiſſarum aſſenſu, euidens eſt conſequentia concluſionis. Sed vbi datur euidentia non poteſt intellectus, quantumcunque obnitatur voluntas, cohibere aſſenſum. Ergo nec circa concluſionem, vbi aſſentitur præmiſsis.

7 Confirm. 2. Quia ſæpe exiſtente voluntate, conuincuntur homines demonſtratione Syllogiſtica, vt cũ infideles volentes, nollentes que, ab Atheiſmo reuocãtur ad aſſentiendũ Concluſioni de exiſtentia Dei, vel etiam ab hæreſi, ad cognoſcendam euidentem credibilitatem noſtræ fidei, per primos naturales aſſẽſus, quibus poſtea ſupernaturales ſuccedũt. Sed tunc determinatur intellectus vnicè vi illationis Syllogiſticæ, ſeu diſcurſiuæ, abſque imperio voluntatis, cũ potius hæc obfirmatè renuat, ſenſibilibus, & delectabilibus contra rationem raptata. Ergo quia vis illatiua ſyllogiſtica ſe ſola, abſq; voluntatis imperio, imo contra illud, ſufficit determinate, imo neceſſario determinat intellectum, ad aſſenſum concluſionis.

8 Confirm. 3. Quia Ly *ergo*, affi-ciens cõcluſionem denotat vim quãdam illatiuam præmiſſarum, qua immediate ab illis determinatur intellectus: vnde fit, quod ſæpe poſitis præmiſsis, nihil aliud adijciamus, quam Ly *Ergo*, nude ſumptum; & tamen in illo ab omnibus audientibus, vel legentibus ſtatim totum conſequens capitur, & vniformiter mente infertur a ſingulis: ex vniformi autem perpetuo modo operandi potentiæ, arguitur neceſsitas, vt patet in actione cauſarum naturalium, ſicut ex vario, & contingenti arguitur libertas cauſæ. Ergo per Ly *Ergo* neceſsitas exercita illationis deſignatur.

9 Prob. 2. a priori, ex dictis. Quia intellectus eſt cauſa neceſſaria, vt potè naturalis, in ſuis operationibus non minus quam ignis; ac proinde poſitis omnibus requiſitis ad operãdum, ſeu quibus poſitis poſsit operari, ſtatim neceſſario operatur; ſolius enim cauſæ liberę, ſcilicet voluntatis, eſt, quod illis poſitis, poſsit operari, vel non operari. Sed intellectus noſter, poſito aſſenſu præmiſſarum, independenter à libera voluntatis determinatione, habet omnia requiſita, vt operari ſiue elicere poſſit concluſionis aſſenſum, vt oſtenſum eſt. Ergo ipſum neceſſario, & naturaliter operatur.

10 Reſpondent Adverſ. quod ſicut ignis, licet ſit cauſa naturalis, poteſt

test libere a nobis applicari, vel remoueri; ita potest applicatio intellectus, & præmissarum a voluntate substrahi, distrahendo scilicet attentionem intellectus; tum per obtenebrationem confundentem præmissas: tum per excitationem alicuius speciei intensioris, siue circa aliquã præmissarum, vt respectinam ad alias conclusiones, siue circa obiectum aliud disparatum: eo modo quo potentia etiam visiua cum æque necessaria, & naturalis sit, per vehementius aliquod sensibile distrahi potest, ne ad alia visibilia attendat; quod contigit D. Bernardo, toto die secus Lacum de ambulanti, nec tamen videnti. Et hoc pacto etiam PP. Conuimbr. P. Ovied. & alij D. D. nostræ sent. illam temperant.

11 Contra. Quia postquam semel positus est assensus præmissarum, iã non est locus obtenebrationi, ac distractioni circa illas, earumque veritatem, ac proinde nec circa connexionem, & veritatem conclusionis, necessario secutaræ: cum tota earum applicatio alia non sit, quam ipsarum cognitio, siue assensus. Vnde distractio, vel dubitatio superueniens, solum deseruiet, vt denuo, vel suspendatur, vel retractetur assensus præmissarum, & per illius suspensionem, etiam nouus assensus conclusionis suspendi præcipiatur a voluntate, vt sit in re opinabili seu dubia: ad præteritum autem assensum jam potentia non erit, tam circa præmissas, quam circa conclusionẽ. Propterea enim Arist. 1. Post. c. 1. dixit, quod licet Major præcedat consequentiam, Minor tamen præmissa minimè, quia necessario est simultanea cum conclusione vi connexionis. Ergo non tenet paritas sensus vehementer distracti, vbi potentia habet impedimentum vehementioris sensibilis rapientis illam; intellectus enim eo ipso quod supponatur assentiri præmissis, a vehementiori specie non rapitur, circa illarum veritatẽ, ac proinde neque circa veritatem conclusionis, quæ eadem est, & necessario connexa, supposita, & ad missa priori.

12 Prob. 3. Concl. *contra* 1. *sent.* Quia dubitari non potest, eum qui assentitur implicite, & virtualiter alicui veritati, non posse ipsi formaliter, & explicitè dissentiri. v. g. qui assentitur definito, scilicet quod *Petrus sit homo*, negare non potest explicitè definitionem, scilicet, quod *sit animal rationale*, ex d. 70. n. 27. & 48, quia illam implicitè in definito affirmat: alias negare verum cognitum vt verum, quod implicat, sicut odio habere bonum, vt bonum. Atqui in objecto præmissarum scilicet *identitate duorum cum tertio*, inuoluitur implicite *identitas ipsorum inter se*: quæ est obiectum conclusionis, ex principio *Quæ sunt eadem* &c. Ergo implicat, quod assentiens præmissis, dissentiat conclusioni, siue quod sit libet *libertate contrarietatis ad speciem*, idest ad assensum, & dissensum.

13 Tum vltra. Ergo pariter implicat quod sit liber *libertate contradictio-*

dictionis, quoad exercitium; siue ad exercendum, vel omitendum assensum. Conseq probatur. Tum paritate ipsa. Quia ideo necessitatur intellectus quoad speciem, quia est potentia necessaria, & habet omnia requisita ad speciem actus, sed eadē habet ad exercitium assensus: ergo pariter ad hoc necessitatur. Tum quia vis illatiua, siue inductiua præmissarum in conclusionē, quę per *Ly ergo* exprimitur, non minus est ad speciem, quam ad exercitium assensus. Ergo.

Sect. 2. Objectiones.

14 Obij. 1. pro 1. sent. ex P. Lynceo. Infidelis assentiens huic veritati *Deus est unus*, negat Trinitatem, quæ implicite includitur in vnitate, quam affirmat: Ergo ita poterit negare identitatem extremorum interse per conclusionem, licet implicitè inclusam in identitate eorum cum Tertio, per præmissas affirmata.

Resp. neg. cons. & paritatē quia in conceptu vnitatis diuinæ non includitur Trinitas, vt per se nota, imo neque, vt essentialis, adhuc apud Theologos; quanto minus apud Ethnicos; qui propterea poterunt vnam ab alia præscindere, alteram negando, & affirmando alteram. At per se notum est, quod identitas extremorum cum Tertio sit essentialiter identitas extremorum interse, non minus quam, definitum esse idē cum definitione, vnde apud omnes repugnat vni identitati assentiri, & dissentiri altera.

15 Obij. 2. Sæpé in Scholis, concessis *majori, & minori* in forma, negatur consequentia. Ergo.

Resp. Id contingere non posse, nisi negando, quod Syllogismus sit in forma, vel ex ignorantia vltimatæ significationis Terminorum, vel ex modo obscuro, & imperfecto Syllogismi. Quod si forma clarescat terminorum explicatione, vel reductione Syllogismi ad perfectum, modum impossibile erit, admissis præmissis, consequentiam negari.

16 Obij. 3. Saltem in Syllogismis probabili non necessitatur intellectus ex præmissis ad conclusionem; cum materia probabilis sit libere eligibilis à voluntate: Vnde Hæreticus etiam à Catholico syllogisticè conuictus, potest conclusiones de fide, post admissas præmissas, omnino respuere. Ergo.

Resp. Quod licet absolute non necessitetur intellectus ad conclusionem probabilem, ex suppositione tamen quod præmissas admisit, ad illam omnino cogitur, nec nisi reuocando assensum præmissæ, resilire poterit a conclusione. Si enim quis probabiliter judicet, *Petrum esse mortuum*, deinde, *Petrum esse Senatorem*; certe impossibile est, quod eodem modo non judicet probabiliter, *Senatorem esse mortuum*: Quia licet veritas huius conclusionis sit absolutè contingens, ex suppositione tamen præmissæ, iam est omnino necessaria, formaliter, vi illationis, & consequentia; licet talis non sit materialiter, quoad ipsum consequens.

Et

Et hinc est, quod sæpe admissis præmissis probabilibus, aliqui distinguant consequens; per quam tamen distinctionem, ex parte reuocatur aliqua præmissarum. Tunc enim apparet, præmissas solum ore tenus fuisse absolutè concessas, & quasi sub conditione quod non inferant legitimè consequentiam conclusionis, contra quã sunt obfirmati. Quod hæreticis maximè euenit, qui propterea adhuc conuicti syllogistice, conclusionem tamen fidei negare pergunt, quia præmissas solum sub conditione illa prædicta implicita, & latenti concedunt, proterué suspicati in præmissis latere aliquid æquiuocum, quod a doctioribus suis solui posit: aliter enim conclusionem, licet perse materialiter ineuidentem, negare non possent, si semel præmissas admitterent; quia conclusionis connexio cum illis evidens est, licet objectum materiale conclusionis sit ineuidens.

17 Obij, 4. *pro* 2. *sent.* Intellectus etiam quoad assensum euidentis veritatis, & conclusionis subditur voluntatis imperio: vt patet in Atheistis, qui refragantur demonstratiuæ cõclusioni de existentia Dei, & in hæreticis, qui negant assensum euidenti credibilitari nostræ fidei; cum tamen negare non possint præmissas; seu principia vtri usque euidentiç vt pote prima, & perse nota. Ergo solis conclusionibus post admissas præmissas, ex imperio voluntatis assensum negant.

Resp. Negando antec. Quia etiã Athei, & hæretici conantur tergiuersari, & sophisticis distinctionibus principia, & præmissas earum demonstrationum infirmare; nunquam tamen admissis præmissis negarunt consequentias formales: Ita enim, vel ipsi agnoscerent, & fatenturse esse conuictos; vt aliquando fatentur. Sed tunc ab alijs doctioribus melius de nonstrationibus iri satisfactum putant, vt nuper dixi de probabilibus, & ideo conditionate præmissas ipsas mente suspendunt, licet ore tenus concedant.

18 Obij, 3. Nullum est bonum creatum, à quo necessitetur voluntas; ergo neque verum à quo necessitetur intellectus.

Resp. Negando conseq. Tum quia voluntas est potentia libera, intellectus vero naturalis, & necessaria; vnde hæc vbi potest operari, necessario operatur, è contra illa. Tum quia omne bonum creatum habet aliquid admixtum mali, siue ardui, & ex hoc capite potesta voluntate non amari. At nullum verum habet mixturam falsi, quia veritas consistit in indiuisibili.

19 Obij. 6, Etiam si multæ veritates interse connexæ sint, non tamen ex eo quod intellectus habeat assensum circa vnam, debet etiam explicite assentiri circa aliam, aliàs numquam posset homo affirmare definitum, quin simul affirmaret definitionem; nec similiter vnum contradictoriũ asserere, quin alterũ explicitè negaret, & ita innumeros actus simul haberet, quod est cõtra expe-

experientiam. Ergo pariter licet affirmaret identitatem extremorum cum tertio, non ideo debet explicitè identitatem eorum inter se per conclusionem affirmare.

Resp. dist. ant. etc. etiam si veritates sint connexæ, non tamen ex eo quod intellectus habeat assensum circa vnam, debet etiam explicitè assentiri circa aliam; si repræsententur veritates, vt connexæ, & per explicitam propositionem terminorũ connexionis, vt fit per modum illationum quasi effectuum præmissarũ, vi identitatis cum tertio; *nego.* Si ita non proponantur termini, vt contingit in contradictorijs, definitionibus, & alijs terminis connexis, illativè non propositis, *concedo.*

20 Obij. 7. Quando materia conclusionis est purè probabilis, intellectus assentitur ipsi cũ formidine; sed eo ipso non est determinatus vi illationis, formido enim affert indeterminationem, ergo tunc non necessitabitur per præmissas.

Resp, dist. maj. assentitur conclusioni cum formidine mediata circa obiectum præmissarum, jam victa & superata, in ipsis præmissis, per imperium voluntatis circa illas, concedo; cum formidine immediata circa conclusionem ipsam, nego: quia suppositâ præcedenti victoria, jam repræsentatur, vt necessaria, & euidens, & nullo modo formidabilis in se connexio conclusionis, cui proinde necessario assentitur intellectus, necessitate ex suppositione.

21 Obij. 8. Eadem necessitate ex suppositione assentitur intellectus conclusioni falsæ, legitimè illatæ, v. g. *Petrus est lapis, sed Petrus est homo, ergo aliquis homo est lapis*: sed nihilominus, licet assentiatur illationi non assentitur ipsi conclusioni: ergo pariter &c.

Resp. neg. paritatem, quia in ijs conclusionibus non procedit assensus conclusionis ex assensu præmissarum, sed solum ex suppositione conditionata illarum, sicut supponitur sæpe aliquod impossibile, ad inuestigandam aliquam connexionem, v. g. *Si Spiritus non procederet, &c.* Atque adeo non debet assentiri intellectus conclusioni, & eius obiecto, absolutè, sed solum sub conditione, & eius solum connexioni. At verò præmissis probabilibus præstat intellectus assensum simpliciter, & ideo ipsam conclusioni præstabit; probabilem tamen, & vt veritati prudenter apparenti; non firmum, & vt veritati, certò constanti: quem P. Yzq. n. 45 etiam dicit aliquomodo conditionatum, sub implicita quadam conditione, quod mortua non fallant.

22 Obij 9. Potentia loco motiua externa, est naturalis, & necessaria, sed nihilominus subditur voluntatis imperio, ergo pariter intellectus, licet potentia necessaria sit.

Resp. neg, parit. Quia potentia loco motiua non habet aliud cum principium, a quo possit determinari, nisi solum voluntatis imperium; cum non tendat vitaliter in obiectum aliquod, a quo determinetur. At intellectui supperit duplex determi na-

minatiuum; alterum intrinsecum, quasi primarium, à veritate, & certitudine obiecti motiui, quam intrinsecè respicit, sicut potentiæ quævis cognoscitiuę sensuum a suis obiectis determinantur. Alterum quasi secundarium extrinsecum, scilicet imperium voluntatis, in defectum primarij, siue vbi deficit determinatio obiectiua, illius vices supplens: vt experientia probat, & ratio, ex n. 4.

23. Obij. 10. ad actus necessarios non datur habitus, vt ad visionem oculorem, otiosa enim esset facilitas vbi est necessitas potentiæ. Sed ad assensum conclusionis datur habitus, adquiritur enim habitus Scientiæ per demonstrationem, seu conclusionem demonstratiuam; ergo hæc non est necessaria.

Resp, à multis negari maj. in libr. de Anima, exemplo potentiæ locomotiuæ, quæ facilior redditur ad saltandum, &c. Ab alijs negatur min. Quia habitus Scientiæ non est ad conclusionem, secundum quod necessaria illatio est, sed secundū quod enuntiatiua veritatis est. Sed hæc ibi.

24. Obij. 11. Deus, posito assensu præmissarum, potest negare concursum ad conclusionem. Item posset reuelare, & infundere has præmissas, *Quod Deus dicit verum est, sed Deus dicit in hoc instanti, vel numquam esse in mente Petri tres propositiones.* Ergo tunc in mente Petri non erit conclusio, siue assensus cōclusionis, alias falsificaret reuelationē, vt patet in tertia propositio.

Resp. concedendo de potentia Dei absoluta, ita fieri posse, sicut potest impediri combustio ignis applicati, & actio cuiuscumque causæ naturalis, negando concursum. Solum enim procedit. Quæstio, de necessitate intellectus, positis præmissis, & omnibus requisitis, præter voluntatis imperium, an possit suspendere assensum conclusionis? vnum autem de requisitis est concursus Dei, qui tunc negaretur. Aduerte tamen etiā de potētia absoluta, necessitari intellectum quoad speciem, positis præmissis; quia nec diuinitus potest, dissentiri vero, vt tali, cognito per præmissas.

25. Obij. 12. Licet obiectum fidei proponatur, vt euidenter credibile, nequit imperium voluntatis ad assensum fidei. Ergo pariter, licet obiectum conclusionis proponatur per præmissas, vt euidenter connexum.

Resp. negando eq. Et pariter, quia veritas obiecti fidei proponitur obscurè per motiua credibilitatis; at veritas conclusionis euidenter proponitur, ex principio per se noto, *quæ sunt eadem &c.* quando est Syllogismus perfectus, & perfectè pendentur Præmissæ, vt dicam n. 28.

26. Obij 13. Licet potentia appetitiua, & sensitiua interna, sint potentiæ necessariæ nihilominus subduntur imperio voluntatis, non quidem despotice, sed ciuiliter, vt cum Arist. 1. Polit. decernit S. Th. 1. 2. q. 17. a. 7. c. vnde potest voluntas libere frænare, & reprimere motus natura-

turales appetitiuos, vt Dei lege tenetur. Sed intellectus est eodem modo politico subditus voluntati, ex eodem Arist. & S. Th. ea q. 17. a. 5. Ergo potest a voluntate reprimi, & frænari, quoad actus etiam naturales conclusionum.

Resp. Motus sensitiuos solum frænari a voluntate in causa, eam remouendo, ex qua necessario illi sequuntur; scilicet delendo speciem per intensiorem contrariam sensitiuã, per quam sensus internus distrahatur ad alia obiecta; eo modo quo etiam potest impedire sensationes externas claudendo oculos, obturando aures & nares, &c. impediendo species, quæ sunt quasi præmissæ actuum sensitiuorum: ijs vero positis, & expeditis, tam necessario, & ineuitabiliter sequuntur, ij appetitiui motus, quam cõclusio ex præmissis; & propterea motus hi primo primi appetitus inculpabiles sunt, quia indeliberati. Vnde adhuc in statu innocentiæ putat P. Arr. d. 38. de op. 6. dier. s. 2. motus appetitiuos a ratione impediendos fore, præoccupatione specierum, quas tenus ratio adeo tunc vigilans ex dono iustitiæ originalis esset, vt vbi sensationem de bono delectabili in honesto excitari sentiret, statim simulque cum illa intensiorem speciem contrariam, & deterrentem ab ipso obiecto excitaret in sensu, quę multo vehementius raperet appetitum ad motum contrarium. Vnde nego parit. Quia posito semel assensu præmissarum, non potest intellectus earum dissensum, seu contrarium judicium conjungere; quia assensus, & dissensus adhuc diuinitus implicat iungi: quo solũ modo posset impediri conclusio, sicut impeditur appetitus. Quia scilicet non repugnant sensationes contrariæ vna attrahens, & alia retrahens ab appetitu, & amore eiusdem boni arduissimo: hæc perpetuo concurrunt pro actibus liberis; repugnant tamẽ contrarij assensus pro cohibenda vna conclusione; & alia præferenda, adhuc purè probabiles, eiusdem vel i. De quo in lib. de Anim.

27 Obij. 14. Positis præmissis, indifferens est intellectus, vt eliciat cõclusionem directam, vel indirectã; ergo sicut potest a voluntate determinari ad alterutrã, ita, & ad omittendam vtramque.

Resp. neg. antec. Quia solum ad directam, connaturalem, & claram conclusionem est determinatus intellectus, vt dixi d. 34. n. 5. & optime obseruant Complutenses. n. 42. vnde licet ali quando indirecta etiã inferatur, & ore tenus sola proferatur, in mente tamen retinetur directa, quia vt pote naturalis, & clarè proposita in præmissis, naturaliter sequitur, & per euidentiam connexionis necessitat intellectum. Et hinc est difficultas, quam in conclusionibus indirectis experimur, quas nisi adiuti regulis de conuersione, vix inferimus: vnde patet, eas esse conclusiones mediatas, quæ regulis vt novis præmissis indigent; quare his tantum denuo positis necessariæ erunt indirectæ conclusiones, quia

ita directæ sunt, & immediatæ.

28 Obij. 15. Passim negari conclusiones secundæ, & tertiæ figuræ, de modo imperfecto, vel etiam indirecto, licet fundatæ sint in eodem Principio, *quæ sunt eadem*, &c, in quo prima figura, & conclusio directa. Ergo pariter.

Resp. neg. conseq. & parit. Id enim oritur, quia propter obscuritatem, & imperfectionem modi, vel figuræ, non penetrantur præmissæ, nec perfectè capitur identitas cum Tertio, vnde non præcesit assensus præmissarum, vt talium formaliter.

29 Obij. 16. Principium quæ *sunt eadem vni tertio* limitatur per fidem in Mysterio Trinitatis, ex d. 23. n. 3. & d. 36. n. 7. ita vt subdatur imperio voluntatis, & piæ affectionis fidei, negatio huius conclusionis, *Pater, & Filius sunt idem inter se*; omissis præmissis, quod *Pater, & Filius sunt idem cum tertio indiuisibili, scilicet Deitate*. Ergo pariter idem principium potest subdi imperio voluntatis circa illationem cuiuscunque alterius conclusionis. Probatur. Quia circa aliam quamcunque potest intellectus suspicari, aut hæsitare, an possit à Deo similiter reuelari, quod circa illam tale principium non teneat, atque limitandum.

Resp. nego conseq. Quia tota limitatio illius principij *quæ sunt eadem*, non fit circa illationem, seu cõclusionem, sed circa præmissas, quia Pater, & Filius, non sunt idem cum tertio, etiam virtualiter indiuisibili, propter virtualem distinctionẽ, & communitatem tertij, scilicet Deitatis, vt ibi dixi. Vnde minimè infirmatur principium pro vi syllogistica necessitante illationis: neque potest intellectus circa eam vim hæsitare, neque etiam suspicari, quod circa ipsam limitari possit principium *quæ sunt eadem*. Imo neque circa alias præmissas, præter Mysterio Trinitatis, & Diuinitatis, vt supernaturalia, siue vt supra naturalẽ rationem infinitè eleuata: vt dicam in Metaphysica, & in 1. p. Alias circa omnia principia per se nota possemus hac paritate dubitare, & omnem scientiam humanam de medio tollere.

30 Obij. 17. Hæc necessitas assentiendi conclusioni non potest oriri, ante præuiam cognitionẽ de bonitate illationis obiectiuæ, cum hæc sit præcipuũ motiuum assentiendi. Ergo adhuc posito assensu præmissarum datur locus, vt voluntas possit suspendere hanc præuiam cognitionem, & ita impedire assensum conclusionis.

Resp. Neg. conseq. quia hæc ipsa cognitio de bonitate illationis necessario resultat ex assensu ipsis præmissarum, nec subditur voluntatis imperio, non minus quam ipsa conclusio. Sed pro antecedenti, sit

DISPVT. CXXIII.

Vtrum cognitio de bonitate illationis assensum conclusionis præcedat?

1 PRima sent. P. Smiglesius d. 17. q. 2. P. Hurt. d. 7. de An. s. 5. P. Ouied. c. 9. punct. 2. n. 6.

P. Compt. d. 47. s. 3, P. Lyec. 7. Met. trac. 4. c. 11. & Ioan. d. 33. n. 9. qui pro se refert immerito PP: Connimbr. P. Arr. & alios, *Negat*, ad assensum conclusionis prærequiri vllam cognitionem de bonitate illationis, tã directã de obiectiua, quã reflexam de formali.

2 Secunda sent. *affirmat*, vtramque requiri, cum Thomistis, quos laudat P. Quiros d. 32. s. 3. præsertim ad correlusionem scientificam, ex dictis d. 60. n. 3.

3 Tertia nostra sent. solam directam cognitionem bonitatis illationis obiectiuę prærequiri decernit. Ita PP. Connimbr, 1. Post, c. 1. q. 4, a 3. P. Arr. hic. d. 15. s. 3. P. Santa crux n. 1117, ex P. Suarez d. 1. s. 4. n. 26. & P. Vaz q. 1. 2. d. 34. n. 12.

4 Concl. supponit ex dictis ea d. 60. en 4, o iosam esse, & minimè necessariam, reflexionem supra illationem formalem, cum sufficiat veritas obiectiuæ illationis seu connexionis directe, cognita, vt moueat ad assensum conclusionis, sicut veritas quæcumque euidens apprehensa directè sufficit ad assensum cuiusvis judicij, quin requiratur reflexio supra ipsam apprehensionem motiui. Vnde solum probanda restat necessitas cognitionis directæ de bonitate obiectiuæ illationis: Et

5 Prob. 1. Quia conclusio non affirmat siue enuntiat suum obiectum vt cumque, sed explicite vt connexum, dependens, & illatum ab obiecto, & motiuo præmissarum, vt denotat Ly *ergo*; vnde licet vtrumque obiectum esset verum, si tamẽ obiectum præmissarum, non haberet eam obiectiuam illationem, seu causalitatem verificatiuam objecti conclusionis, hæc euaderet mala, & falsa conclusio, v. g. *Petrus est animal, ergo est homo*; sicut de omni propositione causali in vniuersum dixi d. 17. n. 12. & omnes DD. supponunt. Sed quod explicite enuntiatur per propositionem quamcumque, debet præcognosci per explicitam saltem apprehensionem simplicem, propterea enim vt de Petro affirmetur explicita definitio, *animal rationale*, non sufficit quod præcedat apprehensio definiti, v. g. *homo*, sed ipsi termini definitionis debent explicitè apprehensi prævie proponi, vt est certum: ergo vt per conclusionem enuntietur explicitè obiectum, vt affectum, causalitate, & connexione illatiua per Ly *ergo*, debet præcognosci explicite ea connexio, & causalitas obiectiua per præviam aliquam cognitionem.

6 Prob. 2. Quia motiuum conclusionis non est veritas vniuscuiusque præmissæ diuissim, ac sigillatim sumpta, sed vt simultanea identitas duorum extremorum cum tertio; sed per præmissas secundum se, vt pote distinctas, non repræsentatur hæc simultanea identitas duorum extremorum cum tertio, quia vnaquæque præmissa suum obiectum diuissim, aut saltem disparatè ab alia significat. Ergo Præmissæ secundum se nõ repræsentant identitatem duorum cum tertio, vt simultaneam, siue vt

est

est motiuum conclusionis. Ac proinde requirunt aliam cognitionem necessario subsequentem, perquam simultanea identitas duorum cum tertio, & vt connexa, siue connexio ipsius motiui cum identitate inter se repræsentetur, tanquam motiuum conclusionis.

7 Prob. 3. Quia sæpius præmissa major antecedit tempore conclusionem; maximè cum per auditum successiuè excipimus Syllogismum ab arguente prolatum, vnde tunc non poterit vtraque præmissa perfectè concurrere ad conclusionis assensum tempore posteriorem, cum tunc nō coexistant ambæ cum ipsa. Ergo requiritur aliqua alia cognitio, quæ vices clapsæ præmissæ suppleat, & in qua virtualiter cōtineatur. Sed hæc alia esse non potest, quā cognitio de bonitate illationis obiectiuæ inter obiectum præmissarum & conclusionis, vt pote quæ vtrumque obiectū repræsentat. Ergo hæc præcedit disponendo assensum conclusionis.

8 Prob. 4. Ideo posito assensu præmissarum, necessitatur intellectus ad assensum conclusionis, quia per se notum, & euidens est intellectui, quod quæcunque eadem vnicertio impræmissis, necessaris sunt idem inter se per conclusionem. Sed hoc perfectè notum fieri debet per aliquā notionem, seu cognitionem præeuntem conclusioni. Ergo cum per singulas præmissas innotescere nequeat, debet innotescere per aliam cognitionem præuiam conclusioni.

Confirm. Quia non alia ratione quando obscuræ sunt præmissæ, ex modo imperfecto figuræ, non necessitatur intellectus, nisi quia tunc nō resultat cognitio euidens obiectiuæ illationis. Ergo ea cognitio necessaria est, vt intellectus determinetur per præmissas ad conclusionem.

9 Obij. 1, Sufficere pro hac determinatione præmissarum Minorem, quæ reflectat supra obiectum Maioris simul, & ita possit repræsentare connexionem vtriusque obiectiuæ præmissæ cum conclusione obiectiua. Ergo non requiritur alia specialis præuia cognitio.

Confirm. ex Arist. 1. Poster. c. 1. asserente, Præmissam Maiorem esse tempore priorem conclusione. Minorem verò simul cum conclusione necessario elici. Ergo quia non mediat alia cognitio, necessitans ad conclusionem.

10 Resp. Concedendo ita esse possibile, & fortasse sæpe etiam contingere, sicut contingere potest, quod per eandem propositionem enuntietur simul definitum, & definitio de eodem subiecto. Sed quia regulariter distinguuntur actus impliciti, ad cognoscentibus explicitè candē veritatem, connaturalius erit, quod connexio obiecti præmissarum cum conclusione obiectiua implicitè cognoscatur per præmissas, & deinde explicitè copula iuè proponatur per præuiam prænotionem.

11 Obij. 2, Hæc præuia cognitio obiectiuæ connexionis vnius obiecti cum alio, necessario vtrumque obiectum, atque adeo totum Syllogis-

mi

mi objectum cognoscet. Ergo hæc sufficiet pro toto syllogismo, nec multiplicandi erunt tres illius actus sine necessitate.

Resp. Diuerso modo per hanc cognitionem repræsentari obiectũ præmissarum, ac per ipsas; per eas enim repræsentatur ipsum explicitè, connexio vero ipsius implicitè & partialiter. Per cognitionem vero præuiam é contra, connexio explicite, & totaliter copulatiuè, objectum vero connexum implicité, & quasi de connotato cognoscitur; sicut etiam objectum ipsius conclusionis. Vnde cum diuerso modo trium actuum obiecta cognoscat, minimé superfluet, aut cum illis cõfundetur.

12 Obij. 3. Hæc prævia cognitio est affirmatiua connexionis objectivæ, ac proinde erit formale judicium affirmans obiectum cõclusionis. Ergo superflua erit conclusio, quæ id ipsum affirmet.

Resp, cum PP. Connimbr. vtrũque esse posse, siue judicium, siue apprehensionem. Si enim valde clara sit in præmissis identitas extremorum cum tertio, intellectus immediaté prorrumpet in judicium, de connexione talis identitatis cum identitate extremorum inter se; sicut per speciem lucis ad affirmationem illius, sine prævia apprehensione determinatur. Quando vero non adeo intense clara fuerit species, determinabitur ad solam præviam apprehensionem suasivam, & ex illa immediatè determinari poetrit ad assensum conclusionis. Qui minime tunc superfluet (quid quid dicat P. Arr.) quia diuerso modo tendit, ac prævia cognitio, hæc enim solum affirmat, & atingit explicitè connexionem & implicite terminos illius; é contra vero conclusio explicité terminos enuntiat, propter connexionem motiué, quasi indirecte tactã. Vnde valde diuersum est dicere, *lux connectitur cũ die*: ac dicere, *Dies est, quia est lux*. Primum enim semper est verum; secundum vero nocte falsum est

13 Obij. 4 Ea connexio vtriusque identitatis nihil aliud est, quam ipsa identitas terminorum, sed identitas terminorum cognoscitur omnino per præmissas. Ergo hæ sufficiunt pro cognoscenda cõnexione.

Resp. dist. maj. Ea connexio nihil aliud est quam identitas, vt cũque cognita neg. Quam identitas vt explicitè cognoscibilis per modum necessitatis inducentis, inseparabiliter obiectũ cõclusionis; conc. Unde vt ita explicite cognoscatur, requiritur specialis explicita cognitio; sicut vt cognoscatur explicita definitio, requiritur specialis cognitio distincta à cognitione definiti.

14 Obij. 5. Si per ly *ergo* explicitè affirmaretur connexio, cum conclusione obiectiua, omnis conclusio esset affirmativa. Ergo nulla negatiua erit.

Resp. 1. conced. anteced. cum P. Arr. quia is modus communis affirmandi connexionem causalitatis non tollit specialem modum enuntiativum circa terminos, a quo specialiter

aliter, euadit conclusio negatiua 2. Nego antecd. ex d. seq. n. 12. Quia ly *ergo* non se habet vt affirmatio, vel negatio, sed, vt affectio quædam affirmationis, siue enuntiationis, quâ modaliter obiectum cõclusionis enuntiatur illatiue, supponendo obiectum præmissarum, vt motiuum verificatiuum sui; vn de illud non tam affirmatiuè, quam suppositiue attingit; atque ita per hunc attingendi modum non reddi tur actus affirmatiuus.

DISPUT. CXXV.

Vtrum per assensum conclusionis attingatur obiectum præmissarum?

1 PRima sent. negat cum Ocham. Gabr. Greg. & P. Molina apud P. Lync. n. 133. P. Compt. d. 47. s. 4. n. 6. laudans P. Suar. P. Vazq. & P. Hurt. P. Santacruz n. 1179. asserens pro se P. Gran. Poncius d. 20. n. 3. Ioan niz d. 33. c. 3. referens pro se P. Valentiam, & Alphonsum, & Spinula d. 11. n. 53. Accedunt Scotistæ cum Poncio ca d. 20. q. 1.

Secunda sent. temperans, *affirmat* de conclusione formali, *negat* de materiali, cum P. Rip. d. 55. de supern. n. 20. P. Lync. eo lib. 7. tr. 4 q. 134 & P. Oleina a n. 2819. eo modo quo electio formalis mediorum tangit finem, e contra materialis.

Sect. 1. Affirmo.

2 Tertia nostra sent. affirmat, per omnem conclusionem Syllogisticam, vt pote formalè, ex d. 121. n. 10. attingi tanquam motiuum intrinsecum, motiue, & vt *quo*, obiectum præmissarum. Ita S. Th. 1. 2. q. 8. a. 3. Cajet. Capreol. Ferra. alij que Thomistæ apud P. Lync. supra, quos sequuntur M. Prado l. 3 c. 3. & M. Ioan. Th. art. 3 &c. Nostri P. Suar. P. Mol. P. Fonc. P. Amic. PP. Conimbr. P. Rub P. Hurt. P. Arr. P. Merat. quos laudant ipse P. Lync. P. Ovied. sup. p. 3. P. Peñaf. d. 10. q. 6. n. 16. P. Rhod. d. 4. q. 1. s. 4. §. 2. P. Polon. d. 8. q. 2. diffic. 3. Noster Card. Pallauic. lib. 3. assert. n. 177. ex M. suo pariter Eminentissimo Card. Lugo d. 1. de fide s. 6. n. 74. & RR. plerique.

3 Probant communiter RR. quia obiectum præmissarum est motiuum conclusionis; cum hæc assentiatur identitati extremorum inter se, propter identitatem extremorũ cum tertio. *Veram*, cum motiuum possit esse extrinsecum, puré impulsiuum respectu actus, quatenus ab hoc intrinsecè non attingitur, sed solum ab alio actu præuio impellente ipsum; vt de propositione Ecclesiæ, & alijs motiuis credibilitatis, quæ solum sunt motiua extrinseca respectu fidei, quia intrinseca sunt respectu piæ affectionis imperantis ipsam fidem, diximus d. 10. n. 7. Aliun de probandum est, quod obiectum præmissarum non sit pure extrinsecum motiuum conclusionis, nec tantũ intrinsecè mouens ipsas præmissas, inducentes conclusionem; sed potius debeat esse motiuum intrinsecè tactum, & mouens immediate cõclusionẽ ipsam, sicut finis mouet intrinsecè electionẽ formalem mediorum. Et ideo,

4 Prob

4 Prob. 1. Quia conclusio syllogistica per ly *ergo*. expresse denotat obiectum, quod enuntiat, deduci, & inferri ex obiecto præmissarum; non enim affirmat prædicatum de subjecto modo absoluto, & puré judicativo, sed explicitè deductiuo, & illatiuo; aliter enim exprimitur *Petrus est animal* per judicium, ac per discursum, *Ergo Petrus est animal*, qui præsuppositiue, & motivé prærequirit, quod *sit viuens sensibile, & viuens sensibile sit animal*, vt manifeste patet. Sed modus ita attingendi deductiue, & illatiue obiectum nõ potest illud attingere, nisi simul attingendo motiuum, ex quo deducitur, vel infertur; est enim modus relativus ad principium *ex quo*, siue ad motivum *propter quod*, ita vt sine illo, vt essentialiter connotato explicari non possit. Ergo modus tendendi conclusionis concipi, & explicari non potest, sine respectu, & attingentia motivi formalis *propter quod*, siue obiecti præmissarum, propter quod assentitur conclusioni.

5 Confirm. 1. Ex propositione causali, v.g. *Petrus est homo, quia est rationalis*, quæ concipi nequit sine attingentia causæ, seu motiui enuntiationis, denotata explicite per ly *Quia*. Ergo pariter conclusio attingere debet per ly *Ergo* motivũ causale illationis.

6 Confirm. 2. ex electione formali, quæ juxta omnes attingit intrinsecè finem, quia respicit medium, non vt bonum vt cumque, sed vt vtile, siue vt bonum ad aliud; sed omnis cõclusio, vt talis, est formalis, neque attingit suum obiectum, vt verum vt cumque, sed vt verum ex alio, & propter aliud, scilicet propter obiectum præmissarũ; ergo hoc intrinsece attingit.

7 Prob. 2. Quia motiuum constituens veritatem obiectiuam, & motiuam assensus, qua talem, per assensum ipsum debet attingi; cum intellectus assentiatur veritati, vt tali, ac proinde attingendo vt motiuum in ninsecum, tam ipsam veritatem, quã constitutiua veritatis. Sed veritas, cui assentitur conclusio, vt talis, non est sola veritas terminorum secundum se, sed vt involuens causalitatem, & connexionem præmissarum; vnde propterea falsa est hæc conclusio: *Petrus est animal, ergo est homo*: quia licet termini secundum se dicant veritatem, non tamen, vt causaliter connexi, & illati ex præmissis, cum ita non habeant veram connexionẽ cum illis. Ergo veritas cui assentitur conclusio, vt talis, involvit ipsas obiectiuas præmissas, vt cõnexas cum conclusione, tanquam intrinsecum actus motivum.

8 Prob. 3 Quia eadem veritas obiectiua conclusionis v.g. *existentia Dei*, si affirmetur per conclusionem deductã ex præmissis euidentibus, reddit scientificam, siue euidentem conclusionem; si vero ex præmissis probabilibus, facit ipsam pure probabilem; si demum ex præmissis de fide, facit conclusionem Theologicam, vel de fide. Ergo quia talis cõclusio attingit intrinsece motiua præmissa-

missarum. Non enim posset intrinsece ita diuersificari conclusio; nisi ex motiuis formalibus, tactis per ipsam intrinsece, eius tendendi modus variaretur.

9 Prob. denique 4. Quia ex d. 122 posito assensu præmissarum necessitatur intellectus ad assensum conclusionis, propter euidentem connexionem obiecti præmissarum cũ conclusioni sobiecto. Ergo etiam necessitatur ad assentiendum propter ipsam connexionem obiectiuã, siue propter ipsum obiectũ præmissarum, vt connexum. Prob. conseq. Quia non minus tenetur intellectus assentiri rationi euidenti, seu propositæ, vt euidenter motiuæ, & inductiuæ alicuius veritatis, quam ipsi veritati euidenter propositæ. Sed per præmissas non minus euidenter proponitur identitas cum tertio, tanquam ratio motiua euidens identitatis inter se; quam ipsa veritas identitatis inter se repræsentatur, vt euidens. Ergo æque necessitatur intellectus ad assensum identitatis inter se, ac ad assentiendũ propter ipsam identitatem cum tertio, quæ est obiectum præmissarum, æque euidenter propositum, vt connexum.

10 Resp. Aduersi. per hæc solum probari conclusiones aliquas esse posse, quæ ita reflectant supra obiectum præmissarum, vt motiuum; cur autem non sint possibiles aliæ conclusiones non ita reflexæ? Quæ solũ habeant physicam aliquem dependentiam a præmissis, qualem habet actus imperatus ab imperante, licet huius finem vt obiectum non respiciat; vel qualem electio materialis ab intentione: quod solum denotabitur per ly *Ergo*.

Contra 1, Quia ex d. 120. n. 10. implicat conclusio, quæ formalis nõ sit: ideo enim electio, & actus imperatus materialiter talis esse potest qua illa potest non esse electio in finem talem, & taliter intentum; hic vero potest non imperari, sed sine imperio elici: at conclusio, non potest elici nisi ex præmissis, imo ex his, earumque motiuo; quia ly *Ergo* sonat *hinc fit*, seu sequitur; vnde attingit ly *hinc*, seu motiuum, & principium intrinsecè. Quia imperceptibilis est dependentia physica conclusionis a Præmissis, nisi fundata in hac ipsa tendentia illatiua, per ly *hinc*, seu, *Ergo*. Quod autem fieri nequeat per modalem apprehensionẽ coniunctiuam seu deductiuam, superaddiam, n. 8. explicabo.

Sect. 2. Obiectiones.

11 Obij. 1. Si conclusio assentiretur attingendo obiectum præmissarum, conclusio vera deducta ex præmissa falso, falsa etiã redderetur, v. g. *Christus est animal, sed omne animal est homo; Ergo Christus est homo*: Vnde cõclusio hæc de fide, falsa fieret, quia affirmaret Christum esse hominem, implicitè affirmando, quod omne animal sit homo, tanquam motiuum suæ illationis. Sed hoc absonat. Tum quia conclusio de fide falsa esse non potest. Tum quia iuxta Arist. ex falso sequitur aliquando

verum;

verum; eo autem pacto semper ex falso sequeretur falsum. Ergo

Resp. 1. à plerisque RR. eas conclusiones ex præmissa falsa, in esse conclusionis, & illationis falsas dici, quia supponunt aliquid falsum. Vnde conclusio illa: *Ergo Christus est homo*, vt est conclusio formalis, minimè erit de fide; & vt deducta ex principio illo falso, quod omne animal est homo, minimè erit vera, quia vt talis supponit omne animal esse hominem.

12 Resp. 2. facilius, eam conclusionem esse veram, quia licet supponat *omne animal esse hominem*, vt motivum, illud tamen non affirmat, vt statim dicam, sed solum quasi sub conditione, inducente connexionem permittit: eo modo quo conditionalis, *Si Spiritus Sanctus non procederet, non distingueretur*, vera est, quia solum conditionem supponit, vt motivum faciens necessariò connexionem prædicati enuntiati illatiuè sub conditione, vt n. 14. declaro.

13 Obij 2. Si conclusio attingeret motivum præmissarum, cum conclusio negativa supponat vnam præmissarum affirmativam necessariò, attinget negativè ipsius obiectum, cum illud attingere debeat suo intrinseco tendendi modo. Hic, v. g. *Christus est Deus, ergo non est pura creatura*, conclusio attinget negativè obiectum præmissæ, ac proinde negando, quod Christus sit Deus. Ergo illud nullo modo intrinsecè attinget, ne neget.

Confirm. Quia conclusio probabilis sæpe ex vna præmissa scientifica vel de fide colligitur; vnde si attingeret obiecta, vt per præmissas attingũtur, esset simul de fide, & scientifica, necnon opinatiua. Ergo.

14 Resp. 1. nullius incommodi fore, quod respectu diuersarum veritatum, eadem conclusio esset simul affirmatiua, & negatiua, scientifica & opinatiua, ex d. 17. n. 5. & d. 18. n. 12. Dico 2. in actibus intellectualibus dari quasdam attingentias, quasi innominatas, quæ dici solent, *vt quo*, omnino diuersas ab explicitis tendentiæ specificæ actus *vt quod*: v. g. actus *odio habens peccatum propter Deum*, attingit Deum, non tamen odio habendo ipsum. Similiter iustitia vult pœnam peccati, vel propter peccatum, non tamen peccatũ vult. nec volendo attingit. Item per actum Religionis amatur cultus Deo, non tamen amatur Deus, alias esset actus charitatis. Atque ita etiam volumus, siue amabus, solutionem debiti faciendam creditori, quem tamen non amamus, sed sæpe detestamur: &c. Ergo signum est, quod actus habet aliquos modos attingendi aliqua obiecta, motiue, siue *vt quo*, aut conditionate, diuersos a modo tendendi, quem appellant specificum *vt quod*. Ita ergo attingit cõclusio obiectum præmissarum, motiue, suppositiuè, vt quo, seu vt *propter quod*, quin debeat illud attingere, specifice, enuntiando, sine affirmatiuè, vel negatiuè, atque adeo nec scientifice, &c. vt per ipsas præ

missas attingitur. Qualiter vero actus, v.g. amor, attingat motiuum solum *vt quo*, non amando illud *vt quod*, quin vterque modus attingendi egeat distinctione reali virtuali rigorosa, dicam in Metaph. contra P. Lync. eo rejectum d. 76. n. 18.

15 Obij. 3. juxta Arist. Medium Præmissarũ omnino debet excludi a conclusione; ergo per illam attingi non debet, vt motiuum.

Resp. neg. conseq. Quia solum excludi debet ab attingentia, explicita *vt quod*, siue vt Terminus enuntiationis; non vero *vt quo*, motiué &c. quando enim medium est definitio, juxta omnes, attingitur implicitè in definito, quod est terminus conclusionis.

16 Obij. 4. Si non sit contra essentiam conclusionis attingere motivũ præmissarum, non erit cur judiciũ quodvis causale, vel hypotheticum, attingens suum motiuum, & veritatem, ex eo deductã, discursu virtuali, non sit conclusio, & discursus formalis; atque adeo quod hic poni possit in Deo. Ergo.

Resp. neg. antec. Quia ex consensu Theologorum cum S. Th. laudato d. 120. n. 6, Discursus formalis, seu conclusio, debet esse cognitio ex alio, & ex alia; seu esse cursus, ex implicite seu confuse cognito per vnam cognitionem, ad cognitum clarius per aliam, quod repugnat diuinæ cognitioni, atque adeo, & discursui virtuali, seu hypothetico, & causali. Quæ res fere tota est de voce.

17 Obij. 5. Si conclusio attingeret obiectum præmissarum, numquam recordaremur illius, nisi earum etiã recordati, cum species memorativa relicta ex actu, totum eius obiectum virtualiter repræsentet: sed hoc est contra experientiam: Ergo.

Resp. Species mensurari, ac multiplicari, juxta cognoscibilitates objecti; cum autem dupliciter illud cognoscibile sit, & vt connexum cũ alio, & vt verum absolutè secundũ se, ideo quoties duo objecta simul, & vt connexa cognoscuntur, vltra illam connexam speciem, producitur alia inconexa species, velut solitaria vniuscuiusque. Sic audio nuntium de morte Parentis ab Amico allatum, & postea, vel recordor solius mortis, vel simul nuntiantis illam, secundum modum quo excitatur alterutra specierum. Quod etiã apposito exemplo declarat Sap. P. Leonard. d. 1. de fide s. 6. n. 163. recitantium aliquid memoriter, qui quando memoriæ lapsu hærent in aliquo verbo, illud iterum atque iterum repetunt per speciem inconnexam illius, vsque dum repetitione ipsa excitetur species connexa, & catenata subsequentium verborum. Idque ipsum experimur in excitatione specierum per similitudinem, consonantiam, imo alias relationes repugnantiæ, & dissimilitudinis, euentuum, obiectorum &c. Pariter ergo, aliquando excitatur species inconnexa veritatis obiectiuæ conclusionum secundum se, & vt materialiter talium, secundum suam veritatem intrinsecam; aliquando vero

spe-

ſpecies connexa ipſarum, vt ſunt cõ cluſiones formales, & ſecundũ quod verificantur a præmiſsis, & tunc harum etiam obiectum attingemr.

18 Obij 6. Poſſe ly *ergo*, afficiens concluſionẽ, correſpondere præviæ apprehenſioni bonitatis obiectiuæ illationis, quin proueniat ex modo intrinſeco tendendi cõcluſionis, per attingentiam immediatam motiui præmiſſarum: eo modo, quo in Præmiſſa Maiori, Ly *Atqui*, *ſed*, &c. non denotat ſpecialem modum intrinſecum tendentiæ, ſed ſolam apprehenſionem præuiam coniunctiuam, ſeu ſubiunctiuam illius cum maiori, nõminus quam aliæ coniunctiones, *Et*, *autem*, &c. quæ ſæpe inter duas propoſitiones omnino diſtinctas, ſine earum ſpecifica immutatione interueniunt, ex d. 33, Ergo non eſt neceſſarium quod per ly *ergo*, denoretur modus tendendi intrinſecé deducti, vs concluſionis.

Reſp. Quod ſicut in particulis diſjunctiuis, & copulatiuis, *&*, *vel*, *item aut*, &c. aliquando poteſt contingere, quod ſe habeant extra modũ tendendi actus, conjungendo vnam propoſitionem cum alia pure extrinſecé; ſicut in maiori, & minori Syllogiſmi conmigit, ex eo n. 5. d. 33. quia tunc non immutatur ſignificatio propoſitionis, nec materia, & qualitas illius. Quando vero immutatur ſignificatio, materia, & veritas, vt in propoſitione complexa copulatiua, vel diſiunctiua, ex tendentia ſua, tunc illi modi non ſe habent pure extrinſecè, ſed pertinent ad intrinſecam eſſentiam actus, faciuntque vnam propoſitionem hypotheticam, ſpecie diuerſam a categoricis, ex d. 18. Ita cum Ly *ergo* ſemper immutet ſignificationem, & materiam circa quam, necnon veritatem judicij, deficiente enim cauſalitate, ſeu connexione præmiſſarũ, falſificatur, cum tamen judicium non illationis minime tunc falſificetur: conſequenter ly *ergo* ſemper ſe habet, vt affectio intrinſeca eſſentialis tendentiæ actus, e contra vero ly, Atqui &c.

TRACTATVS OCTAVVS
IN LIBROS DE POSTERIORI ANALYSI, SEV RESOLVTIONE.

POſterior hæc, ſed principalior eſt Dialecticæ Analyticæ pars, quod Scientia ipſa, & de Scientia ſit; ſcilicet de Syllogiſmo ſcientifico, ſiue Demonſtratiuo. Cũ autem inter ſpecies ſyllogiſmi, quæ à materia diſcriminantur, principem locum occuper Demonſtratio; recto ordine, poſtquam de illo in cõmuni libris Prioribus tractauit

tatis Philosophus, de hac, Posteriorib. his dictis in libris sermonem instituit; acturus de inde de probabili seu Dialectico, in Topicis; de Pseudographo, & Sophistico in Elenchis. Igitur per 27. primi huius libri capita, Primum disputat de demonstrationis materia: postea de forma, per modos primæ figuræ patentius ordinandam: ac demũ de effectu seu fine illius, scilicet Scientia: cuius vnitatem, & qualitates aliquas Tract. 1. *præcm.* examinauimus: ipsius naturam, & proprietates *in libris de Anima* intelligaturi commodius. Philosophus vero secundo libro per octodecim capita, exponit media, causas, & principia Demonstrationis; præ omnibus autem excolit Definitionem, de qua d. 30. nonnulla libauimus. Nunc ex omnibus, quæ magis vtilia fuerint, breuiter colligemus.

DISPVT. CXXV.

Quid, quotuplex, & qualis sit Demonstratio?

1 QVæst. 1. *Qui dividatur Syllogismus in Demonstrativũ, & Dialecticum, seue probabilem; & in Pseudographum, ac Sophisticum?* Resp. ita dividi a materia, ex Arist. 1. Top. c. 1. juxta duplicem propositionis materiam, necessariam scilicet, & contingentem, ex d. 19. q. 1. *Necessaria* conuertitur cum demonstrabili, seu scientifica: *contingens* cum probabili, seu Topica, & Dialectica. Materia autem remota, cum sit falsa, & impossibilis, seu improbabilis, non est apta syllogismo, qui probativus esse debet, nisi fumatur vt negabilis, & ita recurrit cum necessaria, & contingenti, juxta connexionem motiui, ex qua illa sive negatur. Atque ita circa hanc duplicem materiam duplex syllogismus Demonstrativus, & Topicus seu probabilis, omnino versatur, ac distinguitur. Quibus medius alius addi debet scilicet Syllogismus Theologicus, qui de scientifico participat certitudinem, de probabilio securitatem seu inevidentia. Quia tamen licet materia falsa non sit apta syllogismo formali, apta nihilominus est materia fallax, sine apparens: juxta illius duplicis materiæ apparentiam, duplicem alium Syllogismum distinxit Aristoteles: *Pseudographum*, qui apparet demonstrativus; & *Sophisticum*, qui apparet probabilis. Prioris vero finem dixit esse *errorem*, posterioris vero deceptionem: sicut demonstrationis effectus, & finis est Scientia; Topici vero opinio.

2 Quæst. 2. *Quid sit Demonstratio?* Resp. dupliciter definiri ab Arist. hic l. 1. c. 2. primo, est *Syllogismus faciens scire* sine *scientificus*. Scire autem seu Scientiam sic definit, *Scire simpliciter est, cum causam, ob quã res est, illius causam esse, & fieri non posse, vt res aliter se habeat, cognoscere arbitramur*. Cuius definitionis cã rationẽ adait Philosophus, quod quicũque rogati an rem certo sciãt non aliter scire se demonstrabum; inquiens: *Patet igitur ipsum scire ta-*

le

le quid esse, nam, & hi qui nesciunt, & hi qui sciunt, ita se rem habere putant. Nomine autem *causæ*, ex qua *res aliter se habere non possit*, intelligimus, *causam in cognoscendo*, seu præmissarum *medium, ita certo, & necessario connexum*, vt res per conclusionem demonstrata adeo certa, & evidens sit, vt aliter esse nequeat. Sic enim definitio hæc omnem speciem demonstrationis comprehendet, etiam ab effectu, vel quæ a definitione definitum, & e conuerso demonstrat, de quo n. 7. & 8.

3 *Secundo* definit Philosophus ibidem: *Demonstratio est Syllogismus constans veris, primis, & immediatis prioribus, causaque conclusionis.* Quæ potius est explicatio *causæ*, seu *medij*, siue principiorum, & præmissarum, quibus constare debet demonstratio, quam huius rigorosa definitio. Requirit enim quod sint prima vera principia, & immediata, idest, quæ alio medio a priori probari nõ egeant; quod priora, & causatiua, idest certa, & necessario connexa cum conclusione; quod demum hac sint notiora, & euidentiora, modo d. 128. & 27. explicando.

Vtraque autem definitio (vt optimè notat Card. Tol. c. 2. q. 1.) nil amplius designat, quam *veritatem* per ly *rei per causam*: *ex veris*, certitudinem, & euidentiam per ly *Quod aliter se habere non possit*: *ex notioribus causis* &c. vt d. 128. fusius explicabitur. Vnde.

4 Ex his clarior breuior que colligitur Definitio, cum PP. Conimbr. c 10. q. 1. a. 2. ex S. Thom. Albert. M. &c, *Demonstratio est Syllogismus euidens.* Ly Syllogismus, etiam Topico, & sophistico genus est. Ly *euidens* est differentia, importans veritatem, qua caret sophisticus, & Pseudographus: item certitudinem, & infallibilitatem, qua caret probabilis, seu Topicus: demumque claritatem, cuius expers est Thologicus, quia constans vna saltem præmissa de fide, a qua ibibit obscuritatem: vnde per euidentiam ab omnibus speciebus oppositis differt demonstratio: atque ita optima efficitur tradita definitio.

5 Obij. ex P. Arr. d. 16. n. 13. in euidentia non includit veritatem, nec certitudinem, sed solam claritatem, quia si Deus destrueret omnia visibilia mihi præsentia, conseruando species eorũ in oculis meis, eadem euidentia perspicerem omnia illa, ac si vere, & certo existerent: ergo datur euidentia sine certitudine, & veritate.

Resp. neg. antea. Tum quia ita, etiam de facto dici posset, quod colores in Iride, & in collo columbæ apparentes, & similiter confractio temi in a quis, sint euidentes, quia clare videntur, non minus quã si ibi existerent. Tum quia quod est pure apparens, & realiter falsum, a nemines dici potest, quod sit certum, & euidens. Tum quia hac tenus, quoties in Schola dicitur, aliquod principium esse euidens (idẽ est de quavis conclusione, vel propositione) ab omnibus intelligitur, quod sit cer-

tum

tum, & verum, & quidquid quomodo libet falsum vel incertum est, evidens a nemine dicitur. Tum demũ quia confundit P. Arr. euidentiam cum vidientia, seu intuitione, cui nõ repugnat falsitas. De quo bene P. Ovied. hic c. 10. p. 2..

6 Quæst. 2. *Quotuplex sit Demonstratio?* Resp. diuidi Primo ac præcipuè in Demonstrationẽ *Propter quid*, & Demonstrationem *Quia*. Demonstratio *propter quid*, dicitur, quæ per causam, seu a priori, habetur, vt cũ ex essentia probatur proprietas, v.g. ex rationali risibile, ex igne calor. Demonstratio *quia*, est quæ non habetur per causam, sed vel per effectum, & tunc dicitur à posteriori, vt cum existentiam Dei ex creaturis demonstramus; vel per alium medium quodcumque necessario connexum, quod causa, vel quasi causa non fuerit. Ubi nomine causæ non solum extrinsecam effectiuam, vel intrinsecam physice constitutiuam; aut finalem, aliam vè formalem; sed etiam virtualem, & impropriam intelligimus; quo pacto essentia est causa vnde attributum metaphysicum demonstratur à priori; genus, que, & differentia sunt similiter causæ intrinsecæ, ex quibus species demonstratur demonstratione propter quid; v.g. est *animal rationale, Ergo homo*: vt infra dicam.

7 Quæst. 3. *Virum hæc vtraque demonstratio vniuoce conueniat?* Negant PP. Conimbr, cũ Antiq. DD. Quia demonstratio propter quid solum est simpliciter Scientia actualis, seu faciens scire; cum ea solum sit cognitio rei per causam, vti definitur ab Arist. Scientia. Ergo demonstratio *Quia* cum ea simpliciter non conuenit, cum non sit ostensiua rei per causam.

8 Affirmo cum Cajet. & P. Tellez d. 18. n. 14. P. Lync. lib. 5. tr. 3. c. 4. Joanniz d. 39 n. 18. & RR. *Tum* quia demonstratio *Quia* est propriè & simpliciter Scientia actualis, secundum eandem definitionem demonstrationis propter quid, & quia vtraque æquè proprie est cognitio rei per causam. Non quidem per causam in essendo, vel efficiendo, sed in cognoscendo, quæ in re potest esse effectus, vel aliud medium connexum. Tum quia etiam ad demonstrationem *propter quid* omnino sufficit causa impropria, & quoad cognosci, vt patet in Demonstratione, quam vocant potissimam, attribuit per essentiam indistincta, quæ in re, & proprie illius causa non est, sed solum in modo cognoscendi: vt cum ipso Cajet. ex S. Th. & consensu DD. tenent etiam PP. Conimb. c. 2. q. 1. a. 2. §. In secundo. Ergo æque propriè, & vnuoce demonstratio *Quia* est cognitio rei per causam in cognoscendo, ac demonstratio *propter quid*. *Tum* quia Scientia, & demonstratio physica propriè, simpliciter, & vniuoce talis est; sicut Metaphysica; sed demonstratio physica est omnino cognitio causæ per effectum, cum solum per experientiam effectuum causas, & naturas rerum cognoscat. Ergo. *Tum* demum quia

quia licet demonstratio *quia* sit minus perfecta, non amittit conuenientiam vniuocam cum perfectiori, in esse demonstrationis, sicut neque in esse syllogismi; & sicut equus licet animal minus perfectum homine, cum ipso conuenit in esse animalis. Ergo.

9 Quæst. 4. Vtrum. *sit diuisio adæquata in demonstrationem Propter quid, & Quia?* Negat Commentator apud PP. Conimbr. ibi. Quia demóstratio definiti per definitionẽ, neque est per causam, neque per effectum. *Affirmo* cum S. Th. PP. Conimbr. P Arr. d 16. n, 4. &c. Tum quia inter esse demonstrationem *per causam, & per non causam*, non datur medium, sed quæ fit per causam est *Propter quid*, & quæ per non causam est *quia*. Ergo. Tum quia demonstratio speciei per definitionem etiam est per causas in congnosci, intrinsecas, scilicet constitutiuas genericam, & differentialem.

10 Quæst. 3. *Quæ aliæ sint diuisiones demonstrationis?* Resp. *Diuidi* 2. in *Ostensiuam, & Reductiuam ad impossibile*. Ostensiua est quæ demonstrat, rẽ ostendẽdo per ipsius positiua principia, v. g. est *rationale, ergo risibile*. Reductiua ad impossibile, quæ ex falso admisso, & vero ipsi repugnanti, euidenter infert conclusionẽ implicatoriam, & impossibilem, modo dicto d. 37. n, 3. *Diuiditur* 3. in Metaphysicam, & Physicam. Metaphysica est, quę habet certitudinem, siue infallibilitatem adhuc diuinitus infallibilem, ptopter essentialem cõnexionem medij cum conclusione; *Physica*, quæ solum naturaliter infallibilis est, vt demonstratio Propter quid *combustionis ex igne applicato*, quæ fallit in fornace Babylonica, & demonstratio *Quia, substantiæ panis* ex illius accidentibus, quæ fallit in Eucharisti. *Diuid* 3. in Potissimam seu perfectissimam: & in minus perfectam. Illa est quæ habetur de *primâ* passione, seu attributo, per causam proximã scilicet essentiam, ex qua metaphysicè infertur; vt demonstrantur attributa Dei, ex infinitate ipsius. Et hæc est de qua Aristoteles præcipue tractat, tot illius enumerans requisita. Altera est, quæ aliquo ex tot requisitis caret.

DISPVT. CXXVII.

De Præcognitis, & Prænotionibus.

1 QVæst. 1. *Quæ, & quot sint præcognita, ad Demonstrationem requisita?* Resp tria ab Arist, c. 1 numerati. 1. *Subiectũ*, de quo demonstratur. 2. *Prædicatum*, quod de ipso demonstratur. 3. *Principium*, sub quo præcipue intelligitur *Medium*, quo demonstratio nititur. Quod probat ex celebri Axiomate, *Omnis Doctrina, omnisque disciplina intellectiua ex præexistente fit cognitione*. Vnde adhuc notitia primorum principiorum ex aliqua prænotione, tum per explicationem terminorum, tum per inductionem, & exempla, tum per sensibilem institutionem comparatur. Item quidquid judicio decernimus, prius apprehensione prænoscimus. Multo

que magis patet in discursu, nihil enim eo, vel colloquendo, vel meditando versamus, nisi circa subiectũ nobis notum, & prædicatum dequo præuiam aliquam notitiam comparauimus: aliàs dicimus, discurrere aliquem circa res, quas prorsus ignorat, atque adeò ignoranter. De quo videantur eo cap. 1. PP. Connimbr. & Card. Toletus, cum S. Th. rem sapienter tractantes.

2 Quæst. 2. *Quot sint Præcognitiones circa Præcognita?* Resp. Duas ab Arist. *Prænotiones*, designari. 1. *Quid rei*, & est duplex, scilicet, quid *nominis*, & quid *quidditatis*. 2. *Quod sit*, id est, quod sit ens possibile, quia de Chymerà non instituitur Scientia. Aliæ autem tres notiones; *An sit*, quoad existentiam, *quale sit*, quoad proprietates, & qualitates; *Propter quid sit*, quoad finem; sub quibus multiplex notio de causis, effectibus & respectibus, comprehenditur; solum appellantur ab Arist. c. 9. *quæstiones*; quia eæ præcognosci non debent, sed potius illæ discursus, ac demonstrationis opera quæruntur, ac inueniuntur. Notant autem Interpretes ex Arist. apud PP. Comim, non semper prænotiones omnes prærequiri: præsertim, cum Demonstratione *quia*, vel a posteriori, ipsa quidditas, & definitio subiecti demonstratur.

3 Quæst. 3. Vtrum *has prænotiones pro Scientia Vniuersali, seu tali, an pro particulari Arist. requirat?* Resp. ex PP. Connimbr. ea q. 3. etiam pro singulari exigi; sed pro vniuersali per maximè. Propterea enim singulis Scientijs Prænotiales notitiæ præmittuntur, vt de subiecto earũ, ac de reliquis obiectis, quæ de suo attributionis subiecto disputat, notiones præbeantur. Qualiter autẽ vnã per aliã subiecti definitionem essentialem possit nihilominus demonstrare, supponendo notionem alterius, v. g. descriptiuæ, vt physicam probet, aut e conuerso, 2. 2. ipsi PP. accurate pertractant.

4 Quæst. 4. Vtrum *Prænotio consequentiæ sit etiam adiciendа?* Resp. affirmatiue cum PP. Connimbr. 2. 5. ex dictis d. 123. Sed quia Aristoteles agit de prænotionibus totum discursum præcedentibus, nõ de ipsius de cursu comparatis, minimè earum numerus venit augendus. Et ex dictis patet, præcognita non solum pro Demonstratione, sed pro quouis discursu prærequiri. Qualiter autem principia vniuersalia, per se nota. *Quod libet est, vel non est, Quæ sunt eadem*, &c. actu & explicitè præcognosci non debeant, abunde explicant Card. Tolet, & PP. Connimbr. eo c. 1. & de se patet.

DISPUT. XXVII.

De Principijs Demonstrationis: quæ & qualia esse oporteat?

1 QVæst. 1. Qui debeant esse. *Principia, vera, prima, & immediata, pro Demonstrationis Præmissis?* Resp. ita ab Arist, requiri c. 2. *Vera*, quia cum conclusio demonstratiua Scientia actualis sit, & qua simpliciter scimus, ve-

ra esse debet, & consequenter ex principijs veris, cum ab illis hauriat suam veritatem: nemo enim per actum falsum scit, sed potius fallitur; neque scire quis dicitur, nisi qui verum scit, & assequitur.

2 *Prima* item, *& immediata* sunto principia, id est, quæ per alia priora, siue per medium a priori, probari non possint, sed sola explicatione terminorum, aut per medium a posteriori, probentur; vt Definitiones, & ea quæ prima principia dicuntur. Quæ tamen formaliter, solũ pro demonstratione *potissima* requiruntur, vt notant hic DD. omnes cum & apud PP. Conimbr. ibi q. 1. a 3. cum Caiet, &c. Pro quo,

3 Nota 1. ex Arist. c. 8. Prima principia, alia esse formaliter prima, vt quæ vniuersalissima sunt, & vocantur *Dignitates*, vg *Quodlibet est, vel non est, Quæ sunt eadem vni tertio, Totũ est maius sua parte, Si inæqualibus æqualia addas, manent inæqualia*, &c. & hæc sola terminorum explicatione vbique probantur. Alia vero sunt prima virtualiter, quæ ex primis formaliter talibus probantur, & quasi prima in particulari Scientia supponuntur, & vocantur *Positiones*, seu Prima principia particularia, & propria: & tales sunt multæ particulares Definitiones, quæ a priori ex alijs Universalioribus demõstrantur, ipsæ vero sunt prima principia aliarum Demonstrationum pro Scientijs subalternatis. In vniuersum autem neque hæ *positiones* pro omni Demonstratione requiruntur, cum secunda passio per primam immediate demonstretur, vt *flebile*, per *risibile* in homine; sed solum pro demonstratione potissima, scilicet primæ passionis per definitionem, v. g. risibilis per rationale. Quod notant DD. de plerisque requisitis, hic ab Aristotele designatis.

4 Nota 2. *immediata* principia, non eo ipso esse euidentia: quia etiam dantur prima principia immediata, purè probabilia; seu quæ alijs a priori probari non possint, sed solum ex terminorum explicatione acceptari. Tum quia alias in rebus probabilibus abiremus in infinitum, si probabilia denuo, ite.um atque iterum a priori probari possent: vnde cum in aliquibus præmissis sistendum sit, non quidem euidentibus, alioquin facerent conclusionem euidentem; sistendum erit in primis principijs pure probabilibus, per se immedia e ex terminis suis supponendis: vt Quod *Aliquid sit credendũ, quod Mater diligit filium*, &c. Tum quia assensus nostræ fidei diuinæ de reuelatione diuina est immediatus, propter ipsam, si enim propter ipsã nõ esset, sed propter credibilitatem ex motiuis humanis inducere-tur, jam esset fidei humanæ: vnde pa ret esse motiuum ineuidens immediatum, vt tradunt communiter D D. cum & apud Card. de Lugo d 1 de fide n, 116. & P. Rip. d. 3. a, n. 2 Ex quo fit, non sufficere quod prima principia Demonstrationis, sint *immediata*, & exterminis constantia, id est prudẽter nõ negabilia; sed vltra

requiti, quod sint perse nota, ideſt euidentia, & certa, vt jam dico.

5 Quæſt. 2. *Qualiter requirantur ab Ariſtotel. Principia perse nota?* Reſpon. ea requiri, quæ exſe, & ex terminis ipſis, clara, & evidentia ſunt, vt toto c. 4. explicat Philoſophus, ita concludens: *Nam neceſſarium eſt vt priora ſciantur. Hæc igitur non ſolum Scientiam, ſed principium quoddam eſſe Scientiæ eſſe aſſerimus, quo terminos ipſos cognoſcimus.* Vbi definitur tacite Propoſitio perse nota, *Scientifica cognitio, ex terminis ipſis veritatem manifeſte cognoſcens*; quam parum aliter PP. Conimb. q. 2. a. 2. ad c. 8. colligunt, optime explicantes, quod euidẽtia veritati addit claritatem, quaſi lucem illius. Quod autem tale debeat eſſe primũ principium concluſionis demonſtratiuæ, aperte probat Philoſophus. Nam ſi non ſiſteret demonſtratio ſcientifica in principio per ſe ſcientifico ſeu perſe noto, & claro, abiretur in infinitum, in demonſtrationibus, ſi omnia principia eſſent per aliud declaranda. Ergo in aliquo ſiſtendum eſt perſe noto claro, & ſcientifico; ex ſola ſuorum terminorum explicatione: licet poſſit etiam a poſteriori per exẽpla, inductiones, & alia media a poſteriori comprobari.

6 Quæſt. 3. *Quotuplex ſit Propoſitio perſe nota?* Reſp. eſt duplex ex D. Th. 1. p. q. 2. a. 1. c. Alia ſecundũ ſe, Alia quoad nos. *Secundum ſe nota* eſt, in qua *Prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti.* Vnde omnis prædicatio definitionis, vel prædicabilium *in quid*, eſt perſe nota ſecundum ſe, ſicut ſcientifica, & apta potiſsimæ demonſtrationi. *Perſe nota quoad nos* (inquit S. Th.) *Si notum ſit omnibus de prædicato & ſubiecto, & nullus ignoret.* Vnde propterea infert, quod exiſtẽtia Dei non eſt ita perſe nota, quia ſaltem *inſipiens dixit in corde ſuo, Non eſt Deus.* Atque adeo ſolum erit *perſe nota apud ſapientes tantum*, ſiue ſecundum ſe; quia apud illos de eſſentia, & primo conceptu entis *Omni perfecti*, eſt perfectio præcipua exiſtentiæ. Quo ſenſu omnes definitiones, ſunt apud conſcios earũ per ſe notæ; licet non *quoad nos*, quando ſub lite ſunt. Et ita ceſſant quæcumque ex Scoto objicit P. Arr, d. 2. de Deo, ſ. 1. contra S. Th, & conſenſum Theologorum ibi. Non tamen probo, quod dicunt PP. Conimbr. eo c. 3. q. 2. a. 2. cum Cajeta etiam eſſe perſe notam prædicationem primæ paſſionis, quia eſt de eſſentia phyſici ſubiecti. Cũ enim non ſit de primo conceptu rei, ſed potius a priori demonſtrabilis per illum, non poteſt eſſe perſe nota, vt pote non immediata, ſeu ſine medio apriori.

7 Quæſt. 4. *Quomodo certitudo principiorum requiratur?* Reſp. requiri eſſentialiter, propterea enim Ariſt. eo c. 2. & 3. requirit quod ſint *ex prioribus, neceſſariis, cauſis que concluſionis*; ideſt, quæ habeant neceſſariam cauſalitatem, & prioritatem infallibilis illationis, ſeu inductionis in concluſionem, vt d. 51, oſtenſum eſt. Propterea enim licet præmiſſæ probabiles veræ ſint, quia tamen nõ

habeat

habent certitudinem, ſeu infallibili tatem neceſſariæ connexionis cum concluſione, demonſtratiuæ nõ ſunt. Sed aduerte 1. ſufficere neceſsitatẽ ex ſuppoſitione; vt in omni veritate creata, quoad exiſtentiam. 2, In naturalibus certitudinem cum euidentia conuerti, ex eodem enim motiuo ſcilicet perſe noto, vtraque oriri: in ſupernaturalibus vero, v.g. actibus fidei, & cõcluſionibus Theologicis, certitudo ſine euidentia ſalvatur, quia habent infallibilitatem eſſentialem ex modo tendendi, licet ex motiuo etiã adhuc reuelationis infallibilis, quia obſcure cognito, illam non habeant, vt d. ſeq. n. 6. patebit. Quomodo autem Scientia Phyſica cum fallibilitate motiui experimentalis conſiſtat, ea d. 51. n. 15 referet.

8 Quæſt. 5 *Qui debeant eſſe Præmiſſæ de Prædicato vniuerſali, perſe, de omni, & ſecundum quod ipſum?* Reſp. Ex Ariſt. c. 4. & PP. Cõimb. q. 1. ibi. *Prædicatum de omni* eſſe, quod omni ſubiecto ſubſe contento conuenit; quod ſi certo conueniat nocatur *Poſteriori ſticum*, ſi contingenter *Priori ſticum*. *Vniuerſale perſe* dicitur, quod perſe tum eſſentialiter, tum proprie conuenit ſubiecto, vt rationale, & riſibile homini. *Secundum quod ipſum* appellatur, quod de ſubiecto dicitur ad conuertentiam, vt attributũ de ſpecie, & è cõuerſo. Quod requiſitum, ſicut plera que, ſoli demonſtrationi *potiſſimæ* primæ paſſionis ex eſſentia, cũ quà conuertitur, aptatur: minimè verò demonſtrationi prædicati ſuperioris de ſubiecto inferiori, quæ non reciprocantur. Similiter prædicatum *de omni* locum non habet in demonſtratione expoſitoria, vt pater, & omnes ſupponunt.

9 Quæſt. 6 *Qui ſint in Prædicato modi dicendi perſe?* Reſp. Ex Ariſt. ibidem, quatuor percelebres numerari, duos *in prædicando*, & duos *in eſſendo*, & *cauſando*. Pro quibus demonſtrationi accomodandis multus eſt P. Lync. l. 3. tr. 3. a. n. 24. Cum pleriſque tamen DD. bene oſtendit P. Rhod. d. 3. ſ. 6. §. 3. aliquas demonſtrationes fieri ſine vllo prædicato huius quaternarij. *Primus* modus prędicandi perſe dicitur, cum prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, vt prædicabilia in quid. *Secundus* cum ſubiectum eſt eſſentiale prædicato, vt homo in concreto riſibilis, & ſubſtantia reſpectu albi: & duos tantum hos modos Ariſtoteles requirit pro demõſtratione *potiſſima*. *Tertius* eſt eſſendi perſe, qui conuenit ſolis ſubſiſtentibus completis, non exiſtentibus in alio, vt eſt *homo* &c. quæ perſe exiſtunt. *Quartus* modus *perſe in cauſando*, quãdo cauſa eſt ne ceſſario connexa, vt ignis eſt cauſa perſe caloris: & requiritur neceſſaria ad effectum etiam dici ſoleat quarto modo perſe ad illum conducere.

10 Quæſt. 7, Vtr. *Cauſa, per quam fit demonſtratio, debeat eſſe propria?* Reſp. ita requiri ab Ariſt. c. 2. ad Demonſtrationem potiſſimam, de qua antiquatæ ſunt lites apud PP. Conimbr. ibi q. 1. *Verum* cum omnes

DD.

DD. sarcantur, Principia posse esse pri-ma, vel formaliter, vel virtualiter, ex n: 3. cur non sufficient virtualiter proxima? Cum æque necessario connexa sit cum termino mediato, vt rationale cum flebili, medio risibili, &c.

11 Quæst. 8. Vtr, *Medium potissimum Demonstrationis sit Definitio?* Affirmandum ex Arist hic toto fere lib. 2. vbi quæstio est apud PP. Connimbr. an illud sit definitio subiecti *de quo*, an primæ passionis, *quæ* demonstratus? Vtramque autem, & merito approbat S. Th. opus. 38. cũ æque per se nota, & connexa sit cum conclusione,

12 Quæst. 9. Vtr, *detur circulus, & regressus vtilis in Demonstratione à conclusione in Præmissas?* Resp. ex Arist. & DD, cum & apud PP. Cõnimbr. l. 3. p. 1. a 2. P. Compt. d, 48 s. 3. Poncio d. 21. q, 5. Spinula d. 12 n. 47. &c. *Negative* de circulo formali, si conclusio aliunde non fiat magis nota, quam præmissæ erant: alias probaretur notũ per minus nota, per petitionẽ principij, & vitiosum circulum, probando v. g. risibile ex rationali, & rursum rationale ex risibili. *Affirmative* vero de circulo, & regressu materiali, si veritas conclusionis aliunde fiat magis nota, v. g. si postquam demonstrata est existentia Dei per creaturas, ex ipso Deo vt omnipotente creaturæ possibiles demonstrentur. &c,

13 Ex dictis tandem colligitur, quẽcumque syllogismum perfectũ, ex præmissis per se notis, scilicet veris certis, & euidentibus, esse Demonstrationem scientificam: reliqua vero requisita esse puras voces summulisticas, quibus pro sua potissima demonstratione, Aristoteles multũ indulsit, Restat inuestigare, quo sensu Præmissæ notiores esse debeant conclusione, vt proportionaliter pro omni perfecto syllogismo, vt pote modo sciendi manifestativo minus noti, opus est. Pro quo sit

DISPVT. CXXVIII.

Vtrum Præmissæ notiores, siue veriores, certiores, & euidentiores, sint conclusione?

1 PRima sententia affirmat ex Arist. hoc lib. 1 c. 2. S. Th. ibi lect. 6, & 1, p. q. 87. a. 2. ad 3. Thomistis, & Scotistis omnibus cum, & apud M. Prado q, 9. Complut. d. 18. n. 12. M. Joan. Th q. 25. a, 1, dub. 3. nostris que pleris que PP. Connimbr. eo c. 2. a. 5. P. Uall. d. 2. q, 5. c. 3 P. Rub. q. 3. n. 40. P. Tellez d. 17 s. 4. P. Peñafiel d. 10. s. 2, P. Compt. d, 49. s. 2. P, Rhodes d. 5. s. 6. §. 3 P. Polon. tr. 3 d. 3. q. 1. Ioanniz d. 36. c. 5. Caram. in Theolog. intention n, 1247. Spinula d, 12. s. 4. & alijs passim.

2 Secunda sent. negat cũ P. Hurt d. 11. s. 3. P. Ovied. c. 10 p. 3 P. Lync. l. 7. tr. 6. c. 6, n, 80. P. Quiror d. 34. n, 8. P. Olcina à n. 2938. & alijs apud ipsos, quorum aliqui cum P. Hurt. & Quiros etiam Conclusionem euidentiorem, certiorem que esse dicunt.

3 Tertia sent. P. Arr. d. 16. s. 3. 4. & 5.

& 5. singulariter affirmat, vtramque præmissam esse euidentiorem conclusione, quia cognitu immediatorem, minime tamen veriorem aut certiorem, nisi cum alterutra certior sit altera, quia tunc conclusio sequitur debiliorem partem.

Sect. 1. Sententia media.

4 Quarta nostra sent. temperat oppositas, *Affirmans* Præmissas adiectiuè, & quoadnos conclusione esse notiores; *Negans* tamen formaliter, seu secundum formam, tales esse posse; quod triplici Conclusione declarabitur. Proquo

Supponendum est 1. solum nos loqui, Tum de conclusione, & præmissis, formaliter (vt talibus, quia materialiter non est dubium, quod conclusio aliunde certior esse possit præmissis; v. g. si existentia Dei euidens metaphysicè, probetur per præmissas solum physice, ac proinde minus euidentes. Tum de majoritate certitudinis, & euidentiæ non pure intensiua, & graduali; hæc enim absque dubio major esse potest in conclusione, si quis v. g. habeat habitum valde intensum circa illius veritatem, & remissum circa præmissas, intensiorem actum conclusionis eliciet: vnde solum inquirimus majoritatem formalem, & quasi substantialẽ, quoad perfectionem essentialem actus, qualem habet Angelus in esse magis intellectiui, præ homine.

5 Supponendum 2. Quid sint veritas, certitudo, & euidentia, *Veritas* enim est conformitas, actus cum obiecto, per modum æqualitatis, & adæquationis cum illo, quatenus illud repræsentat sicuti est in se. *Certitudo* est connexio quædam actus cum obiecto, siue ex suo motiuo, siue ex modo tendendi, quæ dici solet infallibilitas, quatenus necessario connectitur cum obiecto, vt vere repræsentabili, ita vt ipsum falso nequeat repræsentare; tum per repugnantiã metaphysicã falsitatis, quando est metaphysicè certus; tũ per physicã quando certus physice. *Euidentia* autem, quæ se cum *trahit* certitudinẽ, & veritatem, ex d. 125 n. 4. est quędam claritas cognitionis, quæ se habet, vt lux veritatis, sicut lux visibilis respectu coloris; per quam intellectus ad assensum verum, & certum obiecti necessitatur, ex vi motiui euidenter connexi. Motiuum autem esse potest, aut ipsa veritas in se patens explicatione, & connexione necessaria terminorum vt in *per se notis*; aut ex vi principiorum, & præmissarum, vt in demonstratis mediatè, seu per medium connexum euidenter.

6 Supponendum 3. certitudinẽ esse duplicem ex consensu DD. cũ & apud *P.* Rip. de supern. d. 55. n 4. & d. 61. n. 13. P. Arr. d. 3. de fide n. 76. & d. 6. n. 18. Alia est *adhæsiua*, quæ est certitudo actus ex præcisa cõnexione, necessaria motiui, quæ in actibus naturalibus recurrit cũ euidentia: & solet etiam dici *certitudo cognoscentis*, quia cognoscens ipsam experitur, & per illam expellit a se omnem formidinem falsi-

ui,

cis, adhærendo firmiter obiecto; vt per intuitionem lucis, & assensum principij per se noti. Alia est *inhæsiua*, quæ solet dici, certitudo *puræ cognitionis*, & non cognoscentis, quia prouenit a modo intrinseco essendi, & tendendi actus, qui sub experimentam cognoscentis non cadit; & talis est infallibilitas actuum supernaturalium, v. g. fidei cui adhuc diuinitus, & metaphysice non potest subesse falsum, ex supernaturalitate sua: quæ juxta P. Suar. d. 6. de fide s. 5. & P. Gran. tr. 12. d 4. a n. 4. P. Rip. & Arr. *supra*, excedit infallibilitatem primorum etiam principiorum. Et de hac certitudine non procedit quæstio, si enim sit aliqua conclusio, vel definitio, vel Theologica supernaturalis, non est dubiū quod excedet certitudine hac præmissā alteram naturalem. Solum ergo dubium est de certitudine *adhæsiua*, & ex vi motiui Quibus positis, sit

7 Prima Conclusio. Præmissę sunt notiores conclusione dupliciter. *Primo quoad nos*, vt præcisæ præcedunt cognitionē illationis; quod addo, propter dicenda n. 14. & 18. Secundo, adiectiuè, siue quoad modum habendi certitudinem, & euidentiam. Hæc est tota mens Aristotelis, & S. Thomę.

8 Prima pars, quoad nos, *Probatur Primo* Quia impossibile est, quod quis assumat vt medium probandi minus notū, ad id quod æque ignotum fuerit, sed necessario quærit medium aliquod magis notum, ex quo persuadeat ignota. Sed demonstratio, & quivis syllogismus perfectus est modus sciendi, ac proin de ignoti manifestativus, & probativus, ex d. 29, q. 1. Ergo impossibile est, quod assumat ad probandā conclusionem minus notam, nisi præmissas, & principia, saltē quoad nos notiora, seu perse nota. *Secundo* exemplo demonstrationis de existentia Dei, quæ licet sit magis nota secundum se, quam existentia creaturæ, quia illa metaphysice, hæc vero solum physice nota est; nihilominus, quia apud nos non est perse nota existentia Dei, sicut existentia creaturæ, ex d. præc. n. 6. potest hæc assumi, vt medium ad demonstrandam existentiam Dei, contra Atheos. Ergo quia mediū demonstrationis, qua tale, debet esse perse notius, saltem quod nos, quā veritas demonstrata conclusionis, minus notæ.

9 Secunda pars Concl. Quod præmissę sint adiectiue notiores conclusione, quoad modum habendi certitudinem, & euidentiam,

Probatur 1. Quia id quod conuenit perse substantialiter, & ab intrinseco, magis perfecte conuenit, quam id quod tantū per accidens, per aliud, & quasi denominatiué conuenit: v. g. Humanitati Xpti D conuenit infinita Sanctitas Verbi, per quam sanctificatur formaliter, non tamen ita perfecte, ac ipsum Uerbum; quia hoc identicè per se, & substantialiter per illam sanctificatur, Humanitas vero per accidens, quasi ab extrinseco, & denominatiuè. Sed Præmissæ sunt perse notæ

notæ, & consequenter quasi perse ab intrinseco substantialiter; conclusio verò est nota per aliud, siue per præmissas, quasi ab extrinseco, & per accidens, accipiendo ab illis totam certitudinem, & evidentiam, vt conclusio est formaliter. Ergo sicut Verbum diuinum est Sanctius Humanitate, quia per se habet Sanctitatem; ita præmissa erit notior cōclusione, quia est perse nota; conclusio verò minus nota adiectiuè, & quoad modum habendi certitudinem, & euidentiam eri, juia illam habet per accidēs, siue à præmissis.

10 Probatur 2. Ex principio quod totò cap. 2. versat Philosophus, & ex ipso, S. Thomas scilicet, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Id est, quod magis tale sit, seu magis perfectè, & quasi ab intrinseco tale, quod perse tale est, quam quod per aliud ab ipso, & per accidens denominatiuè, quasi ab extrinseco, habet esse tale. Quod Philosophus declarat exemplo amoris, seu electionis medij propter finem; qui enim amat scissionē venæ propter sanitatem, plus amat sanitatē, quam scissionem, imo hanc auersatur; quia scissio venæ per accidens, & ab extrinseco amabilis fit à sanitate, tanquam à fine, hæc autem amabilis est perse. Sed principia præmissarum, se habent, vt finis, seu motivum perse notum, à quà redditur conclusio, vt talis formaliter nota, siue certa, & euidens, quasi denominatiuè per accidens, & per aliud. Ergo Principia præmissarum erunt notiora, seu magis nota, & magis talia, quam conclusio, quæ ab ipsis accipit esse notam, & euidentem, siue esse talem.

11 Secunda conclusio *pro secunda sent.* Præmissæ non sunt certiores, & euidentiores conclusione formaliter, siue secundum formam; id est non habent majorem euidentiam, & certitudinem, sed omnino æqualem, siue eandem cum conclusione.

12 Prob. 1. Quia Præmissæ, & cōclusio non aliam habere possunt certitudinem, & euidentiam formaliter, nisi quam à motiuo accipiunt, á quo omnis certitudo, & euidentia actus desumitur, ex n. 5. Sed præmissa, & conclusio habent idem formalissimum motiuum: Ergo habēt eandē formalissimé certitudinē, & euidentiam, neque majorem, aut minorem habere poterunt. Major, & consequentia constant. Minor ostenditur. Quia conclusio, vt pote assensus illatiuus circa identitatem extremorum inter se, non aliud habet motivum assentiendi, quam identitatem extremorum cum tertio, sed hoc ipsissimum est motivum præmissarum, vt talium formaliter, quæ vnicé proponunt, & enuntiant identitatem extremorum cum tertio, cui immediatè propter ipsam assentiuntur. Ergo idem ipsissimum formale motiuum conclusionis respiciunt, atque adeo eadem met certitudine, & euidentia gaudent.

13 Prob. 2. Ipso exemplo infinitæ Sanctitatis Christi D. Licet enim humanitas adjectiuè à què Sancta

dici nequeat, sed potius minus Sancta Uerbo, ipsumque Sanctius illâ, quia modus habendi, seu adjacendi humanitati est denominativus, quasi per accidens. Nihilominus formaliter, & substantiue dici nequit, quod Uerbum habeat majorem Sanctitatem, quam humanitas; neque quod humanitas minorem Sanctitatem habent quam Uerbum, quia habet eãdem. Atqui præmissæ, & conclusio habent eandem euidentiam; & certitudinẽ, scilicet idẽ motivũ, certũ & euidens identitatis cum Tertio, à quo tota certitudo, & euidentia conclusionis, & præmissarum, vt taliũ formaliter prouenit. Ergo minimè possunt majorem, vel minorem euidentiam formaliter, & secundum formam habere, respectiuè interse.

14 Prob. 3. Impossibile est quod intellectui repræsentetur, vt magis, vel minus vera identitas interse, quam identitas cum tertio, quæ sibi proponitur, vt vna, & eadem sue identificata veritas; sicut impossibile est, quod intellectui repræsentetur, vt magis, vel minus certa, vel euidens veritas, *Quod totum majus sit sua parte*, quam *pars sit minor suo totõ*, quando ipsi per modum vnius principij, *Totum est maius sua parte*, proponitur. Sed conclusioni proponitur per modum vnius veritatis, *identitas interse ex identitate eũ tertio*, per prælia cognitionem, & ita ipsi assentitur. Ergo impossibile est, quod assentiatur per conclusionẽ suæ veritati vt magis, vel minus certæ, & euidenti; & consequenter quod ipsa, vt magis, vel minus vera, certa, & euidens eliciatur. Quia repugnantia inæqualis illius attingibilitatis obiecti, trahit secum repugnantiam inæqualis ipsius attingentiæ in actu, inuicem essentialiter correlatiuæ.

15 Tertia Concl. Præmissæ nullo modo veriores, vel minus veræ esse possunt conclusione formaliter, siue in veritate formali. De hoc conueniunt DD. vtriusque sententiæ.

16 Prob. 1. Quia, vt dicam *in libris de Anima*, Veritas consistit in indiuisibili, sicut æqualitas, est enim repræsentatio rei sicuti est; vnde si vel minimè ac indiuisibiliter deficiat á conformitate hac cum obiecto sicuti est, omnino deficiet à veritate: sicut vt vlna sit inæqualis alteri vlnæ sufficit, quod, vel in vno indiuisibili non adæquetur; ac proinde sicut æqualitas non admittit magis, & minus, nec potest esse vlna magis æqualis vlnæ, quam palmus palmo, ita nec vnus actus esse magis æqualis, seu conformis obiecto, quã sit alter. Ergo repugnat quod præmissa conformior sit obiecto, vel verior conclusione, aut é conuerso, secundum communissimam rationem actus veri.

17 Prob. 2. Quia veritas est prædicatum perse conueniens, vnde nõ diuiditur propositio in veram perse vel per aliud, sicut diuiditur in *per se notam*, ideſt, immediatè, & ex terminis suis, & in *notam mediatè*, siue per aliud medium certificatiuum, & demonstratiuum sui. Quia veritas

actus

actus sequitur veritatem obiecti, sic & bcut res obiectiua semper est vera perse ipsam, quia res siue ens dicitur ad cõuertentiam cum veritate, & qua ratione ens est, verum esse debet; non vero conuertitur cum euidentia, quia multa obiectiue vera sunt, quæ non sunt certa, & euidentia, seu perse nota obiectiuè, sed potè probabilia, vel etiam improbabilia, nobis: ita veritas formalis actus semper huic perse conuenit, licet verificatio, seu certitudo, & euidentia, aut etiam probabilitas formalis illius, per aliud, & quasi per accidens ipsi conuenire possit, ratione alterius actus, eiusque motiui, ex quo infertur. Ergo optimè stat quod præmissæ possint esse certiores, & euidentiores, quoad modum adiectiuum, vt per se notæ, quin tamen queant esse veriores conclusione, quia hæc etiam perse vera est, licet perse nota non sit.

Sect. 2. Obiectiones contra 1. Concl.

18 Obij. 1. Ideo cõclusio nõ potest esse notior præmissis, adhuc quoad nos, vel adiectiuè; Quia repugnat quod sit notior intellectui identitas interse, quã ipsa respicit, quã identitas cum tertio, quã respiciunt præmissæ. Ergo pariter nec præmissæ notiores ita esse poterunt, conclusione, cum respiciant eandem identitatem cum tertio, quæ sibi notior esse non potest, quam identitas interse.

Resp. conc. antec. nego conseq. & parit. Tum quia præmissis non proponitur expresse, & explicite identitas cum tertio, vt vna veritas cum identitate interse; hoc enim soli conclusioni prævie proponitur, ex d. 124. vnde impossibile est, quod conclusio vt notiorem amplectatur suam veritatem: e contra vero præmissæ. Tum quia sola identitas cũ tertio potest proponi conclusioni, vt motiuum, ex quo inferat identitatẽ interse; minime vero hæc e conuerso potest esse motiuum pro illa, ac proinde neque perse, & vt notior attingi per præmissas.

19 Obij. 2. Si Axioma Arist. *Propter quod vnumquoque tale & illud magis*, conuinceret, quod præmissæ sint adiectiue notiores, conuinceret vtique, 1. quod, & formaliter haberent notiorem certitudinem, & euidentiam; quia ipsa euidentia, & certitudo formalis cõclusionis, talis est propter formalem certitudinem, & euidentiam præmissarum. 2 conuinceret, quod similiter ex eodem principio, veriores essent præmissæ quã conclusio, cum hæc sit vera propter illas. Ergo tale principium non tenet.

20 Resp. 1. magnam esse controuersiam circa acceptionem huius principij, *Propter quod vnumquodque*, &c. An in omni genere causarum valeat? quia certum est sæpissime non valere, *Homo enim est intellectiuus propter animam*, nec tamen hæc magis est intellectiua; *Incarnatio est vera propter reuelationem*, nec tamen hęc ex verior. *Homo est amicus Deo propter gratiam*, neque ipsa

est magis amica: *Omnis creatura habet suam essentiam specificam propter Deum*, nec Deus illam habet. Et sic innumera; de quibus hic DD. Quapropter *Negant* plerique DD. 2. sententiam cum P. Hurt, alibi quam in causis finalibus locum habere. Sed hoc sufficit, vt in motiuis, atque adeo in Præmissis, quæ mouent vt finis, locum habeat. *Affirmant* reliqui DD. 1. sent. & præterea P. Albert. *Princip.* 6. cum triplici limitatione desumpta ex S. Th. 1, 1, cit. 1, Quod comparatio fiat in denominatione, quæ conueniat vtrique comparato, cuius defectu, *gratia non est magis amica*, quia nec est amica. 2. Quod fiat in denominatione suscipiente magis, & minus; & ideo nec Præmissæ, nec vllus actus, aut ens verius est alio. 3. Quod sit inter omnino distincta; ideo q̃ anima nõ est magis intellectiua homine, quem constituit. Propterea quę nec certitudo cõclusionis major aut minor esse potest, quã Præmissarũ, quia est omnino indistincta, vt aliũ formaliter.

21 Resp. 2. Principium illud vniuersaliter intelligendum in omnibus Denominatiuus, facta comparatione inter Denominans, & denominatum, omnino distincta, & in denominatione quæ suscipiat magis & minus. Quod aperte denotat Arist. tum per Ly, *vnumquodque tale*, quod sonat denominationem talis; tum per ly, *& illud*, denotans distinctionem: tum per ly *magis*, requirens rationem quæ suscipiat magis & minus; & ita intellectum principium nullam admittit exceptionem, vt patet adductis exemplis.

22 Obij. 3. Mysterium fidei, v. g. *Incarnatio*, est certò credibilis propter reuelationem, vt motiuum; sed hæc non est credibilior, nec certior; esset enim contra summam certitudinem, & credibilitatem fidei diuinæ, quæ non admittit magis, & minus. Ergo pariter licet conclusio sit certa, & noscibilis propter præmissas.

Resp. 1. dist. min. Reuelatio non est credibilior, nec certior, Logicè, & ex modo tendendi intentionali actus, nego: Theologicè, & ex motiuis credibilitatis, afferentis certitudinem inhæsiuam summam, concedo. Quia æque accipit credibilitatem reuelatio a motiuis credibilitatis, scilicet miraculis, propositione Ecclesiæ, &c. sicut ipsum Mysterium; & ex hoc capite æque vtrumque fit credibile per aliud. 2. dist. iterum min. reuelatio non est credibilior, formaliter, seu non habet majorem credibilitatem, quia habet summam concedo; adjectiuè, seu quoad modum illam habendi, seu per illam mouendi, nego. Sicut licet humanitas Christi D. summam habeat sanctitatem, non tamen est tam summè sancta, quam Verbum; quia hæc summitas, admittit magis, & minus in modo habendi ipsam; vnde modus habendi non est summus, licet quod habetur sit summum, tam in ea credibilitate, quam in ea sanctitate.

23 Obij. 4, Certitudo non admittit magis, & minus, sicut, & veritas;

ergo

Ergò sicut propterea veriores non sunt adhuc adiectiuè præmissæ, ita neque certiores. Antecedens prob. Quia certitudo metaphysica est, quæ neque diuinitus falli potest, vnde æque indiuisibiliter superat potentiã Dei: Physica verò, quæ solum diuinitus potest falli: atque adeo similiter æque subditur potentiæ Dei, quæ æquè potens, aut impotens est circa possibile, & impossibile. Ergo.

Resp. Quod licet non detur magis, & minus, intra singulas species certitudinis, satis est, quod inter vtramque, metaphysica sit major, quã physica: sic enim si vna Præmissa sit metaphysicè certa, & alia physicè, comparari possunt cum conclusione, & inquiri, an Conclusio, tunc obibat majorem certitudinem, scilicet metaphysicam, vel minorẽ scilicet physicam, secundum quam æqualis, aut inæqualis euadat: vt n. 27. patebit. Addo quod licet, vnaquæque certitudo philosophica, seu simpliciter talis, non admittat magis, & minus, tamen certitudo moralis, quæ consistit in summo gradu probabilitatis, magis, & minus admittit. Sic enim certius moraliter est dari Martirum, quam nuntium aliquod de morte Magnatis Hispani, certo etiam moraliter inde allatum. Et ita similiter certior moraliter est Sanctitas viri alicuius Venerabilis, de cuius miraculis, & heroicis virtutibus magna habetur cõprobatio, & expectatur Romanum oraculum [qualem nuper authenticam transmittimus Romam, de nostris ac nostratibus insignibus pietate viris, Ven. P. Francisco del Castillo huius vrbis Apostolo, aut Angelo; necnon de Venerab. pariter extatico, ac cælesti pene Ciue, P. Ioanne de Alloza] quam plurium aliorum certo moraliter in osculo Domini decedentium. Iuxta principia enim necessitatis moralis, majoris, vel minoris, ex d. 70. a n. 1. & 7. ita datur etiam major, vel minor moralis certitudo. Atque ita de præmissis moraliter certis, poterit etiam procedere quæstio, vbi non erit indiuisibilitas.

24 Obij. 5. Præmissæ sunt etiam conclusiones, ex alijs, per quas saltẽ a posteriori probari possunt. Ergo non erunt omnino per se notæ, nec notiores, &c.

Resp. Præmissas, vt tales formaliter (de quibus ita loquimur) non esse conclusiones, alias in quovis syllogismo in infinitum iremus, multiplicando probationes præmissarum & discursus simul, contra expectationem. Supposita ergo prima earum probatione, siue ex terminis, siue a posteriori, siue a priori, manet in intellectu duplex species: altera cõnexa cum medio probationis, & illatiua seu mediata; altera immediata attingens veritatem in se ipsa, vt jã per se notam, præsuppositiuè tantum se habente medio probationis, ad primã veritatis notitiã: eo modo quo licet a cubiculo auferatur lux, adhuc scio quæ in cubiculo sunt, licet ad primam manifestationem obiectorũ indiguerim lucc. Et hæc species lucen-

inconnexa est quæ deseruit ad præmissam, vt talem, & vt not m in se immediatè, & non per modum conclusionis, assumendam, ex d. 1 2 4. n. 17 & ita vt perse nota poterit esse notior conclusione, quam infert. Quo pacto Theologi passim in *Tract. de fide*, dicunt, reuelationem, vt perse notam immediate mouere, seu motiuum esse ad assensum fidei diuinæ; quia licet probetur primò reuelatio per propositionem Ecclesiæ, miracula, & alia motiua humana credibilitatis, hæc tamen non intrant vt motiuum diuinæ fidei, alias fieret humana, sed præsuppositiue se habent, vt reuelatio fiat inse, & perse nota. Pariter ergo motiua præmissarum, &c.

Sect. 3. Obiect. contra 2. Concl.

25 Obij. 6 Quando fit demonstratio à definitione ad definitũ, vel etiam ad primam passionem nondum definitã; clariores esse debent præmissæ, inquibus assumitur definitio tanquam medium, quam conclusio, inqua solum definitum absque definitione, vt pote medio, inuenitur; quia definitio semper est clarior definito, atque adeo clariorem etiã facit suam enuntiationẽ. Ergo tunc non erunt æquales præmissæ, sed clariores conclusione formaliter.

Resp. neg. conseq. Quia licet definitio sit clarior definito, non semper clarior esse debet conuenientia definitionis; vnde sæpè inquiritur, & dubitatur: vtrum definitio conueniat alicui subjecto, de quo non dubitatur conuenientia definiti. Ergo clarior esse potest conuenientia termini minus clari, quam clarioris. Cum ergo definitio olũ se habeat vt terminus in demonstratione, bene poterit demonstratio æque clare assentiri identitati, seu cõuenientiæ definiti, vel attributi minus clari, propter identitatem in præmissa æque clare cognitam cum definitione, vt medio, licet clariori seu magis explicito.

26 Obij. 7. Ex P. Hurt Conclusio plures habet rationes suæ veritatis, quam præmissæ, quia præter veritatem suam, etiam præmissarum veritatem, vt motivum habet. Sed quo veritas habet pro motiuo plures rationes, majorem habet certitudinem, & euidentiam; Ergo majorem etiam habebit conclusio.

Resp. 1. Neg. maj. Quia conclusio, vt conclusio nullam aliam habet rationem, & motiuum suæ veritatis, quam veritatem præmissarum, cum sit assensus mediatus, omnino propter medium, & nullo modo immediatus ueritatis propter ipsam. 2. Neg. min. Quia firmitas, & certitudo motiui non consistit in multitudine rationum, quia vna certa, & euidens, plus valet, quam multæ minus euidentes, adhuc in moralibus. Vnde prima principia quæ solis terminis perse nota sunt, vt *quod libet est, vel non est*, quanvis careant multis probationibus, nihilominus summè certa sunt, & euidentia, per vnam tantum terminorum explicationem.

27 Obij.

27 Obij. 8. Principium, è diametro oppositum, ex P. Arr. Quod quãdo assensus versatur circa plura obiecta, minus certus est, quam qui versatur circa pauciora, quia habet plura vnde ipsi falsitas potest aduenire. Sed conclusio habet plura obiecta, quam præmissæ, respicit enim suum, necnon obiecta præmissarum: Ergo fallibilior est, ac proinde minus certa præmissis.

Resp. 1. retorquendo contra P. Arr. asserentem, hoc argumento non probari conclusionem esse fallibiliorem duabus præmissis simul, *Contra*, Ergo multo minus fallibilior erit, quam vna; quia respectu vnius plura obiecta sunt tria, quam respectu duorum.

Resp. 2. Distinguo maj. Actus circa plura obiecta est fallibilior, si respiciat illa plura vt inconnexa, & facientia veritates disparatas, concedo: Si illa respiciat, vt connexa, & facientia vnam veritatem, sicut conclusio respicit identitatem interse indiuisibiliter, ex identitate cum tertio, euidenti; & per se nota, nego.

28 Obij. 9. Ex ipso P. Arr. Quando vna præmissa est certior alia, vg. si vna sit metaphysicè, & alia physicè euidens; tunc conclusio sit solum physicè certa, & euidens; quia *conclusio sequitur debiliorem partem*, ex d. 33. n. 8. Ergo tunc præmissæ certiores erunt, & euidentiores, cum saltem ex vna parte gaudeant metaphysica maiori certitudine.

Resp. neg. conseq. Quia præmissæ tales non sunt diuisiuè, & prout habent suam certitudinem diuisam ab alia compræmissa, sed vt coniunctim illam habent connexam cum identitate duorum interse, per conclusionem inferenda. Hæc autem connexio semper induit debiliorem partem compræmissæ; atque adeo, ex dupplici certitudine physica, & metaphysica propositionum, fit connexio ipsarum, vt præmissæ sunt, putè physica. Sicut contingit in duobus hominibus interse colligatis cũ Columnã v.g. altero per catenam ferream, altero per stupeam, licet colligentur ex vna parte, per firmitatem ferream cum tertio, seu columna, hæc autem dici non potest colligata ferrea firmitate cum vtrisque, seu cum dualitate, ac binario hominum, sed omnino stupea, & infirma firmitate; quia dualitas colligatorum potest deficere, ex defectu vnius, ac proinde defectibili as major trahit ad se indefectibilitatẽ ferram; vt patet. Ergo pariter connexio præmissarum, vt talium cum duobus extremis cõclusionis, vt identificandis in illa; erit tantum iumenda ex infirmiore certitudine identitatis ipsorum cum medio; ac proinde conclusio sequens ipsam debiliorem partem, æqualis erit ipsis præmissis, vt formaliter talibus, siue vt compræmissis.

29 Obij. 10. ex ipso P. Arr. notitia, quo magis immediata est euidentior, vt notitia principij, sed notitia Præmissarũ est immediatior, imo cõclusio nullo modo immediata est; ergo illa formaliter erit euidentior.

Resp.

Resp. immediationem per se non afferre majorem evidentiam, vel nō illam formaliter, cum etiam dentur per se notæ, immediatæ, pure probabiles ex d. 127. n. 4 & licet per se major sit, non tamen respective ad evidentiam mediatam, in ipsa immediata formalissime nixam: sic enim tam certus sum non cadendi in Antipodas, quam terra ipsa seu centrum, quo nitor ne cadam. Nec scio quomodo P. Arr. fingat paritatem certitudinis, quæ æque major est, ac evidentia, quādo est immediata, modo tamen dicto. Concl.

30 Obij. 11. Conclusio Theologica ex duplici præmissa de fide nō nisi æque certa, ac præmissa, cum ipsa non sit de fide, vt pote discursiua, atque adeo pure naturalis, & viribus solius naturæ discursiuę omnino confecta, vt tenent plerique DD. cum P. Suarez d. 6. de fide s. 4. & Card. Lugo d. 1. l. 13. Ergo certioces erunt præmissæ ea conclusione.

Resp. *Antec.* a multis negari cum P. Hurt. d. 39. de fide s. 2. & P. Arr. ibidem d. 6. s. 1. Quia cum assensus conclusionis sit mediatè, ratione nouę revelationis, erit actus fidei. Sed dato quod de fide non sit, tunc conclusio naturalis erit minus certa præmissis, solum quoad certitudinē inhæsiuam, ex supernaturalitate fidei ortam, non quoad adhæsiuam, ex vi solius motiui, de qua solū procedit quæstio jurta n. 6. & ita erit formaliter æqualis præmissis ea conclusio.

31 Obij. 12. ex communi sent. P. Tanneri Card. de Lugo &c. apud P. Arr. ibi, in hoc discursu saltem virtuali fidei, *Omnis homo est conceptus in originali, sed Cicero est homo, ergo conceptus in originali*, Conclusio est certa de fide (vnde qui eam negaret, tanquam hæreticus puniretur) solum quia per minorem, moraliter certam, includitur sub vniuersali majori certa de fide. Ergo pariter in simili syllogismo, *Omnis homo est risibilis sed Cicero est homo, ergo risibilis*, cōclusio erit metaphysicè certa, & evidens, licet per minorem, purè moraliter certam, includatur sub majori certa metaphysicè, atque ita erit conclusio certior præmissis, siue præmissa minori non metaphysicè certa.

Resp. optimè refutari a P. Arr. hic, & ea d. 6. ac 1. p. t. 1, d. 1, n. 70. eam P. Tanneri tenet. Quia certe imperceptibile est, quod certius ex motiuo, esse possit, *Tullium esse risibilem, aut esse conceptum in originali*, quam esse hominē, cum sine hac veritate illæ nequeant subsistere, vnde ideo tanquam hæreticus puniretur, qui negaret *Tullium esse originali infectum*, non quia hæc conclusio sit de fide, sed quia præsumeretur negare, *Quod omnis homo sit infectus originali*; cum præsumi non possit, quod negaret alteram præmissam, scilicet *quod Cicero sit homo*. Quod si hanc negaret, tunc minimè puniretur, sed quasi stultus, cōcremeretur. Quomodo autem ad assensum certissimum fidei, sufficiat propositio purè moraliter certa Ecclesiæ, quę est

quasi

quasi præmissa; est de summis difficultatibus Theologiæ; in qua negandum, quod ea propositio sit præmissa, vel motiuum, sed solum conditio ad assensum fidei, modo dicto n. 24. & d. 51. n. 5. & d. 40. n. 7.

32 Obij. 13 Ex P. Quiroz. Omnis Conclusio est euidens circa illationem sui obiecti, sed præmissæ carent hac euidentia: Ergo majori euidentia gaudet conclusio.

Resp. 1. Etiam Præmissas, vt cõplete tales per præuiam cognitionẽ de bonitate illationis, ex d. 123. hac euidentia gaudere. 2. Hæc euidentia, & certitudo, non facit actum simpliciter certum, & euidentem, cum inueniatur in conclusione probabili inuidenti, & incerta simpliciter; & solum quasi ex suppositione, conditionate; & secundum quid induit eam illatiuam certitudinem; de qua proinde non procedit quæstio, nec comparatio cum præmissis, sed de certitudine simpliciter.

Sect. 4. Obj. contra 3. Concl.

34 Obij. 14. Per nos præmissæ sunt notiores conclusione adjectiue, quia perse notæ sunt, conclusio vero mediatè; sed similiter sunt veræ per se, conclusio vero mediatè, & medio motiuo, ergo.

Resp. ex n. 17. neg. min. Quia veritas semper conuenit perse, solum que notorietas, seu certitudo veritatis, per aliud conuenire potest.

35 Obij. 15. & Replic: Etiam ex ipsa connexione vera prouenit veritas obiecto, enuntiato per conclusionem: sic enim vera est enuntiatio conditionalis: *Si Spiritus Sanctus nõ procederet, non distingueretur*, Quia licet ea *indistinctio* sit falsa, & impossibilis, redditur vera ratione legitimæ illationis, seu connexionis. Ergo conuenit obiecto veritas per aliud, seu per connexionem veram motiui.

Resp. Neg. antec, Et, suppos. quod in obiecto impossibili, & falso absolute simpliciter, possit esse veritas simpliciter, sed solum conditionata, & secundum quid, ex vi connexionis veræ inter præmissam, vel conditionem impossibilem, & ipsum obiectum conditionatum, vel illatum. Quæ est purè veritas reflexa, secundum quid, logica, eo modo quo ipsa falsitas potest esse vera falsitas, seu chymera vera; quo dicendi modo non denotatur veritas simpliciter, sed solum bonitas connexionis, seu necessitas &c.

36 Obij. 16. Quod veritas non consistit in indiuisibili, sed admittit magis, ac minus. 1. Quia vna veritas est major alia, v.g. major, veritas est, quod *Deus existat*, quã *quod Sol illuminet*, vel *homo peccet*. 2. Qua potest esse vna falsitas major alia, v.g. *Nullus homo peccat*, major quam *Iudas non peccat*. Ergo pariter veritas. 3. Quia Actus verificatus de pluribus majorem habet veritatem, quam verificatus de vno. 4. Quia actus complexus, simul verus, & falsus, minorem veritatem habet, quam complexus omnino verus. 5. Quia veritas consistit in conformitate actus cum obiecto; conformitas autem potius est similitudo, quam

æqualitas, sed similitudo admittit magis, & minus; Angelus enim similior est homini, quam equo. Ergo pariter &c.

37 Resp. Neg. antec. *Ad 1. prob.* Una veritas solum est magis necessaria, quã alia, vt existentia Dei, quæ sola est absolute physice, & metaphysicè necessaria; omnis verò creata veritas solum logicè, & conditionatè, & sub aliqua suppositione saltem implicita, verbi substantivi, ex d. 56. n. 11. & d. 75. n. 30. Hæc autẽ major necessitas pertinet ad certitudinem, non ad veritatem formaliter; quia sicut nihil potest esse magis ens, ita nec magis verum, adhuc ipse Deus.

38 Ad 2. Licet falsitas possit esse major, sicut inæqualitas, & distantia; non tamen veritas, quæ se habet, vt æqualitas, & summa indistantia. Sicut etiam est multiplex modus aberrandi à via, vnus tamen viã tenendi.

39 Ad 3. Ea major verificatio accidit de pluribus est purè materialis extensiua, quę non arguit majorem veritatem formalẽ simpliciter, respectu vnius obiecti, vt talis. Sicut licet æqualitas vnæ cum vnâ sit major extensiue, quam palmi cum palmo, non tamen formaliter, quia æqua est æqualitas vtriusque mensuræ ad mensuratum suum.

40 Ad 4. Ea major veritas actus cõplexi adæquatè veri, similiter est materialis, & extensiua, atque adeo non simpliciter formaliter, vt patet exemplo mensuræ majoris, & minoris, æqualiter æqualiũ mensuratis formaliter, licet materialiter inæqualium.

41 Ad 5. Nego, quod Veritas cõsistat in similitudine, sed in adæquatione, seu æqualitate, vt ex cõmuni cõsensu tradũt omnes citati DD. Alias nullus actus affirmativus esset falsus omninò; quia nullus est, qui secundũ aliquam inadæquatam conceptibilitatem prædicati, saltem in esse entis, non possit verificari de subiecto. De quo in libris de Anima.

DISPUT. CXXIX.

De Scientia, sive Demonstrationis.

1 SCientia, quæ finis & effectus dicitur Demõstrationis, est habitualis, quæ est *habitus per Demonstrationem, vt Scientiam actualem, adquisitus*, ex d. 38. up. 6. & d. 51. fol. Licet autem frequentius nomine Scientiæ ab Arist. habitualis vsurpetur, quia est, qua Sapientes, Philosophi, aut Theologi dicimur, ea tamen proprie Scientia non est, quia est habitus, per habitum autem proprie non scimus, cum per illum non cognoscamus, sed per actum, qui cognitio sit. Sicut habitus ad peccandum non est peccati, sed solus actus, quo peccamus, vt ex Arist. & S. Th. tenent PP. Conimb. *c. 1. q. 1. a. 1. §. porro.* Qualiter autem Scientia hæc specificetur, & vnia sit, alibique eius prædicata, de quibus hic Philosophus, *dd. cit.* explicuimus. Reliqua nunc perstringemus.

2 Quæst. 1. Utr. *detur Scientia de contingentibus?* Affirmant Nomin. cum Ockam. Gabriel. &c. apud PP. Conimb. & P. Lyn. 3. Metaph. c. 6.

n.9. Quia putant omnē creatā veritatē non solum quoad existentiam, sed etiam quoad connexionem essentiæ cum attributis, esse contingentem, & diuinitus mutabilem. *Negant* cū S. Th. Scoto Thomist. & Scotist. Nostrisque omnibus, quos laudant P. Ly, ibi & M. Ioan. Th q. 25 n. 2. 3 Dicendum, Scientiā esse de necessarijs, & æternis, secundum connexionem essentialem in vi verbi substantiui, modo indicato d. 56. n. 11. & d. 75. n. 30. Tum quia Deus immutare non potest essentias rerū nec facere, quod equus sit risibilis, aut homo hinnibilis (quidquid sit de actibus secundis) alias homo fieri posset equus, & è conuerso, atque a deo esset homo, non homo. Scientia autem omnis est de connexione essentiali prædicatorum, vt essentiæ, & proprietatum, &c. Ergo de veritate æterna, & necessaria secundum connexionem. Tum quia in ipsa contingentia datur necessitas, cum necessaria, & essentialis sit adhuc contingentia creaturarum, vi verbi substantiui, *est possibilis*, &c. Ergo demonstrabilis per Scientiam, vt veritas necessaria.

4 Quæst. 1. Utr. *detur Scientia de singularibus?* Negant Thomistæ communiter cum M. Ioan. Th. sup. PP. Conimbr. c. 7. q. 3. & P. Lyn. eo tr. 6. c. 2. Tum quia Scientiæ demonstrāt per definitionem essentiæ, hæc autem semper est specifica, & vniuersalis. Tum ex suo illo, *primo cognito intellectus*, vniuersali, d. 82. n. 3. & d. 86. n. 5.

5 Affirmo cū Hurt. P. Arr. P. Cōpt. d. 49. s. 1, & RR. nostris in præsenti ex d. 41. n. 6 & 8. &c. d. 51. n. 16. *Tum* quia licet plerāque per Scientias totales tractata (quod vnice volunt Arist. & S. Th.) vniuersalia sint, multæ tamen agunt de singularibus, præsertim Scientiæ Physicæ, & Astrologicæ, v. g. circa hunc mundum, hæc elementa, hanc numerō materiam, hunc Solem, &c. Quis enim dicat, quod Astrologia demonstrans futuram Eclypsim, plenilunia, &c. agat de Sole, & Luna possibilibus, in communi, cum in singulari numeret, & metiatur motus de facto existentes ac futuros huius Lunæ numero. *Tum*, quia licet prædicata definiat, & demonstret Philosophia secundum rationem communes; at subiecta multa, de quibus illa demonstrat, sunt singularia, vt primus motor cælorum, Elementum ignis, &c. *Tum*, quia Theologia agit de Deo singularissimo, de multis Angelis numericè, & Apostolis, de Antichristo, &c. *Tum* demum, quia illud *primum cognitum* Thomisticum, plerisque est incognitum, vt eo loco dixi.

6 Quæst. 3. *Qui differant Scientia subalternās, & subalternata?* Resp. ex PP. Conimbr. c. 1. Post c. 10. q. 2. P. Fonseca l. 4. c. 3. q. 2. P. Lync. M. Ioan. Th. &c. Triplicem esse subalternationem. 1. *Ex fine*, quando finis vnius Scientiæ ad alterius finem ordinatur, vt Fræno factoriæ ad Equestrem, Equestris ad militarem, &c. Imo Logicę modum sciendi ad reliquas Scientias ordinantis. Quam tamen subalternationē omnes DD.

præter P. Lyne, dicunt minus propriam. 2. *Ex obiecto*, quando vnum sub alterius Scientiæ obiecto *quod*, cõtinetur; vt omnium Scientiarum obiecta sub *Ente*, quod est obiectum Metaphysicæ, claudantur. Et hæc etiam subalternatio non stricta dicitur. 3. *Et stricta*, ex principijs, quando subalternantis Scientiæ conclusiones subalternata accipit, vt principia ad suas inferendas. Vt Medicina principia Physicæ supponit, & accipit; vnde dicitur ex Arist. quod *vbi desinit Physicus, incipit Medicus*, apud Scotum. q. 3. *Prolog.* & PP. Cõnimbr. hic & *in Proæm.* Physicæ, q. 3, a. 3.

7 Hic autem multũ laborant Thomistæ, vt distinguant habitum Scientiæ subalternantis à subalternata: quod ægre præstant, cum faciant vnum simplicem habitum Scientiæ, vbi est vnum lumen, sine vnitas principiorum, ex d. 41. & 42. Nobis autem ibidem multiplicantibus Scientias, secundum conclusiones, & facilitates, vel difficultates earum, per facilis etiam erit ea multiplicatio. Et hinc etiam soluenda est ea quæstio: *an sit idem habitus principiorum & conclusionum in intellectu?* D. qui & alijs similibus, rursum in lib. de Anima.

8 Quæst. 4. Vtr. *de Ente rationis, ac ente peraccidens sit Scientia?* Negant Thomistæ communiter, ex Arist. 4. Met. c. 1. *Affirmo* de ipsis, vt logice sunt vnum, & ea ratione, vniuersalia, ac definibilia, ex d. 7 4 q. 3. ac proinde scibilia, siue obiectum Scientiæ: quo sensu Arles, & S. Th. non contradicunt. Restat agere de oppositione Scientiæ, cũ opinione, & fide, de quo in libr. de Anima. Et de Analytica Dialectica licuit hucusque.

TRACTATVS NONVS
IN LIBROS TOPICORVM.

DIALECTICA TOpica Analyticæ ordine recto succedit, ita Idicta á libris octo Topicorũ, vbi de syllogismo probabili fusè pertractat Arist. de cuius vtilitate c. 1. & 2. l. 1. sic ipse præfatur. Quod cum materia demonstrabilis non adeo frequẽter occurrat; probabilis vero passim in omnibus Scientiæ tractatibus obvia sit, necessarium erat fontes aperire, vnde media facile peti possent, ad quodcumque problema in vtrãque partem probabiliter, ac prudenter disceptandum; quod; ipse his libris præstitit accurate. Libri autem dicti sunt Topici á *Topos*, id est *Locus*, quia fontes illos mediorum, sive argumentorũ, locos, seu sedes Philosophus compellauit, quibus elucidandis totos libros insumpsit: ex quibus, quæ digniora disputatione sunt sequenti decidentur.

DK

DISPVT. CXXX.

De Syllogismo probabili, & Locis Topicis.

1 QVæst. 1. Quæ, & *quot sint Prædicata, circa quæ versatur Syllogismus probabilis, seu dialecticus?* Resp. Quatuor ab Arist. numerari, scilicet *Definitionem, Genus, Proprium, & Accidens.* Vbi mire cruciantur Interpretes, ut Philosophus aptissimè sub Definitione speciē, ac differentiam sub Proprio incluserit, solum que genus diuisim expresserit. Vide PP. Conimbr.

2 Quæst. 2. Vtr. *Opinio sit finis Syllogismi probabilis, & quæ illa sit?* Affirmandum ex Arist. sicut Scientia finis est demonstrationis. *Opinio* autem licet late pro quavis cognitione non certa, etiam humanæ fidei, imo, & erronea, sumi soleat, proprie tamen est judicium amplectens verum, per media intrinseca probabilia propositum. Differt à *Scientia*, quæ per media certa, ac necessaria procedit: a *fide* etiam, quæ propter motiua extrinseca, scilicet authoritatem dicentis, tum Dei, si diuina, tum hominis, si humana sit, assentitur. A *dubio* autem, & *hæsitatione*, quia hæc in neutram partem oppoñ tam sufficienter inclinant. A *suspicione*, quia solum conjecturaliter in vnam partem allicit, non vero determinat. A *formidine* demum, quia solum deterret ab obiecti fallibilitate, non vero dissentiendo decernit.

3 Quæst. 3. *An Syllogismus probabilis, qui re ipsa fuerit falsus, propriè sit Syllogismus?* Affirmant P. Arr. d. 1. n. 8. P. Cōpt. d. 47. s. 2. n. 2. P. Yzq. d. 2. q. 5. P. Lync. lib. 5. Dialect. t. 3. n. 39. laudans P. Rubi, & Aver. *Tum* quia sicut judiciū falsum proprie est judicium, ita, & Syllogismus. *Tum* quia Arist. formam Syllogisticam per Syllogismos falsos eo cuit; v. g. *Omnis A est B. sed omnis B est C. Ergo omnis A est C.*

4 Negant alij apud citatos, quibus multum fauent P. Arr & P. Lyn. 41. ex S. Damasceno, c. 48. Dialect. ajente; *Si inueniatur vna propositionum falsa, paralogismus erit, non Syllogismus.* Probant, Tum partitæ definitionis, & diuisionis, quæ proprie tales nō sūt, si veræ nō sint. *Tū* quia Arist. per *A. B. C.* non syllabas ipsas significauit, sed terminos in communi identificatos cum tertio: illis signis vsus, vt abstraheret ab omni materia particulari. Lis est de nomine, inqua ex vsu loquendum.

5 Quæst. 4. *Qui & quot sint loci Topici?* Resp. esse Prędicamenta, seu Genera, Mediorum prudenter objecti veritatem persuadentium, seu cum illa vero similiter connexorū, defectu certioris medij, æquo voluntatis arbitrio, ne perpetuo pendeat, judiciū determinantium. Ea autem in Locos, siue, sedes Argumentorū 159. digessit Aristoteles, ad duo redigens capita; alterum, quod appellauit, *Maximas*; alterum, quod *Differentias Maximarum*, de quibus P. Fons l. 7. 2 c. 9. ad 37. illos c. 11. ad solos viginti redigens. Rethorici vero, quorū hæc Tractatio proprior est sedecim locos frequētius numerant [cum P. Nic. Causino, in aurea sua

Eloq.

Eloq l.4.c.13.& Venerabili ac erudito P. Paulo Iosepho Arriag. l. 2. Rethor.) nostris Scholis magis familiares

6 Sedecim ergo Loci, qui Argumenta insita vocantur a Cicerone, ab alijs *intrinseca*, siue *interna* sunt, *Definitio, Notatio, seu Etymologia, genus, Differentia, species, enumeratio partium, coniugata, Causa, effecta, Adiuncta, contraria, repugnantia, similia, Paria, Maiora, ac minora*: inquibus maximè vrgent *Partes* Sub Definitione, descriptiones, & sub Differentia etiã accidẽtia propria Rethorici intelligũt. Omniũ vsum exponit diligenter P. Fonseca; Dialectico sufficiant, quæ pro Arte inueniendi medium d.37.n.5. tetigimus; nisi placeat omnia Media, ex ipso P. Fonseca ad quinque redigere classes, *effentialia, connexa, circunstantia, consentanea Dissentanea*

7 Quibus sedecim Argumentis, insitis, duo alia accedunt, quæ ab ipso Tullio vocantur Assumpta, scilicet ab Authoritate, tum diuina, tũ humana; quæ licet immediate fidẽ moueant, potius quam opinionem, ad hanc etiã mediatè ex fide determinant. Et hęc in loci Theologicis præcipuam sedem obtinent, vt tradunt DD. cum S. Th. 2.d.1.p.q.1.a.10.

TRACTATVS DECIMVS

IN LIBROS ELENCHORVM.

PErgenimus tandem ad Sophisticum Partem Dialecticæ, duobus Arist. libris complehensam; quos *Elenchorum* inscripsit, id est, sophismatum, siue Phantasticarum redargutionum. In 1. eorum confectionem exponit; in 2. vero eradicationem: quæ vix aliquid disputatu dignum habent, explicatu verò nonnulla, apud PP. Conimbr. hic, & P. Fonsecam toto lib. 8. per otiũ videnda. Ex quibus vt breuiter aduersita respondeam, sit vltima

DISP. CXXXI.

De Elencho sophistico, eiusque fallacijs.

QVæst. 1 *Quid quotuplex que sit Elenchus?* Resp. ex Arist. est *Argumentatio captiosa*, seu fallax, quę fit per syllogismum, tum *Pseudographum*, Demonstrationis simulatiuum: tum per *sophisticum*, qui dicitur *litigiosus* ac *tẽtatiuus*, & per apparentiam probabilitatis fallit, ex d.125. n.1. Triplex autem est sophisma. 1. Quod in sola materia. 2. Quod in sola forma. 3. quod in vtraque peccat. Quorum exempla vide apud cit. DD. Diuidi etiam potest sophisma a locis: Pro quo sit

2 Quæst. 2. *Qui sint loci sophistici?* Resp. duos locos in genere, vnde petuntur sophismata, ab Arist. distin-

gui,

gui. *Primus* est fallacia dictionis, sub quo sex continentur species. 1. *Æquiuocationis*, a termino plura significante, decipientis; v.g, *Qui curzit habet pedes, fluuius currit, ergo pedes habet.* 2. Amphibologiæ, a multiplici sensu propositionis, vt tritus ille paralogismus, ex Adagio *litus arat*, quod de eo dici solet, qui operam perdit: *Quisquis arat litus, terram proscindit aratro, Atqui operam perdens litus perhibetur arare: Ergo operam perdens litus proscindit aratro.* 3 Compositionis, quando *a sensu composito* arguitur ad *diuisum*, v.g. stantem sedere est impossibile; sed Petrus stat; ergo Petrum sedere est impossibile. 4. *Diuisionis* quando ê conuerso, à sensu diuiso arguitur ad compositum. 5. *Accentus*, quando deceptio ex accentuum varietate prouenit, v.g. *Qui librum edit? librum comedit; sed Auctor librum edit* (id est, in lucem emittit) Ergo *Auctor librum comedit.* Vbi prior præmissa vitiatur verbo *Edo* per primam breuem, à comedendo, posterior per longê à dando in lucê. 6. *Figuræ dictionis*, ex dictionum similitudine. V.g, *Qui manducat uuas in vite, manducat coactè, sed vinitor manducat uuas in vite. Ergo coactè.*

3 Secundus locus fallaciæ dicitur *extra dictionem*, & septem claudit species. 1. *Accidentis*, quando tribuitur subiecto, quod accidenti est proprium: v.g. *Homo est species, Petrus est homo, ergo Petrus est species.* 2. *Variatæ restrictionis, &c.* v.g. *Licet uesci carnibus, ergo licet die veneris. Est homo pictus, ergo homo.* 3. *Ignorationis Elenchi*: Elenchus enim est redargutio, probans oppositū propositionis admissæ, quod siquis ignoret oppositionis regulam de *eisdem seruandis*, hoc sophismate capitur: *Per te Petrus non currit velociter. Ergo non currit.* 4. *Petitionis principij*; V.g. *Si* redarguas probantē definitum ex definitione, *hoc modo Petrus est homo, quia est animal rationale, sed animal rationale est homo: Ergo Petrus est homo, quia est homo.* 5. *Consequentis*, quando non seruata lege, ex opposito consequentis deducitur oppositum antecedentis: v.g. *Si homo sit equus, est animal, ergo si non sit equus, non est animal.* 6. *Non causæ vt causæ*; Quando ex falsa attributione effectus, arguitur contra causam, v.g. *Eloquentiæ præditi multa mala persuadent. Ergo eloquentia multa mala docet.* Plurium interrogationum, vt vnius v.g, *Si roges an Petrus & Paulus sint Eus?* Et ex affirmatiuo responso inferas, ergo sunt vnum.

4 Quæst. 3. *Quæ solutio sit adhibenda fallaciis?* Respondet Arist. toto libro 2 duplicem fore adhibendam: 1. *Apparentem*, multis distinctionibus sophistam præpediendo, & deridiculo ipsum habendo; cū æquū sit respondere stulto ĩ uxta stultitiā suam. 2. *Seriam*, paralogismi falsitatem detegendo. Falsitas autem, vel ex materia, vel ex forma desumi potest. *Si* materia laboret; distinctione vtendum est, vt æquiuocus sensus terminorum pateat, & sub sensu vero concedatur, sub falso negetur. *Si* forma peccet, falsitas erit illationis; vndo concessis præmissis, neganda erit consequentia, &

vi-

itum Syllogismi sophistici, qui frequenter est Equinus, & quadrupes, aperiendum.

3 Quæst. 4. *Quis sit finis Sophistæ?* Resp. Ex Arist. l. 1. c. 3. Duos esse fines: 1. in quinque incommoda respondentem trudere. 2. *in redargutionem*, scilicet, quod concedat negatum; aut neget concessum: 2. *In apparenter falsum*: 3. *in incredibile*: 4. *in solœcismum*: 5. *in repetitionem inanem, siue ineptam.* Quæ omnia laudati PP. Fons. & Conimbr. more suo, sapienter, exornant. Secundus, sed Primarius Sophistæ finis est, *Videri sophon, seu sapientem, qui nihil dulcius* (inquit Philosophus) Sed absit, vt hic finis sit veri sapientis, veræ que sapientiæ amatoris, ac Philosophi, cuius vnicus, primarius que finis esse debet, assecutio nostri vltimi finis, eiusque cultus, atque Animarum profectus.

Et hic esto finis nostræ Dialecticæ, ad maiorem gloriam Dei Ter Opt. Max. & Santiss. Virginis Illibatæ Deiparæ Mariæ Dominæ Nostræ, Optimorum Parentum SS. Ignatij, Xauerij, & Borgiæ, omnium que Beatorum.

INDEX TRACTATVVM DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET Quæstionum Huius Primæ Partis, seu LOGICÆ.

TRACTATVS PRIMVS ISAGOGICUS in Summulas. P. 1.

DISPVT. I. Proœmialis, Quis Author, quæ vtilitas, & obiectum. p. 2.

Quæst. 1. *Quid Summulæ sint?* ibi.

Quæst. 2, *Quis Author earum!* ibi.

Quæst. 3. *Vtrum Summulæ sint vtiles?* ibi.

Quæ. 4. *Quodnam sit Summularum obiectum?* ibi

Quæst. 5. *Vtrum à terminis sit incipiendum?* 3.

DISPVT. II. De Terminis, Subiecto, Prædicato, & vnione, ib.

Quæst. 1. *An, & quid sit termin?* ib.

Quæst. 2. *Quid sit subiect. prædicat, & vnio?* 4,

Quæst. 3, *Vtrum subiectum, & prædicatum formale sint proprie talia?* 5.

Quæst. 4, *Vtrum Aduerb. & cas. obliq. sint Termin. Propositionis?* 6.

Quæst. 5. *Vtrum sit aliqua propositio, quæ careat term. &c.* 7.

DISP. III. Vtrum integra propositio sit Terminus? ib.

DISPAT. IV. Vtrum vnio propositionis sit Terminus? 6.

DISPVT. V. Vtrum in propositione negatiua detur vnio formalis? 12

Sect, 1. conclusio affirmans. ib.

Sect. 2. Obiectiones. 14.

DISPVT. VI, Vtrum Proposit. [illegible] correspondeat specialis vnio obiectiua? 16.

DISPVT. VII. [illegible] Term, quæ subiectum sit prædicatum, & qua prædicatum sit subiectum? ib.

Sect. 1. Conclus. negans. ib.

Sect. 2. Obiectiones. 21.

DISPVT. VIII. Vtrum Term. logici sint propriè & simpliciter termini? 25.

Sect. 1. Conclus. negans omnino. ib.

Sect. 2. Obiectiones. 24.

DISPVT. IX. Quæ sit definitio essentialis termini logici? 24.

Sect. 1. Aliorum definitiones. ib.

Sect, 2. Nostra definitio. 27.

Sect 3. Obiectiones solutæ. 28.

DISP, X. Vtr. de essentia logici termini sit actualis terminatio proposit? 29

Sect. 1. Conclusio affirmans. 30.

Sect. 2. Obiectiones. 30.

DISP. XI. Vtrum sit essentialis Termino vocali significatio arbitraria? *Siue*, An repugnet Terminus formalis non significatiuus, v. g. *Blictiri?* 34.

Sect. 1. Conclus. negans. ib.

Sect. 2. Obiectiones. 35.

Sect. 3. Obiectiones P. Quiroz. 41.

DISP. XII. Vtrum Terminus vocalis sit propriè terminus logicus? 42

Sect. 1. Conclusio negans. ib.

Sect. 2. Obiectiones. 34.

DISP. XIII. De multiplici diuisione Terminorum. 49.

Sect 1. *vbi de* Termino commun. ib

Quæst. 1. *Vtrum Termin.* Omnis homo *sit communis?* 50

Quæst. 2. *Vtrum Terminus* Deus *sit communis?* ib.

Sec. 2. de Term. categoremat. finit. 50

Quæst. 3. *Vtrum adiectiua omnia syncategorematica sint?* 53.

Quæst. 4, *Vtr. Termin. transcend.*

✠ ✠

v.g. *Ens possit infinitari.* ibi.
Sect. 3. Reliquæ Termini diuisiones. 55
DISP. XIV. De proprietatibus Term. 37
Sect. 1. de Suppositione. ib.
Quæst. 1. *Quid sit suppositio?* ib.
Quæst. 2. *Vtrum term. mentales supponant pro obiectiuis?* 56.
Quæst. 3. *Vtrum suppositio conueniat Termino extra propositionem?* 60
Quæst. 4. *Quotuplex sit suppositio.* 61.
Sect 2. de reliquis termini proprietatibus. 62.
DISP. XV. De Nomine, Verbo, & Oratione. 63.
Sect 1. de Nomine. ib.
Quæst. 1. *Quid sit Nomen?* ib.
Sect. 2. de Verbo. 55.
Quæst. 2. *Quid sit Verbum?* ib.
Sect 3. de Oratione. 66.
Quæst. 3. *Quid sit Oratio?* ib.
Quæst. 4, *Quotuplex sit Oratio?* 67.
Quæst, 5. *An de vtraque hic egerit Aristotel?* 67.
DISP. XVI. De Propositione: qui sit definienda? 68.
DISP. XVII. Quotuplex sit proposit. 70
Quæst. 1. *Vtrum detur Propositio negatiua?* ib.
Quæst. 2. *Vtrum hæc diuisio sit adæquata, vt nulla enũtiatio mixta ex negatione, & affirmatione respectu diuersorum esse possit?* 71
Quæst. 3. *Vtrum in Intellectu detur propositio identica, sicut in vocibus?* ib
DISP. XVIII. Vtrum Propositio complexa sit vna simpliciter? 74
Conclusio. ib.
Obiectiones. 76.
DISP. XIX. De Materia, & Forma, Quantitate, & Qualitate Propositionis? 77.
Quæst, 1. *Quid sit Materia & forma?* 78
Quæst. 2. *An Propositiones de subjecto per accidens complexo, sint de materia necessaria, vel contingenti. v.g, Homo albus est rationalis & disgregatiuus visus. Homo currens movetur?* ib.
Quæst. 3. *Quæ sit Materia, & Forma Propositionis complexæ?* ib.
Quæst, 4. *Quæ sit Quantitas Propositionis?* 79
Quæst. 5: *Quę sit Qualitas Propositionis?* ib.
Quæst. 6. Vtr. *ad ueritatem disiunctiuæ requiratur, quod vna categorica sit falsa?* 80.
DISP. XX. De Oppositione: quid, quotuplex, quanta, & qualis sit? 81.
Quæst. 1. *Quid sit Oppositio Propositionum?* ib.
Quæst. 2, *Quotuplex sit Oppositio?* ib.
Quæst. 3. *Quanta sit Oppositio, siue quæ minima maxima?* 83
Quæst. 4. *Qualis sit Conuenienta Oppositionum?* 84
Quæst. 5. *Vtr. diuisio facta oppositionis sit adæquata?* ib.
Quæst. 6. *Quæ sint Regulæ oppositionum?* ib.
DISP. XXI. Vtr. subcontraria sit oppositio propriè, & simpliciter? 86
Conclusio. ib.
Obiectiones. 87.
DISP. XXII. Vtrum sit Propositio carens contradictoria? 89.
DISP. XXIII. Sint ne duæ contradictoriæ simul, veræ, vel falsæ? 9.
Sect, 1. aliquæ objectiones. ib.
Sect. 2, Objectiones ab exponibilibus, exclusiva, exceptiva, & reduplicativa. 96,
Sect. 3. Objectiones à Se falsificantibus &c. 100,
DISP. XXIV, Vtr. inter Propositiones de numero plurali sit contradictio? 102.
Conclusio ib.
Objectiones. 105
DISP. XXV. De æquipollentia Propositionum simplicium. 107,
Quæst. 1. *Quid, quotuplex que sit æqui pollentia?* 108.
Quæst, 2, *Vtr. Propositio de prædicato infinito æquipolleat negativæ?* ib,
DISP. XXVI. De conversione simpliciũ Propositionum. 109.
DISP, XXVII. De Modalibus Propositionibus. 110.
Quæst, 1. *Quæ sit Materia. & Forma modal.*

INDEX.

modal. Propositionum? 111
Quæst. 2. *Vnde sumatur quantitas Modalium?* ib.
Quæst. 3, *Vnde Qualitas?* 112.
DISP. XXVIII. De Oppositione, Æquipollenti a, & Conuersione Modalium. ib.
Quæst. 1, *Qualiter fiat Oppositio Modalium?* ib.
Quest, 2. *Qualis sit Æquipollentia Modalium?* 114.
Quæst, 3, *Vtrum aliarum Modalium Tabellæ, & Oppositiones, eàdem lege sint considerandæ?* 116
Quæst, 4, *Qualiter fiat conversio Modalium?* ib,
DISP. XXIX. De Modo Sciendi. 11[illegible]
Quæst, 1. Quid *sit Modus sciendi?* ib.
Quæst. 2. *Vtr. diuisio Modi sciendi in tres illas species sit adæquata?* 118.
Quæst. 3. *Vtr. Syllogismus probabilis sit modus sciendi?*
Quæst. 4, *Vtr. Omnis modus sciendi in argumentatione fundetur?* ib.
DISP. XXX. De Definitione. 118
Quæst. 1. *Quid sit Definitio?* ib.
Quæst. 2. *Quotuplex sit Definitio?* 120.
Quæst. 3 *An definitio Termini currentis genere superiori sit propria?* ib.
Quæst. 4. *Vtr. entia impropria v.g. ens rationis &c.* 121
Quæst. 5 *Vtr. Indiuidua possint definiri?* ib.
Quæst. 6. Vtr. *De Deo haberi possit definitio?* 122.
Quæst. 7. *Vtr. Definitio essentialis possit in ordine ad proprietates declarari?* ib.
Quæst. 8. *Vtr. Vnius Entis vna sit definitio?* 123.
Quæst. 9. *Qualiter distinguatur definitio à definito?* ib.
Quæst. 10, *Vtr. Definitio in sola apprehensione complexa generis, & differentiæ consistat?* 124.
DISP. XXI De Diuisione 125.
Quæst. 1. *Quid, & quotuplex sit Diuisio?*
Quæst. 2. *Quæ sint leges bonæ diuisionis?*
Quæst. 3. *Vtr Diuisio totius actualis sit idem cum Definitione?* 126,
Quæst. 4. Vtr. *Totum logicum diuidatur in differentias. v.g. Animal in rationale, sicut diuiditur in species hominem &, brutum?* 126.
Quæst. 5. Vtr. *Diuisio fiat per apprehensionem?* ib.
DISP. XXXII. De Argumentatione, [illegible] Logismo, eiusque materia, & forma. 127,
Quæst. [illegible] *Quid sit Argumentatio?* ib.
Quæst. [illegible] 128
Quæst. [illegible] 129.
DISP. [illegible] syllogisti[illegible] 130.
[illegible] multiplici [illegible] formæ syllogisticæ. 133,
Quæst. 1. *Quid, quotuplex que* [illegible] ib.
Quæst. 2. *Vtr. Alij modi directi vtiles possint inueniri?* 134
Quæst. 3. *Vtr. pro syllogismo expositorio, & hypothetico, hi etiam modi, ac figuræ deseruiant?* 135
DISP. XXXV. De Principijs, seu Regulis formæ syllogisticæ. ib.
DISP. XXXVI. Vtrum, Vis Syllogistica primariè nitatur Principio, Quæ sunt eadem vniuersio. &c. 137.
DISP. XXXVII. De Reductione Syllogistica, & Arte inveniendi Mediũ. 139.
Quæst. 1. *Quid, & quotuplex sit Reductio? ili* ib.
Quæst. 2, *Quæ & qualis* 140
TRACTATVS SECVNDVS PROEmialis in Logicam, & Vniversam Philosophiam.
De Illius Natura, & Obiecto.
DISP. XXXVIII Quid, Quotuplex que sit Phylosophia. Quis illius Aucthor & Ordo?
Quæst. 1. *Quid sit Philosophia?* 142,
Quæst. 2. *Quotuplex sit Philosophia* ib.

Quæst.

Quæst 3 *Quis sit Philosoph. Auctor?* 145
Quæst. 4. *De ordine Philosophiæ.* 144
Quæst. 5. *Ad quem finem Philosophia ordinetur?* 145
Quæst. 6. *Quomodo inter se comparentur, & se habeant Philosophia qua actualis, & qua habitualis?* 146
Quæst. 7. *Qualiter Philosophia ad Theologiam se habeat?* 147
DISP. XXXIX. Quid, quotuplex, & qualis sit Logica, & eius Auctor? ib
Quæst. 1. *Quid Nominis, & rei?* ib
Quæst. 2. *Quæ sint partes Dialect.* ib
Quæst. 3. *Quotuplex sit Dialect.* ib
Quæst. 4. *Vtrum Dialectica sit pars Philosophiæ?* 149
Quæst. 5. *Vtrũ Dialectica qui dpiã aliud præter modum sciendi scientijs ministret?* ib
Quæst. 6. *Vtrum omnis intellectus sit subiectum capax Dialecticæ?* 150
Quæst. 7. *Quæ sit Auctor Dialecticæ?* ib
DISP. XXXX. De multipli obiecto actuum, & cientia rum. 151
Quæst. 1. *Quid sit obiectum?* ib
Quæst. 2. *Quotuplex sit obiectum?* ib
Quæst. 3. *Vtrum respectu scientiæ vt totalis sint speciales diuisiones, & considerationes obiecti?* 156
DISP. XLI. Vtrum scientiæ recte diuidantur, vel adunentur per abstractiones à materia? 157
Sectio 1. Thomisticæ abstractiones rejiciuntur. 159
Sect. 2. Conclusio abstractiones temperans, & approbans. 160
Sect. 3. Obiectiones. 163
DISP. XLII. Vtrum scientia totalis habitualis sit vna simplex qualitas? 165
Sect. 1. Conclusio negans. ib
Sect. 2. Objectiones. 169
DISP. XLIII. Vtrum Dirigibilitas in modum sciendi sit ratio *sub qua* specificatiua Logicæ 174
Sect. 1. Conclusio affirmans. ib
Sect. 2. Obiectiones. 172
DISP. XLIV. Vtrum tres operationes mentis sint obiectum primarium Logicæ? 178
Conclusio. ib
Obiectiones. 179
DISP. XLV. Vtrum conceptus obiectiui sint obiectum primariũ Logicæ? 182
Sect. 1. Conclusio media. ib
Sect. 2. Obiectiones contra 1. p. 184
Sect 3 Objectiones contra 2, p. 187
DISP. XLVI. Vtrum voces sint obiectum per se Dialecticæ? 189
Sect. 1. Conclusio negans. 190
Sect 2. Obiectiones. 197
Sect. 3. Speciales obiectiones ex nostris Doctis RR. 199
DISP. XLVII. Vtrum obiectũ formale *quod*, siue artificium Logicæ sit ens rationis? 204
Conclusio. ih
Obiectiones 206
DISP. XLVIII. Vtrum artificium à Logica intentum, siue directio passiua, sit ipsa intrinseca repræsentatio actuum? 207
Sect. 1. Conclusio affirmans 208
Sect. 2. Obiectiones. 210
DISP. XLIX. Quale nam sit scientijs attributionis obiectum? 216
Sect. 1. *Aliorum sententiæ rejiciuntur* ib.
Sect 2. Conclus. pro sapientum placito. 220
DISP. L. Quod nam sit Logicæ attributionis obiectum? 225
Sect 1. *Aliorum sententiæ refutantur.* ib
Sect. 2. Conclusio pro argumentatione perfecta. 228
Sect. 3. Obiectiones. 234
DISP. LI. Vtrum Logica sit simpliciter scientia? 235
Sect. 1. Præmittitur, Quia sit Scientia, Quæ virtus intellectualis; 236
Sect 2 Conc. affirm. defenditur. 238

DISP.

INDEX.

DISP. LII. Vtr Logica sit simpliciter Ars? 243

DISP. LIII. Quid sit Paxis, sive Objectum formale artis & notitiæ Practicæ? 246

Quæst. 1. Vtr. sit *opus alterius potentiæ ab intellectu*? ib.

Quæst. 2. Vtr. *debeat esse Opus voluntarium*? 248

Quæst. 3. Vtr. *Opus Liberum, & qua libertate*? 250

Quæst. 4. *Verum immediate physice Operabile à cognoscente*? 252

DISP. LIV. Quid sint, quive differant practica, & speculativa notitia? 257

DISP. LV Vtr Circa modum Scienti, vt objective operabilem, possit esse scientia speculativa? 266.

DISP. LVI. Vtr. Circa opus vel modum sciendi, vt absolute factum, scientia Practica esse possit? 266

DISP. LVII Vtr. Logica sit simpliciter purè, & adæquatè practica? 262

Sect 1. *Conclus. Affirmans.* 273

Sect 2. *Objectiones.* 276

DISP. LVIII. Quid sint Logica Docens, & Utens? 282

Sect 1. *Certiora de re præmittuntur.* ibi

Sect 2. *Aliorum sententia rejecta.* 284

Sect 3. *Communis sententia defenditur.* 287

DISP. LIX. Vtrum Logica effectiue influat in actus regulatos scientiarum? 292

DISP. LX. An & Quo modo Logica Artificialis sit necessaria ad alias scientias comparandas? 294.

Sect, 1. *Sententia Contraria.* ib.

Sect. 2. *pro necessitate morali.* 297

TRACTATVS TERTIVS DE Ente Rationis

DISP. LXI Quid, quotuplex, & qua cuale sit ens rationis? 300

Quæst. 1. *Quid nominis, & Quid rei*? ib

Quæst, 2. *Quotuplex sit ens Rationis*? 301.

Quæst. 3 *Quale sit quoad attributa sua*? 303

DISP. LXII Vtr. detur ens Rationis Chimæricum? 303

DISP, LXIII Vtr. Ens rationis consistat in esse objectivo intrinsece fictitio? 307.

Sect, 1 *Conclus. omnino negatiua Probatur à priori.* ib

Sect 2. *Probatio à Contradictoriis.* 311.

Sect. 3. *Probatio a falsitate Propositionum.* 317.

Sect. 4. *Alia probationes ad hominem.* 319.

Sect, 5. *Objectiones aliquæ.* 322.

Sect. 6. *Objectiones reliquæ.* 326.

DISP. LXIV Vtr, Denominatio omnis extrinseca sit ens rationis? 332

Sect. 1. *Conciliantur Sententiæ.* 333

Sect. 2. *Objectiones.* 336.

DISP. LXV. Vtr. per omnem cognitionem Vnius instar alterius fiat ens rationis? 239

DISP. LXVI. Utr. Per simplicem apprehensionem Intellectus fiat ens rationis? 343

Sect. 1. *Media sententia probata.* ib

Sect. 2. *Objectiones.* 346.

DISP. LXVII. Utr. per Iudicium fiat ens rationis. Vbi de Discursu. 348.

DISP. LXVIII. Utr. per omnem, & solum actum falsum, & per quos alios, fiat ens rationis? 350.

Quæst. 1. *Vtr. Per omnem actum falsum*? ib

Quæst. 2. *Vtr. Per actum verum*? 351

Quæst. 3. *Vtr. necessario per*

Actū

INDEX.

actum reflexum? 363
Quæst. 4. *Vtr, per intellectum?* ib
DISP. LXIX Utr. Deus cognoscat entia rationis? 453
DISP. LXX Vtr. Diuinus intellectus eius rationis eformeti? 368
Sect. 1. *Conclus. negans.* ib.
Sect. 2. *Obiectiones* 359
Sect. 3. *Obiectio principua* 361
DISP. LXXI. Vtr. Voluntas faciat ens rationis? 365
DISP. LXXII. Vtr. per *sensus* fiat ens rationis. 368
Sect. 1. *Conclus. media.* 239.
Sect. 2. *Obiectiones.* 371.
TRACTATVS QVARTVS DE Universalibus, &c.
DISP. LXXIII. Quid sit vniversale? 377.
DISP. LXXIV. Quotuplex, & quale sit vniversale; 380.
Quæst. 1 *Quotuplex sit vniuersale?* ib
Quæst. 2, *Vtr. Prædicatum transcendens v.g. Ens, sit Vniuersale?* 382.
Quæst. 3 *Vtr. non entia, & negationes &c.* 383.
Quæst. 4. *Vtr. Vniuersalia sint tantum in vocibus &c.* 384
DISP. LXXV. Utr. vniuersale, quatenus tale, detur à parte rei? 385.
Sect. 1. *Sententia affirmativa reiicitur.* 386.
Sect. 2. *Contra Caramuele Platonicè* 361
Sect. 3, *Conclus. negans.* 365.
Sect. 4, *Obiectionis.* 398,
DISP. LXXVI. Vtr. detur Præscisio Obiectiva &c, 406
Sect. 1. *Conclusio affirmans demonstratur à priori.* 407
Sect. 2. *alia probationes.* 413
Sect. 3 *Obiectiones* 419.
Sect. 4. *Obiectio à Contradictorijs: vbi de distinctione virtuali.* 425.
DISP. LXXVII. Utr. ea distinctio Obiectiua sit appellanda, actualis formalis ex natura rei? 433
Sect. 1. *Conclus. negans.* 434.
Sect. 2. *Obiectiones* 438
DISP. LXXVIII. Quæ, qualisve sit vnitas vniversalis? 443.
Sect. 1. *Sententia contraria.* ib
Sect. 2. *Vera sententia.* 446.
DISP. LXXIX. Vtr. detur *in* rebus vnitas formalis distincta ãnumerali? 450.
DISP. LXXX. Quæ, qualisuè sit aptitudo universalis? 452.
DISP. LXXXI. Utr. Aptitudo ad prædicandum sit primaria vniversalis? 459.
DISP. LXXXII. Per quam operationem intellectus primum fiat vniversale? 462.
Sect. 1. *Conclus. pro sola abstractione.* 463
Sect. 2. *Obiectiones.* 468.
DISP. LXXXIII. Vtr. Obiectum per se Actus abstrahentis vniversale sit vna, vel plures naturæ? 472.
Sect 1, *Conclusio: Nec est vna, nec plures.* 473.
Sect. 2. *Contra Nominales.* 475
Sect. 3. *Contra Realistas.* 479
Sect. 4. *Contra Homogeneas haecceitates, & exigentias.* 480
Sect. 5. *Obiectiones.* 484.
DISP. LXXXIV, Vtr. Natura ab vno tantum individuo praescissa sit vniversalis? 489.
Sect. 1. *Concilio sentencias.* ib
Sect. 2. *Obiectiones.* 492
DISP. LXXXV. Utr. Vniuersale destruatur, per prædicationem de inferioribus? 493.
Sect. 1. *Conclus. negans* 494.
Sect. 2. *Obiectiones* 496
DISP. LXXXVI. Vtr. Vniuersale fiat per sensus, Voluntatem &c: 498
Quæst 1 Vtr. *per sensus fiat?* ib
Quæst. 2. Vtr. *Per species singularium ministerio sensus comparatas?* 500
Quæst. 3. *Vtr. Per Voluntatem fiat Vniversale?* 501
Quæst. 4, *Vtr. Diuinus intellectus fatiat Vniv.* 502.
Quæst. 5. *Vtr. Angelus eformet*

Uni-

INDEX.

Vniuersalia? ib
DISP. LXXXVII. De Genere primo prædicabili, qui definiatur? 502.
DISP. LXXXVIII. Quodnam sit definitum in definitione generis? 506.
Sect. 1. Inter Sent. verior eligitur. 507.
Sect. 2. Obiectiones. 509.
DISP. LXXXIX. Utr. Genus sumatur a materia, & differentia a forma &c. 514
DISP. XC. Utr. Genus prædicetur totum potestatiuum? 516.
DISP. XCI. Utr. Genus immediate prædicetur de individuis completis? 520.
DISP. XCII. Utr. Detur individua incompleta immediata generi? 524
DISP. XCIII. Utr. Genus de individuis incompletis prædicetur, vt genus? 528.
DISP. XCIV. De qualitatibus generis: vbi an sit nobil. diff. 531
Quæst. 1. *Quomodo Genus imitetur Materiam, & diff. formam?* ib
Quæst. 2. *Utr. Genus possit esse nobilius, ac perfectius differentia?* 532
Quæst. 3. *Utr. Genus ab ens ibus incompletis præscindi possit.* 537.
DISP. XCV. De Specie secundo prædicabili, quid quotuplex que sit? ib
Quæst. 1. *Quid & quotu?* ib
Quæst. 2. *Utr. definiri possis vnivoce species, prout abstrahit a subiicibili, & prædicabili?* 539
DISP. XCVI. Utr. Species immultiplicabilis sit vniuersalis? 540
Sect. 1. Concluf. negans. 542
Sect. 2. Obiectiones. 544
DISP. XCVII. Utr. species, in quantum subiicibilis, sit vniuersalis? 547
Sect. 1. Concluf. negans. ib
Sect. 2. Obiectiones: vbi concludimus, per quem actum fiat species subiicibilis. 549.
DISP. XCVIII. De Individuo speciei correlatiuo. 553
Quæst. 1. *Quid sit individuum?* ib,
Quæst. 2. *Quotuplex sit individuum?* 555
Quæst. 3. *Utr. [illegible] sit vniuersale?* ib
Quæst. 4. *Utr. Deus a parte rei etiam quoad intell. divi. individua?* 556,
Quæst. 5. *Utr. Individuatio sit de essentia individui?* 11.
DISP. XCIX. De Differentia tertio prædicabili. 558.
Quæst. 1. *Quid sit differentia?* ib
Quæst. 2. *Qui defectus differentia proprissima* [illegible]
Quæst. 3. *Quomodo sit Differentia proprissima?* 410
Quæst. 4. *Quæ horum maneriem realiter, quæ vero per rationem Differentia conueniant?* 561.
Quæst. 5. *Utr. Differentia solum sit vniuersalis respectu inferiorii, v. g. Individuorum?* ib
Quæst. 6. *Quomodo prædicetur differentia de suis individuis &c.* 562
DISP. C. Utr. Aliquæ Differentiæ genericæ superiores includantur in inferioribus formaliter? 563
Sect. 1. Temperate affirmans. ib
Sect. 2. Obiectiones. 568
DISP. CI. Utr. etiam Gen. includatur in differ. extrahente? 572.
DISP. CII. De Proprio quarto Prædicabili. 575
Quæst. 1. *Quid? & quale sit proprium?* ib.
Quæst. 2. *Vtr. solum Proprium quomodo ad hoc prædicabile proprie pertineat?* ib.
Quæst. 3. *Quomodo sit Proprium?* 576.
Quæst. 4. *Quare Aristoteles se intromiserit, si tantum circa, cum quo dicitur ad conuertentiam?* ib.
Quæst. 5. *Quid sit Proprium secundo inconuertibile?* 577
DISP. CIII. De Accidente quinto prædicabili. ib,
Quæst. 1. *Quid sit Accidens?* ih.
Quæst. 2. *Vtr. Hoc prædicabile differat a Quarto formaliter?* 578

Quæst.

INDEX.

Quæst. 5. *Quotup. sit Accidens?* 578.
Quæst. 4 *Respecta cujus inferioris sit vniuersale?* ib.
Quæst, 5. *Vtr. in abstracto pertineat ad hoc prædicabile?* ib,
Quæst. 6. *Vtr. requiratur absolutâ subjecti existentiam?* 580
Quæst. 7. *Vtr. possit a pluribus subjectis una albedine in formatis præscindi vnio albi, siue accidentis vniuersalis?* ib
Quæst. 8. *Vtr. ad hoc 5. Prædicab. pertineant prædicationes per communicationem idiomatum vtriusque naturæ in Xpto D. &c.* ib
DISP. CIV. Vtr præter 5. dentur Prædicabilia assumptiua pro Xpto D. 581
DISP. CV. Utr, vniuersale sit genus ad Omnia prædicabilia? 583.
Sect. 1. Conclus. affirmans defenditur ib
Sect. 2, Prolixior objectio. 585
DISP. CVI. De prædicatione vniuersalis inconcreto, & in abtracto 570
Quæst. 1. *Quid, quotup & qualis sit prædicatio vniuersalis?* ib
Quæst. 2. *Qualiter differant concreta, & abstracta vniuersalia?* 591
Quæst, 3. *Quomodo vicissim possint prædicari?* 595
DISP. CVII. Vtr. Abstracta superiora de inferioribus abstractis formaliter prædicentur. 594.
DISP. CVIII. De Recto, & Obliquo concretorum, 598
Sect. 1. de Recto reduplicatiuo ib
Quæst. 1. *Vtr. Rectum concretorum sit vnum determinatum, de quo prædicationes verificentur?* ib.
Sect. 2, de Recto specificatiuo. 599
Quæst. 2. *Quodnã sit Rectum partiale concretorum, tum substantialium, tum accidentalium, an subjectum, an forma?* 600
Sect, 3. Objectiones. 603.
DISP. CIX, Vnde sumatur multiplicatio concretorum? 605
Sect. 1. Communis sent. probata. ib
Sect. 2. Objectiones, 607

TRACTATUS QUINTUS DE Prædicamentis.

DISP. CX. De Ante prædicamentis. 610
Quæst. 1. *Num tractatio hæc ad Dialecticam, vel ad Metaphysicam spectet?* ibi.
Quæst. 2. *qua, & quot sint Ante prædicamenta?* ib
DISP. CXI. De Prædicamentis, Quid, quot, & qualia sint? 613.
Quæst. 1. *Quid sit prædicamentum?* ib.
Quæst. 2. *Qua, quot ve sint entis prædicamenta?* ib
Quæst. 3. *Vtr. numerus hic prædic. nec augeri possit, necminui?* 614
Quæst. 4. *Quæ sint leges proviuoquoque Prædicamentorum ordinando juxta Philosophos?* 625
Quæst. 5. *Vtr. Abstracta substantialia in prædicamento collocari possint?* 617
Quæst. 6. *Vtr. Accidentia solum in Abstracto v. g. color, collocentur in prædicamento?* ib
DISP. CXII. Utr. Deus in Prædicamento possit collocari? 617
DISP. CXIII. De Ordinanda Arbore Prædicamentali? 620
Quæst. 1. *Quibus componatur Arbor prædicamentalis?* ib
Quæst 2. *Vtr. Differentiæ directe collocentur in prædicamento?* 621
Quæst. 3, *Vtr. Prædicam. debeat esse supremum, siue citi immediatum?* 622
Quæst. 4. *An reliqua genera Arboris sint immediata?* ib
Quæst, 3. *Vtr. Xpti. D. sub*

hac

INDEX.

hac Arbore contineatur? ib.
DISP. CXIII. De Postprædicamentis? 622

TRACTATVS SEXTVS, IN LIbros Perihermenias.

DISP. CXV, De Signo, Quid, & quotuplex, & quale sit? 624.
Quæst. 1. Quid sit signum? ib
Quæst. 2. Quotup. sit signum? 625,
Quæst. 3. Vtr. signum formale sit proprie, & univoce signum? ib.
Quæst. 4. Vtr. detur signum reflexum sui? ib.
Quæst. 5, Vtr. Omnis causa possit esse signum sui effectus? ib.
Quæst. 6. Vtr. species impressa sit signum formale Objecti? ib
Quæst. 7. Vtr. respectus Dei detur signum? ib.
Quæst. 8. Vtr. Motio, sive ductio signi ad cognoscendum signatum, effectiva sit per species excitativa cognitionis? 627
Quæst. 9. Quomodo subdividatur signum? ib,
Quæst. 10. Vtr. signum constituatur per ordinem ad potentiã, cui significat, minime vero ad rem significatam? 628
Quæst. 11. Vtr. respectu potentiæ non discursivæ detur signum? ib.
DISP. CXVI Quæ sit forma constitutiva signi arbitrarij? ib.
DISP. CXVII. De vocibus: quid immediate, & primario significent? 632.
DISP. CXVIII. De Locutione, 636
Quæst. 1. Quid sit Locutio? 636
Quæst. 2. Vtr, debeat intendi à loquente manifestatio, tam rei objectiva, quam conceptus formalis 637
Quæst. 3. Vtr, Locutio ut talis constituatur per auditionem? ib,
Quæst. 4. Vtr. Locutio possit significare rem clarius audienti, quam loquenti. &c, 638.
DISP. CXIX. De Scriptura: Quæres, & voces significet? 639

TRACTATVS SEPTIMVS DE Priori Analysi, sive de Priori Resolutione.

DISP. CXX. De syllogismo, & eius actibus: quid, quotuplex que sit syllogismus? 643.
Quæst. 1. Vtr. dicatur ad conventiam cum discursu? ib
Quæst 2. Vtr. requirat præmissas à conclusione totaliter distinctas; 644
Quæst. 3. Vtr. Enthymema vere sit in intellectu nostro? ib.
Quæst, 4. Vtr. Syllogism. dicat in recto solas præmissas? 645
Quæst. 5. Vtr. Conclus. debeat esse illatio formalis? ib
DISP, CXXI. De concursu præmissarum in conclus. 645,
Quæst. 1. Vtr. Præmissæ in eodem instanti simul cum conclus, debeant in intellectu coexistere? ib
Quæst. 2. Vtr. effective causent conclusionem? 546,
DISP. CXXII. Vtr. Præmissæ necessitent intellectum ad assensum conclus? 647
Sect. 1. Conclus. Omnino affirmans. ib.
Sect, 2. Objectiones. 651.
DISP. CXXIII. Vtr. cognitio de bonitate illationis assensum conclusionis præcedat? 656
DISP. CXXIV. Vtr. per assensum conclus, attingatur objectum præmissarum? 660
Sect. 1. Affirmo. ib
Sect. 2. Objectiones. 662.

TRACTATVS OCTAVVS IN LIbros de Posteriori Analysi.

DISP. CXXV. Quid, quotuplex, & qualis sit Demõstratio? 666
Quæst, 1 Qui dividatur Syllogismus in demonstrativum. &c. 666
Quæst. 2. Quid sit Demonstratio? ib.
Quæst. 3. Quotup. sit Demonstratio? 668
Quæst. 4. Vtr. sit Dimissio adequata in demõstratione Propter

quid, & Quia? 669
Quæst, 5. *Quæ alia sint diuisiones demonstrationis?* ib
DISP. CXXVI. De Præcognitis, & prænotionibus. ib
Quæst, 1. *Quæ & quot sint præcognita ad Demonstrationem requisita?* ib,
Quæst, 2. *Quot sint præcognitiones circa præcognita?* 670
Quæst. 3. *Vtr. Has pro scientia Vniuersali, an propria particulari Arist. requirat?* ib.
Quæst. 4. *Vtr. Prænotio consequentia sit etiam adjicienda?* ib
DISP. CXXVII. De Principijs Demonstrationis, quæ, & qualia esse oporteat? 670
Quæst. 1. *Qui debeant esse Principia pro demonstrationis præmissis &c.* ib
Quæst. 2, *qualiter requirantur ab Arist. principia* perse nota- 671
Quæst. 3. *quotup. sit propositio* perse nota? ib
Quæst. 4. *Quomodo certitudo Principiorum requiratur?* ib
Quæst. 6. *Qui debeant esse præmissa* de prædicato Vniuersali per se de omni, & secundũ quod ipsum? 673.
Quæst. 6. *Qui sint in Predic. modi dicendi perse?* ib,
Quæst. 7. *Vtr. Causa per quam sit demonstratio debeat esse prox?*
Quæst. 8. *Vtr. Medium potissimum demonstrationis sit definitio?* 674
Quæst. 9, *Vtr, detur circulus, & regressus vtilis in demonstratione à conclusione in præmissas?*
DISP. CXXVIII. Vtr. Præmissæ sint notiores conclusione. 676.
Sect. 1, Sent. media. 675
Sect. 2, objectiones contra 1. cõclus. 679
Sect. 3. Obj. contr, 2. conclus. 682.
Sect. 4. Object. contr, 3. conclus. 685.
DISP. CXXIX. De scientia, Fine Demonstrationis. 686.
Quæst, 1. *Vtr. det. scient. de conting.* ib
Quæst. 2, *Vtr. detur de singularibus?* 687,
Quæst. 3, *Qui diff. Scient. subalternans &c.* ib
Quæst. 4. *Vtr. detur de entrationis. &c.* 688

TRACTATVS NONVS IN LIbros Topicorum.

DISP. CXXX. De Syllog. prob. & loc. Topicis, 689
Quæst. 1. *Quæ & quot sint ejus prædicata?* ib
Quæst. 2. *Vtr. Opinio sit eius finis & qua illa sit?* ib
Quæst. 3. *an syllog. prob. falsus proprie sit syllogismus?* ib.
Quæst. 4. *Qui, & quot s. loci Topici.* ib

TRACTVS DECIMVS IN LIbros Elenchorum.

DISP. CXXXI. De Elencho Sophistico, eiusque fallacijs. 690
Quæst. 1. *Quid quotupl. q. s. Elenchus.* ib.
Quæst. 2. *Qui sint loci sophist.* ib
Quæst. 3. *Quæ solutio s. adhib, fallacijs.* 691
Quæst. 4, *quis sit finis sophistæ:* 692

TYPOGRAPHVS LECTORI, de Erratis.

CONDONABIS POTIVS, QVAM MIRABERIS, BEGNIGNE LECTOR, INNVMEra errata, quę hoc in Opere Typis nostris obrepserint; gnarus multiplicis incommodi, sinciori dexteritati Typotetarum penitus adversantis. Imprimis, cum hoc fuerit primũ Opus latinum, justæ magnitudinis, quod è nostra prodierit hactenus Typographia Limana, huius Americæ vnicà, ac singularis, perficiendum que per opifices latinè insçios, & multis, scilicet omnibus quę amplissimo in Regno occurrunt, præsodandis nimium quantum occupatos; nil mirum quod Tyrocinij vitijs laboraverit, minus inde perfectum, ac numeris absolutum. Auxit incommodum raritas, & caritas Correctorum, præstipendij incremento in Regione longinqua, & Orbis opulentissima visitato: vbi propterea Auctores ipsi correctioni mendorum inuigilant, præsertim si patrio idiomate nõ texãtur scripta. Auctor autem cum Operi prelum insudare cepit, per trimestre abfuit ab Vrbe: reversus vero, paulo post, Collegij sui Maximi Limensis S. Pauli Rector renunciatus est, & vrgentioribus regiminis curis implexus, his minutijs vacare satis haud potuit. Accedunt duo alia non leuia excusationis momenta. Alterum, obscuritas caracterum Archetypi manuscripti, compendijs & synco pis pleni, vbi sępius diuinandum fuit Opifici potius, quam legendum. Alterum auiditas Scholarium, tum Limæ, tum deforis: folia ipsa vix primum prelo pressa, nedum bis ad limam redacta, coementium, & quasi rapientium certatim; vt tertia pars voluminum, volanti (vt ajunt) folio, prius fuerit distracta, quam excusa. Hinc facile erratis dabis veniam, iuduigens veniales eos lapsus bono publici boni ac rei laudabili cunctis, studio meo; qui huius Tomi magnis, nimirum supra duo millia aureorum, expensis proprijs, non peperci, singulis reliquis e quatuor Tomis, pares sumptus æquanimiter impensurus. Quibus si fauere pergas, aggrediar (imo iam ex Europa novos Typos, & majora folia comparare aggressus sum) post Philosophiam, etiam Theologiam Scholasticam Auctoris, quatuor folij magni Tomis comprehensam, proprijs pariter sumptibus in lucem emittere. Faue igitur, fruere, & Vale: & interim errata minus notabilia vt cumque dissimula, sequentia vero notatu digniora patienter corrige.

Pag.	Col.	Lin.	Dele.	Lege.
1.Prol.		24.	*breuia*	breui à
		vlt.	*conati &*	et conatu
8	1	5.	*deest vt infra*	
2.Tr.1	1	10.	*secendi*	sciendi
2;	1	24.	*Baronium*	Baronij Spondanum
3.	1	23.	*possit*	posit
17.	1	1.	*rearbus*	realibus
		26.	*deodem*	de eodẽ
	2	2.	*representat*	repræ
18.	1	37.	*superddita*	superaddita
18.	2	26	*dedefinitio*	de definito
19.	1	5.	*subjectivum*	subjectum
	2	1.	*por*	per
		2.	*cognocitur*	cognoscitur
	2	19.	*definitio*	definito
10.	1	20.	*quamcum*	quam vt cum
14.	1	19.	*continauta*	continuatiua
		39.	*obiectivi*	obiectiui
41.	1	28.	*scipsum*	se ipsum
47.	2	25.	*cardexterna.*	cardinalis,
			& benè	&benè
		24.	*adoratio sine interna.*	adoratio extrõ na, siue interna.
49.	1	18.	*impria*	impropria
50.	1	7.	*sed, quasi*	sed quasi
52.	1	3.	*deest vt infra*	
57.	1	5.	*atque tiam.*	atque etiam
60.	2	33.	*Nego*	Affirmo
67.	2	2.	*quare neque*	quia neque
72.	1	35.	*Perdicatum*	Prædicatum
ibi	2	1.	*Modum.*	modos
83.	8	21.	*propositionem*	oppositionem
ibi	1	25.	*veritatem*	falsitatem
87.	1	9.	*excludit*	excludi
	1	19.	*possunt*	possint
84.	2	1.	*Nego*	Affirmo
88.	1	1.	*in Terminus*	in terminis
98.	2	26.	*est aliud est*	est aliud
	2	28.	*cũ exclusione*	& exclusionis

Pag.	Col.	Lin.	Dele.	Lege.
		ibi.	*faciens unum*	faciens cum ea unum
103	2	1.	*6. cum possint*	cum nõ possint
	2	vlt.	*communi*	communis, et
106	2.	30.	*& nõ est ratio nalis*	& hęc, Non est rationalis
108	1.	19.	*mmutatione*	immutatione.
111	1	4.	*priori*	posteriori
111	1.	32.	*non existere*	existere, nõ
	2	4.	*ctingens*	contingens
112	2	vlt.	*respondet*	respondent
116	2	1.	*sub contrarijs*	sub contrarijs
		17.	*simili*	similia
118	2	25.	*quo hc*	hic
119	1	9.	*contracta*	contracto
	2	9.	*conuenatni*	cõueniat omni
		37.	*vna dee*	vnde de
120	1	12.	*ot s vrius*	obscurius
121	2	pen	*i; icet*	licet
123	1	11.	*ad uam*	ad quæ
	2	7.	*in s hcis*	in scholis
125	1	11.	*Quod*	Quid
126	1	35.	*distinctl.*	distincti
127	1	12.	*et*	sed
	2	3.	*vertribus*	vera tribus
128	2	26.	*potestatiam*	potestativum
130	1	6.	*, forma*	formæ,
131	2	24.	*ipsis*	ipsius
132	1	33.	*P. Felle*	P. Tellez
133	2	8.	*modo*	& qualitatem, modo
134	2	24.	*pssime*	possint
136	1	4.	*distinctionis*	distinctis- niti
137	1	19.	*nisi*	
	2	27.	*quæ eadem*	quę sunt eadem
140	1	13.	*negata*	negatę conclusionis
143	1	4.	*divine*	diuinæ
		TRACT. 2.		
144	1	1.	*Autor*	Auctõr
		9.	*autores*	Auctores
145	2	35.	*ston icum*	Stoicorum
146	2	27.	*aliis*	iłlis
147	2	9.	*acadẽ*	academ
148	1	24.	*n. 6.*	q. 6.
152	1	38.	*& forma*	& quasi forma.
161	2	1.	*de-re*	de re-
	ibi	35.	*scientias*	scientias
166	2	8.	*producente, ipsum cum*	producente ipsum; cum
167	2	73.	*ad ctaus*	ad actus

Pag.	Col.	Lin.	Dele.	Lege.
169	1	vlt.	*oirri*	orlrl
	2	1.	*specie*	specici
199	1	5.	*Theologiam*	Theologia
170	1	23.	*collectieu*	collective
	2	24.	*cum sicut*	cum non esset sicut
171	2	4	*eshcrogenee*	heterogeneè
172	2	14.	*si vincet*	sivinceret
		16.	*uicet*	vincet.
173	2	10.	*ut ut benè*	vt benè
174	1	3.	*intentionem*	intensionem
178	1	34.	*directiuæ seu, log.*	directiuæ, seu logicæ
180	1	18.	*si Regula*	Quia regulæ
186	1	11.	*sulum*	solùm
189	1	38.	*Ergo nec*	ergo nec
194	2	3.	*cum æquè*	cui æquè
195	1	12.	*necssaria, cõnexionis*	necessarię, connexionis
201	1	2.	*qui*	quæ
		3.	*dest vuit*	deseruiunt
204	1	20.	*intcimur*	fatemur
205	1	15.	*hirco servus*	cerus
212	1	5.	*dirigente.*	dirigẽte
213	1	vlt.	*sebisto*	subjecto
216	1	31.	*antecedenti*	antecedentis
ibi	2	20.	*attingendo*	attingendam
217	2	11.	*complectum*	completum
218	1	8.	*connectantur*	tantur
ibi	2	11.	*mensrnæ, gre*	mentura, egre
219	1	37.	*Historiæ*	Historia
ibi.	2	17.	*dirigibilis*	dirigibiles
	ibi	23.	*directiuis*	directiuis
224	2	30.	*tractetur*	tractetur
226	2	36.	*vt sit*	vt sic
227	1	vlt.	*sallibiliter*	infallibiliter
230	1	12.	*linis.*	finis
231	1	20.	*à ut materia*	ut à materia
232	1	8.	*tractatur*	tractatur
234	1	8.	*ordinaris*	ordinari
	ibi	vlt.	*demõstratiu.*	demõstrativa
235	1	26.	*naura*	naturæ
	ibi	39.	*objectem*	abiectem
146	1	18.	*explicatic*	explicato
249	1	38.	*lice*	licet
	ibi	39.	*sistat*	sistat
252	2	5.	*cognio*	cognitio
	ibi	29.	*hinc*	bene
255	1	28.	*virtuulis*	virtualis
	ibi	33.	*cognoscentis*	dirigentis
	2	38.	*Regula*	Regula

Pag.	Col.	Lin.	Dele	Lege.
254	2	19.	*ex fine*	& fine
256	1	19.	*appettere*	appetere
	ib.	22.	*habet*	habet
	ib.	37.	*directiuè*	directiui
	ib.	13.	*ſit is*	ſi ij
ib.	2	22.	*cogniſcitur*	cognoſcitur
		36.	*eſicax*	efficax
257	1	vlt.	*exacitat*	excitat
258	2	22.	*cognis*	cognitio
264	2	18.	*modi*	modo
265	2	38.	*tratradum*	tradunt
267	2	17.	*per hanc*	per hanc particularem
	ib.	22.	*ſeu applicatiua*	applicativa ſimul
268	1	17.	*&*	&c.
269	1	21.	*eu*	ſeu
271	1	13.	*inducentis*	inducentis
275	1	8.	*ſub*	ſua
	2	3.	*& ut*	ut &
276	1	16.	*actum*	actuum
	ib.		*virtusis*	virtutum
	2	27.	*proPterea*	propterea
278	1	15.	*i'lectus*	intellectus
	ib.	40.	*Dividiniſionis*	diuiſionis
278	2	31.	*illas*	illas
279	1	4.	*Imporiant*	important
		12.	*ex cogitatio*	excogitatio
	2	40.	*ponta*	poſita
280	1	10.	*partialer*	partialiter
		16.	*opkiſticus*	ſophiſticus
		19.	*eſtructionem*	deſtructionem
	2	21.	*d: docere*	d docere
281	1	23.	*illud*	illum
282	2	5.	*ſi tertia*	ſi quarta
283	1	2.	*finis &*	finis ad quem applicatur, &
284	2	33.	*quidemquidi:*	quidem
285	2	18.	*ecundum*	ſecundum
287	1	10.	*dertineve*	pertinere
288	1	9.	*ſyllogiſini*	huius ſyllogiſmi
		32.	*uxta*	juxta
	2	27.	*dhuc*	adhuc
292	1	14.	*exercito*	exercitio
		17.	*vtens vtens*	vtens
	2	27.	*potentię*	potentia
		38.	*communite*	communiter
		40.	*quia ſolius,*	quia id ſolius
293	1	7.	*habitu*	habitus
	2	37.	*formalis*	formalitas

Pag.	Col.	Lin.	Dele.	Lege.
294	2	28.	*ſtyloſophia*	philoſophia
298	1	39.	*rationaliter*	rationaſia
ib.	1	5.	*firmitatem*	firmitatem
299	2	6.	*de decentem*	dedecentem
ib.	2	38.	*munere*	munere
300	2	12.	*eformante*	efformante
301	2	23.	*d. 64.*	d. 63.
304	1	16.	*Tregdaplum*	Tragelaphum
305	1	19.	*aliqua*	aliqua
306	1	7.	*alietare*	alietare
307	2	3.	*ſint*	ſunt
307	1	19.	*expimatur*	exprimatur
308	2	2.	*feſtiuè*	feſtiuè
309	1	1.	*Nulla*	2. Nulla
310	2	30.	*conceptum*	conceptum
312	2	25.	*quod*	quo
ib.		37.	*omnina*	omnia
312	1	13.	*ſicilicet*	ſcilicet
	2	25.	*quod tantum*	quo tantum
		36.	*omnina*	omnia
313	1	24.	*repraſentàdi*	repreſentandi
316	2	25.	*omino*	omnino
317	1	28.	*reſpondercet*	reſponderet ſe
328	1	19.	*enitas*	entitas
332	2	8.	*contradictionē*	contradictoriū
ib.	2	37.	*relationis*	relationes
336	1	15.	*uſus*	viſus
342	2	9.	*Pratori ſum*	Prato riſum
350	1	27.	*ſuperadditus*	ſuperaddatur
ib.		37.	*concuſsio*	concluſio
351	2	22.	*Ariſtorelem*	Ariſtotelem
ib.		36.	*xe parte.*	ex parte
352	*in rotulo*		*Tlogica.vac*	Logica. Trac.
ib.	1	26.	*conſtituit*	conſtituit
ib.	2	16.	*homonis*	hominis
353	2	15.	*E hoc*	Et hoc
ib.	2	27.	*Sicut*	ſunt
354	1	17.	*Taſol*	Faſolus
355	2	14.	*Filio*	Filio
ib.		25.	*in ſi*	in ſe
356	1	11.	*ſignare*	ſignatè
ib.	2	7	*ex am,bus,*	ex quibus
ib.		14.	*erit in ſe,*	erit, vel non erit in ſe
ib.		17.	*ſiue eſſe*	ſecundum ſuum eſſe
357	1	19.	*infinitatem*	infinitatem
358	2	27.	*intuſtiva*	intuitivæ
359	2	26.	*vit ter*	virtualiter
362	1	34.	*inſilavile*	indiſſolubile
363	2	23.	*inſuitu*	intuitu

✠✠✠✠

Pag.

Pag.	Col.	Lin.	Dele	Lege
365	2	2.	*Lyiceus*	Lynceus
ib.		11	*Perphir*	Porphirius
366	1	36.	*fertu*	fertur
ib.		39	*Axoima*	Axioma
367	2	6	*Negationer*	Negationem
370	2	11.	*innmera*	innumera
371	2	33.	*ſenſibi a*	ſenſibilia
372	1	7	*pe cudieti*	percutienti
375	1	10.	*producti e*	productrice
377	1	35.	*creatuarũ*	creaturarum
ib.	2	18.	*indivĩdius*	indiuiduis
381	1	30.	*Homai*	Hominis
383	2	1	*Doniinij*	Dominij
ib.	2	16.	*ſimplisitor*	ſimpliciter
386	2	17.	*determina tumi*	determinatum
388	1	3.	*Pe.ro*	Petro
390	2	26.	*qnia*	quia
392	2	38.	*quom*	quem
397	2	39.	*bonum*	bonum
399	2	40.	*conuenien tirm*	conuenientiam
400	1	24.	*ſ'uſu*	ſenſu
401	2	6	*peritatem*	paritatem
ib.		39.	*permodum propterea*	propterea per modum
402	1	6.	*homogenuẽ*	homogeneum
403	1	26.	*multiplicen tur*	multiplicentur
404	1	5	*de*	vnde
406	1	40.	*oſt*	eſt
407	2	37.	*Antires*	Antiquiores
409	2	29.	*admirativã*	Admirativum
410	2	28.	*ratinale*	rationale
411	1	2	*cognici*	cognoſci
ib.		29.	*connotatum*	connotatum
ib.	2	8.	*qiqo*	quod
ib.	2	22.	*dubiteitur*	dubitetur,
ib.	2	23.	*himnitum*	himnitum
417	1	5	*fosa*	falſa
418	1	15.	*Non non*	non
ib.	2	8	*ab him.*	ad hominem
ib.	2	38.	*virtualita tis*	virtualitati
419	2	11.	*concppta*	cocenptu
420	1	8	*quie*	quia
424	2	39.	*diffrendi*	differendi
429	2	1	*Scotũ*	Scotus
430	2	9	*Santa craz*	Santacruz
432	1	21.	*nullibi*	nullibi
ib.	2	34.	*adectivam*	adjectivam

Paa.	Col.	Lin.	Dele	Lege
ib.	2	35.	*raitaenale*	rationale
435	1	3	*cnm*	cum
ib.	2	28.	*auerſans*	averſante
436	2	29.	*ratinale*	rationale
437	2	17.	*formalitatas*	formalitates
ib.	2	26.	*producentis*	producentis
438	2	16.	*itnerna*	internæ
439	1	8	*ciſtinguen tibus*	diſtinguentibus
440	2	9	*Phuſice*	Phyſicè
ib.	2	12.	*ſnmme*	ſummè
442	1	4	*apetitum*	appetitum
443	2	31.	*eu modo*	ex modo
444	2	16.	*einiq*	eiuſque
446	1	27.	*pluricanti bus*	pluriſicantibns
ib.	2	9.	*Nen*	Non
447	1	26.	*plurlum*	plurium
448	1	29	*Paulum*	Paulus
ib.	1	35.	*domina- tionem*	denominationem
ib.	1	39.	*nego*	nego
449	1	1	*abilia dica*	prędicabilia dicãt
ib.	1	4	*ſuppotitione*	ſuppoſitione
ib.	1	7	*intricene*	intrinsecè
ib.	2	19.	*ſunpatur*	fundatur
	2	34.	*inquivus*	inquavis
ib.	2	26.	*Alph*	Alph.
451	1	14.	*inlectivum*	intellectivum
	1	16.	*aaimatum*	animatum
	1	33.	*nnumeratio*	numeratio
	2	40.	*incongrui*	incongruit
452	1	30	*oum*	cum
453	1	7	*dici*	dici
454	2	36.	*ciãns*	citans
458	1	4	*ſingularium*	ſingularium
459	2	24.	*ſpecifica*	ſpecifica
460	2	23.	*nobiliori*	nobilioris
464	1	2	*autum*	aurum
ib.		37.	*ſ gulam*	regulam
ib.	2	32.	*ſignare*	ſignatè
463	1	38.	*digniſimas*	digniſsimis
466	1	11.	*ſimplititer*	ſimpliciter
ib.		29.	*ex patre*	ex parte
ib.	2	40.	*identius*	identitatis
467	1	27.	*preſcifiua*	preſciſsiua
468	2	20.	*cauſalitater*	cauſaliter
ib.		36.	*hoc cõparare*	hoc eſt cõparare
469	2	1	*explicili*	explicui
ib.		21.	*Phantaſia*	Phantaſiæ
471	1	19.	*ipſa*	ipſe

Pag.	Col.	Lege	Dele	Lege
474	1	9	*concepta*	conceptus
475	2	10.	*sine*	siue
477	2	36.	*disiunctiod*	disiunctioni
481	1	31.	*pro veri*	proprium
484	2	35.	*familiate*	familiare
485	2	7	*dictaur*	dicatur
488	1	40.	*haccelta*	hæcceitas
491	2	12.	*è cum*	& cum
494	2	29.	*egro*	ergo
495	1	10.	*alia*	alias
501	2	22.	*alteri*	alterius
504	1	14.	*senſitiui*	ſenſitiui
ib.	2	37.	*pures*	plures
508	1	40.	*quod habe-tur*	quod odio habe-tur
510	1	24.	*reatiter*	requiritur
513	1	9	*libere*	liberè
519	1	28.	*habitupine*	habitudine
522	2	6	*Petrua*	Petrus
523	2	35.	*rius*	prius
525	1	20.	*qua tionibus*	durationibus
ib.	2	5	*Petio*	Petro
527	2	2.	*remota*	remotum
534	1	37.	*differentia*	differentia
535	1	37.	*quadm*	quædam
ib.	2	30.	*ſubſtentatis*	ſuſtentantis
537	2	13.	*ideo ſit*	ideo commune ſit
543	2	1	*ſſufiſciet*	ſufficiet
ib.		14.	*tota; eſt*	tota eſt,
ib.		36.	*ſiet*	fiet.
544	2	36.	*Augelus*	Angelus
545	1	18.	*viſiue*	viſiuæ
ib.	2	20.	*conuecire*	conuenire
546	1	2	*præſcindit*	præſcindi
547	1	3	*muitiplicabilis*	multiplicabilis
ib.	2	1	*comagiſter*	conmagiſter
548	1	7	*prædicabile*	prædicabiles
ib.		38.	*talier*	taliter
ib.	2	1	*qui*	quia
ib.	2	8	*Chriſtu*	Chriſtus
549	1	4	*attnciur*	attingitur
550	1	22.	*enndem*	eundem
ib.	2	22.	*ſignare*	ſignatè
552	2	4	*ab*	ad
554	1	5	*bere*	vere
556	1	21.	*alliquis*	aliquis
557	1	26.	*formalite*	formaliter
560	2	11.	*proprium*	propriam
568	1	16.	*ſuperadita*	ſuperaddita
569	1	32.	*deduemus*	deducimus

Pag.	Col.	Lin.	Dele.	Lege.
581	2	13.	*ſalſcitabit*	ſuſcitabit
ib.	2	19.	*nono*	nouo
184	1	34.	*gennis*	genus
585	2	28.	*De vniverſali*	vnde vniuerſali
591	2	19.	*diſtinca*	diſtincta
596	2	1	*rasimari*	affirmari
ib.		18.	*de ſumitur*	deſumitur
601	2	30.	*perſona*	perſona
602	2	39.	*nigrum*	nigrum
604	2	19.	*conſtitutiva*	conſtitutiua
606	2	4	*juſta*	juxta
ib.	2	23.	*diuina*	diuinæ
612	2	37.	*affirmatiua*	affirmativæ
616	1	13.	*poſſunt,um*	poſſunt,tum
ib.	2	23.	*noſtrus*	noſtris
ib.	2	34.	*ſimplicite*	ſimpliciter
618	1	28.	*vivat*	vetat
ib.	1	38.	*id Deo*	in Deo
622	1	19.	*pattim*	partim
623	1	16.	*linz*	Lyne
ib.	3	36.	*mocos*	modos
628	1	22.	*ſignarum*	ſignatum
630	1	4	*vium*	vinum
631	1	30.	*Fator*	factor
633	1	3	*Nominalli*	Nominalibus
ib.	2	22.	*ſcientiam*	ſcientium
638	2	29.	*perfectionem*	perfectiorem
639	1	16.	*paret*	patet
640	1	3	*ſubaogatur*	ſubrogatur
641	1	4	*pater*	patet
643	2	27.	*noolbit*	involvit
644	1	29.	*diſpingui*	diſtingui
ib.		30.	*ter*	per
646	1	19.	*ſuffituere*	ſufficere
649	1	28.	*concluſini*	concluſioni
651	1	23.	*nclusam*	incluam
ib.	2	11.	*perfectum, modum*	perfectum mo dum.
657	1	12.	*correlationē*	concluſionem
659	2	31.	*connexio,*	connexio
660	1	34.	*er*	per
662	2	6	*que*	quæ
ib.	2	42.	*n.8.*	n.18.
664	2	16.	*vniuſcuiſque*	vnius cuiuſque
665	1	12.	*Mnori*	Minori
ib.	2	5	*commigit*	contingit
666	2	14.	*ſcientiam inevidentia*	obſcuritatem inevidentiam
ib.		19.	*materie*	materiæ
ib.			*dupliciter*	dupliciter
667	1	18.	*cuaſoque*	cauſisque

ibi

Pag.	Col.	Lin.	Dele.	Lege.
ib.	2	12.	*ibibit*	ebibit
ib.	2	31.	*t.mi*	remi
ib.		34.	*à nemines*	à nemine
668	1	27.	*eiam*	etiam
670	1	37.	*tatali*	totali
671	2	38.	*priecipia*	principia
674	1	14.	*demonſtratus*	demõſtratur
675	1	3	*immediato-rem*	immediationem
ib.	2	28.	*cuidenter*	evidenter
676	1	18.	*experimentã*	experimentum
677	1	14.	*eri*	erit
679	2	31.	*ciſca*	circa
680	1	30.	*Denominati-ues*	Denominativis

Pag.	Col.	Lin.	Dele.	Lege.
ib.	1	40.	*principium*	principium
682	1	vlt.	*conuenire*	conveniat
ib.	2	7.	*aſſentiti*	aſſentiri
ib.	2	19.	*ratiores*	rationes
683	2	24.	*defectibilias*	defectibilitas
684	2	22.	*tanneri*	Tanneri
ib.		29.	*negare*	negaret
685	1	14.	*auidentia*	evidentia
686	1	2	*magis*	magis ſimilior
ib.	3		*paiter*	patiter
ib.	1	26.	*Actus*	actus
689	2	26.	*genera,*	genera
692	1	1	*vitum*	vitium
ib.		5	*Sophiſta*	Sophiſtæ

SVPPLENDA, QVÆ DESVNT.

PAg. 8. Prolog Lin. 5. *poſt* quæſtiuncularum, *adde* commodius fiet, vt Pag. 2. Tract. 1. Col. 1. Lin. 24. *poſt* juxtà Baronium, *adde* Spondani Pag. 133. col. 1. lin. 8. *poſt* quantitatem, *adde*, et qualitatem. Pag. 203. col. 1. Lin. 6. ante num. 33 *deeſt Reſponſio ſequens.* Ad 2. Confirm. Nego paritatem, quia reflexio illa ſupra conformitatem externæ profeſſionis fidei, & externæ adorationis, habet magnam vtilitatem in eſſe virtutis, multiplicandi effectus ſupra honeſtatem virtutis formalis interne, qui nũquam otioſi ſunt, licet ſine neceſſitate multiplicentur, cũ ſemper ſint laudabiles, & meritorij de nouo. At reflexio ſupra conformitatem vocũ cum regulis logicæ eſſet ſuperflua in eſſe artificioſo, &c. Pag. 580. col. 2. lin. 30. *poſt* vniverſalis *adde.* Negant PP. Conimbr. hic q. 8. a. 4. P. Tellez d. 5. ſec. 3. n. 6. & aliqui RR. pag. 589, col. 1. lin. 27. *Poſt* conveniendi. *Adde*, analog. Pag. 602. col. 1. lin. 38. *poſt.* n. 7. *adde ſequentem titulum.* Sect. 3. de recto ſpecificativo.

BC807108